32
7 H
26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

IO. FRANCISCI BVDDEI

THEOL. D. ET P. P. O.

INSTITVTIONES

THEOLOGIAE DOGMATICAE

VARIIS OBSERVATIONIBVS

ILLVSTRATAE.



FRANCOFVRTI ET LIPSIAE,

M DCC XLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO

IO. GVILIELMO,

SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE
ET MONTIVM, ANGARIAE QVOQVE
AC WESTPHALIAE DVCI,
LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE,
PRINCIPI COMITI HENNEBERGIAE,
COMITI MARCAE ET
RAVENSBERGAE,
SAYNAE ITEM ET WITTGENSTEINII,
DYNASTAE RAVENSTEINII,

PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google



SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME,

QVi demandato ſibi munere recte fungi cupiunt, id maxime agere ſolent, vt Deo primum praepotenti ac immortali, tum vero &, qui eius vicibus inter homines funguntur, ſummis imperantibus, a quorum nutu pendent, rerum ſuarum reddere rationem, numquam non parati inueniantur. Idque cum eorum imprimis ſit, qui aliorum animos ſacra, diuinitusque nobis tradita, doctrina imbuunt, eosque ad ſalutem perducunt; immo & quosdam ita erudiunt, vt aliis

aliis iterum veram virtutis & ſapientiae viam monſtrare queant; eamdem & mihi conſtitui legem, neue eius immemor vmquam eſſem, ſedulo operam nauaui. Hanc vnicam quoque rationem eſſe, exiſtimaui, qua TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, placere poſſem; quippe quem praecipue hoc in votis habere, ſciunt omnes, vt cuncta recte & ordine fiant; illique, qui ſcholis, aut eccleſiis praeſunt, ſuarum rerum ita ſatagant, vt doctrinae caeleſtis puritas conſeruetur, ſimulque vitae ſanctae ſtudium promoueatur, magisque indies effloreſcat. Quamobrem & animum propenſiſſimum, ſummumque fauorem erga hancce noſtram litterarum ſedem, ſubinde demonſtraſti, & nihil magis TE cupere, ſignificaſti, quam, vt omnia ita, vt decet, peragantur; ne fructus, qui ad vniuerſam eccleſiam, orbemque litteratum exinde redundare poſſent, noſtra pereant culpa. Grata hinc etiam, deuotaque mente, clementiſſimam benigniſſimamque TVAM erga nos agnoſcimus voluntatem, proque TVA ſalute quotidie vota nuncupamus Deo; cum certi ſimus, per TE quidem ſi ſemper hoc ſtaret, nihil nobis, niſi quod ſalutare omnibus ſit, euenire poſſe. Eo vero magis, quod omnes ſibi datum merito credunt, mearum duco eſſe partium, quo illuſtriora luculentioraque TVAE clementiae atque benignitatis erga me exſtare voluiſti documenta. Non tantum enim, ante octodecim circiter annos, cum reliquis academiae huius NVTRITORIBVS CLEMENTISSIMIS, me huc euocaſti, vt theologiam in hocce ſapientiae domicilio docerem; ſed &, minime ingratam TIBI eſſe eam, quam in erudienda pube academica poſui, operam, haud incertis mihi innotuit indiciis. Idque ea ratione, vt neciniquae quorumdam obtrectationes impediverint, aut impedire valuerint, quo minus agnoſceres, magno cum iuuenum, litterarum ſacris hic operantium, fructu, me ea agere, quae officii, a TE, SERENISSIME PRINCEPS, mihi impoſiti, ratio poſtulat. Nec ignotum TIBI eſſe potuit, quod & aliis perſpectum ſatis exploratumque eſt, nihil prius mihi, nihilque antiquius ſemper fuiſſe, quam, vt puram, veramque doctrinam, quam illibatam conſeruari, omnium intereſt, proponerem, eaque iuuenum mentes imbuerem; ſimul vero id agerem, vt, quis, in vita recte & ſapienter inſtituenda, eius vſus eſſe debeat, diligenter monerem, atque inculcarem. Quam qui ingrediuntur viam, etſi hodie non omnibus probentur; illis nihiloſecius, qui, quid e re eccleſiae, immo & rei publicae ſit, rite aeſtimare didicerunt, diſplicere nequeunt. Eorum autem, quae, quamdiu in hocce diuinarum litterarum ampliſſimo campo verſatus ſum, docui, licet teſtes quam plurimos habeam, qui me quotidie audiunt; licet etiam ex variis, quae edidi, ſcriptis conſtare queant; nunc tamen demum quam luculentiſſime omnium oculis animisque ſubiicientur,

poſtquam inſtitutiones meas theologiae dogmaticae publicae exponere luci, mecum conſtitui. In hiſce namque ea omnia, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria, perſpicue ediſſeruntur, & ſolide confirmantur; errorum, quibus ſaepius veritas obſcuratur, fontes indicantur, doctrinae denique, qua numquam non eccleſia perſonuit, iuſta ſucceſſio propagatioque, &, inter tot pericula atque procellas, mirifica conſeruatio, ex hiſtoriarum monumentis, & genuinis antiquitatis fontibus traditur; vt adeo iam nemini, quae de hiſce omnibus mens mea ſententiaque ſit, ſemperque fuerit, dubium, aut obſcurum eſſe queat. Eumque eo lubentius ſuſcepi laborem, quod plurimi, interque eos viri quidam doctrina & auctoritate praeſtantes, eiusmodi quid a me poſtularent; & ea, quae hodie eſt, eccleſiae facies id exigere videretur; ſimulque certus eſſem, commodum inde haud exiguum, tum ad eos, qui mea inſtitutione adhuc vſi, aut vſuri ſunt in poſterum, tum ad alios etiam redundare poſſe; ne dicam, quod mihi nondum innotuerit, qui eam, quam ego mihi propoſui, in hocce genere ſequutus ſit tractandi rationem; aut eam ita exhauſerit, vt ideo ab hocce deſiſtere inſtituto debuerim. Nemini autem cum magis, quam TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, laborum meorum conſtare ratio debeat; non procul mihi arceſſendae fuerunt cauſſae, cur SERENISSIMO NOMINI TVO haſce inſtitutiones meas theologiae dogmaticae ſacras deuotasque eſſe, voluerim, quas &, quin benigne ſis accepturus, ſumma, omnibusque nota, & antea iam a me laudata, clementia TVA me dubitare non ſinit. Hac namque ſola fretus, ad ſummum iſtud, in quo a Deo collocatus es, rerum humanarum faſtigium accedere audeo; & librum huncce, perennem animi deuoti, TVASQVE virtutes ſubmiſſa veneratione proſequentis, teſtem offero. Quod ſupereſt, Deum praepotentem implorare precibus indefeſſis non deſinam, vt omnia, quae TE, SERENISSIME PRINCEPS, beatum atque felicem reddere poſſunt, TIBI largiatur, triſtia contra quaeuis atque funeſta a TE pariter, ac domo TVA SERENISSIMA, auertat, &, in proſpero rerum omnium curſu, quam diutiſſime inter morales TE verſari iubeat.

SERENITATI TVAE

ſubiectiſſimus deuotiſſimusque
IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS.

LECTORI

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S.

Nondum ergo, inquis, compendiorum, ſyſtematum, inſtitutionum theologicarum, ſimiliumque librorum finis eſt? Immo, nec eccleſiae militantis finis eſt, quae eiusmodi ſubſidiis & adminiculis indiget. Vna, ſane, eademque ſemper eſt veritas, vti vnicus eſt modus, vnicaque ratio, ſalutem conſequendi. Sed eccleſiae diuerſa eſt facies, hoſtiumque, qui eam impugnant, doctrinamque caeleſtem aut corrumpere & deprauare, aut obſcurare, aut omnino opprimere conantur, magna varietas. Hiſce ergo vt obuiam eamus, ea ſubinde ſequenda eſt dogmaticam quoque theologiam tractandi via, qua animi illorum, qui in hoc ſe dant ſtudiorum genus, praemuniantur, ne hominum, praua quaeuis & erronea conſectantium, commentis abripiantur, aganturue in transuorſum. Vitio equidem nonnullis vertitur, quod in dogmatibus theologicis, iis etiam, quibus tenerae mentes primum imbuendae ſunt, tradendis, controuerſiis, certaminibusque ſui temporis ita inhaereant, vt finis, quem ſibi conſtitutum habere debebant, velut immemores, ea, quae, ſi non magis, certe aeque neceſſaria erant, aut praetermittant prorſus, aut leuiter tantum attingant. Quod ne & mihi expro-

Digitized by Google

exprobrari poſſet, etſi haud raro ad eum, qui hodie eſt, eccleſiae ſtatum reſpexerim; praecipue tamen eorum omnium, quae neſcire neminem fas eſt, qui theologi nomen tueri cupit, rationem habui. Id enim cumprimis nobis agendum eſt, vt ea omnia, quae ſcitu credituque ad ſalutem & vtilia, & neceſſaria ſunt, ita mente complectamur, ut per ſolidam demonſtrationem de illorum veritate certi reddamur, ſtatimque ad fidei, vitaeque chriſtianae vſum, ea transferamus; & tum demum, quo pacto, qui mox hoc, mox aliud doctrinae ſacrae caput impugnant, aut in dubium vocant, refellendi, & ſi fieri poteſt, in rectam viam reuocandi ſint, cogitemus.

Neque tantum noua errorum, quotidie propullulantium, progenies, neceſſitatem nobis imponit, dogmata theologica, noua quadam facie, iterum producendi; ſed, cum aliarum artium atque ſcientiarum magiſtri hodie in id vnice incumbant, vt eas, quas quisque profitetur, litteras, magis illuſtrent, exornent, perpoliant, nouisque augeant incrementis; cur reprehendendi ſint, qui circa theologiam dogmaticam idem faciunt, nullam prorſus rationem video. Multa, adcuratior ſcripturae interpretatio, multa, hiſtoria eccleſiaſtica, multa, patrum, veteriſque eccleſiae doctorum, tractatio, noua, maioribusque noſtris ignota habet; quorum omnium vſus in theologia dogmatica, velut in centro quodam, conſpicitur. Licet multa explicare clarius, euoluere luculentius, confirmare ac demonſtrare ſolidius; licet inutiles euitare λογομαχίας, vocumque inanium ambages; licet denique vtilia, ab inutilibus, neceſſaria, a ſuperuacaneis, a grauioribus leuiora diſcernere. In quibus omnibus qui operam ſtudiumque collocat, & ingenii vires periclitatur; vanum eius, inutilemque laborem eſſe, nihil eum agere, ex quo commodum aliquod ad eccleſiam, aut rem litterariam redundet, ſi quis contendat; nae! eum caecum plane, rudemque rerum omnium, aut tantae malignitatis eſſe oportet, vt nihil non contemnere, aut vituperare audeat. Magnus, fateor, eiusmodi librorum, in quibus dogmata fidei traduntur, explicantur, defenduntur, eſt numerus; nec is ego ſum, qui illorum quidquam detractum cupiam pretio; quin potius, nonnullos egregios omnique laude dignos, & ita comparatos, exiſtimo, vt inſignem omnes inde vtilitatem capere queant. Nec tamen rurſus, quemquam in hoc ſcribendi genere ſummum perfectionis faſtigium conſequutum, creden-

Digitized by Google

credendum eſt; ad quod etiam fruſtra quis adſpirauerit; cum ea rerum humanarum omnium, noſtraeque cumprimis cognitionis, ſit conditio, vt nihil, quod perfectum ſit, & ex omni parte conſummatum, ab vllo mortalium exſpectari poſſit. Quemadmodum vero ideo, qui hocce munere diligenter & egregie functi ſunt, ſua neutiquam defraudandos laude arbitror, quod aliis, quae perficiant vlterius, & excolant, reliquerint; praeſertim, cum haud raro, quod ex vna parte in quodam ſcriptore deficit, ex altera alio modo penſetur; ita nec illorum in minimis ponendus labor, qui recte & praeclare ab aliis coepta ad maiorem perducere perfectionis gradum adnituntur, vt pulcrior hinc indies exſurgat theologiae facies, veritatisque pariter, ac pietatis regnum ad multorum hominum aeternam ſalutem, dilatetur & amplificetur.

Operis autem eiusmodi, in quo dogmata theologica tractantur, conſummatam quodammodo qui animo conceperit imaginem, hoſce eius facile perſpiciet eſſe characteres: vt dogmata omnia, quae ſcitu credituque ſunt neceſſaria, exhibeantur; vt perſpicue & luculenter explicentur; argumentis & rationibus vt demonſtrentur ſolidis & ſelectis; vtilia & profutura vt caute ſecernantur, ab iis, quorum facile caremus notitia; termini, ex philoſophorum ſcholis petiti, vt adhibeantur ſobrie, ne per eos, quae clara ſunt, obſcurentur, quae plana ſalebroſa euadant, variisque concertationibus occaſio praebeatur; fontes & cauſſae errorum vt ſollicite indicentur, quippe quod ad veritatem & illuſtrandam, & confirmandam plurimum valet; verae etiam doctrinae conſeruatio, & propagatio mirifica, ex genuinis antiquitatis & hiſtoriarum fontibus, exhibeatur; cuncta porro ſtilo, quantum fieri poteſt, puro & eleganti, exponantur, vt a barbarie ac ſqualore non minus, quam ineptiis ſcholaſticorum, nos alienos demonſtremus; nihil denique non agamus, vt & fides ipſa incrementum capiat, & in vitae ſanctae ſtudio quotidie proficiamus, nec doctiores tantum, ſed & meliores euadamus. Neque vero leue, aut quotidianum cenſeri debet eiusmodi quid, in quo haec omnia conſpiciantur, conficere, quin paucos, qui in hoc genere elaborant, ea eſſe ingenii, aut eruditionis praeſtantia, adſeuerauerim, vt hoc præſtare queant. Nec is, profecto, ego ſum, qui, id me adſequutum, mihi perſuadeam. Abſit! Numquam id mihi in mentem

venit.

venit. Vidi tamen, probeque intellexi, quid faciendum, & quorſum mihi enitendum eſſet. Qui quidem, vt vitio haud dubie caret, conatus; ita ſufficere poteſt, eo vsque proceſſiſſe, vt certus ſim, non omni fructu, omnique cariturum vtilitate huncce laborem; quamuis & hocce a ſumma Numinis benignitate exſpectandum ſit, cui & reliqua mea omnia, quae vſui eſſe poſſunt, unice tribuenda, lubens, menteque ſubmiſſa, profiteor.

Ad methodum, ordinemque tractationis, quod attinet, cur ab ea, quae in ſcholis theologorum vſitata eſt, diſcederem, nullam habui cauſſam. Placet equidem multis hodie methodus foederalis, ſeu, quae ſecundum ordinem foederum Dei cum hominibus incedit; nec negandum, ab iis, qui eam ſequuntur, nonnulla ſubinde adferri, quae minime ſunt contemnenda. Simul tamen fatendum, eam neutiquam omnia, quae in theologia dogmatica ſcitu ſunt neceſſaria, exhaurire; vnde & illis, quibus ea probatur, multa, ceu iam euicta, adſumenda, aut hinc inde inſerenda ſunt, vt ſuo ſatis inſtituto faciant. Si quid autem ab iis, qui ea delectantur, recte monitum, aut obſeruatum fuit; id ſecundum receptam theologorum tractandi rationem ſuo quidque loco exponi poteſt, & a nobis quoque eſt expoſitum. Deum immortalem precor, vt puram verbi diuini, quam eccleſia noſtra profitetur, doctrinam, illibatam porro conſeruet, ejusque fructus vberrimos in vitae ſanctitate exſiſtere iubeat. Scribebam Ienae, die XV. Februarii M DCC XXIII.

INSTI-

Digitized by Google

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE LIBER PRIMVS

FVNDAMENTA ET PRINCIPIA CONTINENS.

LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM

DE RELIGIONE ET THEOLOGIA.

Σύνοψις.

DEum eſſe, eumque colendum, omnibus natura notum eſt, §. I. Idque ex ſui ipſius conſideratione homo cognoſcere poteſt, §. II.

Religio itaque non hominum voluntate introducta, aut ab iis excogitata, ſed omnium cordibus inſcripta eſt, §. III.

Generatim accepta, duabus conſtat partibus, cognitione Dei, eiusque cultu, §. IV.

Ratio namque omnes docet, ens aliquod longe perfectiſſimum, quod Deum vocamus, reuera exſiſtere, §. V.

Deum porro rerum omnium eſſe cauſſam, prouidaque cura ſua omnia dirigere & gubernare, §. VI.

Vnum quoque ſaltem eſſe Deum, §. VII.

Cumque ſapientiſſimus ſit, velle eum, vt homines vitam, rationis rectae dictamini conformem, inſtituant; idem vero, cum iuſtiſſimus non minus quam benigniſſimus ſit, punire eum peccata, recte autem facta remunerari, §. VIII.

Quod cum non ſemper in hac vita fiat, ſequi inde; animam hominis poſt eam ſupereſſe, §. IX.

Non tantum dignum eſſe Deum, quem colamus, ſed noſtri quoque id eſſe officii, cum alias nobis felicibus eſſe non liceat, §. X.

Et Deus inſuper, ceu ſupremus legislator, hoc praecipiat, §. XI.

Cultus Dei in quo conſiſtat? §. XII.

Quae inde officia, intuitu & noſtri, & aliorum, & ipſius denique Dei, fluant? §. XIII.

Haec omnia cum natura nota ſint, oritur inde naturale conſcientiae dictamen, §. XIV.

Praeter quod, lumen aliquod, aut verbum internum, vel ſimile quid, perperam in homine adſeritur, §. XV.

Veriſſima licet ſit religio naturalis, non tamen ſufficiens eſt ad ſalutem, §. XVI.

Medium enim, quo cum Deo, ceu ſummo bono, vniri queamus, ignorat, nec viribus, vt Numinis voluntati morem gerere queamus, nos inſtruit, §. XVII.

Quod & ſcriptura ſacra confirmat, §. XVIII.

Vſu tamen ſuo non deſtituitur, cum baſes & fundamenta, itemque characteres verae religionis contineat, §. XIX.

Paedagogiam quoque, ad veram reuelationem agnoſcendam, ſuppeditat, oſtendendo eius neceſſitatem, §. XX.

itemque characteres verae reuelationis exhibendo, §. XXI.

Speciatim inde intelligitur, veram reuelationem debere eſſe vniuerſalem, qualis & reuera fuit, §. XXII.

Hinc & eius primordia in religione patri-

Digitized by Google

archali deprehenduntur, cuius demonſtratur veritas, §. XXIII.

Ex naturalis & reuelatae religionis corruptione orta eſt religio gentilis, §. XXIV.

Reuelata autem religio per Moſen reſtituta & amplificata eſt, hinc & veritas religionis Moſaicae demonſtratur, §. XXV.

Licet nonnulla in religione Moſaica ſpeciatim ad gentem Iſraeliticam ſpectauerint; in ſe tamen conſiderata, vniuerſalis fuit, quae litteris etiam conſignata, §. XXVI.

Maximam lucem reuelata religio accepit per Chriſtum, hominum ſeruatorem: ſimulque vniuerſalitas eius luculentiſſime expoſita, §. XXVII.

Chriſtianae religionis veritas demonſtratur, §. XXVIII.

Ex iis, quae iuxta religionem reuelatam credenda ſunt, oriuntur articuli fidei, qui vel puri, vel mixti ſunt, §. XXIX.

Sunt etiam vel fundamentales, vel non fundamentales. Fundamentum fidei tum reale, tum dogmaticum, quodnam ſit? §. XXX.

Qua ratione diiudicandum, an aliquid ad fundamentum fidei reale pertineat? §. XXXI.

itemque ad fundamentum dogmaticum? §. XXXII.

Articuli fundamentales quinam, & quotuplices ſint? §. XXXIII.

Non fundamentales quinam ſint? §. XXXIV.

Ex fundamentalium articulorum connexione oritur analogia fidei, §. XXXV.

Chriſtiana religio non tantum credenda, ſed & agenda praeſcribit; immo, tota ad vitae praxin eſt comparata, §. XXXVI.

Qui eius doctrinam explicare, ac rite defendere queunt, vt alios ad veram fidem perducant, aut in ea confirment, theologi nuncupari ſolent, §. XXXVII.

Quid theologia ſit? §. XXXVIII.

Non Dei, quam de ſe ipſo habet, nec beatorum, ſed hominum, & huius quidem vitae, cognitionem, hoc nomine venire, §. XXXIX.

Per ſcientiam dum deſcribitur, quidnam haecce ſecundum ſtilum ſcripturae ſignificet? §. XL.

Eſt igitur theologia cognitio vera, §. XLI. certa, §. XLII. viua & efficax, §. XLIII.

Vnde non tantum cognitio falſa, & erronea, indifferentismus itidem ac ſcepticismus, ſed & cognitio vita omni & praxi deſtituta, theologiae nomine indigna eſt, §. XLIV.

Obiectum theologiae tum materiale, tum formale, §. XLV.

Subiectum operationis eſt homo peccator, §. XLVI.

Finis theologiae, §. XLVII.

Non quaelibet rerum diuinarum cognitio theologum efficit: diſcrimen, quod inter fidem & theologiam intercedit, §. XLVIII.

Subiectum theologiae, & quidem denominationis, eſt homo regenitus, §. XLIX.

Quod de theologia, pro habitu non pro doctrina, ſumta, eſt intelligendum, §. L.

Cauſſa efficiens tum ſalutis, tum theologiae, §. LI.

Varia eſt theologiam tractandi ratio: ſyſtematica minime reiicienda, §. LII.

Errorum, qui in hocce capite occurrunt, fontes, veraeque doctrinae conſeruatio & propagatio, §. LIII.

Officia denique, ad quae haecce doctrina nos ducit, ſummatim indicantur, §. LIV.

§. I.

QVemadmodum & eſſe Deum, & rerum omnium huius vniuerſi, ipſorum praecipue hominum, eum primam eſſe cauſſam, ratio euidenter omnes condocet; * ita eumdem omni honore, ſummaque

Digitized by Google

que adeo animi veneratione dignum, eamque ab hominibus iure meritoque exigere, ſua ſponte inde conſequitur. **

* Demonſtrari equidem hoc poſſet & ſuo loco etiam demonſtrabitur: ſed in praeſenti merito ceu euictum adſumitur: idque eo magis, quod inter ſanae mentis homines locum ſuum vix tueantur, qui hac de re dubitant.

** Luculentius haec ex dicendis patebunt; nunc id ſaltem obſeruo, quod natura proni ſimus ad id, quod praeſtantia ac dignitate ſua nos mouet, praeſertim, ſi relatio quaedam eius ad nos accedat, cultu ac veneratione proſequendum. Cui adfectuum indoles perſpecta eſt, hac de re non dubitabit.

§. II. Idque ex ſui ipſius conſideratione homo, ſi paullisper animum aduertere velit, haud difficulter intelligit. Se enim non ſui ipſius eſſe cauſſam, nec, quidquid habet, a ſemet ipſo, ſed ab eo, cuius ſapientiam, potentiamque ſummam, veſtigiis luculentiſſimis vbique ſe prodere deprehendit, accepiſſe, ſtatim perſpicit. Cumque inter res creatas omnes, quae ſenſibus percipiuntur, ſolus intellectu gaudeat, ſolus etiam voluntatis quadam libertate praeditus ſit; hinc &, qui cultum honoremque rerum omnium auctori deferat, idoneus; id quidem ſuarum omnino eſſe partium, merito inde colligit. *

* Nimirum, vt religionis aliquis capax cenſeatur, tria requiruntur, (I) vt ab ente aliquo ſupremo, eoque perfectiſſimo, ſe prorſus dependere ſciat; (II) vt facultate, ens illud ſupremum cognoſcendi; & (III) ad eius nutum voluntatem ſuam componendi, praeditus ſit. Haec cum in hominem prorſus quadrent, ſequitur, ideo eum ita conditum, vt religionem admitteret, ſeu cultu religioſo Deum proſequeretur: ſequitur vero, & Deum hoc ab eo exigere. Sed de hoc deinceps ex inſtituto.

§. III. Religio ergo, generatim & in ſe ſpectata, non hominum voluntate introducta, * aut in illorum arbitrio poſita, ** multo minus ad alios decipiendos a callidis fraudum architectis inuenta, & excogitata; *** ſed cum ipſis hominibus orta, animisque eorum, ipſa natura duce, inſita; in omnium etiam animis, ſi modo non ſupina ignorantia aut malitia, naturae ipſi velut vim inferens, hoc impediat, ſeſe exſerit. Vt enim a natura homo habet, quod ratione ſit praeditus, ita, quod & Deum eſſe, & eumdem rite colendum agnoſcit, non minus naturae ipſi acceptum ferre debet. **** conf. *Rom. II, 15.*

* Non de commentis variis, quae ſubinde religionis nomine veniunt, aut de ritibus ac caerimoniis loquimur: talia enim ab hominibus excogitari, aut introduci potuiſſe, lubens fateor. Sed, de religione in ſe ſpectata, qua homines ens aliquod ſupremum, idque cultu religioſo proſequendum, agnoſcunt, ſermo eſt. Atque hoc adeo verum, vt ne vnico quidem exemplo aut teſtimonio contrarium probari queat. Licet enim antiquiſſimi legumlatores, Solon, Lycurgus, Numa, aliique, religionem inſtituto ſuo accommodauerint, eamque ad rem publicam conſeruandam vtilem iudicauerint; eos tamen religionem primum excogitaſſe, aut eius ex-

Digitized by Google

ſtitiſſe auctores, nulla ratione probari poteſt. Conferenda, quæ dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione* ad *c. 5. §. 1. p. 367.* item ad *c. 6. §. 9. p. 531.*

** Deus enim hoc ab hominibus exigit, vt §. X. demonſtrabitur : vnde ex parte hominum, obligatio. Idque etiam relatio, quae inter hominem, ceu rem creatam, & Deum, ceu creatorem, intercedit, omnes ſtatim condocet. Eleganter hac de re PHILIPPVS MORNAEVS: *Qui minimus inter homines, colliget, & illico inferet: parenti obſequium, benefico domino fidem, gubernatori inuocationem deberi. Haec enim neceſſario ſeſe conſequuntur, Deus, homo, religio; pater, filius, obſequium; dominus, ſubditus, ſeruitium; donator, acceptor, gratiarum actio; beneficus, beneficiarus, hominium; vel potius, creditor, debitor, obligatio; de veritate relig. chriſt. c. 20. p. 309.*

*** Iis, qui ita ſentiunt, exemplum, inter veteres praeiuit degener Socratis diſcipulus, Critias: de quo dictum, in *theſ. de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *c. 1. §. 12. p. 28.* item ad *c. 6. §. 9. p. 531.*

**** Loquimur de notitia Dei, notionumque eo ſpectantium, inſita; quam contra vanas quorundam exceptiones ſuo loco tuebimur.

§. IV. Licet autem religio, voce ſpeciatim accepta, Numinis cultum, ac venerationem ſignificet; * quia tamen nemo Deum rite colere, aut venerari poteſt, qui non eo, quo par eſt, ſtudio, quis, aut qualis ſit, quoue pacto coli debeat, inquiſiuit; recta eius omnino accedere debet agnitio. Vnde duas ſolent religionis conſtituere partes, *veram Dei agnitionem, cultumque ei debitum.*

* Vocem *religionis* non a *religendo*, vel *relegendo*, nec a *reeligendo* aut *relegando*, vt quibusdam placet, ſed a *religando*, quia hominem Deo obſtringit, & velut cum eo colligat, dictam, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Ita ſane LACTANTIVS: *Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, & religati ſumus, vnde ipſa religio nomen accepit; inſtitutionum diuinarum l. 4. c. 28.* vbi ſimul CICERONEM, qui a *relegendo* eam deriuauerat, *l. 2. de natura deor. c. 28.* refellit. Eamdem vocis originem AVGVSTINVS *l. 10. de ciuit. Dei c. 4.* aliique veterum pariter ac recentiorum, calculo ſuo comprobarunt. conf. FRID. SPANHEMIVS *oper. tom. 3. p. 1198.* Quidquid eius ſit, non tam agnitionem, quam cultum ac venerationem Numinis, eam apud veteres ſignificaſſe, notum eſt. Vnde FESTVS: *religioſi ſunt, qui facienda & vitanda diſcernunt.* Et eum quoque in modum LACTANTIVS *ſapientiam*, quo nomine veram Dei cognitionem intelligit, a *religione* diſcernit; ſimul tamen vtramque coniunctiſſimam eſſe, docens: *Non poteſt igitur nec religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a religione ſecerni: quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiae, & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia praecedit, religio ſequitur; quia prius eſt Deum ſcire, conſequens, colere; inſtit. diuinar. l. 4. c. 4.*

Idem vero etiam graeca nomina teſtantur, quibus religio paſſim exprimitur. Subinde enim εὐσέβεια vocatur, cui & aliquando in eadem ſignificatione vox latina *pietas* reſpondet. Etſi enim ea voce officia erga Deum, ſeu τὰ πρακτικὰ plerumque denotentur, vt *Tit. II, 12.* & haec etiam propria eius ſit ſignificatio; aliquando tamen & de religione, generatim ſpectata, adhibetur. Quo pacto EVSEBIVS eam ita definiuit: εὐσέβειά ἐστιν ἡ πρὸς τὸν ἕνα καὶ μόνον, ὡς ἀληθῶς ὁμολογούμενόν τε καὶ ὄντα Θεὸν ἀνάνευσις, καὶ ἡ κατὰ τοῦτον ζωή. *Pietas eſt, quando quis*

Digitized by Google

quis ad vnum & ſolum Deum, quem verum eſſe confitemur, & qui reuera eſt, reſpicit, & ſecundum eum vitam inſtituit; praepar. euangel. l. 1. c. 1. p. 2. Sic &, quando Cornelius centurio *actor. X, 2.* εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν dicitur, id ſimul innui nonnulli volunt, quod proſelytus, ſeu religioni Iudaeorum addictus, fuerit. Certe, qui *actor. XVII, 4.* σεβόμενοι Ἕλληνες vocantur, non alii fuerunt, quam proſelyti. Hinc & factum, vt nonnulli ob ſingularem in religionem quamdam ſpecialem propenſionem, εὐσεβεῖς, *pii*, dicerentur. Quod & de Antiocho, cui *pii* cognomen haeſit, adfirmat FL. IOSEPHVS: ἔτον μέντοι τὸν Ἀντίοχον, διὰ ὑπερβολὴν τῆς θρησκείας, εὐσεβῆ πάντες ἐκάλεσαν. *At, hicce Antiochus propter religionem pius cognominatus eſt ab omnibus; antiquit. iudaic. l. 13. c. 12. p. m. 449.* Idem & de voce θρησκεία cenſendum, qua itidem religio denotari ſolet. SVIDAS: Θρησκεία, ἡ λατρεία, ὅθεν καὶ ἑτερόθρησκοι, ἑτερόδοξοι. *Religio, diuinus cultus; vnde & ἑτερόθρησκος ille, qui aliam religionem ſequitur, ἑτερόδοξος qui alterius eſt opinionis; voc.* θρησκεία. Immo & a Paullo apoſtolo ita vſurpatur, quando Phariſaeorum ſectam ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας, i. e. iudaicae religionis, adpellitat; *Act. XXVI, 5.* Sed & ea voce, ſi proprie capiatur, τὸ πρακτικὸν in religione denotari, notum eſt; quo pacto & *Iac. I, 27.* accipitur. Nec aliter de voce λατρεία eſt exiſtimandum, qua cultus Numinis *Ioan. XVI, 2. Rom. XII, 2.* exprimitur. Iudaeorum nimirum pariter ac ethnicorum, in ritibus ac caerimoniis, rebusque externis tantum omnem Numinis cultum, ipſamque adeo religionem conſtituentium, errori & ſuperſtitioni ineptiſſimae Paulus λογικὴν λατρείαν, eam colendi Numen rationem, quae vitae integrae ſanctaeque ſtudio, & obſequio erga leges diuinas abſoluebatur, opponit. Eodem modo & verbum λατρεύειν, *Matth. IV, 10.* ſumitur; cui *Deut. VI, 13.* & *X 20.* reſpondet verbum עבד *ſeruire*, vnde עבודה *ſeruitus*, λατρεία, δουλεία, λειτουργία, ſolentque & Ebraei idololatriam, ceu religionem falſam ſpuriamque עבודה זרה vocare. Coniungitur *Deut. VI, 13.* & *X, 20.* cum *cultu* Numinis etiam *timor*, quo nomine, in ſignificatione generaliori accepto, alias etiam totus Numinis cultus, ſeu religio, ſaltem qua partem πρακτικὴν, denotatur; vt *pſalm. XXXIV, 12. Iob. XXVIII, 28.*

Hodie autem vox *religionis* ita fere ſumitur, vt & agnitionem, & cultum ſeu venerationem ſimul, complectatur: immo & ſubinde, priorem partem praecipua quadam ratione denotet. Dogmatibus enim maxime, ſeu opinionibus, quas homines de Deo rebusque diuinis fouent, religiones, in quas orbis diuiditur, diſcernere moris eſt. Sed, ſi rei ipſi vocem adcurate attemperare velimus, vt vtramque partem, tum θεωρητικὴν tum πρακτικὴν coniungamus, par eſt. Vt enim ſine vera Dei cognitione cultus, qui illi placeat, eſſe nequit, ita cognitio ſine cultu ac veneratione homini parum prodeſt. Quod & LACTANTIVS *loco* antea *citato* recte inculcat; qui & *l. 3. diuinar. inſtit. c. 11.* idem eleganter confirmat: *Naturam hominis hanc Deus eſſe voluit, vt duarum rerum cupidus & adpetens eſſet, religionis, & ſapientiae. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem ſuſcipiunt, omiſſa ſapientia, aut ſapientiae ſoli ſtudent, omiſſa religione, cum alterum ſine altero verum eſſe non poſſit.* Et paucis interiectis: *Sic homines, qui alterutrum ſuſcipiunt, viam deuiam, maximisque erroribus plenam, ſequuntur; quoniam in his duobus, inſeparabiliter connexis, & officium hominis & veritas omnis incluſa eſt.*

§. V. Quodſi ergo homo cuncta paullo adcuratius, diligentiusque, prouti res tanti momenti poſtulat, conſideret, facili negotio deprehendet, dari ens aliquod ſupremum, intellectu perfectiſſimo, ſum-

maque adeo ſapientia, pariter ac voluntate liberrima praeditum, aeternum idem, omnis mutationis ac imperfectionis, quocumque nomine veniat, expers, potentiſſimum porro, vt vel ſolo nutu omnia, quae velit, peragere aut efficere poſſit, non minus vero benigniſſimum, iuſtiſſimum tamen ſimul, ac veraciſſimum, adeoque ab omnibus vitiis, naeuisque mortalium remotiſſimum, hoc eſt, ſanctisſimum. *

* Primum itaque hoc, praecipuumque religionis naturalis caput eſt. Has enim qui negat notiones, is Deum cultu religioſo, quem ratio ipſa præſcribit, proſequi nequit.

§. VI. Deprehendet porro, ens hocce perfectiſſimum, quod Deum vocamus, non tantum rerum omnium, quae aut ſenſibus percipi, aut mente cognoſci poſſunt, eſſe cauſſam, * ſed eumdem etiam prouida ſua cura rebus omnibus proſpicere, omniaque ſapientiſſime dirigere & moderari, vt ſine eius nutu ac voluntate nihil omnino eueniat. **

* Hoc ſua ſponte ex ipſa Dei notione fluit. Si enim non eſſet cauſſa rerum omnium, ſequeretur, dari res quasdam independentes a Deo: adeoque eum non eſſe infinitae perfectionis, hoc eſt, non Deum; quod ἄτοπον. Dependentiae autem noſtrae agnitionem ad obligationem pariter ac religionem neceſſariam eſſe, ex antea dictis intelligitur.

** Qui ergo prouidentiam diuinam negat, Deum colere nequit. Poſſet equidem eum ob naturae praeſtantiam admirari; ſed veneratio, quae cum amore & timore coniuncta eſt, locum non habet, vbi nulla prorſus obiecti ad nos eſt relatio. Quare, ſi vel maxime non ad ſpeciem, ſed ex animi ſententia Epicurus dixiſſet, *ſe Deum propter maieſtatem eius eximiam, ſingularemque naturam colere*, reuera tamen nihil dixiſſet; cum ille, qui nullam vllo modo ſui curam Deum gerere credit, nulla quoque eius tangi queat veneratione. Plura de hac re dixi in *theſibus de atheismo & ſuperſtit.* ad *c. 1. §. 19. p. 69.* item ad *c. 3. §. 1. p. 241. ſeq.*

§. VII. Cum etiam euidenter cognoſcat, ens hocce, nullos aut eſſentiae, aut perfectionum ſuarum habere limites, ſeu infinitum eſſe; plura autem dari entia infinita, apertam contradictionem inuoluat; merito inde concludet, vnicum ſaltem eſſe Deum; immo eos, qui plures vno deos ſummos ſtatuunt, aliquid dicere, quod nihil ſignificet, nullumque plane habeat ſenſum. *

* Sequitur inde, eos, qui multos ſimul deos colunt, aut colere volunt, reuera nullum colere. Nihil enim, praeter verum & vnicum Deum eſt, quod Dei nomine venire queat, adeoque cultu religioſo a nobis ſit proſequendum; quo ſenſu & Paulus apoſtolus idolum οὐδὲν ἐν κόσμῳ eſſe dicit, *1. Cor. VIII, 4.*

§. VIII. Sapientiae, quam in Deo admiramur, ſummae conſideratio, eo nos ſtatim ducet, vt intelligamus, cum nihil in orbe ſit, quod non ad certum finem natura ſua ſit comparatum, eum exigere, vt vitam rationis rectae dictamini conformem inſtituamus; * quemadmodum iuſtitia

iuſtitia eius ſumma, cum benignitate non minori coniuncta, requirit, vt benefacta remuneret, peccata autem, atque ſcelera puniat. **

* Hinc inter communiſſimas notiones, quas ratio omnes docet, & haec eſt: virtuti atque honeſtati eſſe ſtudendum. Id enim qui agit, vitam dictamini rectae rationis conformem inſtituit, quod quidem rationis dictamen ex naturae humanae conſideratione facile cognoſcitur. Neque tantum de externis officiis, quod diximus, ſed & de internis animi motibus eſt intelligendum; idque vel ideo, quia externa officiorum obſeruantia, niſi ex animo puro, ſincero, virtutis & honeſtatis ſtudioſo, proficiſcatur, mera, foediſſimaque ſit hypocriſis. Idque & ſapientiſſimi gentilium agnouerunt, quando Deum *pura mente*, hoc eſt, prauarum cupiditatum dominio minime obnoxia, colendum pronuntiarunt. Eamque ob cauſſam, & in ipſis cogitationibus, quod vitium traheret, diligenter euitandum cenſuerunt. Lectu digna ſunt, quae M. AVREL. ANTONINVS, imperator & philoſophus, hac de re diſſerit, *de ſe ipſo ad ſe ipſum lib. III. §. IV.*

** Qui ea facit, quae imperans iubet, aut lex ab eo exigit, ſtricto iure remunerationem, ſiue praemium, praeter id, quod naturali quodam nexu virtutis ſtudium ſecum vehit, poſtulare nequit. Aequitati tamen vti hoc non repugnat, ita ſumma Numinis benignitas hac de re neminem dubitare ſinit, praeſertim, ſi & id expendamus, quod deinceps monendum, hominibus probis, & honeſtatis ſtudioſis, cum magnis ſubinde confligandum eſſe calamitatibus. Nec dubitaſſe hac de re gentiles, vel inde conſtat, quod plurimi in eo conſenſerint, dari poſt mortem vitae recte actae praemia; quorum hac de re teſtimonia refert TOB. PFANNERVS in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris c. 20. §. 19. p. 469. ſeq.* Qua in illorum doctrina, etſi haud dubio veſtigia quaedam traditionis a patriarchis ad eos propagatae deprehendantur, rationi tamen, & Numinis benignitati hoc prorſus conueniens eſſe, eos agnouiſſe, manifeſtum eſt. Ad poenas autem quod attinet, quae improbis ob malefacta infliguntur, aequitati conueniens itidem eſſe, vt mala patiatur, qui mala perpetrat, ratio euidenter omnes condocet. Circa poenas diuinas autem aliquis forte haeſitauerit, primo quidem quod culpa, quam poena conſequitur, ſine Numinis non potuiſſe contingere voluntate, videatur; tum vero, quod ea iuſtitiae ratio, quae puniendi neceſſitatem inuoluit, aliquid, quod Deum parum deceat, ſecum vehere videatur. Quamobrem & inter ipſos gentiles fuiſſe conſtat, qui poenas diuinas in dubium vocauerint; qua de re legenda, quae adfert, quem iam laudauimus, PFANNERVS *l. c. c. 2. §. 23. p. 88.* Et prius ſane, homini, ſolius rationis ductum ſequenti, aliquid negotii faceſſere poſſe, non nego. Euaneſcet autem omnis difficultas, cum ſuo loco mali originem explicabimus. Nec poſterius quemquam valde mouebit, modo ea, quae in iuſtitiae adminiſtratione humana cum imbecillitate, aut imperfectione quadam coniuncta ſunt, a iuſtitia diuina remouerit. Haec enim, cum ex ſanctitate Dei oriatur, vt ſuo loco docebimus, in eo potiſſimum vim & efficaciam ſuam exſerit, vt a Deo, quidquid ſummae eius perfectioni & ſanctitati aduerſatur, remoueat. Quod, cum non aliter, quam per poenas fieri queat, earum aequitas pariter ac neceſſitas inde eluceſcit.

§. IX. Cum vero experientia quotidiana doceat, improbiſſimos ſubinde mortalium res adeo ex voto ad vitae vsque finem ſibi fluentes habere,

Digitized by Google

habere, vt vltrices Numinis poenas non experiantur, cum viris contra probis cum variis calamitatum generibus confligandum ſit: non poteſt non inde ſequi, hominibus poſt hanc vitam poenas aeque ac praemia exſpectanda eſſe, * adeoque animam, poſt eius a corpore diſceſſum, ſupereſſe. Qua de re eo minus eſt dubitandum, quod & aliis rationibus animae humanae immortalitas euidentiſſime demonſtrari queat. **

* Longe ſane rationi hoc eſt conuenientius, hoc inde colligere, quam argumentum contra diuinam prouidentiam ex eo capere; vti a me iam eſt obſeruatum in *thes. de atheiſmo & ſuperſt. c.7. §.1. p.558. ſq.*

** Quas quidem adferre, huius loci non eſt: legi autem itidem poſſunt in *theſib. de atheiſmo c.7. §.2. p.559. ſeq.*

§. X. Eiusmodi ergo Numen non tantum dignum eſſe, quod cultu religioſo, ſummaque veneratione proſequamur; ſed noſtri quoque id eſſe officii, tum ex hactenus dictis, tum vel inde intelligimus, quod & ratione & experientia condoceamur, beatis nobis aliter, atque felicibus eſſe non licere, quam ſi eius amore fruamur. Natura omnes, ad bonum aliquod quaerendum, cuius poſſeſſio nos felices reddat, impelli, omnes nouimus; ac tot philoſophorum de ſummo bono diſputationes teſtantur. Omnia autem ſi animo perluſtremus, quae in toto hocce vniuerſo occurrunt; nihil omnino, a ſolo Deo ſi diſceſſeris, inuenietur, quod beatos nos reddere queat. Idem etiam Deum velle, atque a nobis exigere, vel ſumma eius erga res creatas benignitas, diuinarum humanarumque haud poſtrema virtus, nos minime dubitare ſinet. *

* Eadem ratione, & aliis etiam argumentis, neceſſitatem religionis, ſeu quod homines ad cultum Numinis obligati ſint, demonſtrat FRANCISCVS GASTRELL, *de veritate, certitudine, ac neceſſitate religionis generatim ſpectatae, ſpeciatim chriſtianae, part. 3. c.1. ſeq. p. m. 111.*

§. XI. Accedit, quod per ſummam ſuam benignitatem & iuſtitiam, vt antea dictum, non poſſit non praemia recte factorum, perperamque actorum poenas, conſtituere. Hinc enim omnino ſequitur, eum non tantum velle, vt homines, quae ipſis, generique eorum vniuerſo conducunt, agant, omittant vero, quae his repugnant, ſed ita hoc velle, vt, qui ſecus ſe geſſerint, minime hoc impune ſint facturi. Quae, vt Deum legislatorem eſſe demonſtrant, * ita ſimul cultum Numinis, non in hominum poſitum arbitrio, ** ſed lege diuina ad eum illos obſtrictos, oſtendunt.

* Sanctio nimirum ſuperioris, ſeu imperantis, quae poenam ſimul in transgreſſores conſtitutam habet, pro lege, proprie & ſtricte ſic dicta, habenda. Huiusmodi autem ſanctiones Numinis, quibus hominibus facienda praecipit, fugienda prohibet, eſſe, ex iis, quae de iuſtitia diuina, deque poenarum diuinarum & neceſſitate,

&

& aequitate, antea diſputauimus, liquet. Intelligimus autem poenas Numinis voluntate in transgreſſores ſtatutas: cum incommoda, quae naturali quadam ratione ex vitiis fluunt, nonniſi ἀκύρως hoc nomine veniant. Sunt itaque ſanctiones, ſeu decreta Dei, quibus hominibus, quae ab iis fieri vult, praeſcribit, leges proprie ſic dictae, & ipſe recte pro legislatore habetur; quemadmodum a Iacobo apoſtolo vocatur ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι *c. IV, 12.* Hae porro leges diuinae, prout per rectae rationis dictamen innoteſcunt, *iuris naturae* nomine veniunt: quod fruſtra nonnulli cum CARNEADE plane tollunt, alii autem imminuunt, dum leges naturales proprie dictas leges eſſe negant, vel leges etiam ſine legislatore fingunt, vt HVGO GROTIVS *proleg. de iure belli ac pac. §. 11.* ** Repetenda quae ad *§. III.* diximus.

§. XII. Cultus ipſe Dei in eo conſiſtit, vt ita erga eum factis, dictis, cogitatis, nos geramus, prout erga creatorem huius vniuerſi praepotentem, erga patrem benigniſſimum, erga iudicem iuſtiſſimum nos gerere decet. Amore nimirum ſincero, reuerentia ac veneratione ſumma, eum proſequamur; ſpem omnem, ac fiduciam in eius auxilio collocemus; in omnibus denique eius voluntati, prouti nobis innotuit, omni ſtudio morem gerere adnitamur: hinc &, quae nobis neceſſaria ſunt, deuota mente expetamus; pro acceptis beneficiis agamus gratias, laudes eius, quotiescunque fieri poteſt, concelebremus. *

* Haec *cultus interni* nomine veniunt. Namque & quae de oratione, ac gratiarum actione diximus, de mentali praecipue ſunt intelligenda. Vti autem iſta, quae ſummatim hic indicauimus, rectae rationi ſunt conſentanea, ita amplius per lumen reuelationis confirmantur, & explicantur. Quod pluribus oſtenſum in *inſtitut. theol. mor. part. 2. cap. 3. ſect. 1. §. 36. ſeq.* Ad *cultum* autem *externum* quod attinet, ratio itidem nos condocet, non tantum verbis factisque, cum occaſio id poſtulat, ſummam Numinis venerationem teſtandam, ſed &, ſi quae ex reuelatione nobis innotuerint, praeſertim quae ad media conſequendae ſalutis pertinent, diligenter, ſummoque ſtudio obſeruanda eſſe. Quod *l. c. ſect. 1. §. 1. ſeq.* fuſius eſt expoſitum.

§. XIII. Voluntatem vero Numinis, cum duce ratione vtcumque explorare queamus, ſi, tum quid Deum deceat, tum quid nobis non minus, quam hominum generi vniuerſo conducat, recte expendamus; haud difficulter inde non minus temperantiam, ſobrietatem, & caſtitatem, intuitu noſtri, iuſtitiam, caritatem, aequitatem, & humanitatem erga alios quosuis; quam pietatem & reuerentiam erga Deum, a nobis exigi, agnoſcemus. *

* Tribus enim hisce officiorum generibus omnia, ad quae lege diuina obſtringimur, comprehendi, ſatis notum, & alibi quoque a nobis oſtenſum. Idem & Paulus apoſtolus confirmat, dum εὐσεβῶς erga Deum, σωφρόνως erga nos ipſos, & δικαίως erga alios nos viuere cupit. *Tit. II, 12.*

§. XIV. Atque haec quidem omnia, cum ratio omnes homines luculenter edoceat; eaque ita comparata ſint, vt, ſi quis vſu rationis polleat,

leat, ſanaque mente ſit praeditus, quam primum iſta intelligit, ſtatim praebere aſſenſum teneatur, adeo vt *cordibus* etiam *eorum inſcripta eſſe*, recte Paulus pronuntiet, *Rom. II, 15*; oritur inde *naturale conſcientiae dictamen:* cuius ea vis, eaque efficacia eſt, vt, ſi qui ſcientes volenteſque contra iſta Numinis praecepta egerint, ſe peccaſſe, interno mentis teſtimonio ſtatim conuincantur; * quemadmodum & per idem conſcientiae dictamen, ſi modo eidem aurem praebere velint, ab eiuſmodi peccatis perpetrandis numquam non retrahuntur. **

* In ratiocinatione enim practica illa, de actionibus noſtris ad legem relatis, duo concurrunt, *notitia principiorum*, quae vulgo συντήρησις vocatur, & *ſcientia facti*. Ad hanc, nihil aliud requiritur, quam vt quiſque actionum, verborum, ac cogitationum ſuarum ſit conſcius: illa vero, quae ad leges diuinas pertinet, ſi ipſa principia ſpectes, omnium hominum cordibus, aeque ac ipſius Dei notitia, inſita eſt, atque inſcripta, Quod quidem non de actu, ſed potentia propinqua, cum inclinatione ſingulari, ad adſenſum praebendum, intelligendum eſſe, alibi monetur. Et tum demum formidandum illud conſcientiae tribunal oritur, in quo reum, accuſatorem, iudicem, ſententiam, tortorem, alii obſeruant. Hinc illud certamen λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων, *Rom. II, 15*.

** Pertinet huc nota illa diſtinctio inter conſcientiam *antecedentem* & *conſequentem*. Haec, cum actio iam perpetrata eſt, a crimine nos abſoluit, ſi bona fuerit; ſin mala, arguit, damnat, excruciat; illa itidem aut ſuadet, incitat, vrget, aut retrahit, diſſuadet, repellit. Haec paucis hoc loco monenda fuere, vt, quae mox dicentur, eo rectius intelligi queant.

§. XV. Praeter hocce vero conſcientiae dictamen, *lumen* aliquod aut *verbum internum*, aut ſimile quid, in hominibus perperam, ac ſine fundamento adſeritur. Quidquid enim pro eo adſtruendo aut ex ſacra ſcriptura, aut aliunde adfertur; vel de hocce conſcientiae dictamine, tum naturali, tum ex ſacra ſcriptura informato, intelligendum, vel nihil prorſus eorum probat, quae probare ac euincere debebat. *

* Haud exiguus eſt illorum numerus, qui lumen aliquod diuinum, immediate a Deo profectum, idque omnium hominum cordibus inſitum, admittunt. Nos vnum ſaltem, qui omnium inſtar ſit, ex ſententiae huius propugnatoribus, laudamus, auctorem libri, *fides &, ratio collatae*, qui Amſtaelodami anno 1708. a PETRO POIRETO editus eſt, atque praefatione ornatus. Hic ſuam hac de re ita explicat mentem: *Deus omnipotentis ſui* LVMINIS SVBSTANTIALIS SCINTILLAM *aliquam in tenebroſum hominis fundum iaculatus eſt, & quaſi eidem incorporauit; vt intra ſemetipſum haberet homo, quidquid ipſi opus eſſet, totum videlicet regnum Dei, in ſeminis veluti paruo granulo concluſum, temporis omniumque viciſſitudinum decurſu magis magiſque ſeſe explicaturum: prout homo libero ſuo, gratoque adſenſu, vt bona terra ſeſe eidem, ad altiores in dies radices in eum agendas, ſupernique diuini ſideris continuos influxus recipiendos, aperuerit. Et haec*, ita porro pergit, *diuini luminis ſcintilla, eſt ipſum illud ſubſtantiale Dei lumen, aeternumque verbum, quod glorioſum regnum Dei in ipſo Deo, ſummamque eius beatitudinem conſtituit; in centro animae, pro modulo eius, veluti, vt ſic dicam,*

dicam, fixatum, §. 144. & 146. p. 66. Eiuſmodi autem lumen, ne fruſtra auctor adſeruiſſe videatur, rationibus probare adnititur; eumque in finem ad ipſam cuiusque prouocat experientiam: *Et reuera ita eſſe, ſemeuque iſtud diuinum, ex infinita gratuita miſericordia nobis inſeminatum, vel eo ſolo argumento conficitur, quod abſque bono in nobis, & luminoſo principio, ne vllam quidem bonam cogitationem habere, multo minus bonum perficere poſſemus a nobismet ipſis, hoc eſt, facultatibus noſtris ſibi ſolis, & vacuis luminoſo ſuo obiecto relictis l. c. §. 150.* Et iterum: *Quibus adſtipulari debet, ſuo modo, ſuaque menſura, vniuscuiusque experientia, niſi palam profiteri maluerit, ſe omnem ſenſum pietatis, pudoremque exſuiſſe, omniumque vitiorum eſſe peſſimum receptaculum; §. 152.* Deinde & ad exempla aliorum prouocat, quae, lumen eiusmodi diuinum dari, nos condoceant: *At vero, omnium ſaeculorum hiſtoria, & praeſens aetas, illuſtria inſignis pietatis, probatiſſimaeque, & non niſi caeleſtis originis exhibet virtutis exempla.* Quaenam illuſtria iſta inſignis pietatis exempla ſint, quae auctor ſubinnuit, clarius ipſe POIRET exponit, *oeconomiae diuinae l. 3. c. 13. p. 749. ſeq.* vbi ex iis, quorum ſcriptura ſacra meminit, Melchiſedekum, Abimelechum regem Geraris, Iobum, atque Iethronem, Moſis ſocerum, laudat; ex iis vero, qui poſt Moſis tempora inter ethnicos floruerunt, *diuinum*, vt vocat *ſenem* Epictetum, Chryſippum, Antiſthenem, Diogenem, Socratem, Zenonem, aliosque commemorat. Hisce denique ſcripturae ſacrae varia teſtimonia addit, quibus illuminationem eiusmodi, quae hominibus immediate obtingat, comprobari poſſe exiſtimat; vt *1. Cor. II, 9. ad 15. Matth. XVI, 16. 17. XIII, 11. acceſſione 2. §. 25. p. 280. ſeq.*

Verum haec omnia ita ſunt comparata, vt lumen eiusmodi diuinum, infirmis admodum fundamentis ſuperſtructum, demonſtrent. Ad experientiam enim, quam quisque ex ſe ipſo capere poteſt, quod attinet, ea ſane litem omnem facillimo negotio componere poteſt; cum cuiuis longe ſit proniſſimum, cogitationibus in mentem ſuam conuerſis, explorare, quid in ipſo deprehendatur. Id vero ſi quis ſerio, & absque opinionibus praeiudicatis faciat, ſtatim diuini iſtius luminis adſertores cauſſa cadent. Deprehendet enim in ſe ipſo omnino vim quamdam iudicantem, deque actionibus ſuis pronuntiantem ſententiam, eamdemque mox abſoluentem, mox damnantem; mox impellentem, mox retrahentem, cum ſingulari quadam animi ad ſententiam iſtam adprobandam, propenſione; quam quidem *conſcientiae dictamen* vocare ſolemus. Praeter eam vero, luminis ſubſtantialis ſcintillam nemo, puto, quantumuis in ſe perquirendo omnem diligentiam adhibuerit, inueniet. Et, ſane, ipſe auctor aliquando ita loquitur, vt non aliud, quam illud conſcientiae dictamen intelligere videatur. *Nonne*, inquit, *vel nequiſſimus* LAESAE CONSCIENTIAE *clamores quam ſaepiſſime effugere nullo modo poteſt? velit, nolit, & accuſatorem, & teſtem, & iudicem intra ſemet audire cogitur. Nonne tanto diuinae iuſtitiae fulgore, & propriae malitiae ſenſu quandoque percellimur? vt, quo nos vertere neſcii, fateri debeamus, iuſtus es, Domine, & iuſta ſunt iudicia tua; §. 229. p. 91.* Sed, ſi non aliud quid, quam conſcientiae dictamen intelligatur, lumen hocce *ſubſtantiale* vocari nequit, nec cetera, quae auctor de eodem adſerit, admitti poſſunt. Quod vero porro contendit, lumen hocce diuinum vel eo ſolo argumento confici, quod abſque bono & luminoſo in nobis principio nihil boni cogitare, nedum perficere queamus, id ſine grano ſalis non admittendum; & ſi ita, vt decet, admittatur, nihil iterum ad rem facit. Omnino enim adſerimus, quod homo, ſolius naturae viribus pollens, nec gratia diuina adiutus, in rebus ſpiritualibus

 nihil

nihil boni cogitare, nedum perficere queat; idque praeeunte Paulo apoſtolo *2. Cor. III, 5.* Si ergo nihil boni cogitare aut perficere poteſt, lumine quoque illo diuino, quod in eo bonum iſtud efficiat, deſtituitur. Quodſi vero de bono non tam ſpirituali, quam morali hoc capias, tum quidem non video, cur non omne illud naturali conſcientiae dictamini tribuere debeamus. Alterum argumentum auctori exempla ſuppeditant illorum, qui inſigni pietate, atque probata virtute excelluere. Inde autem, quo pacto lumen eiusmodi diuinum euinci queat, rurſus non capio. Melchiſedeci ſane, Abimelechi, Iobi, atque Iethronis exempla hoc minime comprobant. Quidquid enim habuerunt, quod ex lumine rationis illis innoteſcere non potuit, illud aut per traditionem a maioribus, aut per reuelationem quamdam ſpecialem, qualis illa Abimelecho facta fuit, acceperunt. Auctori autem, & nobis cum illo, de lumine vniuerſali, omnium hominum cordibus inſito, ſermo eſt. Socratis, Epicteti, aliorumque gentilium philoſophorum, quantacumque etiam fuerit virtus, non tamen tanta fuit, vt non ex naturali conſcientiae dictamine, quidquid laude dignum geſſerunt, deriuari queat. Denique & in ſcripturae, ad quae prouocat, oraculis, parum praeſidii lumen illud diuinum, idque ſubſtantiale, inuenit. Quod cum copioſe, eundo per omnia, quae auctor adfert, oſtendere poſſemus, iuuabit tamen ſpeciminis loco vnum ſaltem alterumue attingere. Paulus nimirum apoſtolus *1. Cor. II, 9. Oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adſcendit, quae praeparauit Deus iis, qui diligunt illum; nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum &c.* Reuelauit vtique Deus hominibus per ſpiritum ſuum, atque hodienum reuelat, quae ad ſalutem conſequendam creditu factuque ſunt neceſſaria: ſed num immediate, aut per inſitum aliquod lumen? hoc nuſpiam apoſtolus adſerit. Dicit equidem porro: *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quae a Deo donata ſunt nobis.* Vnde id quidem ſequitur, eos, qui verbo diuino, a prophetis & apoſtolis praedicato, litteriſque conſignato, non repugnant, ſed Deo, per iſtud verbum illos illuminare cupienti, morem gerunt, dum conuertuntur, ſimul accipere ſpiritum ſanctum, qui, vt cognitio iſta, quam ex reuelatione acceperunt, ſalutaris fiat, efficiat; ſed quid hoc ad lumen illud ſubſtantiale omnium cordibus inſitum? Sic & quando ſeruator optimus dicit Petro: *Caro & ſanguis hoc non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt, Matth. XVI, 16, 17.* recte quidem inde colligitur, carnem & ſanguinem, hoc eſt, omnes facultates naturales, vt auctor loquitur, eiusmodi notitiam producere non poſſe: ſed quod *intus*, ſeu absque verbi externi miniſterio a Deo iſta fuerit edoctus, inde minime conſequitur. Ipſius ſeruatoris ſermonibus inſtitutus erat, miracula eius viderat, vocem patris, caelitus delapſam, qua Ieſum filium ſuum dilectiſſimum eſſe declarauit, audiuerat; indeque adeo notitiam, ſpiritu inſuper ſancto, cui non repugnabat, animum eius ad adſenſum flectente, acceperat. Nec felicius ad *Matth. XIII, 11.* auctor prouocat, vbi de apoſtolis Chriſtus dicit, *datum illis eſſe, noſſe myſteria regni caelorum, reliquis vero datum non eſſe.* Num enim ſine verbi externi vſu datum hoc illis eſt? Hoc probandum erat. Largimur facile, notitiam hanc eſſe donum Dei; concedimus, poſſe etiam internam vocari, *ſubiectiue* ſcilicet, vt in ſcholis loqui ſolent, quia cognitio menti inhaeret; minime *efficienter*, ac ſi ſolius mentis, vel luminis interni ope, ſine verbo externo produci ac excitari queat. Immo haec & ſimilia ſcripturae ſacrae effata, quibus rerum diuinarum cognitio, & alia dona ſpiritualia hominibus data dicuntur, aperte docent,

cent, non in ipſo homine lumen aliquod diuinum naturaliter eſſe, ſed aliunde demum, per Numinis diuini gratiam, adeoque cauſſam aliquam externam iis aduenire. Quam quidem diuini Numinis gratiam, cum omnibus ſpiritus ſancti operationibus, tantum abeſt, vt negemus, vt acriter potius defendamus, per lumen autem aliquod innatum & inſitum, idque ſubſtantiale, talia hominibus obuenire, id enimuero, cum ſcriptura ſacra nullibi dicat, admittere quoque non poſſumus.

Non procul ab ea, quam hactenus impugnauimus, ſententia abſunt, immo plane conueniunt, qui *verbum* aliquod *internum*, in omnium hominum mentibus ſubinde ſe manifeſtans, ſtatuunt. Quo nomine, ſi ipſum conſcientiae dictamen, aut etiam ſenſum ſcripturae, ſeu veritatem eius intellectam, creditam, atque ita cordi inſcriptam, *Ier. XXXI, 33.* intelligerent, facile concederemus, priori modo omnibus hominibus, poſteriori, credentibus in Chriſtum, verbum aliquod internum tribui poſſe. Ex iſto enim conſcientiae dictamine, multo magis ex veritate, per ſcripturae ſacrae vſum agnita, multas ſubinde velut ſermocinationes in mente noſtra oriri, quae tamen ſemper ad ſcripturae ſacrae regulam exigendae ſunt, nemo negauerit. Sed longe aliud quid, ſcilicet reuelationes internas, & immediate a Deo profectas, quae omnibus hominibus communes ſint, eos intelligere, notum eſt; ſicuti patet ex ſchediaſmate germanico *de verbo interno*, quod anno 1712. prodiit: immo ex ipſo ROBERTO BARCLAIO, quem primo loco nominare debebam, in *theolog. vere chriſtian. apologia p. 83.* Et hac ratione & iſti, homini aliquid tribuunt, quod illi recte tribui, nec rationibus, nec ſcripturae ſacrae euincere poſſunt auctoritate. Oracula equidem ſcripturae ſacrae magno numero profert auctor ſchediaſmatis antea laudati, *p. 6. ſeq.* Haec vero, ſi adcuratius expendantur, aut de reuelationibus ſpecialibus, & quae praeter ordinem, in veteri praeſertim teſtamento, quibusdam obueniebant, vt *2. Sam. XXIII, 1. 2. 3.* aut de gratia diuina, eiusque operationibus, quae cum legitimo verbi externi vſu coniunctae ſunt, vt *Ioan. VI, 44. 45.* aut denique de naturali conſcientiae dictamine, vt *Rom. II, 13. ad 16.* intelligenda ſunt, adeoque nihil prorſus ad rem faciunt.

§. XVI. Etſi autem longe veriſſima ſint, quae recta ratio de Deo, eiusque cultu tradit, vt a nemine in dubium vocari queant; ad ſalutem tamen conſequendam, pro iſto, in quo hodie mortales verſantur, rerum ſtatu, non ſufficiunt. Non enim ſatis eſt, vtcumque * cognoſcere, Deum, ſummum illud bonum eſſe, cuius poſſeſſione omnis noſtra abſoluatur felicitas; nec ſufficit, noſſe, quae idem ab homine exigit, vt ſuum illi probent obſequium: ** ſed media etiam ſcire oportet, quae ad tanti boni nos perducant fruitionem: *** nec ſcire tantum, ſed iis etiam vti, iisque viribus inſtructum eſſe, vt ſanctiſſimi Numinis in omnibus morem gerere voluntati queamus.

* Ipſa enim illa, quam recta ratio de Deo, deque ſumma felicitate in eo ſolo quaerenda, ſuppeditat, cognitio, etſi vera, imperfecta tamen ſimul eſt, & admodum etiam infirma. Imperfectam eſſe, intelligitur, ſi cum ea cognitione, quam ex diuina reuelatione haurire licet, comparetur. Quam infirma, facileque mobilis ſit, gentilium exemplo patet, qui aut in turpiſſimam ſuperſtitionem prolapſi ſunt, *gloriamque*

riamque immortalis Dei ad imagines ſimiles hominis mortalis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium tranſtulerunt, Rom. *I, 23.* aut, quod alterum extremum eſt, in atheiſmum, quod plurimis philoſophorum contigiſſe, alibi a me obſeruatum eſt. Quam ob cauſſam, &, non obſtante de Deo notitia gentilium, Paulus eorum tempora χρόνους τῆς ἀγνοίας adpellitat, *act. XVII, 30.*

** Praeſertim cum & haec legum diuinarum notitia, quae ductu rationis nobis obuenit, imperfecta itidem dici queat, ſi cum ea comparetur, quam reuelationis lumen ſuppeditat. Eſt enim ὁ νόμος πνευματικός, *Rom. VII, 14.* Hinc vero & ſequitur, peccatorum plenam & debitam cognitionem in illis, qui ſolius rationis ductum ſequuntur, eſſe non poſſe.

*** Statui praeſenti hominum, qui longe miſerrimus eſt, adcommodata.

§ XVII. Haec vero omnia non tantum a rationis lumine, naturaeque ductu fruſtra exſpectantur, ſed omnem ſimul ſpem ſalutis nobis adimi intelligimus, ſi animus quorumuis facinorum ſibi conſcius, nobis dictitet, ſaepiſſime modisque infinitis, per peccata innumera, ſanctiſſimum illum, iuſtiſſimumque Deum a nobis laeſum, vt non poſſimus non illum plane iratum nobis credere, nec aliud quam acerbiſſimas poenas, poſt hancce etiam vitam irrogandas, nobis polliceri. * Placabilem equidem eum eſſe, vel ſumma eius bonitas vtcumque perſuadebit; ** ſed medium, cum reconciliandi, ratio plane ignorat. Triſtitia enim atque dolor ob admiſſa ad hoc non ſufficiet, quod non adpareat, hac ſola ratione placari aliquem poſſe, quem grauiter offenſum nouimus: idque eo minus, quo certius experientia magiſtra conſtat, vetera delicta nouis quotidie cumulari, nec in noſtris poſitum viribus eſſe, diuinas leges eo, quo par erat, obſeruare ſtudio. ***

* Haec enim omnia homini, rationis ductum ſequenti, ignota eſſe non poſſe, ex iis, quae ſupra de iuſtitia, itemque de poenis diuinis diſputauimus, liquet.

** Quo minus certa quadam, omneque dubium reſpuente ratione, id inde colligi queat, iuſtitiae diuinae conſideratio obſtat. Et hinc etiam diiudicandum, quousque gentilium ſcriptorum teſtimonia, quibus Numen placabile eſſe agnouerunt, quaeue magno numero ROBERT. SCHARROCKIVS *de officiis ſecundum ius naturae c. 16. p. 617. ſeq.* congeſſit, hic in cenſum veniant.

*** Si ex iis, qui religionem naturalem ad ſalutem ſufficere contendunt, quaeras, quae demum ratio ſit, peccatorum ſordes abſtergendi, iratumque placandi Numen? *poenitentiam* laudare ſolent, quam & ratio ipſa commendet, & gentiles quoque cognitam habuerint, & perſpectam. Ita praeter alios EDVARDVS, BARO HERBERTVS DE CHERBVRY, quem hac de re audire iuuabit: *Atque inſtaurationem hanc fieri debere ex poenitentia, docuere tum philoſophi, tum ſacerdotes, ita vt hanc agendam, animamque purificandam, ſed non ſine eorum miniſterio, ſaepius inculcarent. Bene quidem, ſi poenitentiam ſatis populo perſuaſiſſent, quod nentiquam tamen ab illis factum fuit, licet adeo prona in eam ſit anima humana, vt etiam nullo ſuadente, in foro interno, ex gratia diuina, conſcientiaeque dictamine decernatur. Quid enim hoc eſt aliud, quam in viam redire, e qua quis aberrauerit? Recte Periander* ἁμαρτὼν μεταβουλεύου, *id eſt, vbi peccaueris, te mali poeniteat: vt ideo remedium malorum, & quaſi tabula poſt naufragium, fuerit gentilibus poenitentia, ſiue ob*

pecca-

Digitized by Google

peccatum dolor; ad quam etiam confugiendum eſſe in delictis minimis, credidit antiquitas; de *religione gentilium, errorumque apud eos cauſſis, c. 15. p. 266.* Praeter poenitentiam tamen gentiles habebant varia expiationum, ac luſtrationum genera, quae ſacrificiis, lotionibus, aliisque ritibus & caerimoniis abſoluebantur; de quibus legenda, quae erudite commentatur IO. LOMEIERVS in *Epimenide, ſiue, de veterum gentilium luſtrationibus, ſyntagmate.* Verum, haec nondum ita comparata ſunt, vt euincant, rationi aditum ad veram hominum ſalutem patere. Etenim ad poenitentiam quod attinet, conſcientiae eam vim eſſe, vt poſt peccata commiſſa, praeſertim grauiora ſcelera perpetrata, dolor atque triſtitia, itemque poenarum metus ſequatur, lubentes fatemur. Quemadmodum vero ipſa peccatorum agnitio, quam ſola ratio ſuppeditat, imperfecta eſt, vt ad *§. 16.* obſeruatum, ſeque etiam ad labem, omnibus per naturam inhaerentem, ſeu peccatum, quod vocant, originale, non extendit, vt ſuo loco oſtendetur; ita & dolorem hunc ita comparatum non eſſe, qualem vera poenitentia requirit, manifeſtum eſt. Quod ſi regeras, eiusmodi intelligi dolorem, qui cum peccatorum deteſtatione ſit coniunctus, hominemque a ſimilibus peccatis perpetrandis retrahat; ne id quidem rem conficiet. Quod ſi enim vel maxime in delictis grauioribus hoc aliquando contigerit, de reliquis vix dixerim, hominem, ſolius rationis ductum ſequentem, ſollicitum eſſe, aut ſi ſit, experiundo mox condiſcet, quam ſupra naturae vires ſit, prauarum cupiditatum, in varia peccatorum genera ſubinde erumpentium, iugum penitus excutere. Hoc autem ſi facere nequeat, parum dolore iſto, ad Numen ſibi propitium reddendum, ſe proficere intelliget, cum vetera peccata quotidie nonis cumulet. Vnde vero etiam probabitur, ad placandum Numen, ſolum, ob admiſſa peccata, ſufficere dolorem? Quin immo, ſi quis peccatorum multitudinem & grauitatem, ſimulque iuſtitiae diuinae rationem conſiderauerit, facile intelliget, aliud quid adhuc requiri: quod tamen, cuiusmodi ſit, ratio ignorat. Etenim ad luſtrationes & expiationes gentilium quod attinet, illae, vt traditioni potius, per quam nonnulla a patriarchis & gente ebraea ad gentiles deriuata ſunt, quam rationi, originem debent, ita in ſe ſpectatae, & prout apud gentiles in vſu erant, non poterunt non ineptae, & ad finem iſtum, ob quem adhibebantur, conſequendum, parum idoneae cenſeri. Plura hac de re B. IO. MVSAEVS noſter dabit, in *diſſert. de luminis naturalis, & ei innixae theologiae naturalis inſufficientia ad ſalutem, Eduardo Herberto de Cherbury oppoſita:* iungenda quae & ipſe dixi in *animaduerſionibus ad Petri Chauuini librum, de religione naturali, cap. 1.*

§. XVIII. Atque hoc ſcriptura luculenter confirmat, non aliam viam, ad gratiam Numinis obtinendam, eſſe nos condocens, quam per eum, qui eſt *μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, 1. Tim. II, 5;* & in quo ſolo Deus mundum ſibi ipſi conciliauit, *μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, 2. Cor. V, 19.* * Vnde nec in alio quoquam, quam in ſeruatore noſtro, Ieſu Chriſto, ſalutem eſſe, nec aliud quam eius, nomen ſub caelo hominibus datum, in quo ſalutem conſequi queant, diſerte Petrus teſtatur, *Act. IV, 12.* ** Ex quo & ſequitur, ex parte hominum non aliam rationem ad ſalutem perueniendi aut eſſe, aut excogitari poſſe, quam fidem in huncce Dei hominumque conciliatorem; *Io. III, 16. XVII, 3.* conf. & *Marc. XVI, 16. Luc. XXIV, 46. 47. 1. Cor. I, 21.*

* Conſtat

* Conſtat ex hiſce locis *1. Tim. II, 5.* & *2. Cor. V, 19.* & quod mediatore opus habeamus, & qualis ille μεσίτης ſit, ſcilicet, qui genus humanum Deo conciliaret, quod non aliter, quam pleniſſima peccatorum expiatione fieri potuit. Vnde in manifeſto errore & Socini, & Arminii quidam ſectatores verſantur, dum ſibi aliisque perſuadent, Deum potuiſſe etiam ſine merito & redemtione Chriſti a peccatis nos liberare. Euentus nimirum docuit, eum ſalua iuſtitia ſua id non potuiſſe. Sed hac de re ex inſtituto, vbi de ſatisfactione Chriſti dicendum fuerit. Interim conf. *1. Io. II, 2. 1. Tim. I, 15. 1. Theſſ. I, 10. Col. I, 14. Epheſ. II, 3. ſeq.*

** Nihil luculentius, ad eum, quem impugnamus, errorem profligandum dici poterat. Etenim ſi vllus mortalium absque fide in Chriſtum ſalutem conſequi poſſet, non potuiſſet dicere: οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. Hoc ipſo enim vllam aliam, praeter Chriſtum, ſalutem eſſe, diſerte negat. Immo, vt eo fortius omnes alios ad ſalutem perueniendi modos excludat, idem denuo, ſed aliis verbis, repetit: οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις. Non ergo hoc ſaltem dicit, eos per Chriſtum ſeruari, qui notitia eius ſunt imbuti: ſed ſine ambagibus omnes, qui non ſunt imbuti, damnatum iri, haud obſcure indicat, ſiue doctrinam euangelii perceperint, ſiue non perceperint. Conferenda quae dixi in *animaduerſionibus ad Petr. Chauuini librum de religione naturali cap. 1. §. 11.*

*** Si ergo non alia ex parte hominum eſt ratio ſalutem conſequendi, quam fides in Chriſtum, ſequitur, a ſola ratione eam fruſtra exſpectari, quippe quae Chriſtum plane ignorat. Prius ex locis citatis manifeſtum ſatis eſt. Etenim quando ſeruator *Io. III, 16.* omnes ſalutis cauſſas vnico faſce complectitur, interque eas ex parte hominum fidem commemorat, vnicam illam, quam omnes mortales, ſi ſalui fieri cupiant, ingredi debeant, viam illis monſtrat. Patet illud tum ex quaeſtione Nicodemi, tum ex toto illo, quo ad eam ſeruator reſpondet, ſermone. Omnia enim eo redeunt, vnicam hanc eſſe, quam Chriſtus illi monſtrat, ſalutis viam. Qualis autem intelligatur fides, cognoſcitur ex eo, quod dicitur: εἰς αὐτὸν, ſcilicet filium Dei. Non itaque de ea fide, quae de promiſſionibus diuinis non dubitat, aut quacumque alia, ſed de illa ſermo eſt, quae in Chriſtum, ceu mundi redemtorem, fertur, eiusque vnice nititur merito. Idque etiam ex altero loco, *Io. XVII, 3.* confirmatur. Cum enim ibi dicitur: αὕτη ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, via, quae ad vitam aeternam, cuius etiam quasdam primitias homines in Chriſtum credentes in hac vita percipiunt, ducit, indicatur. Haec vero non alia eſt, quam vt τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, & eum quem miſit, Ieſum Chriſtum, cognoſcant, hoc eſt, vera fide recipiant. Ita enim *cognoſcendi* vocem heic vſurpari, aliunde conſtat. Vnde & ſimul patet, quid Paulus apoſtolus ſibi velit, quando *Ebr. XI, 6.* dicit, quod eum, *qui ad Deum accedere velit*, πιστεῦσαι, *credere oporteat, quod ſit*, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν, *remunerator ſit.* Non enim haec mens eius atque ſententia eſt, ſufficere ad ſalutem, ſi quis credat, Deum exſiſtere, eumque recte factorum eſſe remuneratorem; ſed dum credere iubet, Deum exſiſtere, ſimul talem Deum exſiſtere innuit, qualem ſacra ſcriptura reuelauit, nec cetera, quae ad obiectum fidei pertinent, excludit, cum admiſſis iis, quae fundamentum velut conſtituunt, cetera quoque, quae ad finem conſequendum ſunt neceſſaria, pari ratione huc pertinere, merito cenſeantur. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XIX. Nihiloſecius vſu ſuo & hodie quoque religio naturalis adeo non deſtituitur, vt longe potius praeſtantiſſimum praebeat. Theoreticae

reticae namque, quas continet, notiones, baſes ſunt atque fundamenta omnis religionis; ea quidem ratione, vt ſi quis vnam ex iis neget, aut omnis religionis expers, aut pro religione, foediſſimam turpiſſimamque ſuperſtitionem amplecti, merito cenſeatur. * Immo, tum ex his, tum ex practicis quoque notionibus, characteres petere licet, quibus religiones, quae reuelatione nituntur, rite diſcernamus. Qui enim aliquid, hisce notionibus e diametro repugnans, adſerunt, aut falluntur turpiter, reuelationem pro diuina habentes, quae diuina non eſt; aut mentem ſententiamque diuinae reuelationis non recte percipiunt. **

* Si quis enim v. g. prouidentiam diuinam diſerte negaret, eius religio, ſi quam forte prae ſe ferret, pro mera impoſtura haberetur, iuxta ea, quae ad §. 6. docuimus. Pari ratione, qui plures vno deos admittunt, vt plerique gentilium, pro religione foedam amplectuntur ſuperſtitionem. Vnum enim ſaltem eſſe Deum, ratio tam euidenter docet, vt, ſi reuelatio etiam quaedam plures nobis obtrudere vellet, eam ſpuriam fictamque eſſe, tuto inde colligere liceret. Neque tamen ad perſonarum, quam in vna eſſentia diuina veneramur, pluralitatem impugnandam hoc quidquam valet: eam enim vnitati diuinae eſſentiae non repugnare, ſuo loco euincemus.

** Non de characteribus reuelationis diuinae, de quibus deinceps ad §. 21. ſed ipſius religionis, iisque ſaltem, ex quibus negatiue colligi poteſt, religionem, quam aliquis pro vera habet, non eſſe veram, hic ſermo eſt. Si quis enim talia doceret, quae aut iuſtitiam, aut ſanctitatem, aut benignitatem Dei prorſus euerterent, e. g. Deum eſſe auctorem peccati, aut eumdem vitiis hominum delectari, & quae his ſunt ſimilia, is fruſtra veram religionem, in hisce ſaltem capitibus, prae ſe ferret, immo fruſtra reuelationem quamdam obtenderet. Falſiſſima enim ea eſſe, ex primis naturalis religionis notionibus nimis euidenter conſtat.

§. XX. Paedagogiam praeterea pulcherrimam praebet, ad veram reuelationem & inquirendam, & rite inueniendam. Praeterquam enim, quod ex naturalis luminis ad ſalutem inſufficientia, cum ſumma Numinis benignitate comparata, neceſſitatem reuelationis cuiusdam, quae genuinam ad ſalutem viam pandat, recte colligamus; * characteres quoque certos hinc elicere licet, qui verae falſaeque reuelationis diſcrimen oſtendant.

* Primum hocce, in diuinae reuelationis inquiſitione, caput eſt, vt neceſſitatem eius intelligamus. Hanc autem & noſtrae miſeriae, & diuinae bonitatis conſideratio, luculenter nos condocebit. Ex priori enim euidenter colligitur, hominem ſolius rationis ductu, naturaeque viribus, ex ſumma, qua circumſeptus eſt, miſeria non poſſe eluctari; ex poſteriori, Deum neceſſario viam, ex hisce miſeriis eluctandi, monſtraſſe, idque per reuelationem quamdam. Cum vero & gentium plerarumque, reuelationis cuiusdam lumen prae ſe ferentium, conſenſus accedat, nihil aliud ſupereſt, quam vt, quaenam demum reuelatio pro diuina habenda ſit, inquiratur.

Digitized by Google

§. XXI. Verae enim & diuinae reuelationis nomen, quae tueri debet, non tantum nihil, quod euidentiſſimis religionis naturalis notionibus repugnet, contineat; ſed plene etiam & adcurate ſuppleat, neceſſe eſt, quae in ea deſunt, adeoque obſtant, quo minus per eam homines aeternam ſalutem conſequi queant. * Ita enim ſi comparata ſit, & reliqui diuinae originis characteres accedant, ** de eius non amplius dubitandum veritate.

* Defectus ille rationis, quem reuelatio ſupplere debet, in eo conſiſtit, quod ratio nonnulla, quae ſcitu homini ad ſalutem neceſſaria ſunt, plane non cognoſcat; quaedam equidem vtcumque cognoſcat, ſed imperfecte. Ad poſteriorem claſſem ipſa Dei hominisque notitia pertinet. Etſi enim, Deum eſſe, inque eo ſolo ſummam felicitatem quaerendam, homo rationis ductum ſequens intelligat; hanc tamen cognitionem & imperfectam, & infirmam eſſe, ſupra iam ad *§. 16.* euicimus. Pari ratione hominis ipſius, quam ratio ſuppeditat, cognitio, multis defectibus laborat. Humani enim generis originem plane ignorat, quod & res ipſa, & diuerſae illae, maximam etiam partem ineptae & valde ridiculae philoſophorum gentilium, de hominum ortu ſententiae, teſtantur; quas in compendio CENSORINVS exhibet, *de die natali, c. 6. p. m. 26.* Et quid mirum, de hominum ortu nihil certi tradere rationem, cum totius huius vniuerſi originem non magis exploratam habeat, quod eorumdem iterum philoſophorum grauiſſimi errores teſtantur. Praeterea, cum hominem ad praua quaeuis longe proniſſimum, ſimulque ob varias, quibus obnoxius eſt, calamitates, miſerrimum eſſe, ipſa quemlibet experientia doceat; quaenam tamen huius miſeriae, omnisque mali cauſſa ſit, eo minus ſola ratio perſpicit, quo magis diuinae hoc repugnare videtur bonitati, lapſus inſuper primorum parentum, ignara. Vnde & hic praeſtantiſſimi philoſophorum nihil aliud agere potuerunt, quam vt ignorantiae ſuae, & humanae imbecillitatis luculentiſſima darent ſpecimina. Atque haec omnia ſatis euincunt, quanta rationis, in iis etiam quae vtcumque, ſed imperfecte cognoſcit, ſit infirmitas. Eſſe vero etiam quaedam, quae plane ignorat, quaeue adeo ad priorem claſſem pertinent, vel mediorum, quibus vera ſalus felicitasque obtineri poteſt, exemplo patet. Inter haec enim, cum primum praecipuumque locum teneat, vt Deum, quem peccatis offendimus, propitium iterum nobis reddamus, eiusmodi hoc eſſe, vt, quo ſe vertat, ratio plane ignoret, ſupra iam luculenter euictum putamus.

** Quales ſunt, reuelatio, quae pro diuina habetur, vsque quaque Deo digna ſit: vt modus, quo mortalibus innoteſcit, Deum non dedeceat: adeoque, vt verba, ſiue ore proferantur, ſiue ſint litteris conſignata, nihil niſi diuinum quid ſpirent: vt vi quadam, & efficacia polleat ſingulari, quae ipſum Deum auctorem prodat, & luculenter teſtetur: vt antiquitate ſe commendet: vt promulgatio, propagatio, & conſeruatio eius diuinitatem arguant: vt hinc facile conſtet, ceteras reuelationes falſas eſſe, & meras impoſturas: & quae his ſunt ſimilia. Atque hi quidem characteres ſi coniungantur, vt fieri par eſt, tum demum certiſſima quadam ratione reuelationis cuiusdam veritatem, & an pro diuina recte habeatur, explorare licet. Eminent tamen inter reliquos hi duo; primo, vt reuelatio nihil, quod euidentiſſimis theologiae naturalis notionibus repugnet, contineat: tum, vt ea, quae ratio ſuppeditare nequit, plene, euidenter, modoque,

qui

qui Deum deceat, ſuppeditet: quibus tamen etiam vniuerſalitas, de qua mox dicemus, addi poterit. Quae paucis, & velut in compendio hac de re diximus, copioſius & accurate ediſſerit PLACCIVS, in *philoſophiae moralis plenioris fructu praecipuo, c. 3. p. 220. ſeq.*

§. XXII. Et eadem ratione intelligitur, veram & diuinam reuelationem debere eſſe vniuerſalem, quae & cum primo humani generis ortu, ſaltem quamdiu in hocce ſtatu homines fuerunt, inceperit, & ad omnes omnino, nemine excepto, ſeſe extendat. Nulla enim adferri ratio poteſt, cur Deus quibusdam hocce beneficium conferre, denegare autem reliquis velit: * aut, ſi quae adferatur, eam Deo parum dignam eſſe, ** haud difficili intelligemus negotio.

* Aequalis enim hactenus omnium hominum eſt conditio: omnes Deum creatorem agnoſcunt; eadem omnes miſeria premuntur. Cumque προσωποληψία, ratione omni & fundamento deſtituta, aut omnino cum alterius iniuria coniuncta, etiam viro ſapiente & honeſto prorſus indigna cenſeatur; multo minus de Deo eiusmodi quid cogitandum. conf. *Rom. II, 11.* Atque hoc etiam ſcriptura confirmat, cum Deum omnium hominum, nemine excepto, ſalutem ſerio velle teſtatur, *Io. III, 16. 1. Tim. II, 4.* Qua de re ſuo loco ex inſtituto.

** Si quae enim adferatur, in ſummam Numinis iuſtitiam pariter ac benignitatem iniuria erit, adeoque cum primis theologiae naturalis notionibus pugnabit.

§. XXIII. Prima itaque verae, eiusdemque diuinae religionis reuelatae, primordia, in patriarchis deprehendere licet. Horum enim, vt naturali plane conſentanea erat religio; * ita, quae huic deerant, inter quae praecipuum erat, promiſſio de redemtore quodam, qui homines peccatores Deo iterum conciliaturus erat, & quae cum ea erant coniuncta, continebat: id quod vel maxime ex ſacrificiorum intelligere licebat oblatione. ** Ea vero per primum hominem, Adamum, ad eos peruenerat reuelatio, & orali traditione ad poſteros ab iis propagabatur. ***

* Primus hicce character eſt, ex quo veritatem, diuinamque originem religionis patriarchalis colligere licet. Vnum enim Deum, eumdemque rerum omnium conditorem, pia veneratione proſequebantur: cumque ſcirent, eum, vt rerum omnium, ita ſpeciatim hominum curam gerere, omnem in eo ſpem atque fiduciam collocabant, quod in iis & Paulus apoſtolus praedicat, *Ebr. XI, 4. ſeq.* Vitae porro honeſtati atque virtuti dabant operam, ſatisque hoc ipſo teſtabantur, recte factorum ſe credere praemia, ſcelerumque poenas: quod itidem Paulus confirmat *Ebr. XI, 10.* Iis equidem & myſterium trinitatis haud ignotum fuiſſe, alibi docetur, & ex ipſa de Meſſia doctrina ſequitur: ſed hoc eiusmodi eſſe, quod rectae rationi non repugnet, antea iam monuimus. Cultus praeterea externus, quem patriarchae ſupremo Numini exhibebant, vt ſimpliciſſimus, rituumque & caerimoniarum multarum expers fuit, ita in eo nihil, quod rationem offendat, deprehenditur. Conferenda, quae hac de re dixi in *hiſtoria eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. I. ſect. 3. §. 18. p. 383. ſeq.*

Digitized by Google

** Alter hicce character eſt, qui de origine diuina religionis patriarchalis teſtatur. Nihil nunc dicam de mundi, rerumque omnium, quae in eo ſunt, origine: nihil de angelorum, hominumque lapſu, mali omnis, miſeriae, & calamitatis fonte, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. De hisce omnibus enim ea patriarchas ſciuiſſe, quae ſcitu ſunt neceſſaria, & tamen ſola ratio nos condocere nequit, nemo temere dubitauerit. Praecipuum caput eſt hominum cum Deo reconciliatio, in qua vera & vnica ad ſalutem via conſiſtit: quamque, quae recte docet religio, non poteſt non pro diuinitus reuelata haberi. In patriarchali autem primum velut, praecipuumque eam conſtitiſſe caput, tot, tamque luculenta Moſis effata nos dubitare non ſinunt. Ipſum illud oraculum diuinum, quo ſententia Dei poſt hominum lapſum lata, ſimulque primum, praecipuumque religionis reuelatae fundamentum continetur, *Genes. III, 14. 15.* aperte hoc teſtatur. In eo, quantumuis quae *v. 14.* dicuntur, ad ſerpentem naturalem ſpectent, quo infernalis genius ceu inſtrumento ad decipiendos primos parentes vſus eſt; quae tamen *v. 15.* ſequuntur, ad ipſum genium infernalem referenda eſſe, longe manifeſtiſſimum eſt. Magnificum enim iſtum Numinis ſermonem, in cauſſa longe grauiſſima prolatum, ita arctare, vt in ſolo animali bruto complementum omne habere cenſeatur, frigidum oppido eſt, & plane friuolum. Et quis hac de re dubitaret, cum ſcriptura ipſa diabolum τὸν ὄφιν, *ſerpentem, 2. Cor. XI, 3.* & τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, *ſerpentem illum antiquum, apoc. XII, 9.* diſerte adpellitet; illiusque debellationem vocet *contritionem ſub pedibus noſtris, Rom. XVI, 20.* Iſta autem capitis ſerpentini conculcatio, ſeu poteſtatis, quam infernalis genius in homines ſibi arrogauerat, deſtructio, non poterat non cum ipſa hominum liberatione eſſe coniuncta, quam quidem non ſine irae diuinae placatione, peccatorumque expiatione fieri poſſe, & res ipſa, & ſcriptura ſacra diſerte docet. Immo, quae tota ſcriptura de Meſſia, hominum redemtore, tradit, nihil aliud quam euolutio quaedam eſt, & explicatio eorum, quae ſummatim in hocce oraculo continebantur. Hinc vero ratio facile reddi poteſt, cur in iſtius πρωτευαγγελίου promulgatione, infernalem genium, non ipſos homines, Deum adlocutus ſit. Indicare nimirum voluit, cum ſerpentini capitis conculcatione hominum ſalutem arctiſſimo vinculo eſſe coniunctam. Vnde & eadem ratione de hominum redemtione Ioannes loquitur, *I. epiſt. III, 8.* Pertinebatque hoc ſimul ad moeſtiſſimorum parentum ſuauiſſimam conſolationem, dum iuſtiſſimam ſtatim vindictam ab eo ſumi intelligebant, qui omnis mali auctor ſibi exſtitiſſet. Praecipuum hocce theologiae patriarchalis caput etiam patet ex confeſſione Euae, *Gen. IV, 1.* & Lamechi, *Gen. V, 29.* vaticinio Noachi, *Gen. IX, 26. 27.* itemque ex promiſſionibus variis, Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo repetitis, *Gen. XII, 3. XVIII, 18. &c.* Conferenda, quae de hisce omnibus, ſpeciatim & de πρωτευαγγελίῳ, ſuſius dixi in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. I. ſect. I. §. 25. p. 127. ſeq.* ad *ſect. II. §. 7. p. 205. ſeqq.* & ad *ſect. III. §. 17. p. 375. ſeq.*

Praeter haec & ſacrificia patriarcharum luculentiſſime nos condocent, ex diuina reuelatione, de modo gratiam Numinis impetrandi, ea illis innotuiſſe, quae ratio prorſus ignorat. Niſi enim concedas, illa ad ſacrificium iſtud, quod pro hominum expiandis vitiis Chriſtus ſeruator obtulit, ſe retuliſſe; quid eos, ad Deum hac ratione colendum, induxerit, dici prorſus nequit. Id vero eſt, quod ſola reuelatio, defectum rationis hoc pacto ſupplens, nobis oſtendit. Scio, eſſe quam plurimos, qui hic ſecus ſentiunt, ſacrificiorumque ex rationis

Digitized by Google

rationis lumine deriuare originem adnituntur. Iudaeos hoc facere, mirum non eſt, cum illorum ſuperſtitioni nihil magis, quam ſacrificium propitiatorium, quod pro hominum peccatis ſeruator obtulit, obſtet. Romanenſium vero plerique ideo in hanc ingreſſi ſunt ſententiam, vt neceſſitatem, quouis tempore per ſacrificia Deum colendi, inde euincerent; praeſidium inde ingens ſuo de miſſae ſacrificio dogmati, conciliaturi. Nec aliter eos cenſere fas erat, qui & ſine criminum expiatione ſe Deo placere poſſe exiſtimantes, ſacrificium Chriſti propitiatorium admittere nolunt: quod Socini aſſeclae facere contendunt; quibus & frigidam ſuffundunt, qui ex Iacobi Arminii ſchola prodierunt. Hi omnes, cum in eo conſentiant, ſacrificiorum originem ex diuina inſtitutione minime repetendam, vt ex rationis ipſius lumine eam deriuent, omnem mouent lapidem. Zelo enim ingenti, atque affectu ſingulari, demerendi Deum, eiusque beneuolentiam ſibi conciliandi, inductos primos mortalium, ea, quae optima, cariſſima, & pretioſiſſima ſibi eſſe exiſtimabant, Deo conſecraſſe, atque ita demum ad ſacrificia prolapſos eſſe. His iam exemplum praeiuit PORPHYRIVS, qui ſolus fere ex gentilium philoſophis ſacrificiorum primordia inueſtigare adgreſſus eſt. Τῶν εὐεργεσιῶν, inquit, τὰς ἀμοιβὰς, καὶ τὰς χάριτας, ἄλλοις μὲν ἄλλως ἀποδοτέον, κατὰ τὴν ἀξίαν τῆς εὐποιΐας, τοῖς δὲ εἰς τὰ μέγιστα ἡμᾶς εὖ πεποιηκόσιν, τὰς μεγίστας καὶ ἀπὸ τῶν τιμιωτέρων καὶ μάλιστα, εἰ αὐτοὶ εἶεν τούτων παρόχοι. *Benefacta compenſare, & gratias, aliis quidem aliter, pro beneficii dignitate, reddere oportet, & maximas quidem, nec non ex optimis, illis qui optime de nobis meriti ſunt; idque praecipue, ſi illi ipſi optimorum iſtorum nobis ſint auctores;* de *abſtinentia ab animalibus necandis, l. 2. §. 12. p. m. 59.* Sed bene eſt, quod ipſe PORPHYRIVS de terrae fructibus, quos optima cenſet eſſe, non de animalibus Deo offerendis, hoc capiat. Verum equidem eſt, nec quisquam temere negauerit, rationi eſſe conueniens, vt quis animum beneficiorum memorem, quocumque poteſt modo, erga Deum demonſtret: porro, ſi ſciat, rerum quarumdam oblatione hoc fieri poſſe, vt optima quaevis, ac pretioſiſſima Deo offerat. Deum vero rerum quarumdam externarum oblatione delectari, aut hac ratione coli velle, vnde, quaeſo, probabitur? Si quis autem, incerta quadam animi coniectura ductus, hoc faciat, vnde ſciet, Deo hoc gratum eſſe? aut non offendi magis Deum eiusmodi cultu, quam placari? Ad animalium vero mactationem, ſanguinisque effuſionem, qua ſacrificia maxime abſoluebantur, quod attinet, cum foedum quid atque crudele contineat, tantum abeſt, vt Numini hoc gratum cenſeri queat, vt potius, iſtum cultum vel maxime illud dedecere, nemo non intelligat; rationisque adeo ſcitis prorſus aduerſatur. Quod & ſubinde gentilium philoſophi ſignificarunt, dum eam, per ſacrificia colendi Deum rationem, maximopere ſibi diſplicere, teſtati ſunt. Ipſe itaque etiam PORPHYRIVS, ſacrificia ab initio ex herbis, frumento, & floribus, puris iis quidem, prout terra ea protulerit, facta fuiſſe narrat: nec niſi multis poſt ſaeculis, errore per gradus inualeſcente, ex aliis rebus quibuscumque oblata fuiſſe; animalium vero oblationem non niſi ſero obtinuiſſe, & vel famis, vel alterius infortunii alicuius vehementiae, originem debere: oraculis quidem plurimis cultum iſtum improbantibus, & non niſi adhibita multa cautione permittentibus, *l. c. lib. 2. §. 4. p. 57.* Diſputat vero in ſequentibus, praeter ſummum Deum, qui pia puraque mente colendus ſit, praeterque genios bonos, dari etiam noxios ſpiritus ſeu daemones, omnis mali, quod hominibus incumbat, auctores, & effectores, quibus, cum rebus terrenis & corporeis

 delecten-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

delectentur, ſacrificia offerenda ſint. Ex quibus abunde liquet, agnouiſſe PORPHYRIVM, ſacrificia ex dictamine rationis non profluxiſſe. *Agnouit hoc tandem & ipſe HVGO GROTIVS. Etſi enim in *notis ad Gen. IV, 3.* ſacrificiorum originem ex dictamine rationis deriuet; alibi tamen hac de re ita diſſerit, vt nec rationis dictamine, nec diuina reuelatione niti ſacrificia exiſtimet, ſed hominum ingenio ea eſſe excogitata, deinde adprobata a Deo; *de verit. chriſt. religion. l. 5. §. 8. p. 227.* Pari ratione SIMON EPISCOPIVS, cum adſeruiſſet, ritum iſtum ſacrificandi ab ipſo mundi primordio inductum fuiſſe, ex ingenti quodam zelo atque adfectu Deum demerendi, mox addit: *Deum ritum iſtum, etiamſi forte optimus non videretur: (neque enim,* inquit, *credibile eſt, Deum ſanguine & caede innocentium animalium delectari; quae ratio etiam forte ſufficit, vt credamus, ritum hunc ab ipſo Deo imperatum non fuiſſe) tamen, quia ex tam religioſo animo proueniebat, gratum habere voluiſſe, & vt porro ſemper vſitaretur, pro benignitate ſua permiſiſſe; adeoque poſtea tandem etiam cariſſimo populo ſuo iniunxiſſe, ac praeſcripſiſſe; inſtit. theol. l. 2. c. 5. p. m. 32.* At haec omnia fruſtra dici palam eſt. PORPHYRIVM equidem, hominem ethnicum, & diuinarum litterarum auctoritatem reſpuentem, cum originem ſacrificiorum explicare vellet, mera nobis narraſſe commenta, mirum non eſt: illi vero, qui ſcripturae ſacrae admittunt auctoritatem, data opera oculos claudere, & in tenebris verſari velle mihi videntur. Bene quidem eſt, quod agnoſcunt, ex rationis dictamine ſacrificia non profluxiſſe: ab hominibus autem, errore prauoque adfectu ductis, excogitatum, a Deo introductum, ſine impietate fere dici nequit. Quantopere Deus omnem ἐθελοθρησκείαν deteſtetur, conſtat. Quis ergo credat, eum ritum, *qui optimus non videbatur*, aut ſi clarius loqui EPICOPIVS voluiſſet, in ſe & ſine ſublimiori cauſſa eo plane indignus erat, non tantum permiſiſſe & adprobaſſe, ſed omnino iuſſiſſe, atque populo ſuo iniunxiſſe? Id quidem cum iuſtitia & ſanctitate Numinis conciliare nequeo. Accedit porro, quod ſacrificia non ſucceſſu temporis inualuerint, ſed in ipſis rerum primordiis iam vſitata fuerint, vt exemplum Caini atque Abelis docet, *Gen. IV, 3. ſeq.* Primos autem iſtos mortalium, ſine voluntate & iuſſu Numinis, in re tanti momenti aliquid feciſſe, quis ſibi perſuadeat? Cumque Deus externo quodam ſigno teſtatus ſit, gratum ſibi fuiſſe munus Abelis, non aeque Caini *Ebr. XI, 4.* cumque Cainum, eam ob cauſſam fratri iraſcentem, redarguerit, *Gen. IV, 6. 7.* & deinceps etiam ſigno, ne ab aliis temere interficeretur, muniuerit: quis demum dubitabit, quin rem longe maioris momenti, rationem ſcilicet recte per ſacrificia ſe colendi, primis parentibus reuelauerit. HVGO quidem GROTIVS, vt Abelis ſacrificium incruentum fuiſſe euincat, verba Moſis *Gen. IV, 4. obtulit & ipſe Abel e primogenitis, atque adipe pecudum ſuarum,* ita explicat, vt, quod de primogenitis dicitur, de lana ouium eximiae magnitudinis ac formae, capiat; per vocem חלב autem *lac* deſignari velit: habetque, quod ad vltimum attinet, ſuffragantem ſibi IOANN. CLERICVM ad *h. l.* Sed id plane friuolum eſſe, nemo non intelligit: ſiquidem nullo exemplo comprobari poteſt, vocem חלב, vbi de ſacrificiis ſermo eſt, *lac* potius ſignificare, quam *adipem.* Praeterea, eiuſmodi ſacrificia lactis, &, quod GROTIVS addit, lanae, in populo Dei numquam fuere vſitata: vt taceam, a Paulo apoſtolo Abelis ſacrificium θυσίαν vocari; qua voce eiuſmodi ſacrificium, quod ſanguinis effuſione peragitur, denotari, nemini ignotum eſt. Sed quid ambagibus opus? Cum enim ſcriptura ſacra, ſpeciatim Paulus apoſtolus, diſerte doceat, ſacrificia

ficia veteris teſtamenti adumbraſſe magnum illud, quod pro hominum peccatis Chriſtus ſeruator oblaturus erat, ſacrificium propitiatorium, *Ebr. IX, 12. ſeq.* dubitare nulla ratione licet, quin a Deo eum in finem inſtituta ſint, vt miſeris mortalibus vera ratio iram eius placandi, veniamque delictorum per fidem in Meſſiam, mundi ſeruatorem, impetrandi oſtenderetur. Plura hac de re dixi in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I. ad per. I. ſect. I. §. 30. p. 143. ſeq.* vbi & auctores, qui copioſius hoc argumentum tractarunt, laudaui: quibus adhuc addendus IO. OWENVS in *theologumenis l. 2. c. 1. p. 135. ſeq.*

Et ita abunde ex hactenus dictis patet, religionem patriarchalem & rectae rationi conuenientem, & ea ſimul complexam fuiſſe, quae ratio ſola non cognoſcit, ad ſalutem tamen ſunt neceſſaria: diuinaeque adeo eam eſſe originis. Addi tamen adhuc poteſt eius *vniuerſalitas.* Namque & hanc merito hic in cenſum venire, ſupra diximus. Ea vero vel inde conſtat, quod nihil prorſus in iſta religione occurrat, quod non ad omnes homines pertineat. Nec vllum porro in ſcriptura ſacra veſtigium exſtat, ex quo colligas, ad certos homines eam fuiſſe adſtrictam. Etenim, quod ad foedus attinet, quod Deus cum Abrahamo iniit, *Gen. XVII, 9. ſeq.* id vtique particulare fuit, ea quidem ratione, vt omnes ex Abrahamo oriundi foederis iſtius legibus obſtringerentur: nullo tamen modo ipſa ſalutem conſequendi ratio eo ita circumſcripta fuit, vt non aliis, quam qui ex Abrahamo progeniti eſſent, via ad eamdem pateret. Nihil itaque obſtabat, quo minus & ex reliquis gentibus homines non circumciſi, ſed religione patriarchali imbuti, Deo probarentur. Quod & tum maxime patuit, cum ipſa circumciſio, particularis huius foederis ſignum, abrogaretur.

*** Id commode ea aetate, tum ob longaeuitatem hominum, tum alias ob cauſſas, fieri poterat. Accedebat, quod ſubinde viris, ſanctitate & pietate conſpicuis, reuelationes obtingerent: quibus ea, quae ad veram religionem ſpectabant, & confirmabantur, & illuſtrabantur.

§. XXIV. Traditione vero iſta, aeque ac ratione naturalis religionis fonte, hinc inde corrupta, exorta eſt religio gentilium. In ea enim tum naturalis, tum reuelatae religionis quaedam hinc inde, etſi luculentiora apud quasdam gentes, quam apud alias, deprehendere licebat veſtigia: ita tamen, vt grauiſſimi etiam, iique partim rationi rectae, partim genuinae traditioni repugnantes apud eas conſpicerentur errores. *

* Naturalis pariter ac reuelatae religionis veſtigia in gentiliſmo deprehendi, haud difficulter demonſtrari poteſt. Quod enim Deum quemdam eſſe, eumque religioſo cultu proſequendum; quod porro virtuti nauandam operam, vitia autem quaeuis atque peccata fugienda eſſe, & quae his ſunt ſimilia, quorum luculenta paſſim in religione gentilium occurrunt veſtigia, ſciuerunt, id citra controuerſiam ex rationis haurire potuerunt lumine. Sed vero ex primaeua quoque reuelatione, per traditionem ad eos propagata, nonnulla iis innotuiſſe, vel ex ſacrificiis, quorum longe lateque apud ethnicos patuit vſus, conſtat. De variis enim doctrinae ſacrae capitibus, variiſque inſtitutis, quae a gente Iſraelitica eos accepiſſe admodum veroſimile

Digitized by Google

mile nonnullis videtur, nunc non erimus ſolliciti: quamuis non prorſus contemnenda ſint, quae hac de re congeſſerunt PHILIPP. MORNAEVS, *de veritate relig. chriſtian. c. 27.* GROTIVS, *de verit. chriſt. relig. lib. I.* GER. IO. VOSSIVS, *de origine & progreſſu idololatriae l. 1. c. 29. 30.* HVETIVS, *demonſtr. euang. prop. IV. c. 3. p. 99. ſeq.* aliique. Vtrumque autem theologiae gentilium fontem mirifice apud eos corruptum & deprauatum, multa probatione non indiget. Cum enim ratio recta vnicum tantum Deum eſſe doceat, illi contra, hancce notionem rebus etiam creatis variis adcommodantes, deorum in infinitum multiplicarunt numerum. Quam tamen iſtorum hominum ſtultitiam animaduertentes alii, qui prae ceteris ſapiebant, philoſophorum ideo nomine clari, duce ratione rectiora quidem agnouere, ſed ita, vt plurimi ex illis, nimia plebis ſuperſtitione offenſi, in alterum extremum, quod atheismus eſt, procurrerent. Vtrique autem vitio, quin facile occurrere potuiſſent, ſi ratione, adeoque theologia naturali recte voluiſſent vti, non temere quis hodie dubitauerit. Sed id quoque certum, atque apud rerum harum intelligentes exploratum, tametſi & hinc infirmitatem quandam rationis colligere liceat, prauis tamen mortalium adfectibus, quibus ipſa ratio ſubinde abripitur, praecipuam corruptionis iſtius cauſſam tribuendam. Legi merentur, quae *de philoſophia Graecorum, vitio adfectuum corrupta*, diſſerit VITRINGA, *ſacrar. obſeru. l. 3. c. 12. p. 633. ſeq.* Pari ratione &, quae ex reuelatione acceperant, turpiter ab illis ſunt deformata. Varios enim non tantum ſacrificiorum, luſtrationum & expiationum ipſimet commenti ritus ſunt, ſed id quoque quod praecipuum erat, fidem in Meſſiam ſeruatorem mundi, quae & ſine mentis puritate ſibi non conſtat, prorſus intermiſerunt. Vnde & omne iſtud, quidquid ex ſublimiore origine ad eos deriuatum, non potuit non in meram abire ſuperſtitionem. In tanta nihiloſecius, & rationis & reuelationis deprauatione, ſubinde rudera quaedam, & veſtigia deprehendere vtriusque licebat: quod ex inſtituto PFANNERVS expoſuit, in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris.*

§. XXV. Reſtituta deinceps, ſimulque amplificata fuit religio reuelata per Moſen, virum diuinum, nihilque non ex inſtituto & voluntate diuina agentem. Cuius quidem Moſaicae religionis veritas, vt iisdem etiam argumentis, quibus patriarchalis, euincitur, ita propriis etiam atque particularibus nititur, quae inter miracula plurima & prorſus ſingularia, quibus ſe a Deo miſſum demonſtrauit, haud omnino vltimum tenent locum. *

* Cum Iſraelitica, ſeu Moſaica religio in eo, quod caput cauſſae praecipuumque momentum eſt, cum patriarchali conueniat, veritas quoq; eius eadem plane ratione demonſtrari poteſt. Quae enim ex rationis lumine conſtant, Deum eſſe, eumq; eſſe vnicum, prouida ſua cura omnia regere, recte factis praemia, peccatis autem conſtituiſſe poenas; eum porro pura caſtaque mente colendum, & quae his ſunt ſimilia, egregie in Iſraelitica religione confirmantur, & luce longe clariſſima perfunduntur. Sed & quae ratio, de rerum huius mundi, ſpeciatim hominum ortu, deque horum ac angelorum quorumdam lapſu, malique omnis origine inde deriuanda; cumprimis autem peccatorum ſcelerumque venia atque remiſſione, per ſacrificium aliquod propi-

propitiatorium impetranda, & quae hinc porro fluunt, ignorat, ſcitu tamen ipſamet neceſſaria iudicat, tam perſpicue in apricum producuntur, vt homo anteceptarum opinionum expers, remque omnem debita attentione conſiderans, non poſſit non inde diuinam eius originem colligere. Quae enim vtramque fere in hac religione faciebant paginam, ſacrificiorum varia genera, cum omni rituum atque caerimoniarum adparatu, eo vnice comparata erant, vt veram ſalutis viam, rationemque, ob ſacrificium propitiatorium a ſeruatore mundi ſuo tempore offerendum, delictorum veniam impetrandi, monſtrarent. Non equidem neſcio eſſe, qui legum caerimonialium, quibus haec omnia complexus eſt Moſes, longe alias cauſſas rationesque comminiſcuntur: quos inter IO. SPENCERVM in opere notiſſimo *de legibus Ebraeorum ritualibus*, *earumque rationibus*, agmen ducere, conſtat. Sed hosce quidem omnes vel ſola Pauli apoſtoli ad Ebraeos epiſtola ita conticeſcere iubet, vt operoſa facile eorum ſuperſedere queamus refutatione, quam & dudum alii in ſe ſusceperunt.

Cum vero Iſraelitica religio ſpeciali quadam reuelatione nitatur, ad eius veritatem pariter ac diuinam originem comprobandam, ſequentia porro extra dubium ponenda ſunt. I) Moſen reuera exſtitiſſe, eaque aetate vixiſſe, qua vixiſſe perhibetur, multisque & magnis inclaruiſſe miraculis, vt quae Dei nomine fecit, aut locutus eſt, eum a Deo accepiſſe, nulla ratione dubitari queat; II) eumdem pentateuchi, ſeu librorum, qui ei tribuuntur, auctorem eſſe; III) nihil denique in hisce libris occurrere, quod veritati non ſit conſentaneum. Quae quidem cum alibi iam a nobis ſint comprobata, inſtituti tamen ratio poſtulat, vt paucis quae ad rem faciunt, repetamus.

Ad primum nimirum quod attinet, Moſen exſtitiſſe, & ea vixiſſe aetate, qua vixiſſe dicitur, maximisq; miraculis eam ſibi conciliaſſe auctoritatem, quae diuinum legislatorem decebat, quotquot in vniverſo terrarum orbe aut exſtiterunt vmquam, aut hodie exſiſtunt Iudaei, teſtantur. Hi enim cum leges a Moſe ſibi praeſcriptas adcuratiſſime conſtantiſſimeque & obſeruarint hactenus, & hodie adhuc obſeruent, quantumuis paſſim eam ob rem aliorum hominum ludibrio, immo quandoque grauiſſimis vexationibus ſint expoſiti; eius quidem rei nulla alia, ne quidem probabilis reddi poteſt ratio, quam quod illorum maiores, a quibus iſthaec ad eos ſunt deriuata, quiue a Moſe leges & ritus iſtos acceperunt, eius ipſimet viderint & conſpexerint miracula, adeoque de diuina eius legatione pleniſſime fuerint conuicti. Ad haec ſcriptorum gentilium accedunt teſtimonia, quibus ea, quae ſcriptura ſacra, ipſeque Moſes tum de ſe ipſo, tum de aliis ſui temporis rebus, refert, mirifice confirmantur: quae ex veteribus FLAVIVS IOSEPHVS, *contra Apionem*, CLEMENS ALEXANDRINVS, *lib. I. ſtrom.* CYRILLVS, *lib. I. contra Iulianum*, EVSEBIVS, *praeparat. euang. lib. 9. c. 27.* ex recentioribus autem GROTIVS, *de verit. chriſt. relig.* PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonſtratione euangelica*, aliique, magno ſtudio congeſſerunt. Speciatim & miraculorum Moſis tantam olim famam, celebritatemque fuiſſe, vt eam ob rem tum a NVMENIO, Pythagoraeo, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. 9. c. 8.* tum a PLINIO, *hiſt. nat. lib. 30. c. I.* inter magos referretur, itidem alibi iam nobis obſeruatum eſt.

Moſen porro pentateuchi, ſeu librorum, qui illi a Iudaeis pariter ac chriſtianis tribuuntur, auctorem eſſe, tamdiu pro certo atque euicto merito habetur, donec contrarium euidenter fuerit demonſtratum. Fatentur id homines criticae artis periti, ſi liber auctori, cui conſtanter tribuitur.

buitur, abiudicandus ſit; id non ſine graviſſimis fieri oportere rationibus. Quantumuis autem impiorum hominum cohors omnes ingenii vires intenderit, vt receptam hanc omnium Iudaeorum & chriſtianorum ſententiam conuelleret, hactenus tamen nihil, quod rem iſtam conficeret, quodue ſolida reſponſione elidi nequeat, protulerunt. Speciem habet, quod dicunt, nonnulla, Moſis aetate recentiora in hisce libris deprehendi: quod ſi vel maxime de quibusdam concedatur, etſi nulla, vt hoc concedamus, nos cogat neceſſitas, nondum tamen inde confici poſſet, Moſen non eſſe Pentateuchi auctorem. Subinde enim antiquis auctoribus quaedam addita deprehendi, quae a recentiori manu profecta ſint, nemo artis criticae peritus dubitat. Reſponderi tamen etiam ad ſingula ita poteſt, vt ne huc quidem temere nobis veniendum ſit. Praeterea cum Moſes citra controuerſiam leges omnes, quae in libris hisce leguntur, iuſſu Numinis litteris mandauerit, *Exod. XXIV, 4. 7. XXXIV, 27. Deut. XXXI, 24. ſeq.* collat. cum *Ioſ. I, 7. 8.* cantici quoque quod *Deut. XXXII.* exſtat, auctor ſit: & ad hiſtorica quod attinet, victoriam, quam Iſraelitae ad preces Moſis ab Amalekitis reportarunt, iuſſu Numinis itidem litteris conſignauerit, *Exod. XVII, 14.* quod & de itinere ac ſtationibus populi Iſraelitici ex *Num. XXXIII, 2.* conſtat: quis dubitet, eum illa, quae non minoris momenti ſunt, in litteras retuliſſe? aut quae tandem obſtat ratio, quo minus eum hoc feciſſe credendum ſit? Immo, eo minus hac de re dubitare licet, quod omnia, quae tum in geneſi, tum in reliquis pentateuchi libris exſtant, rite inter ſe cohaereant, & ad vnum eumdemque omnia colliment ſcopum. Accedit denique ipſius ſeruatoris teſtimonium, quod apud eos ſaltem, qui chriſtianorum nomine veniunt, rem extra dubitationem ponere debet. Is vero diſerte: *Si crederetis Moſi, crederetis mihi: ille enim de me ſcripſit. Quod ſi ſcriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis? Io. V, 46, 47.* Loquitur nimirum de iis ſcriptis, quae Iudaei ſub Moſis nomine amplectebantur, & adhuc hodie amplectuntur. Ea ita Moſi tribuit, vt quae in iis exſtant, Moſes ſcripſiſſe dicatur. Quo ipſo ſimul illorum profligat ſententiam, qui libros Moſis non ab auctore, ſed ab obiecto ita dictos, contendunt. Idem porro ex *Luc. XXIV, 27. & 44. act. XV, 21. 2. Cor. III, 14, 15.* comprobari poteſt. Copioſius, & ex inſtituto hoc argumentum tractant, & quae in contrarium adferri ſolent, adcurate diluunt, HVETIVS, *dem. euang. prop. IV. p. 254. ſeq.* FRIDER. SPANHEMIVS, *hiſt. eccleſ. V. T. p. m. 260. ſeq.* it. *p. 330. ſeq.* HERM. WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. 1. l. 1. c. 14. p. 103.* PETRVS ALLIXIVS, in *conſideratione rationab. librorum ſacrae ſcripturae, ad veritatem religionis chriſtianae demonſtrandam, part. I. c. 5. ſeq. p. 32.* Sed &, quae ipſe in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. II. ſect. I. §. XI. p. 450. ſeq.* dixi hac de re, conferre iuuabit.

Supereſt tertium momentum, nihil in libris Moſaicis contineri, quod non veritati ſit conſentaneum. Omnia nimirum, quae in iis occurrunt, ad duas rerum claſſes, *dogmata, & facta,* referri poſſunt. De dogmatibus nihil nunc monemus, cum iam antea obſeruatum ſit, ea ita comparata eſſe, vt aut ex ipſo rationis lumine innoteſcant, aut eius defectum ſuppleant, adeoque eidem minime aduerſentur. Maiorem etiam haec lucem capient ex iis, quae deinceps de religione chriſtiana dicemus. Facta denique, aut ſcriptorum quoque profanorum conſenſu confirmari poſſunt, aut ita comparata ſunt, vt, cur Moſi, ceu ſcriptori domeſtico, rerum ſuarum conſultiſſimo, de rebus maximam partem ſui temporis ſcribenti, fides deneganda ſit, nulla omnino, ne ſpecie quidem probabilitatis gaudens, reddi ratio queat. Summa haec illorum

Digitized by Google

illorum eſt, quae fuſius hac de re dixi in *theſibus de atheismo & ſuperſtitione* ad *cap. VII. §. VI. p. 662. ſeq.*

Atque haec quidem, vt extra omnem dubitationem poſita ſunt; ita haud difficulter etiam ad dubia, quae ex hominis ethnici mente, contra Moſaicae religionis veritatem, vir doctiſſimus, IO. CLERICVS, in *hiſt. eccleſ. duorum primorum ſaeculorum a Chriſto nato, proleg. c. 8. p. 36. ſeq.* profert, reſponderi poteſt. Id ſaltem, priusquam ad rem ipſam accedamus, notandum, ſi characteribus verae diuinaeque religionis generalibus, quos ſupra expoſuimus, inſiſtatur, Moſaicae religionis veritatem, diuinamque originem & ethnicae falſitatem luculenter demonſtrari poſſe, vt ea, quae de reliquis inſtituitur disceptatio, fere ſuperuacanea videri poſſit: praeſertim, ſi ita inſtituatur, prout vir doctiſſimus facit, vt ex antiquorum temporum hiſtoria multa nobis adſumenda ſint, quae nobis hodie non ſatis perſpecta ſunt, & explorata. Moſaicae nimirum hiſtoriae obiici potuiſſe dicit, eam teſtimoniis fide dignis eſſe deſtitutam, cum alii nulli eſſent ſcriptores aequales, aut eiusdem gentis, aut aliarum vicinarum, qui eidem ſuffragarentur. Cui quidem obiectioni Iudaeos non ſatis commode ſatisfacere poſſe putat: *nam,* inquit, *reuera aliorum teſtimoniis deſtituebantur.* Verum, non ſolo ſcriptorum aequalium conſenſu hiſtoriae cuiusdam veritas nititur. Immo ſi hiſtoria ea aetate ſcripta ſit, qua nondum alii, aut eiusdem, aut vicinarum gentium exſtiterunt hiſtorici, iniquum prorſus fuerit, eiusmodi conſenſum exigere. Si ergo hiſtoricus aliunde erroris cuiusdam argui nequeat, aut demonſtrari, cur probabile non ſit, quod referat, hactenus, vt ei credamus, aequitas poſtulat; ſi vel maxime aliorum hiſtoricorum conſenſus non accedat. Cum vero etiam fata totius gentis Iſraeliticae, eiusque in ritibus, inſtitutis, & caerimoniis, quas a Moſe acceperat, ſumma perſeuerantia, diuinum Moſen fuiſſe legislatorem, ſatis arguant: aliorum ſcriptorum, ad fidem libris eius conciliandam, non magnopere opus eſt ſuffragio. Nimis audacter etiam vir doctus adſerit, Iudaeos aliorum teſtimoniis fuiſſe deſtitutos. Cum enim apud Aegyptios pariter ac Phoenices, antiquiſſimis temporibus litterarum ſtudia floruerint, ſimul tamen pauca admodum monumenta ab iis ad nos peruenerint, fieri ſane potuit, vt plurima apud eos exſtarent, quibus Moſaicae hiſtoriae veritas comprobari poterat, quaeue noſtram hodie notitiam fugiunt. Nec contemnenda profecto ſunt, quae FL. IOSEPHVS, EVSEBIVS, aliique, collegerunt ſcriptorum gentilium de rebus iudaicis teſtimonia. Etſi enim fabuloſa quaedam atque commentitia admixta ſint, in plerisque tamen, iisque magni momenti rebus, cum Moſaica hiſtoria conſentiunt: ſi autem diſſentiunt, aut falſa tradunt, vt ſcriptori domeſtico, eique nullius fallaciae ſuſpecto, magis, quam peregrino fides habeatur, ipſa naturalis aequitas poſtulat. Sunt ſane ſcriptores iſti Graeci: ſed quorundam ea fuit ratio, vt iudaicarum rerum non fuerint imperiti; nec omnes tam recentes, vt ad teſtimonium hac in re dicendum inepti cenſeri debeant: qui etiam recentiores ſunt, ex monumentis fide dignis ſua haurire potuerunt. Antiquitatem porro, quam Iudaei ſibi tribuebant, contra gentilium exceptiones eos valide tueri poſſe negat. Moſis ſcripta omnium Graecorum monumentis antiquiora eſſe, Iudaei aiebant: *ſed, an neceſſe erat,* inquit, *omnia a Graecis credi, quae a gente Ebraea adfirmabantur?* Vtique neceſſe erat, quamdiu contrarium demonſtrare, aut hiſtoriam iudaicam erroris aut falſi conuincere non poterant. Si quis Moſis ſcripta omnium Graecorum monumentis antiquiora eſſe concedere nolit, illi aliud quoddam ſcriptum, idque genuinum,

num, quod antiquius ſit, proferendum erit. Quamdiu vero hoc facere nequit, fateatur neceſſe eſt, antiquitatis iſtius laudem ſcriptis Moſaicis eripi non poſſe. Accedit porro, quod & regum & iudicum ſucceſſionibus temporum ordo ad Ioſuam, & hinc ad Moſen, iuſta ſerie deduci queat: vnde aetatem Moſis, eiusque librorum, luculenter colligere licet. Haec omnia vero ſi quis praefracte reiicere, ac ſine praegnantiſſima ratione in dubium vocare velit, eum, vt hominem mentis ſuae non ſatis compotem, res ſuas ſibi habere iubebo. Pergit vero vlterius, multaque ethnicos potuiſſe obiicere, exiſtimat, *hiſtoriae creationis, cum vniuerſitatis rerum, tum etiam primorum parentum, deinde eorum peccato; multa diluuio, quod terras omnes texiſſe credebatur; multa arcae, in qua non humanum tantum genus, ſed & omnia pecudum genera, ſeruata narrantur. Nec putandum eſt*, inquit porro, *Iudaeos potuiſſe ſingula commode ſoluere, ita vt etiam pertinacibus os obturaretur.* Potueruut vero iſta non tantum Iudaeis ab ethnicis obiici, ſed & ab hominibus impiis ſaepe obiecta ſunt: non minus tamen ſaepius iſta ſunt profligata. Ad rerum nimirum omnium, ſpeciatim hominum, hinc & peccati, ſeu mali originem, quod attinet, nihil aliud Iudaeo, contra ethnicum diſputanti, agendum eſt, quam vt phaenomena omnia, quae circa primas rerum origines occurrunt, & in quibus ethnici cum Iudaeis conſentiunt, rite conſtituantur: tum omnia philoſophorum ſyſtemata, quibus phaenomena iſta ſoluere voluerunt, proferantur: tandemque cum ſyſtemate Moſaico conferantur. Patebit ſtatim, gentilium philoſophos de hisce omnibus meras protuliſſe ineptias, & commenta longe inſipidiſſima: vt, cum homines fungorum more e terra prorumpentes nobis fingunt; cum contra certum ſit, nullum aptius, nullum rationi ipſi conuenientius ſyſtema inueniri poſſe, quam quod Moſes nobis reliquit. Sed & quae de diluuio & arca Moſes narrat, ſi modo recte explicentur, facili negotio contra gentilium obiectiones, in tuto collocari poterunt: quod ab aliis dudum luculentiſſime eſt euictum. Non ergo neceſſe erat, vt ad auctoritatem prophetae hic confugerent, vnde & ratiocinia, quae vir doctiſſimus hic nectit, ſua ſponte corruunt. Quodſi vero etiam, quae Moſes de rerum omnium originibus tradit, rationi ipſi tanto magis conſentanea eſſe intelligebant, quam quae vllus philoſophorum hac de re tradidit, aut tradere potuit, perinde illis eſſe poterat, ſiue ex diuina reuelatione, ſiue ex traditione ea accepiſſet Moſes: quamuis miracula ſimul Moſis, quorum veritatem gens Iſraelitica ſumma perſeuerantia confirmabat, ex reuelatione eum iſta didiciſſe, facile iis perſuadere poterant; etiamſi Moſes diſerte hoc non dixerat. Reliqua autem, quae de primorum hominum generationibus, gentiumque variarum origine, & quae his ſimilia ſunt, ſcripſit, ita comparata ſunt, vt ne minimam equidem rationem videam, cur homo ethnicus ea in dubium vocare potuerit. In vita equidem rurſus patriarcharum, gentisque Iſraeliticae fatis, vir doctus nonnulla deprehendiſſe ſibi viſus eſt, quae ethnico arma, iudaicam religionem impugnandi, praebeant. *Ratio*, inquit, *qua Iacobus Iſaaci patris vltimas preces interuertit, & fratri eripuit, rem arte impetratam Deo ratam habente, non ita facile a Iudaeo potuit defendi. Iacobi ſenis in Meſopotamiam iter, & coniugia, temporaq; quibus nati ſunt eius liberi, & liberos genuerunt, ac tandem ingens illud incrementum eius poſterorum in Aegypto, quo factum, vt paulo plus quam ducentis annis elapſis ſexcenta armatorum millia haberent, non carent difficultatibus, quibus ethnicorum animi ab iis credendis alieni fieri poterant.* Fateor ſane, dubium aliquod hinc ſuboriri potuiſſe, ſi minutias conſectari, & nodum in

in ſcirpo quaerere ethnici voluiſſent, qui hodie incredulorum hominum mos eſt. Nec tamen ideo concedimus, defuiſſe Iudaeis, quae ad haec reſponderent. Ad Iacobum enim, patris vltimas preces intervertentem, fratrique eripientem, quod attinet, nihil inde aliud conſequitur, quam Deum ſubinde mortalium rebus ita intercedere, vt ea etiam, quae non prorſus recte ab illis acta ſunt, ad finem ſapientiſſime a ſe conſtitutum, dirigat. Qua in re quid demum ſit, quod ethnicum hominem offendere queat, non video. Quae de Iacobi ſenis itinere in Meſopotamiam, itemque coniugio, & tempore natiuitatis liberorum eius Moſes memorat, ſi non ex noſtrae, ſed eius, qua vixerunt, aetatis conditione aeſtimentur, parum aut nihil difficultatis habebunt. Iſraelitas autem in illo temporis interuallo, quo in Aegypto commorati ſunt, in tantam excreſcere potuiſſe multitudinem, in quantam excreuiſſe eos Moſes refert, rationibus adcurate ſubductis ita ad oculum demonſtrat IAC. VSSERIVS, in *chronologia ſacra*, *annalibus* eius *ſubiuncta*, *c. 11, p. 63. 64.* vt quiuis facile perſpiciat, id ſine miraculo contingere potuiſſe. Iungenda, quae & ipſe hac de re dixi in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. II. ſect. I. §. 14. p. 574. ſeq.* De miraculis denique Moſis quod dicit, ea neminem habuiſſe teſtem, praeter ſolam gentem Ebraeam, ante multa ſaecula exſtinctam, & quidem ſine ſcriptis vllis praeter Moſaicum pentateuchum, id facile ex iis, quae ſupra iam obſeruauimus, dilui poteſt. Eſto enim, non alios ea, quam gentem Ebraeam habuiſſe teſtes: diſpiciendum erat, num ethnicus iuſtam cauſſam habeat, gentis iſtius teſtimonium repudiandi. Iniquum enim prorſus eſt, integrae gentis teſtimonium ſine cauſſa grauiſſima admittere nolle; praeſertim, ſi ſumma eius in legibus, ritibus, caerimoniis, iisque ab aliarum gentium inſtitutis plane diuerſis, & cum maximis ſubinde incommodis coniunctis, conſtantia ſuadeat, maiorem humana, vt ad id inducerentur, accedere oportuiſſe auctoritatem. Atque haec praecipua ſunt, quae vir doctiſſimus ex mente ethnici, religioni Iudaicae obiicit. Pertinent ea ad hiſtoriam: ſed eius veritate in tuto collocata, reliqua ſua ſponte conſequuntur. Adfert equidem *§. IX. p. 39. ſeq.* nonnulla, quae ipſi religioni, itemque ritibus ac caerimoniis Iudaeorum obiici ab ethnico philoſopho poterant. Sed profecto leuioris illa momenti ſunt, quam vt illis immorari fas ſit. Bene autem eſt, quod agnoſcit, in iis, quae de diuina natura docebant Iudaei, nihil illis a philoſophis exprobrari potuiſſe: quod vtique verum eſt, etiamſi hoc etiam de perſonarum trinitate intelligamus: at, quod praecipuam difficultatem ei habere videtur, quod Deus, cum omnium hominum conditor atque pater ſit, ſe ſpeciatim Iudaeorum Deum ferat, id mox diluemus.

§. XXVII. Nonnulla autem licet haec religio contineret, quae ſpeciatim populo Iſraelitico conueniebant, quae tamen ipſam reuelatae religionis eſſentiam conſtituebant, & clarius ſaltem adcuratiusque a Moſe erant propoſita, ad omnes pertinebant homines. * Eo maior autem inde tum ad gentem Iſraeliticam, tum ad reliquos homines omnes, poterat redundare vtilitas, quod ſimul ex cauſſis longe grauiſſimis, reuelatae religionis doctrina, litterarum monumentis conſignata fuit. **

* De vniuerſalitate religionis Moſaicae, vt eo rectius pronuntiari queat, ea, quae ad ipſam religionis eſſentiam ſpectant, diligenter a rebus ſecundariis & acceſſoriis

 ſunt

ſunt diſtinguenda. Priori modo ſpectata religio Moſaica, ſeu Iſraelitica, prorſus cum patriarchali conſentiebat. Summa enim totius religionis Moſaicae, in ſe ſpectatae, erat, verum, eumque vnicum Deum, caeli terraeque conditorem, pia puraque mente colendum; peccatorumque veniam per fidem in redemtorem huius vniuerſi, cuius mortem, quam pro hominibus ſubiturus erat, ſacrificia adumbrabant, impetrandam eſſe. Et hac quidem ratione omnes, qui vmquam, aut tempore patriarcharum, aut inter Iſraelitas vixerunt, homines pii, ſalutem conſequuti ſunt; omnesque hodie adhuc conſequuntur. Vnicam enim hanc eſſe rationem ad ſalutem perueniendi, ſummamque adeo vnius verae religionis, quae hominibus reuelata fuit ab initio, diſerte Petrus docet *act. IV, 12.* Quod & alibi idem apoſtolus confirmat, quando *act. XV, 11.* dicit: ***Sed per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, credimus, nos ſeruari, quemadmodum & illi;*** patres ſcilicet, quibus ἀβάστακτον caerimoniarum iugum impoſitum fuit. Si ergo & patres veteris teſtamenti, aeque ac fideles noui teſtamenti, vna eademque ratione, per gratiam ſcilicet Chriſti, ſeruantur; & vero hunc ſalutem conſequendi modum vniuerſalem eſſe, nemo dubitat; Moſaicam quoque religionem, in ſe ſpectatam, vniuerſalem fuiſſe manifeſtum eſt. Idem etiam gentium doctor, Paulus confirmat, *Ebr. XIII, 8.* ***Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſaecula.*** Admonuerat nimirum Ebraeos, vt in recenti ſeruarent memoria, *verbum illud, quod doctores ipſorum illis loquuti erant, vtque eorum imitarentur fidem.* Huius admonitionis iſtam dat rationem, ***quia Ieſus Chriſtus & heri & hodie, & in ſaecula idem eſt;*** ab omnibus veritatis doctoribus omni tempore praedicatus, ab omnibus creditus, a ſequuturis credendus, ſi maiorum velint imitari fidem, aeternamque adeo conſequi ſalutem. Quare, ſi & eo tempore, quo Moſaica religio in Iſraelitica gente florebat, inter ethnicos exſtitiſſent, qui patriarchalem religionem puram ſeruaſſent, eos eadem prorſus ratione, qua Iſraelitas, ſalutem conſequutos, non eſt quod dubitemus. Praeter ea vero, quae ad ipſam religionis eſſentiam ſpectant, varia adhuc accedebant, quae Iſraelitis erant propria. Cauſſae enim vt grauiſſimae, ita ſapientiſſimae Deo erant, cur gentem iſtam in peculium ſibi eligeret, & foedus aliquod cum ea iniret, in quo, vt vniuerſale illud foedus gratiae, quod ad omnes homines pertinet, velut fundamenti loco ponebatur, ita promiſſiones quaedam & conditiones addebantur, quae ſpeciatim ad Iſraelitas ſpectabant: quarum intuitu foedus hoc particulare vocari poterat. Inter cauſſas vero, cur hoc Deo ita placuit, haud vltima eſt, quod hac ratione religionis reuelatae doctrina, cuius praecipuum caput erat de Meſſia, quam commodiſſime & conſeruari, & propagari potuerit: non ac ſi haec doctrina ad ſolos Iudaeos ſpectaret, ſed vt per eos ſubinde ad alias gentes, apud quas exſtincta erat, propagari ac reſuſcitari poſſet. Quando itaque Paulus apoſtolus *Epheſ. II, 12.* dicit, gentiles fuiſſe *extraneos a teſtamentis, ſiue foederibus promiſſionis*, de promiſſionibus quidem particularibus hoc intelligi poteſt: ſed nihil tamen obſtat, immo res ipſa poſtulat, vt de vniuerſalibus etiam intelligatur; ſed ita, quod ethnici iſtas promiſſiones, ſimulque veram reuelatae religionis doctrinam, aut non acceperint, aut omnino repudiauerint. Deum enim foedus iſtud gratiae, rationemque per vnicum redemtorem ſalutem conſequendi, omnibus hominibus obtuliſſe, ex iis, quae hactenus diſſeruimus, obſcurum eſſe non poteſt. Atque hinc etiam ad dubium, quod ex mente ethnici philoſophi IO. CLERICVS, *hiſt. eccl. duor. primor. a Chriſto nato ſaeculor. proleg. ſect. I. c. 8. p. 40.* proponit, facili

nego-

negotio reſponderi poteſt. Vix enim ab ethnicis ſapientibus concoqui poſſe putat, *Deum, totius humani generis creatorem ac patrem; Deum cuius beneficentia humanam longe ſuperat; Deum aequum & minime moroſum, ab iis* (Iudaeis) *deſcriptum, quaſi vnius tantum populi, nec ita magni, ſi cum ceteris conferatur, Deum; cum benefica eius prouidentia, ad religionem quod attinet, ad Ebraeos tantum pertinere ab iis diceretur.* Reſpondere ad haec paucis Iudaeus poterat, haec omnia certa tantum ratione, certoque modo eſſe intelligenda. Deum vtique, vti creatorem, ita & omnium hominum eſſe Deum, omniumque etiam hominum velle ſalutem, viam etiam, qua ad illam peruenire queant, omnibus monſtraſſe. Hoc tamen non obſtare, quo minus ob cauſſas grauiſſimas ſingularia quaedam beneficia in vnum quemdam populum conferat.

** Etſi enim Moſes vel maxime primus non fuerit ſcriptor, primum tamen ex θεοπνεύστοις fuiſſe conſtat; conferenda, quae hac de re dixi in *hiſtor. eccleſ. V. T. tom. I. ad per. II. ſect. I. §. 11. p. 540. ſeq.* Nec enim ſine ſapientiſſimo Numinis conſilio factum, vt eo tempore, quo ob humanae vitae breuitatem, aliasque cauſſas, orali traditioni non amplius commode locus erat, quae ex reuelatione omnibus hominibus innoteſcere debebant, litterarum monumentis conſignarentur. Simul tamen id eo pertinuit, vt deinceps, accedente verſione ſacri codicis graeca, reuelatae religionis veritas eo facilius inter ethnicos diffundi poſſet. Ex quo iterum argumentum, pro Iſraeliticae religionis vniuerſalitate capere licet.

§. XXVII. Maximam denique lucem reuelata diuinitus religio accepit per ipſum mundi ſeruatorem, cum ipſius in carnem aduentu non tantum diuinae promiſſiones de hominum redemtore, implerentur, ſed ſimul, tum ab ipſo ſeruatore, tum eius diſcipulis, hominibus omnia, quae ad ſalutem conſequendam ſcitu factuque neceſſaria eſſent, exponerentur. * Sublata tum ſimul ſunt, quae Iudaicam a reliquis gentibus diſcernebant, adeoque reuelatae religionis vniuerſalitas tum luculentiori adhuc ratione patuit. **

* Omnia enim, quae Chriſtus eiusque diſcipuli docebant, eo redibant, homines, quos admiſſorum criminum ſerio poeniteret, per fidem in huncce ſeruatorem veniam peccatorum conſequi poſſe. Atque haec ſumma erat religionis, primis parentibus poſt lapſum reuelatae, & deinceps vlterius propagatae; quam adeo plenius fuſiusque Chriſtus, eiusque apoſtoli ediſſerebant. Quod mirifice confirmat Petrus, quando *omnes prophetas*, per quos vera religio ab initio mundi propagata fuit, *teſtari* dicit, *Ieſum eum eſſe, per cuius nomen peccatorum veniam conſequantur, quicumque in eum credant; actor. X, 43.* conf. *Luc. XXIV, 47. actor. II, 38. III, 26.*

** Hoc eſt, quod eleganter Paulus apoſtolus *Epheſ. II, 13, 14.* docet: *At nunc in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando aberatis,* ſeu extranei eratis a teſtamentis, aut foederibus promiſſionis *v. 12.* (quod, quo pacto intelligendum ſit, antea diximus) *factum eſt, vt adſitis per ſanguinem Chriſti. Is enim eſt pax noſtra, qui ex ambobus vnum fecit; ſeptique interſtitium abrupit &c.*

§. XXVIII. Euicta patriarchalis & Moſaicae religionis veritate, diuinaque origine, haud difficile eſt, de chriſtiana quoque eamdem demon-

ideo quod non omnia capere queamus, ceu falſam reiicere. Neque tantum cauſſa idonea, cur religio omnium myſteriorum expers eſſe debeat, adferri nequit; ſed &, quod reuelata religio myſteriorum eſſe expers nequeat, ſi modo cuncta recte expendantur, facile intelligitur. Lumen enim rationis ad ſalutem conſequendam non ſufficere, ſupra luculenter, ni fallor, euicimus. Si ergo reuelatio neceſſaria fuit, neceſſaria etiam fuerunt myſteria. Quae enim ex ſola reuelatione nobis innoteſcunt, rationisque adeo captum ſuperant, merito nobis hoc nomine veniunt. Sed ea quoque, quae ſpeciatim in chriſtiana religione ita vocantur, vt *myſterium ſacrae trinitatis*, itemque *incarnationis Chriſti*, reliqua, plane fuerunt cognitu neceſſaria, cum totus ordo ſalutis iis innitatur, conciliatioque hominis peccatoris cum Deo per ſatisfactionem Chriſti, quae religionis reuelatae ſumma eſt, ſine iis ſibi non conſtet. Addenda quae dixi in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *cap. 7. §. 6. p. 632. ſeq.*

** Adſumimus in hacce demonſtratione, quod & per ſe manifeſtum eſt, & alibi ex inſtituto euictum, dari omnino vaticinia, ſeu rerum futurarum, & quidem fortuitarum, ſeu contingentium praedictiones, easque vim omnem hominum atque geniorum ſuperare, ſolique adeo Deo tribuendas eſſe. Atque hac de re eo minus dubitare licet, quod ſcriptura ſacra eiusmodi exempla ſuppeditet, quae etiam homo, qui de diuina eius auctoritate perſuaſus nondum eſt, non admittere nequit. Iam vero, ſi porro obſeruetur, nihil omnino de ſeruatoris noſtri natiuitate, vita, paſſione, morte, reſurrectione, miraculis, doctrina, diſcipulis, noui teſtamenti ſcriptores commemorare, quod non adcuratiſſime dudum ante vates in veteri teſtamento praedixere, veritas pariter, ac diuina religionis chriſtianae origo, non poteſt non inde diſpaleſcere. Quod enim Deus, qui ſolus talia praeuidere poteſt, eum in modum praedixit, id non poteſt non diuinum, ſeu a Deo ipſo profectum cenſeri. Euentus autem omnes hic vaticiniis adcuratiſſime reſpondere, nemini quidem, niſi qui ſacrarum literarum plane expers eſt, ignotum eſſe poteſt: euidenter tamen ob oculos poſuit HVETIVS, *demonſtr. euang. prop. IX. p. 595. ſeq.*

*** Facta, quibus religionis chriſtianae veritas, ſimulque diuina innititur origo, duplicis ſunt generis. Quaedam enim ita comparata ſunt, vt ab iis etiam, apud quos nulla ceteroquin ſcriptorum noui teſtamenti eſt auctoritas, admittantur; e. g. Ieſum Nazarenum vixiſſe quondam in Iudaea, rerum apud Romanos potiente Tiberio, multos habuiſſe diſcipulos, qui diſciplinam eius ſequuti ſunt, doctrinamque quam ab eo acceperant, propagarunt: eumdem a gentis ſuae ſacerdotibus accuſatum, damnatumque a Pontio Pilato, & cruci adfixum eſſe. Hoc enim nec ipſi Iudaei inficiantur, & ſuo inſuper teſtimonio ethnici confirmant ſcriptores, quorum hac de re loca exhibet GROTIVS, *de verit. chriſtianae religion. l. 2. §. 3.* Alia autem facta ita ſunt comparata, vt non admittantur ab omnibus, immo a quibusdam, Iudaeis ſcilicet, ethnicis, & quibusvis hominibus incredulis, negentur ſtrenue, & prorſus reiiciantur. Huiusmodi ſunt: Ieſum Nazarenum ſine virili ſemine ex Maria virgine natum; eumdemque miracula maxima diuinam in eo arguentia potentiam, perpetraſſe; cruci adfixum, mortuumque ſepulcro incluſum, ſua virtute reſurrexiſſe; adparuiſſe deinceps ſaepius diſcipulis, & cum iis colloquutum, donec tandem in caelum adſcenderet. Quae quidem, licet domeſticorum praecipue ſcriptorum fide, ſed certa, quamue in dubium vocare non licet, nitantur, non omni tamen etiam extraneorum deſtituuntur teſtimonio. Plurima enim ſeruatorem

torem noſtrum edidiſſe miracula, non diffitentur Iudaei, etſi per nomen tetragrammaton, aliasque artes illicitas, eum id feciſſe iactitent: quam in rem legenda, quae RAYMVNDVS MARTINI collegit, in *pugione fidei, part. 2. cap. 8.* & quae ad *hunc locum* obſeruauit IOSEPHVS DE VOISIN. Confirmat idem FL. IOSEPHVS, in notiſſimo illo de ſeruatore noſtro teſtimonio, *antiquit. iudaic. l. 18. c. 4.* de quo equidem, an genuinum ſit, multa exſtant hominum eruditorum certamina; quae in compendio legi poſſunt apud THOMAM ITTIGIVM, in egregiis, quae Ioſephi operibus, Lipſiae a 1691. editis, praemiſit, prolegomenis: ſed tam luculentis, ni fallor, argumentis res iſta hodie confecta eſt, vt irritus plane illorum labor ſit, qui eius γνησιότητα in dubium vocare audent. Laudem hoc nomine prae reliquis promeruit CAROLVS DAVBVZ, in *libris duobus pro teſtimonio Flauii Ioſephi de Chriſto Ieſu,* Londini 1706. editis; itemque DAVID MARTINI, in *duabus diſſertationibus criticis, quarum altera loci 1. Ioan. V, 7. altera autem Flauiani de Chriſto teſtimonii γνησιότητα vindicat:* quae lingua gallicana Vltraiecti prodierunt, anno 1717. Immo & apud ethnicos tam certa tamque indubitata exſtitit miraculorum Chriſti fama, vt quaedam ab eo edita neque Celſus, neque Iulianus, cum in chriſtianos ſcriberent, negare auſi ſint. Loca illorum exhibet GROTIVS, *de veritate religionis chriſtianae, l. 2. §. 5. p. 92.* Quodſi etiam vel maxime hiſce, atque aliis extraneorum hominum deſtitueremur teſtimoniis, res ipſa tamen hoc loqueretur. Ipſa enim admiranda tot gentium conuerſio demonſtrat, miracula Chriſti & apoſtolorum toto orbe fuiſſe nota, cum eas non niſi ſignis, omni luce clarioribus, ad fidem Chriſti conuerti potuiſſe, manifeſtum ſit: quod & recte AEGIDIO HVNNIO obſeruatum, *de maieſtate & auctoritate ſcripturae ſacrae &c. p. m. 133.* Legi autem etiam meretur WERENFELSII *diſſert. de veritate miraculorum, in S. S. narratorum,* in eius *ſylloge diſſert. theol. p. 139. ſeq.* Haec autem omnia, licet minime contemnenda ſint, ipſum tamen domeſticorum ſcriptorum teſtimonium praecipue hic in cenſum venit; de quo nunc porro dicendum.

* Si quis enim ex domeſticis teſtibus ita comparatus ſit, vt adcurata rerum, de quibus teſtatur, inſtructus ſit notitia; probitate item & fide polleat; ſi nulla porro, ne minima quidem, in iſtum ſuſpicio cadat, quod proprii commodi intuitu aliquid agat; & ea denique animi conſtantia veritati teſtimonium perhibeat, vt nullo periculi, quantumuis magni, metu, nulla ſupplicii atrocitate inde ſe dimoueri patiatur: illi fidem ſine ſtolida quadam pertinacia denegari non poſſe, manifeſtum eſt. Apoſtolis autem haec omnia conuenire, nemo, niſi rerum omnium rudis, dubitauerit. Adcurata rerum, de quibus teſtantur, notitia eos fuiſſe inſtructos, vel inde patet, quod perpetui ſeruatoris fuerint conuictores, omniumque eorum, quae publice pariter & priuatim geſſit, inſpectores continui. Vbicumque etiam locorum erat ſeruator, apoſtolos comites, vitaeque ſuae & actionum teſtes ſecum habere voluit. Hinc & ipſi ſubinde de rebus, de quibus teſtimonium perhibent, ceu longe ſibi exploratiſſimis, ſumma cum animi fiducia loquuntur. *Quod erat a principio*, inquit Ioannes, *quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus, & manus noſtrae contrectarunt, de ſermone illo vitae: quod, inquam, vidimus & audiuimus, id adnuntiamus vobis, 1. ep. I, 1, 2, 3.* confer. & *Ioan. XXI, 24. 2. Petr. I, 16.* Homines porro probos, omnisque fraudis & fallaciae expertes, apoſtolos fuiſſe, tamdiu merito pro certo habetur, donec vel leuiſſimo indicio contrarium demonſtretur. Eam praeterea morum vitaeque ſanctitatem, caſtita-

Digitized by Google

caſtitatemque, quam aliis tam ſtudioſe commendarunt, ipſimet exemplo ſuo comprobarunt. Nec vlla alia re, ſi miracula ſubinde perpetrata demas, quam iſta vitae integritate, tantam conſequuti ſunt auctoritatem, quanta eos apud ſuos gauiſos fuiſſe, nouimus. Non minus vero & inde ingenui animi, atque candoris, qui in iis fuit, documentum capere licet, quod ipſimet ſuos, aut ſuorum naeuos minime diſſimulent, aut occultent; ſed libere de iis loquantur: certe alios, vt euangeliſtas, vt de iis loquerentur, non impediuerint. Hinc & de Petro, filiisque Zebedaei quaedam minus recte acta memoriae prodita legimus; confer. *Matth. XVI, 22, 23. XX, 21. XXVI, 69. ſeq. Luc. XXII, 26.* Proprii vero commodi, quo nomine & honorem & gloriam, & ſi quid aliud homines ad ingentia facinora edenda impellere poteſt, deſignamus, intuitu aliquid apoſtolos ſuſcepiſſe, eo minus dici poteſt, quo certius conſtat, fuiſſe eos omnibus, quae vitam hanc ſuauem & iucundam reddere poſſunt, deſtitutos, omnium praeterea contemtui & ludibrio, grauiſſimisque furioſorum hominum vexationibus expoſitos. *Deus*, inquit Paulus, *puto, nos vltimos apoſtolos ſpectandos propoſuit, vt morti addictos. Nam ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis & hominibus, 1. Cor. IV, 9.* Hinc & vocationis Paulo oblatae non aliud conſtituitur praemium, quam hoc: *Ego enim ei praemonſtrabo, quam multa oporteat ipſum pro nomine meo pati, Actor. IX, 16.* Summa denique apoſtolorum, aliorumque Chriſti diſcipulorum in veritatis adſertione accedit conſtantia, vt nullis cruciatibus, nulloue mortis genere adduci potuerint, vt falſa dicerent, quae vera eſſe antea profeſſi fuerant. Duriſſima autem quaeuis, atque atrociſſima ſi quis pro mendacio quodam ac figmento pati velit, vt nulla plane inde ad eum redundet vtilitas, illum mente captum, & omni rationis deſtitutum oportet eſſe vſu. Haec vero omnia qui paullo diligentius expenderit, ne minimam quidem ſuſpicionem ſupereſſe videbit, cur non apoſtolorum pro vero teſtimonium habere debeamus. Addi his poſſunt, quae egregie hanc in rem diſſerit EVSEBIVS, *demonſtr. euang. l. 3. c. 5. p. 209. ſeq.* qui & illud recte monet, cum praeter duodecim apoſtolos, & alios ſeptuaginta diſcipulos ſeruator elegerit, fieri nulla ratione potuiſſe, vt tot homines in mendacium & fictionem, vnde nulla in eos redundaret vtilitas, conſpirarent. Impias equidem, ſed longe ineptiſſimas contra apoſtolos criminationes, ad fidem illorum labefactandam, excogitauit OROBIVS, homo iudaeus, quae apud PHILIPPVM A LIMBORCH legi poſſunt, in *amica collatione cum Iudaeo, de veritate religionis chriſtianae, p. 133.* Sed haſce non ipſe modo LIMBORCHIVS profligauit, ſed & cumprimis HERM. WITSIVS, in *diſſert. de miraculis Ieſu*, in eius *meletematibus Leidenſibus p. 359. ſeq.*

** Argumentis, quibus religionis chriſtianae veritatem hactenus euicimus, addi a quibusdam & alia ſolent, ab *antiquitate religionis chriſtianae*, itemque a *mirabili eius propagatione*, & denique a *martyrum*, qui ſuo eam confirmarunt ſanguine, *teſtimonio* petita. In quibus neutiquam vim atque robur deſideres, modo recte inſtituatur demonſtratio, praeſertim ſi reliquis argumentis adiungantur.

Ad *antiquitatem* nimirum quod attinet, certum eſt, nouam quamdam religionem non poſſe eſſe veram. Sequeretur enim, omnes homines, qui ante iſtam religionem vixerunt, medio perueniendi ad ſalutem fuiſſe deſtitutos; quod eſt plane abſonum. Vniuerſalitatem enim verae religionis characterem eſſe, ſupra, §. 22. demonſtrauimus. Recte itaque hinc concluditur: noua religio non poteſt non eſſe falſa; ea contra, quae cum ipſa hominum

origine ſimul originem ſumſit, praeſertim, ſi cetera conſpirent, non poteſt non pro vera atque diuina haberi. Chriſtianam vero religionem, in ſe ſpectatam, eamdem eſſe cum patriarchali, adeoque ſtatim poſt hominum lapſum originem ſumſiſſe, ex antea dictis luculenter conſtat.

Sed *propagatio* quoque mirabilis religionis chriſtianae, eius & veritatem & diuinam originem euidenter arguit. Haud perfunctorie namque obſeruandum, doctrinam apoſtolicam hominibus, prauas cupiditates conſectantibus, quales natura omnes ſumus, minime gratam fuiſſe. Adnuntiabant equidem omnibus propitium Numinis fauorem, peccatorumque remiſſionem, per ſeruatoris meritum vera fide impetrandam, ſed poenitentiam ſimul veram, minimeque fucatam, eiusque fructus requirebant; atque aperte docebant, eos, qui vitia dominantia exſuere, peccatisque, quibus ſeruierant, nuntium mittere nollent, fruſtra aeternam ſibi polliceri ſalutem; *Rom. VI, 13. ſeq. Gal. V, 24.* Atque haec ab infimi ordinis hominibus, & tantum non plebeiis, quales apoſtoli erant, litterarumque & humanae ſapientiae, ſi Paulum excipias, expertibus, omnibusque adeo praeſidiis, quibus auctoritas hominibus conciliari ſolet; deſtitutis, orbi fere vniuerſo ita ſine praeſentiſſimo Numinis auxilio perſuaderi potuiſſe, vt integrae gentes, reges, principesque, & homines etiam ſapientiae ac eruditionis laude florentes, ſponte ſua in illorum concederent ſententiam, quis credat? Recte & eleganter B. AEGIDIVS HVNNIVS noſter: *Quod ergo concio apoſtolorum, natura mundo inimica, nullis humanis armata viribus, tempore tam breui, apud disiunctiſſimas in mundo nationes & gentes caeleſtis & indubiae veritatis teſtimonium eſt ſortita; id demum & merito adpellari poteſt, & agnoſci debet miraculum miraculorum omnium, quo regnantis Meſſiae gloria in omnium gentium conſpectu mirifice eſt illuſtrata. Vnde Paulus, incomparabilis apoſtolus, haud abs re magnum pietatis myſterium eſſe exclamat, quod Deus manifeſtatus eſt in carne, praedicatus gentibus, & fides illi in mundo habita;* de *maieſtate & auctoritate ſcripturae ſacrae, p. m. 77.* Hinc vero ſimul patet, quid reſpondendum ſit, ſi Mahumedanae religionis obiiciatur exemplum, quae identidem longe lateque eſt propagata. Vt enim alia taceam, non tantum eiusmodi ſcitis, quae prauis hominum cupiditatibus frena laxant, Mahumedana religio gaudet, quae inter polygamia haud vltimum locum tenet, ſed armata etiam manu, bellicaue vi plurimis fuit obtruſa: quod longe aliter in religione chriſtiana ſe habuiſſe, vel ex apoſtoli teſtimonio, *2. Cor. X, 4. 5.* condiſcimus.

Denique & martyrum, qui ſuo ſanguine veritatem religionis chriſtianae confirmarunt, omnino hic in cenſum venit teſtimonium. Quis enim credat, tot homines eo adduci poſſe, vt ad cruciatus exquiſitiſſimos tolerandos, ipſamque mortem ſubeundam, prompti paratiſſimique eſſent, niſi ex documentis certiſſimis de iſtius religionis veritate firmiter perſuaſi, de praemiis, quae conſtanter in fide manentibus promittit, nullatenus dubitaſſent. Haec autem documenta illos, qui aut apoſtolos ipſos, aut illorum diſcipulos vel viderant, vel audiuerant, ipſaque inuſitata iſtius religionis incrementa perſpexerant, fallere non poterant. Recte proinde IVSTINVS, & ipſe deinde martyr: πάντα οὖν ἔχει ἐκ τοῦ καὶ τοῦ φευκτοῦ καταφρονεῖν ἡμᾶς θανάτου, λογισμὸν ἕλκοντα. *Omnes igitur, veritatem noſtrae profeſſionis ex eo colligunt, quod magno mortem contemnamus animo.* Addit porro: *Nam & ego ipſe, Platonis diſciplinae ſectator, cum chriſtianos calumniis adpeti audirem, intrepide autem ad mortem, & alia, quae terribilia eſſe cenſentur, omnia adire conſpicerem; cogitaui ipſe mecum, fieri non poſſe,*

poſſe, vt illi vitiis & voluptatibus dediti eſſent. Quis etenim voluptatis ſectator, aut intemperans, & humanis carnibus veſci pro deliciis habens, mortem libenter amplecti queat, vt bonis ſuis ſe ipſum priuet; ac non potius omnibus modis contendat, vt in hac vita perpetuo degat, & magiſtratus ipſos lateat, nedum ſe ipſe necandum vltro prodat ac deſerat? apolog. II. pro chriſt. p. m. 30. edit. HVTCHINI. Non equidem defuerunt, qui pro errore, aut ſumma etiam impietate, extrema quaeque paſſi ſunt, pulchrius eſſe ducentes, mortem ſubire, quam opinionem ſemel mente conceptam dimittere: quod pluribus PETRVS BAELIVS comprobat, in *cogitatis ſuper cometa, &c. p. 568.* & in *dictionar. hiſtorico-critico* voc. *Mahomed. p. 1972.* & *Marcionitae p. 2036.* Et fieri ſane potuit, vt nonnulli eousque pertinaciae progrederentur; quamquam & nullus dubitem, ſi quis ea, quae adferuntur, paullo adcuratius examinare velit, facile eum deprehenſurum, eiusmodi homines neceſſitate quadam adductos mortem ſubiiſſe, quam declinare non poterant; cum ſancti contra martyres mortem nulla ratione reformidarent, immo, animo tranquillo & hilari ad eam accederent. Exiguus praeterea illorum hominum eſt numerus, qui vitam potius, quam errores dimittere maluerunt: vt adeo, intuitu tantae multitudinis, quae religionis chriſtianae veritatem ſanguine ſuo obſignauit, in cenſum non veniant. Quae enim HENR. DODWELLVS, vt martyrum veterum numerum imminueret, excogitauit, in *diſſert. de paucitate martyrum*, quae inter *Cyprianicas* eſt vndecima, maximam partem ita comparata ſunt, vt apud paucos fidem inueniant. Iungenda & quae dixi in *inſtit. theol. moralis part. 2. c. 3. ſect. 2. ad. §. 6. p. 639.*

*** Veritatem chriſtianae religionis hactenus maximam partem intuitu illorum, qui nec vetus nec nouum teſtamentum in codice ſacro admittunt, quales ſunt athei & ethnici, demonſtrauimus: quamquam nonnulla ſimul Iudaeos feriant. Superſunt tamen contra hos & alia euincenda, inter quae praecipuum, Ieſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, a vatibus praedictum, eumdemque non tantum verum hominem, ſed & verum Deum. Sed de hocce, aliisque eiusdem generis capitibus, ſuo loco dicetur. Praeterea, paucis tantum complexi ſumus, quae alii fuſius atque copioſius ediſſerunt. Eſt enim ingens illorum numerus, qui pro veritate religionis chriſtianae ſcripſerunt: quos, ſi quis ſcire aueat, FABRICII, viri clariſſimi, adeat *bibliothecam graecam l. 5. c. 8. p. 96. ſeq.* Nonnullos, ex veteribus praeſertim, & nos deinceps laudabimus, cum reuelatae religionis hiſtoriam in compendio exhibebimus ad *§. 53.*

§. XXIX. Licet autem religionis reuelatae, ſpeciatim chriſtianae, praecipuum caput, atque velut centrum ſit, peccatorum per mundi redemtorem expiatio: plurimae tamen cum eo connexae, atque arctiſſimo vinculo coniunctae ſunt veritates, quae *articuli fidei* vocari ſolent; * quorum alii quidem ex ſola reuelatione, alii autem ſimul ex ratione conſtant; ideoque & illi articuli *puri*, hi autem *mixti* adpellitari ſolent. Quamuis & in his reuelationis praecipue habeatur ratio; cum reuelata religio naturalem confirmet equidem & corroboret, &, quae in illa deficiunt, ſuppleat; ſimul tamen ipſas notiones naturales clariores, certiores, perfectioresque reddat. **

* Alias etiam *credenda* vocari ſolent, & *obiectum materiale* theologiae reuelatae, vt nonnullis loqui placet, conſtituunt, ſicut reuelatio ipſa *formale*. Quando autem *credenda* iſta ab *agendis* diſtinguuntur, id non intuitu finis intelligendum; ſed ad formalem potius iſtarum vocum reſpiciendum eſt ſignificationem. Cum enim religio & naturalis, & reuelata, adeoque & ipſa theologia, vnice ad Numinis cultum, adeoque praxin vitae ſit comparata, nulla quoque in ea occurrit veritas, quae non vitae quoque, ex voluntate Dei inſtituendae, inſeruiat: quemadmodum & vice verſa ipſa hominum officia, ſeu quae illis agenda ſunt, inter credenda, in latiori ſignificatione, merito referuntur. Cum porro credenda iſta *articuli fidei* vocantur, nonnulli quidem fidem, ſeu doctrinam religionis reuelatae, inſtar catenae, quae plurimis articulis ceu annulis conſtet, concipiunt, quod quidem, ſi de fundamentalibus accipiatur, admitti poteſt: ſin ad reliquos extendatur, diſcrimen inter fundamentales & non fundamentales tolletur; ſi quis inde inferat, vnius dogmatis, etiam non fundamentalis negatione, totam iſtam catenam diſſolui. Caute itaque haec accipienda ſunt.

** Sic ratio equidem pariter ac reuelatio vnicum ſaltem Deum eſſe docet: ſed haec inſuper oſtendit, ita hoc eſſe intelligendum, vt in vna eademque eſſentia tres ſimul ſint ὑποςάσεις. Reuelatio inſuper cuncta ad veram viuamque fidei praxin referre docet; quod a ratione fruſtra exſpectaueris.

§. XXX. Non etiam eiusdem, quibus religio chriſtiana abſoluitur, capita, ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſitatis: * quo intuitu articuli fidei *fundamentales* alii ſunt, alii *non fundamentales*. Quod vt eo rectius intelligatur, haud perfunctorie obſeruandum, fundamentum fidei vel *reale* eſſe, quod alii etiam *ſubſtantiale* vocant, vel *dogmaticum*. Illud aliud eſſe nequit, quam Ieſus Chriſtus, vnicus ille Dei hominumque μεσίτης, *1. Cor. III, 11.* Dogmaticum autem eſt complexus eorum, quae de Chriſto, ceu fundamento reali, ſcitu credituque neceſſaria, ſacra ſcriptura tradit; *Epheſ. II, 20.* **

* Non ergo de iis loquimur, quae ideo credenda ſunt, quia diuinitus ſunt reuelata, ſed de iis, quae ad obtinendam ſalutem creditu ſunt neceſſaria. Multa enim in ſcriptura ſacra continentur, quae, quia diuinitus nobis patefacta ſunt, fidem quoque iis adhibere tenemur: nec tamen ideo ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria. Multa praeterea requiruntur, adeoque neceſſaria ſunt, vt aliquis eccleſiae cuiusdam particularis membrum eſſe queat, & multo magis, vt paſtoris in ea fungi poſſit officio, quae tamen non aeque neceſſaria ſunt ad ſalutem; adeoq; de iis nobis ſermo non eſt.

** Ex vtroque itaque hocce fundamento, tum reali, tum dogmatico, ſimulque ex vtriusque analogia, euidenter conſtat, diſcrimen aliquod inter credenda intercedere, vt quaedam fundamentalia ſint, quaedam non fundamentalia. Manifeſtum enim inde eſt, fidem hominum cum aedificio quodam comparari, quod tum firmiter conſiſtit, quando fundamento firmo eſt ſuperſtructum. Idque non tantum apoſtolus, *locis citatis*, *1. Cor. III, 11.* & *Epheſ. II, 20.* teſtatur, verum & ex *Eſaiae cap. XXVIII, 16. pſalm. CXVIII, 22. Matth. VII, 24. ſeq.* aliisque locis patet. Iam aedificii cuiusdam haec eſt natura atque indoles, vt quaedam iſtius partes, cum fundamento

Digitized by Google

mento ipſo tam arcte cohaereant, vt non, niſi ipſo fundamento labefactato, queant conuelli; aliae autem neceſſariae quodammodo ſint, vt tamen fundamentum ipſum integrum maneat, ſi vel maxime abſint; aliae denique omnino ad ornatum potius, quam ad neceſſariam aedificii iſtius ſtructuram, pertineant. Atque hoc Paulus etiam confirmat, quando ea, quae fundamento, quod Chriſtum eſſe dixit, ſuperſtruuntur, non vnius eiusdemque ait eſſe generis. *Quodſi quis huic fundamento*, inquit, *ſuperſtruit aurum, argentum, gemmas, ligna, foenum, ſtipulam, cuiusque opus perſpicuum fiet; dies enim declarabit &c. 1. Cor. III, 12.* Sed ex ipſa etiam religionis chriſtianae natura indoleque hoc confirmari poteſt. Summam enim eius, atque velut centrum in eo conſiſtere, vt Ieſum Chriſtum vera fide recipiamus, & hac ratione cum Deo reconciliati, peccatorum conſequamur veniam, ſcriptura paſſim teſtatur; *Ioan. III, 16. Marc. XVI, 16. Luc. XXIV, 46, 47. actor. IV, 12. 2. Cor. V, 19.* Hoc autem vt recte intelligatur, & rite admittatur, quis Chriſtus ſit, quid fecerit, quid praeſtiterit? num homo tantum, an vero etiam Deus? porro, quid reconciliatio cum Deo? quid remiſſio peccatorum? quid fides? & multa alia cum hiſce connexa, & ſcire, &, quae ſcriptura de hiſce omnibus docet, credere oportet. Haec vero omnia, quis dicet, eiusdem eſſe generis? aut cum eo, quod caput cauſſae eſt, aeque neceſſario coniuncta eſſe vinculo? Res nimirum eodem modo ſe habet ac in iſtis philoſophorum effatis generalibus, quae principia vocari ſolent, multasque iterum veritates ambitu ſuo complectuntur: quas qui eodem omnes loco habere voluerit, eademque ratione cum principio connecti, nae, is rerum harum admodum imperitum ſe demonſtrauerit. Mitto nunc ἄπειρα infinita, in quae ſe coniiciunt, qui omnia, quae vlla ratione ad religionem chriſtianam, aut omnino eam, quam certus aliquis chriſtianorum coetus profitetur, doctrinam ſpectant, eodem plane loco collocant, atque hinc ſtatim vel leuiſſimum in aliquo capite diſſenſum cum aeterna pernicie coniunctum eſſe concludunt. Id ſaltem moneo, plurimos eſſe, qui hac in re conſentiant, etſi, vt poſtea dicemus, maximus contra diſſenſus ſit, quinam articuli pro fundamentalibus habendi ſint. Ipſos Iudaeos ſuos habere articulos fundamentales, quos עקרים & שרשים *radices*, itemque *fundamenta* ſeu יסודות adpellitant, notum eſt. Legenda de iis IO. BENED. CARPZOVII *diſput. de articulis fidei Iudaicae*, quae inter *diſputationes* eius *academicas duodecima* eſt, *p. 446. ſeq.* Inter chriſtianae eccleſiae doctores veteres, qui ſummam quamdam doctrinae chriſtianae tradidere, ea ſimul, quae creditu maxime neceſſaria eſſent, voluerunt indicare. Hinc VINCENTIVS LERINENSIS, dum *neceſſe eſſe* iudicat, *vt ad vnam eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturae caeleſtis intelligentia dirigatur, in iis dumtaxat* id fieri vult *praecipue quaeſtionibus*, *quibus* TOTIVS CATHOLICI DOGMATIS FVNDAMENTA *nituntur;* in *recapitulat. commonitor. p. m. 263.* Reformatae eccleſiae doctores cum noſtratibus itidem hac in re conſentiunt, quos inter PETRVS IVRIEV, diligenter hoc argumentum contra NICOLIVM tractauit, in libro, *de veritate eccleſiae, & articulis fundamentalibus*, *tract. VII. & VIII.* itemque IOAN. ALPH. TVRRETTINVS, Genuenſium theologus clariſſimus, *in diſquiſit. de articulis fundamentalibus*, quae praemiſſa eſt eius *nubi teſtium, pro moderato & pacifico de rebus theologicis iudicio*, *c. 2. p. 6. ſeqq.* quibus & ex Arminii diſcipulis iungendus PHILIPPVS A LIMBORCH, *theol. chriſtian. l. 7. c. 21. §. 2. ſeq.* De noſtratibus enim B. IO. MVSAEO noſtro, ABR. CALOVIO, aliisque, vt aliquid addam non neceſſe eſt. Romanenſes autem,

in

in diuerſa hic abeuntes, grauiter reprehendit, erroriſque conuincit, qui eidem eccleſiae addictus eſt, illuſtris auctor *des aufrichtigen abriſſes der wahren und ganzen catholiſchen Kirchen*, *p. 25. ſeq.*

§. XXXI. In vtroque, tum reali, tum dogmatico fundamento ad finem praecipue reſpiciendum, inde vt diiudicari queat, quaenam ad illud, & qua ratione quodlibet, ſpectent. Realis fundamenti finis proximus eſt reconciliatio hominum cum Deo, *2. Cor. V, 19.* quod & vel ipſum nomen Ieſus, ſeruatorem redemtoremque ſignificans, indicat, quod a peccatis homines eſſet liberaturus, *Matth. I, 21.* Liberari autem cum nemo a peccatis, & cum Deo reconciliari queat, niſi qui ſeruatorem hunc, eiusque meritum vera fide fuerit amplexus, *Ioan. III, 16. Ieſ. XXVIII, 16.* quaenam & fundamentum hocce conſtituant, & neceſſario nexu cum eo coniuncta ſint, facile intelligitur. *

* Fundamentum nimirum reale eſt ipſe Chriſtus, vt Paulus diſerte dicit *1. Cor. III, 11.* Finis autem proximus, cur Chriſtus in mundum venit, eſt, vt homines ſeruaret, hoc eſt, peccata illorum expiaret, & ita eos patri ſuo reconciliaret. Hinc & vt ἱλαστήριον propoſitus dicitur, *per fidem in ſanguinem eius, Rom. III, 25.* hoc eſt, vt, qui ſanguinem ſeu meritum eius vera fide adprehenſuri eſſent, gratiam Dei & remiſſionem peccatorum conſequerentur. Ad fundamentum itaque reale non tantum ipſa reconciliatio cum Deo, ſeu, quod perinde eſt, ſatisfactio Chriſti, eiusque meritum, ſed ea quoque, quae ex parte hominum, vt diuini iſtius beneficii participes fieri queant, neceſſario requiruntur, pertinent. Quae omnia iudicio ſpirituali demum recte aeſtimantur: quemadmodum nemo, num fundamentum aedificii recte poſitum ſit, niſi architecturae idem ſit peritus, iudicare poteſt.

§. XXXII. Dogmatici fundamenti finis praecipuus itidem eo tendit, * vt Chriſtus, hominum redemtor, mortalibus ita ſiſtatur, vt ad eum vera fide amplectendum, & ſalutem veram aeternamque hac ratione conſequendam adducantur, propoſitis ſimul omnibus iis, quae ad ordinem huncce ſalutis, cumprimis naturam, indolem, fructusque, ex quibus vera & genuina fides dignoſcitur, pertinent; conf. *Luc. XXIV, 27. Ioan. XX, 31.* Quae, ſi paullo adcuratius expendantur, realis & dogmatici fundamenti nexum arctiſſimum inde perſpicere licet. **

* Dogmaticum enim fundamentum, ſeu doctrina euangelii in ſcriptura ſacra comprehenſa, delineatio velut quaedam, atque adumbratio eſt fundamenti realis. Hinc vt vtriusque ſemper obſeruanda eſt analogia, ita, ſi de neceſſitate credendi ea, quae ſcriptura proponit, quaeratur, ſemper ad σχέσιν, quam quodlibet dogma ad fundamentum reale habet, reſpiciendum eſt.

** Quemadmodum nonnulli, ex illis praeſertim, qui Romanae eccleſiae placita ſequuntur, fundamentalium articulorum numerum vltra modum augent, ita alii contra, praeſertim qui ex Socini ſchola prodierunt, itemque Arminiani, eumdem vltra, quam par eſt, imminuunt. Hinc vehementer diſceptari ſolet, ex quibus characteribus ſeu indiciis, articuli fidei dignoſcantur fundamentales. Sunt namque,

que, qui contendunt, nullum aliud dogma pro fundamentali habendum, niſi quod ῥητῶς in ſcriptura ſacra tradatur: alii id demum fundamentale, & ad ſalutem neceſſarium credunt, quod non tantum clare & euidenter in ſacra ſcriptura exſtat, ſed & neceſſitatis notam ſibi additam habet, ſeu, tamquam creditu neceſſarium in ſcriptura ſacra commendatur: alii denique in ſymbolo, quod vocant, apoſtolico ea omnia, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria, contineri, ſibi perſuadent, vt, qui iſta admittat, omnia quae ad fundamentum fidei ſpectant, tenere credatur. Verum, quod ad primum attinet, lubentes equidem concedimus, ea quae ῥητῶς in ſcriptura ſacra ceu creditu neceſſaria proponuntur, neceſſaria quoq; ad ſalutem eſſe: ſed praeter ea nihil aliud ceu neceſſarium admittendum eſſe, perperam adſeritur. Quae enim per legitimam conſequentiam ex verbis ſcripturae deducuntur, non minus a ſcriptura proponuntur, quam quae in ea ῥητῶς continentur. Adeoque, ſi aliquid ex verbis ſcripturae, ceu creditu neceſſarium, per legitimam conſequentiam deriuetur, non minus illud neceſſarium erit, quam ſi ῥητῶς in ſcriptura ſacra exſtet. Accedit exemplum ipſius ſeruatoris & apoſtolorum, qui ſubinde magni momenti dogmata per legitimam conſequentiam ex ſcriptura ſacra demonſtrarunt; cuiusmodi illud erat de reſurrectione mortuorum, *Matth. XXII, 31.* & *Marc. XII, 26.* Immo, dum Chriſtus Iudaeos *ſcrutari ſcripturas* iubet, *quod iſtae ſint, quae teſtimonium de eo perhibeant*, nihil aliud ſibi vult, quam vt per legitimam conſequentiam hoc inde colligant. Nullibi enim in veteri teſtamento ῥητῶς haec verba exſtant: *Ieſus Nazarenus eſt Meſſias.* Nec felicius alter character procedit, cui prae aliis & PHILIPPVS A LIMBORCH inſiſtit, *theolog. chriſt. l. 7. c. 21. §. 10. p. m. 837.* Etenim, quod dicitur, nihil ceu neceſſarium ad ſalutem admittendum, niſi clare & euidenter in ſcriptura ſacra contineatur, hactenus equidem admitti poteſt, ſi & ea, quae per legitimam conſequentiam inde deducuntur, non excludantur. Cum vero non omnia, quae clare & perſpicue in ſacra ſcriptura reuelata ſunt, ſtatim ad ſalutem creditu ſint neceſſaria, *notam* quoque accedere vult *neceſſitatis.* Et fateor ſane, vbi eiusmodi nota neceſſitatis adeſt, e. g. *Ioan. III, 36. qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*, dubitari nequit, id prorſus ad ſalutem eſſe neceſſarium. Sed cum plurima occurrant loca, in quibus de dogmatibus ad ſalutem citra controuerſiam neceſſariis ſermo eſt, & tamen eiusmodi neceſſitatis notam explicite adiunctam non habeant; falleretur vtique, qui concluderet, dogma aliquod ad ſalutem non eſſe neceſſarium, quia cum eiusmodi neceſſitatis nota non proponitur. Ad ſymbolum denique, quod vocatur apoſtolicum, quod attinet, adſumere tantiſper liceat, quod a viris doctiſſimis dudum luculenter eſt demonſtratum, id ab ipſis apoſtolis minime fuiſſe concinnatum. Multo minus eum in finem concinnatum probari poteſt, vt formula quaedam eſſet, quae omnia creditu ad ſalutem neceſſaria complecteretur. Immo, longe veroſimillima eorum eſt ſententia, qui ſymbolum hocce ex formula baptismatis, cui ſenſim alia capita, haereſibus eo tempore eccleſiam perturbantibus, oppoſita, fuerunt addita, ortum fuiſſe, exiſtimant. Legenda, quae praeter multos alios hac de re obſeruat ITTIGIVS, in *diſſert. de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae, & apoſtolorum*, in appendice *diſſert. de haereſiarchis aeui apoſtolici &c. cap. 8. p. 144.* itemque auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtolici, cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis &c. c. 1. §. 28 ſeq.* Inde ergo palam eſt, ſymbolum apoſtolicum neutiquam eum in finem conditum, vt plene ea

omnia, quae creditu ad ſalutem ſunt neceſſaria, exhiberet. Ea enim ſaltem ad formulam baptiſmalem ſunt addita, quae temporis atque haereſeon, in eccleſia ſaeuientium, ratio poſtulabat. Immo & res ipſa hoc docet, cum nonnulla chriſtianae religionis capita diſerte in hocce ſymbolo non exprimantur, quae tamen creditu neceſſaria ad ſalutem eſſe, ex dicendis patebit: ea autem, quae in illo diſerte exſtant, verbis, ob breuitatem ſermonis tam late patentibus, efferantur, vt in diuerſos facile trahi ſenſus queant. Hinc & experientia conſtat, homines in plurimis doctrinae chriſtianae capitibus toto, quod aiunt, caelo diſcrepantes, in eo tamen conuenire, quod ſymbolum apoſtolicum admittunt, dum quilibet verbis ſenſum, quem mente iam antea concepit, tribuit. Atque haec cum ita ſe habeant, characteres iſtos, quos antea commemorauimus, rem iſtam minime conficere, intelligitur. Nihilque aliud ſupereſt, quam vt noſtra methodo progrediamur; quae vt tutiſſima eſt, ita neminem fallere poteſt. Fundamentum nimirum reale, quod eſt Ieſus Chriſtus, eiusque finis proximus, ſeu reconciliatio hominum cum Deo, adcurate expendendus: & hinc porro, quae, vt finis hicce obtineri queat, neceſſaria ſunt, diligenter conſiderandum, eaque demum ratione, iuxta analogiam fundamenti dogmatici & realis, de ſingulorum fidei capitum ad hocce fundamentum relatione, adeoque & ad ſalutem neceſſitate, pronuntiandum. Hoc vero, quo pacto in ſingulis capitibus, iis maxime, quae in diſceptationem veniunt, procedat, ſequentia oſtendent. Dubium equidem aliquod contra noſtram methodum mouere videtur vir doctiſſimus celeberrimusque IO. ALPH. TVRRETTINVS. Quando enim in *diſquiſit. de articulis fundamental. nubi* eius *teſtium* praemiſſa, *c. 3. p. 20. ſeq.* falſas articulorum fundamentalium notas reiicit, & inter eas hanc quoque, quam nonnulli ab *analogia*, vt putat, *fidei* deſumunt; eam, quam nos defendimus ſententiam, hisce primum proponit verbis: *ſunt & alii, qui ſic arguunt: Chriſtus eſt fundamentum, iuxta illud apoſtoli: nemo poteſt aliud fundamentum ponere, praeter illud, quod poſitum eſt, Ieſum Chriſtum, 1. Cor. III, 11. Atqui in Chriſto varia ſpectari poſſunt, puta eius perſona, naturae, ſtatus, officia, beneficia &c. ad quae capita quaeſtiones innumeras, immo vero theologicas omnes quaeſtiones, referri poſſe, nemo non videt;* tum reſpondet: *Verum, qui ita ratiocinantur, quamquam nihil dicunt, quod non ſit certiſſimum, immo & momentoſiſſimum, tamen confundunt id, quod ad parandam ſalutem neceſſarium fuit, cum eo, quod eſt cognitu neceſſarium. Quae duo tamen quam maxime inter ſe differre, vel ſola infantium, ſurdorum, mente captorum, denique patrum veteris teſtamenti exempla docere poſſunt. Res ſimilitudine a cibis deſumta non parum illuſtratur. Quis enim neſcit, innumera ad ciborum coctionem, & diſtributionem requiri, quae tamen cognoſci neceſſe eſſe, vt quis nutriatur, nemo dixerit.* Ad quae pauca quaedam reponere mihi liceat. Methodus noſtra, qua vtimur, vt definiamus, quinam articuli fundamentales aut non fundamentales ſint, non ab *analogia fidei*, ſed ab analogia ſeu comparatione fundamenti realis ac dogmatici, pendet. Haec prorſus diuerſa eſſe, quae hactenus diximus, neminem dubitare ſinent. Deinde, cum plurima in Chriſto, ceu fundamento reali ſpectari poſſint, non tamen omnia ſunt fundamentalia; ſed ea tantum, quae neceſſaria ſunt, vt Chriſti meritum vera fide adprehendamus, & ita Deo reconciliemur. Cum autem porro fides, quae meritum Chriſti adprehendit, ſine cognitione, ac quidem ſufficienti, eſſe nequeat, non ſatis, fateor, capio, quid vir doctiſſimus ſibi velit, quando exiſtimat, eos, qui hanc methodum ſequuntur, *confundere id, quod*

ad

ad parandam ſalutem neceſſarium eſt, *cum eo*, *quod eſt cognitu neceſſarium*. Non ea confundimus, ſed tam arcto vinculo coniuncta eſſe docemus, vt ſeparari a ſe inuicem nequeant. Exempla iſta, quae adfert, nobis non obſtant. Infantes, qui ante vſum rationis ſaluantur, vi baptiſmi ſalvantur. Sed meminiſſe oportet, diſputare nos de articulis fidei, adeoque de fide adultorum, quae ſine cognitione & quidem ſufficienti eſſe nequit, niſi Romanenſium fidem implicitam noſtro adprobare calculo velimus. De ſurdorum, ac mente captorum ſalute nihil definio, nec definiri quidquam poteſt, niſi dicatur, vi baptiſmi eos ſaluari. Ideoque horum itidem huc non pertinent exempla. Patres autem veteris teſtamenti, qui fide in Meſſiam praediti fuerunt, omnino etiam ea de illo cognouerunt, quae pro iſtius temporis conditione cognoſcere de eo & potuerunt, & debuerunt. Simile illud de ciborum concoctione, huc non adeo, ni fallor, quadrat. Ad ciborum enim concoctionem cognitio plane non requiritur, quam a fide abeſſe poſſe, nemo dixerit. Sed haec eum ſaltem in finem attuli, vt noſtrae inde ſententiae lucem adfunderem. Interim lubens fateor, in adplicatione eorum, quae hactenus diximus, caute verſandum eſſe. Primo namque certum, non omnia omnibus eſſe fundamentalia. Quod non ita capiendum, ac ſi fundamentum ipſum varium ac diuerſum ſit; abſit! ſed quod pro diuerſa reuelationis diuinae menſura, quaedam certo tempore cognitu ad ſalutem neceſſaria ſint, quae alio tempore non aeque neceſſaria fuere. Sic in veteri teſtamento generatim ad ſalutem ſufficiebat fides in Meſſiam; ſed in nouo neceſſe eſt, vt quis ſciat & credat, Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam illum, patribus promiſſum. Praeterea, cum & hodie maior aut minor quorumdam ſit ingenii perſpicacia, fieri poteſt, vt error aliquis in vno pernicioſior ſit, quam in alio, ſeu ſalutem in vno impediat, non aeque in alio. Quare & de hominibus iisdem erroribus licet imbutis, non ſemper tamen eadem licet iudicare ratione. Errari etiam fundamentaliter poteſt, non tantum ſi quis ea neget, quae directe aut indirecte ad fundamentum fidei pertinent; ſed &, ſi aliquid addat, quo fundamentum euertatur; e. g. ſi praeter vnum Deum, angelos, ſanctos, imagines, cultu religioſo proſequendas contendat. Addi & alia his ſimilia a viris doctis ſolent, quae, cum facile a quouis intelligantur, iis non immorabimur.

§. XXXIII. Fundamentales itaque fidei articuli ſunt, qui ſaluo fidei fundamento ignorari, aut ſaltem negari non poſſunt. Suntque iterum vel primarii, vel ſecundarii. Primarii ſunt, qui ſalua fide & ſalute non ſolum non negari, ſed nec ignorari poſſunt; eo rurſus diſcrimine, vt quorumdam res ſignificata ad ipſam fundamenti realis conſtitutionem pertineat;* alii autem tam arcte cum fundamento connexi ſint, vt ab eo ſeparari nequeant. ** Secundarii vero ſunt, qui ignorari equidem poſſunt, ſaluo ſalutis fundamento, non autem negari. Qui enim conſequens aliquod ignorat, non ſtatim negat antecedens: quod de eo, qui conſequens negat, non temere praeſumendum. ***

* Huc itaque pertinet articulus de Christo θεανθρώπῳ. Cum enim fundamentum fidei ſit Chriſtus, vt ſcriptura diſerte teſtatur, ipſa ratio fundamenti ſibi non conſtat, niſi ſciam, quis ille ſit, qui ſacrificium infiniti pretii & valoris pro nobis obtulit, vt

nos Deo reconciliaret. Verum eum fuiſſe hominem, facile quilibet intelligit, cum non alius, quam homo, eiusmodi quid praeſtare poſſit: omnium etiam hominum, vt redemtor ipſe homo eſſet, maximopere referret, vt diſerte Paulus docet, *Ebr. II, 11. ſeq.* Non minus tamen inde ſequitur, non alium, quam qui verus etiam Deus eſſet, hocce redemtoris munere potuiſſe fungi; conf. *pſ. XLIX, 8, 9. Ebr. VII, 26.* Quod enim pro peccatorum noſtrorum expiatione offerendum erat, infiniti debebat eſſe valoris: cuiusmodi quid ab eo, qui non eſt verus Deus, exſpectari non poteſt; conf. *1. Pet. I, 18, 19.* Vnde ſumma neceſſitas credendi, Ieſum Chriſtum non tantum verum hominem, ſed & verum Deum eſſe, liquet: quam & veteris eccleſiae agnoverunt doctores, vti ex inſtituto GEORGIVS BVLLVS demonſtrauit, in *iudicio eccleſiae catholicae trium primorum ſaeculorum, de neceſſitate credendi, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit verus Deus.* Quamquam & idem ante illum luculenter etiam euicerit ABR. CALOVIVS *ſyſtem. theol. tom. I. c. 5. quaeſt. 5. p. 624. ſeq.* Doctrinam de merito & ſatisfactione Chriſti huc itidem ſpectare, nemo non facile intelligit. Proximum enim huncce eſſe finem, cur Chriſtus in mundum venerit, vt homines Deo reconciliaret, ex antea dictis conſtat, & ſcriptura ſacra, *2. Cor. V, 19.* alibique, diſerte teſtatur. Nullum itaque eſt dubium, quin ipſum fundamentum fidei labefactent, prorſusque euertant, qui redemtionem hancce, ſanguine Chriſti factam, ſeu ſatisfactionem, in dubium vocant.

** Nullum apud rectos rerum exiſtimatores eſt dubium, quin ipſum *trinitatis myſterium* ad hancce claſſem ſit referendum. Cum enim ad ea doctrinae capita, quae ipſum fundamentum conſtituunt, pertineat articulus de Chriſto, quodue is non tantum verus homo, ſed & verus Deus ſit, vt antea demonſtratum, non poteſt non inde ſequi, plures in vna eademque eſſentia eſſe *ὑποστάσεις*. Cum vero porro ſcriptura diſerte doceat, tres eſſe eiusmodi *ὑποστάσεις*, quae & diuerſa ratione ad ſalutem noſtram per meritum Chriſti conſequendam concurrant, *Matth. XXVIII, 19. 2. Cor. XIII, 13. 1. Io. V, 7.* alibique, & ita quidem concurrant, vt facile conſtet, totum hocce non aliter ſibi conſtare negotium; ſine myſterii huius notitia, neminem veram, quaeue ſalutem adferat, fidem habere poſſe, manifeſtum eſt. Accedit, quod merito inter praeſuppoſita religionis reuelatae referatur, vt Deum, quem cultu religioſo proſequi cupimus, ita, prout ſe nobis reuelauit, agnoſcamus. Reuelauit autem ſe ita, vt vnicum quidem eſſe conſtet, quod & ratio docet, ſed & ſimul vt pater a filio, & ab vtroque ſpiritus ſanctus certa quadam ratione diſcernantur. Idque & ſeruator ipſe confirmat, quando *Ioan. XVII, 3. haec eſt,* inquit, *vita aeterna, vt te, qui ſolus verus Deus es, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum, agnoſcant.* Nemo autem eum, qui ſolus verus Deus eſt, recte agnoſcit, niſi qui eum ita agnoſcit, prout ſe reuelauit, adeoque, prout in vna eademque eſſentia eſt pater, filius, & ſpiritus ſanctus; quemadmodum & nemo Ieſum Chriſtum recte agnoſcit, niſi qui ſimul intelligit, eum & verum hominem aeque ac verum Deum eſſe. Nemo itaque etiam ſine eiusmodi notitia vitam aeternam conſequi poteſt. Eiusdemque conditionis eſt articulus de *gratia ac beneuolentia Dei vniuerſali*, qua ſerio omnium hominum ſalutem cupit. Hanc enim qui non credit, non quoque certus eſſe poteſt, meritum Chriſti ad ſe pertinere. Vt autem meritum Chriſti ad ipſum fidei fundamentum pertinet, ita arctiſſimo cum eo nexu recte coniuncta cenſentur, ſine quibus fides, meritum Chriſti adprehendens, conſiſtere nequit: quem in cenſum aſſeuerationes diuinae de gratia Dei vniuerſali, *Ioan. III, 16. 1. Tim. II, 4.*

2. Petr.

Digitized by Google

2. *Pet. III*, *9.* omnino referendae ſunt. Hinc vero &, quo loco doctrina de *peccato* habenda ſit, intelligitur. Qui ſe peccatorem, ea, qua decet, ratione non agnoſcit, non etiam credet, expiatione peccatorum, ſeu ſatisfactione ſe opus habere. Praeterea ſine peccatorum agnitione vera nulla eſt poenitentia; ſine poenitentia nulla fides, ſine fide ſatisfactio Chriſti nobis non prodeſt. Hinc & experientia docet, omnes eos, qui ſatisfactionem Chriſti negant, id agere, vt cum Pelagianis peccata valde extenuent: quemadmodum contra, qui peccata extenuant, id fere agunt, vt hac ratione eo facilius ſatisfactionem Chriſti in dubium vocare queant. Hoc vel Phariſaeorum atque ſcribarum in gente Iudaica exemplo patet, *Matth. V*, *20.* Paulus contra apoſtolus, iuſtificationem per ſanguinem ſeu meritum Chriſti demonſtraturus, non rectius ſe hoc facturum credidit, quam vt intimam hominum per peccata corruptionem delinearet; vtriusque doctrinae arctiſſimum nexum hoc ipſo oſtendens euidenter, ***Rom. III***, ***9. ad 26.*** Quo ipſo ſimul condocemur, ipſam etiam de ***iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo***, itemque de ***fide*** qua meritum Chriſti adprehendimus, immo & de ***poenitentia*** doctrinam, in eodem hocce articulorum fundamentalium ordine, locum obtinere. Non alium enim in finem Chriſtus ſuo ſanguine noſtra expiauit crimina, quam vt peccatorum remiſſionem conſequeremur, quae vera eſt iuſtificatio, ***Rom. III***, ***25. IV***, ***6***, ***7. Phil. III***, ***9.*** At quomodo conſequemur iſtam remiſſionem peccatorum ſine fide, quam adeo & apoſtolus Paulus, ***locis citatis*** diſerte requirit, ſuffragante & alibi ſcriptura, ***Io. III***, ***16. Gal. III***, ***11. Ebr. X***, ***38.*** Fides autem ſine poenitentia eſſe nequit. Vnde & ipſe ſeruator, ſummam illorum, quae hominibus per apoſtolos adnuntianda erant, indicaturus, ***poenitentiam & remiſſionem peccatorum*** coniungit, ***Luc. XXIV***,

47. Tandem doctrina de *vita aeterna* hiſce addenda eſt. Praeterquam enim, quod inter baſes & fundamenta omnis religionis hoc pertinet, dari praemia recte factorum, & peccatorum poenas, vniuerſum ſalutis negotium comparatum eſt ita, vt aeternae ſalutis compotes fiamus: ſimulque adeo finis hicce cum mediis arctiſſimo vinculo cohaeret, ipſa ſcriptura teſte, ***Ioan. III***, ***16. XVII***, ***3.*** Et quis tandem chriſtianus eſſe vellet, ſi hacce ſpe deſtitueretur? recte ſiquidem apoſtolus: ***ſi huius dumtaxat vitae gratia in Chriſto ſpem habemus, ſumus omnium hominum miſerrimi; 1. Cor. XV***, ***19***,

*** Saltem de iis, qui perſpicacioris ſunt ingenii, nec adfectu quodam, aut ſententiae cuiusdam, quam defendendam ſuſceperunt, amore, nimis praepediuntur. De iis enim, qui non adeo perſpicacis ſunt ingenii, aut aliam ob cauſſam impediuntur, quo minus intellectu ſuo recte vti queant, aliter cenſendum. Experientia vtique docet, ſubinde contingere, vt quis conſequens neget, & tamen ſerio contendat, ſe admittere antecedens. Ceterum, referri huc a theologis ſolet doctrina de ***perſonarum diuinarum proprietatibus characteriſticis***, quibus vna perſona ab altera diſcernitur: has enim ſi quis negauerit, non poteſt non ipſas perſonas diuinas negare. Rurſus tamen nihil obſtat, quo minus aliquis ſimplici fide patrem, filium, atque ſpiritum ſanctum credat, colatue, etſi ea, quae de perſonarum diuinarum proprietatibus characteriſticis tradi ſolent, ignoret. De ***vnione perſonali*** diſtincte ſpectata, deque ***communicatione idiomatum***, ***vtriusque naturae in Chriſto***, idem cenſendum, nemo non intelligit. Sed & de ***peccato originali***, quae ſcriptura duce cognoſcimus, huc referri ſolent: de quo tamen articulo dubitari poſſet, annon rectius inter fundamentales prioris ordinis referatur. Certe, ſine intima corruptionis noſtrae naturalis notitia, poenitentia vix ſeria & genuina eſſe

 poteſt,

Digitized by Google

poteſt, exemplum & hic nobis praeeunte Dauide, *pſalm. LI, 7.* Sine poenitentia autem nec fides ſibi conſtat; nec meritum Chriſti, vt antea diximus, nobis prodeſt. Accedit, quod non alium in finem peccatum originale aut negari, aut extenuari ſoleat, quam vt eo facilius ſatisfactio Chriſti in dubium vocetur. Vnde vtriusque dogmatis arctiſſimus nexus intelligitur. Quid de *decreto electionis intuitu fidei finalis; de iuſtificatione per ſolam fidem, excluſo operum merito,* ſimilibusque capitibus ſentiendum ſit, ex hactenus dictis facile diiudicari poterit.

§. XXXIV. Articuli non fundamentales ſunt, qui ſaluo fidei fundamento & ignorari, & negari poſſunt: * ſed tum demum, ſi ratio ipſa, ob quam aliquis dogma aliquod in dubium vocat, ipſum fidei fundamentum nec directe, nec indirecte attingat. Sedulo enim non tantum ad ipſam, quam quis fouet, ſententiam, ſed ad rationem etiam, ob quam eam fouet, attendendum, vt rite, num error aliquis fundamentalis ſit, diiudicari queat. **

* Si modo negatio in ipſam reuelationem non ſit iniuria, aut cum adfectu quodam prauo, qui cum vera fide conſiſtere nequeat, coniuncta. De priori capite conferenda, quae ad *§. 30.* diximus.

** Exempli loco ſit celebris quaeſtio de origine animae, num per traducem, an per creationem? de qua in vtramque partem a theologis diſceptari ſolet, prudentioribus quidem ἐποχὴν hic eligentibus. Quamcumque autem aliquis defendat ſententiam, ſi vel maxime erret, non poteſt tamen error dici fundamentalis. Sed ſi quis ſententiam de traduce ideo eligeret, quod animam materialem, ſimulque mortalem ſtatueret; aut alius rurſus creationem defenderet, eo quod nullum admitteret peccatum originale, de vtroque longe aliter eſſet cenſendum. Quo loco enim doctrina de peccato originali habenda ſit, iam antea diximus. Animam autem & materiae,& interitus expertem eſſe, ex generalibus omnis religionis, naturalis pariter ac reuelatae fundamentis, quae ſupra expoſuimus, conſtat. Idem & de quaeſtione non minus celebri, an melior eccleſiae ſtatus? anque conuerſio inſignis Iudaeorum exſpectanda ſit? pronuntiandum. Quamcumque hic quis defendat ſententiam, negantem aut affirmantem, eiusmodi tunc eum quid admittere, quod fundamentum fidei laedat, dici nequit. Sed diſpiciendum tamen ſimul, qua quis ratione ad alterutram ſententiam amplectendam inducatur, & quo pacto eam explicet? Si enim eiusmodi ſimul inuoluat placita, quae maioris momenti dogmata euertunt, rurſus & aliter hic ſentiendum.

§. XXXV. Ex fundamentalium articulorum connexione analogia illa fidei oritur, quae in ipſa quoque ſcripturae interpretatione, iuxta apoſtoli effatum *Rom. XII, 6.* vtramque facit paginam, ſimul tamen ex ipſa ſcriptura, locisque eius clariſſimis, praecipua ſalutaris doctrinae capita euidenter pandentibus, hauritur. *

* Analogiae vox, vt in mathematicorum ſcholis frequens eſt, ibique ſimilitudinem rationum, qua numeri, ipſaeque magnitudines inter ſe comparantur, ſignificat; ita ad doctrinam ſacram adplicata, capitum atque articulorum, quibus religio chriſtiana abſoluitur, praeſertim fundamentalium, conſenſum atque harmoniam denotat.

Digitized by Google

denotat. Et hanc quidem analogiam fidei etiam apoſtolus Paulus innuit: εἴτε προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *Rom. XII, 6.* Per prophetiam nimirum non χάρισμα vaticinandi, aut diuinarum rerum reuelationem, quae immediate a Deo proficiſcitur, intelligit, ſed donum interpretandi ſcripturam: quo pacto itidem ea vox *1. Cor. XIV, 6. 1. Theſſal. V, 20. 1. Tim. IV, 14.* alibique ſumitur. Etenim in priori ſenſu eam vocem hic accipi non poſſe, vel inde patet, quod prophetis, ex inſtinctu & adfectu diuino loquentibus, regulas praeſcribere neceſſe non ſit. Fallitur itaque GROTIVS, dum, vocem προφητείας ita accipiens, ſenſum eſſe putat: prout quilibet maiorem vel minorem prophetiae gradum a Deo conſequutus eſt, hac menſura contentus ſit. Vocem πίστις, *fides*, non *ſubiectiue*, vti loqui ſolent, pro fide iuſtificante, ſed *obiectiue*, pro doctrina fidei, hic ab apoſtolo ſumi, vel inde intelligitur, quod fides priori modo ſpectata, per doctrinam fidei producatur, aut confirmetur, adeoque ipſius doctrinae norma eſſe nequeat. Eſt enim doctrina poſterior, ceu effectus eius; cum norma prior & notior eo eſſe debeat, quod ad eam exigitur. Atque hinc, quid apoſtolus per ἀναλογίαν τῆς πίστεως indicet, facile intelligitur. Nihil aliud ſcilicet, quam nexum, concentum, & ſummam praecipuorum doctrinae ſacrae capitum, ſeu articulorum fundamentalium, qui arctiſſimo inter ſe vinculo connexi, normam velut ac regulam conſtituant, ad quam cuncta exploranda ſunt, atque exigenda. Hunc vero concentum ſeu harmoniam articulorum fundamentalium, aeque ac ipſos hosce articulos, ex ipſa ſcriptura ſacra hauriendam, ex iis, quae ſuo loco dicentur, vlterius patebit.

§. XXXVI. Vt autem religio generatim ſpectata non tantum vera Numinis cognitione, ſed & eiusdem recto cultu abſoluitur, * ita vel maxime etiam religio chriſtiana non tantum credenda praeſcribit, ſed agenda quoque inculcat, quae & tam arcto inter ſe, ſi ipſam praxin ſpectes, coniuncta ſunt vinculo, vt ſeparari nequeant. ** Immo, eo tota eſt comparata, vt homines Deo reconciliati, *2. Cor. V, 19.* adeoque per fidem cum illo iterum vniti, *Ioan. XIV, 23.* *** illi ſeruiant in iuſtitia & ſanctitate, *Luc. I, 75. 1. Pet. I, 15.* & tanquam λαὸς περιούσιος, ζηλωταὶ ſint in bonis operibus, *Tit. II, 14.* ad quae etiam ſunt conditi, *Epheſ. II, 10.* adeoque hac ratione, praua quaeuis euitantes, in hocce mundo viuant εὐσεβῶς, σωφρόνως & δικαίως, *Tit. II, 12.* * Qua quidem ratione & imago Dei, ad quam conditi erant, quamue per lapſum primorum parentum amiſerant, magis magisque in illis reſtauratur, *Epheſ. IV, 24. Coloſſ. III, 10. 2. Cor. III, 18.*

* Conferenda quae ſupra ad §. *IV.* diximus.

** Ex inſtituto hoc eſt demonſtratum in *inſtitut. theol. moral. part. I. prolegom. §. I. ſeq.* Immo, hoc & ipſum nomen *chriſtianorum* oſtendit, quo olim plane indigni iudicati ſunt, quorum vita praeceptis Chriſti, eiusque diſciplinae non reſponderet. Qua de re eleganter ATHENAGORAS: οὐδεὶς χριστιανὸς πονηρός, εἰ μὴ ὑποκρίνεται τὸν λόγον. *nemo chriſtianus malus eſt, niſi profeſſionem ſimulet; apolog. pro chriſt. p. m. 27.* Addit ibidem: οὕτω καὶ τοὺς ἀπὸ φιλοσοφίας κρινομένους ὁρῶμεν· *hoc modo & illos, qui a philoſophia nomen habent, iudicari cernimus:* quo ipſo ad eos reſpicit, qui erant ἄνευ τοῦ πράττειν,

φειν, μίχρι τοῦ λέγειν· de quibus AVLVS GELLIVS, *noct. Attic. l. 17. c. 19.* & *l. 13. c. 8.* agit, itemque M. AVRELIVS ANTONINVS, *de ſe ipſo ad ſe ipſum, l. 2. §. 16.*

*** Quod ſi ergo vox *religionis* a religando deriuetur, vti ſupra ad *§. IV.* obſeruauimus, elegantiſſime hoc in chriſtianam religionem quadrat, cuius quippe finis eſt, homines per peccatum a Deo ſeparatos, *Eſ. LIX, 2.* cum eo iterum vnire.

* His vocibus enim apoſtolus omnia hominum erga Deum, erga ſe ipſos, & erga alios, officia complectitur.

§. XXXVII. Qui inter chriſtianos non tantum vera fide imbuti ſunt, ſed etiam Numinis munere eam prae reliquis adepti ſunt facultatem, vt ſacrae doctrinae, qua chriſtiana religio conſtat, capita rite proponere, explicare, & contra diſſentientium inſultus defendere, aliosque adeo ad veram fidem perducere, aut in ea confirmare queant, voce recepta *theologi* vocari ſolent. Vocem enim iſtam apud ethnicos valde vſitatam, recte ad ſapientiae diuinae magiſtros atque doctores deſignandos, retinuerunt chriſtiani. *

* Antiquiſſimus, ni fallor, cui inter ethnicos theologi nomen datum, Sanchuniathon ille eſt, inter Phoenices celebris, quive ad iudicum tempora refertur. Hic EVSEBIO diſerte *theologi* nomine venit, *praepar. euang. l. 1. p. 31.* Ταῦτα μὲν, inquit, ὁ δηλωθεὶς ἀλήθειαν ὁμοῦ καὶ παλαιότητα τῷ δὴ θεολόγῳ μαρτυρήσας. *Haec ille, quibus iſtius theologi* (Sanchuniathonis) *cum in ſcribendo veritatem, tum etiam vetuſtatem nobis teſtatam reliquit.* Ratio autem, cur ita dicatur, haec eſt, quod primus rerum origines, Aegyptiorumque & Phoenicum religionem deſcripſerit. Ex fragmentis autem eius, quae EVSEBIVS nobis conſeruauit, patet, nonnulla quidem a Moſe eum accepiſſe, ſed fabulas ſimul & commenta plurima admiſcuiſſe, ſiue ipſe ea excogitauerit, ſiue ex commentariis vrbium & templorum, ad quae prouocat, didicerit. Quia etiam Moſes primo opera creationis ordine expoſuit, tumque generationes patriarcharum, qui ante diluuium vixerunt, ſubiunxit, vnde & *Gen. V, 1.* dicitur: זה ספר תולדות אדם *hic eſt liber generationum Adami*, haud dubio & alii exemplum eius ſequuti, praemiſſis de origine rerum cogitationibus ſuis, antiquiſſimorum hominum, qui ſibi maxime noti erant, & deinceps pro diis habebantur, genealogias litteris conſignarunt. Atque hinc iſtae genealogiae deorum ortae ſunt apud orientis gentes, quarum ſpecimen Sanchuniathon nobis reliquit: a quibus deinceps & Graeci ſuas acceperunt θεογονίας, vt tamen & ipſi his quaedam adderent. Atque hinc non tantum Sanchuniathon *theologus* dictus eſt, ſed &, quae reliquit ſcripta, ſub titulo ἡ Φοινίκων θεολογία laudantur a THEODORETO, *de curat. graecar. adfection. ſerm. II. p. m. 505.* quamquam ab aliis aliter adpellentur, vti iam a me obſeruatum *hiſt. eccleſ. vet. teſt.* ad *per. II. ſect. 2. §. 18. p. 985.* Eamdem vero ob cauſſam & poetae antiquiſſimi, Heſiodus, Homerus, aliique, qui θεογονίας ſcripſerunt, theologi dicti ſunt. Recte id & AVGVSTINVS docet: *Per idem temporis interuallum exſtiterunt poetae, qui etiam theologi dicerentur, quoniam de iis carmina faciebant, ſed talibus diis, qui, licet magni homines, tamen homines fuerunt &c. de ciuit. Dei l. 18. c. 14.* conf. & LACTANTIVS, *de ira Dei cap. 11. p. m. 392.* Speciatim & de Homero PHILOSTRATVS, quod Orpheum ἐν πολλοῖς τῶν κατὰ τὴν θεολογίαν, *in multis ad theologiam*

Digitized by Google

giam pertinentibus ſuperauerit; in *heroicis cap. 2. p. m. 693.* Nec poetae modo, ſed & alii, qui rituum ſacrorum, rerumque diuinarum periti erant, hoc nomine veniebant, quemadmodum & ipſa illa rerum diuinarum peritia θεολογία dicebatur. Hinc de Orpheo DIODORVS SICVLVS dicit, eum μεγάλην δόξαν παρὰ τοῖς ἕλλησιν ἐπὶ μελῳδίᾳ καὶ τελεταῖς καὶ θεολογίαις, *magnam apud Graecos gloriam carminum modulatione, ſacrorumque rituum inſtitutis, & diuinarum rerum interpretatione adeptum, l. 1. p. 20.* Talis erat Epimenides, de quo PLVTARCHVS: ἐδόκει δέ τις εἶναι θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα, τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν· *habebatur is vir Deo carus, & in rebus ſacris praecellens ſapientia, tum fanatica, tum myſtica;* in *Solone p. 84.* Sed & philoſophi quoque illi, qui rerum diuinarum periti cenſebantur, theologi dicti ſunt: quo nomine cumprimis Pherecydes celebratur, Pythagorae praeceptor; de quo legenda, quae adfert IO. OWENVS, in *theologum. lib. 1. cap. 1. p. 4.*

Tranſiit deinceps vox haecce in eccleſiam chriſtianam: quo tamen tempore hoc factum, aut a quonam primo adhibita ſit, non conſtat. In apocalypſeos ἐπιγραφῇ equidem ipſe Ioannes apoſtolus & euangeliſta *theologus* ſalutatur: eam vero non ipſius Ioannis eſſe, ſed ab alio quodam profectam, dudum viri docti demonſtrarunt. Idque recte & HVGONI GROTIO obſeruatum, in *praeloquio ad apocal. Ioannis,* vbi cauſſam ſimul indicaturus, cur hocce nomen Ioanni datum ſit, addit: *Non aliunde* (hoc) *factum eſt, quam quod poſt Origenem chriſtiani, quem titulum Orpheo dant Platonici, meliori iure dederunt Ioanni.* Verum, num poſt Origenem, an ante eum hicce titulus Ioanni datus ſit, non ſatis liquet. Nec probabile, Platonicorum, Orpheo hoc nomen tribuentium, exemplo permotos ad hoc fuiſſe chriſtianos. Longe rectius, alii ſentiunt, qui ideo Ioanni hocce nomen datum exiſtimant, quod prae reliquis ſcriptoribus ſacris diuinitatem ſeruatoris admodum luculenter adſeruiſſet. Quod cum poſtea etiam Gregorius Nazianzenus contra Arrianos feciſſet, idem nomen illi tributum fuit: immo & ex ſermonibus eius quidam, in quibus de ſeruatoris diuinitate diſſerit, περὶ τῆς θεολογίας inſcripti ſunt. Et fuit ſane deinde hocce nomen apud veteres eccleſiae doctores longe frequentiſſimum, ſed ita, vt non vna eademque ratione acciperetur. Subinde enim doctrinam de Deo, aut etiam de perſonarum trinitate, interdum vero ſpeciatim doctrinam de diuina Chriſti natura denotat. Solet etiam haud raro diſcrimen aliquod inter θεολογίαν & οἰκονομίαν conſtitui, ita quidem, vt illa ad diuinam, haec ad humanam Chriſti naturam referatur. Qua de re legenda, quae PETAVIVS congeſſit, in *dogmat. theolog. proleg. c. 1.*

Ceterum, licet vox θεολογία, ſi compoſitionem ſpectes, non tantum λόγον περὶ τοῦ θεοῦ, ſed & ἀπὸ τοῦ θεοῦ & πρὸς τὸν θεὸν, ſignificet; prima tamen ſignificatio, vt aliis eiusdem compoſitionis vocibus reſpondet, ita conſuetudine etiam, atque vſu eſt comprobata: licet & reliquae, ſi rem ipſam ſpectes, in cenſum venire queant. Ebraeis doctoribus theologia חכמה *ſapientia* dicitur: alias etiam iuxta ſcripturae ſacrae ductum vocari poteſt γνῶσις σωτηρίας *Luc. I, 77.* σοφία θεοῦ ἐν μυστηρίῳ *1. Cor. II, 7.* λόγος σοφίας *1. Cor. XII, 8.* γνῶσις τῆς δόξης τοῦ θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *2. Cor. IV, 6.* ἐπίγνωσις τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ ἐν σοφίᾳ πάσῃ καὶ συνέσει πνευματικῇ, *Coloſſ. I, 9.* ἐπίγνωσις τοῦ θεοῦ *ib. v. 11.* εὐσέβεια *1. Tim. III, 16.* ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν *Tit. I, 1.* conf. B. IO. GERHARDVS, *in locis theolog. prooem. §. 1.* Sunt nimirum haec ita capienda, vt diſcrimen, quod inter cognitionem quorumuis credentium, & adcuratiorem theologorum intercedit, ſaluum maneat. Ipſam vero ceteroquin theologiae indo-

indolem egregie exprimunt, ſimulque nos condocent, eum, qui vera fide praeditus non eſt, eamque re ipſa comprobat, theologi neutiquam promereri nomen.

§. XXXVIII. Eſt itaque theologia, ſi non tam vocem, quam rem ipſam ſpectes, ſcientia * rerum diuinarum, ** homini peccatori *** ad ſalutem conſequendam * cognitu neceſſariarum, prout ex ſcriptura ſacra nobis conſtant, ** cum facultate eas iterum alios docendi, confirmandi, atque defendendi *** coniuncta.

* Otioſas de genere, quod vocant, theologiae mittimus altercationes; cum nihil inde ad quemquam vtilitatis redundet. Recte eam, ad ductum ſcripturae ſacrae, *Coloſſ. I, 9, 10. Tit. I, 1.* per *ſcientiam* definiri, patebit ex iis, quae *§. 40.* & ſequentibus dicentur fuſius.

** Obiectum, quod aiunt, theologiae innuimus: de quo infra *§. 45.*

*** Ita ſubiectum, quod vocant, operationis indicamus: de quo *§. 46.*

* Ad finem theologiae haec ſpectant: de quo *§. 47.*

** Sermo nobis namque eſt non de theologia naturali, ſed reuelata; cuius principium cognoſcendi eſt ſcriptura ſacra, de qua *capite ſequente.*

*** Non enim de qualicumque rerum diuinarum cognitione, quae omnium vere credentium eſt, loquimur, ſed de adcuratiore & eminentiore illa, qua quis ad docendum aptus redditur, ſeu, vt Paulus loquitur, vt ἄνθρωπος θεοῦ ἄρτιος ſit, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, *2. Tim. III, 17.* Dicetur hac de re *§. 48.*

§. XXXIX. Res ipſa docet, nobis non de ipſius Dei, quam de ſe ipſo habet, cognitione, quam itidem nonnulli theologiam vocant, * ſermonem eſſe; ſed de hominum, eaque, prouti hodie cum imperfectione quadam eſt coniuncta; non autem de ea, quae poſt hanc demum vitam futura eſt. **

* Solet illa, quam de ſe ipſo habet Deus, cognitio *archetypa* dici, eo quod imaginem quamdam aut exemplar exhibeat, ad quam hominum, quam de rebus diuinis habent, cognitio ſit exigenda, quae & ideo *ectypa* adpellatur. Poteramus equidem hac obſeruatione ſuperſedere, niſi mori recepto aliquid dandum eſſet. Ecquis enim eſt, qui, cum de theologia praecipimus, exiſtimare poſſet, nobis ſermonem eſſe de ipſius Dei ſcientia, aut cognitione illa, quam vel angeli, vel homines, in beatorum ſedibus iam triumphantes, de Deo, rebusque diuinis habent? Negari etiam nequit, minus adcurate loqui, qui iſtam aut Dei, aut angelorum ſcientiam *theologiam* vocant: certe vſum atque conſuetudinem repugnare. Accedit, quod ea cognitio, quam hominibus hic tribuimus, vix vmbram eius referat, quam in Deo ipſo non tam intelligimus, quam admiramur, & pia mente veneramur. Interim res ipſa fundamento non deſtituitur; quin potius Dei cognitionem, ſeu ſcientiam, quam de ſe ipſo habet, tamquam exemplar, omnino conſiderare licet; cum primum hominem ad imaginem Dei conditum eſſe conſtet, quae per fidem in Chriſtum, poſtquam amiſſa fuit, iterum in nobis eſt inſtauranda. Hancce autem imaginem Dei non tantum in ſanctitate & iuſtitia, ſed in *cognitione* etiam, Dei ſcilicet & rerum diuinarum conſiſtere, & Paulus diſerte profitetur, *Coloſſ. III, 10.* & ſuo loco ex inſtituto demonſtrabitur. Res autem ipſa docet, eam, quae in Chriſto eſt, cognitionem, ſi diuinam eius naturam ſpectes, immo & humanam, prout in ea πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος habi-

Digitized by Google

habitat, recte ad archetypam referri, ea quidem ratione, vt diuinae naturae *οὐσιωδῶς*, humanae autem per vnionem, quam vocant, perſonalem tribuenda ſit: ea autem, quae humanae naturae Chriſti propria eſt, ectypa recte vocatur: ſimul tamen omnium hominum, quantumuis ſapientes aut eruditi ſunt, cognitione multis modis perfectior & excellentior, *pſalm. XLV, 8.* Eo autem omnis haec obſeruatio, ſi vſum ſpectes, pertinet, vt in noſtrae cognitionis, quam de Deo, rebusque diuinis habemus, vera & genuina indole exploranda, ſemper ad archetypam illam, ceu exemplar, ad quod omnia noſtra compoſita eſſe debent, reſpiciamus. Hinc vero condiſcemus. otioſam, mereque ſpeculatiuam, & omni virtutum ſtudio deſtitutam cognitionem, minime eam eſſe, quae diuinae cognitionis imagini reſpondeat. Vt enim in Deo *τὸ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως* admiramur, *Rom. XI, 33.* ita non minus *τὸν πλοῦτον τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας* in eo pie veneramur, *Rom. II, 4.* Certe non minus qua vitae ſanctitatem, virtutesque quaslibet, quam qua cognitionem, vt exemplum, quod imitemur, nobis proponitur, *Matth. V, 48. 1. Petr. I, 16.* Id quod & ſpeciatim de Chriſto ſeruatore eſt intelligendum, qui eſt *ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ (τοῦ πατρὸς) Ebr. I, 3.* In eo namque non tantum reconditi ſunt *omnes theſauri ſapientiae & cognitionis, Coloſſ. II, 3.* ſed idem quoque in omni virtutum genere *ὑπογραμμὸν* nobis reliquit, *vt veſtigiis eius inſiſtamus, 1. Petr. II, 21.*

** Comparatio iſta theologiae, ſeu cognitionis, quam in hac vita habemus, cum illa, qua beati in ſtatu gloriae gaudent, eo itidem pertinet, vt illius imperfectionem intelligamus. Id quod Paulus apoſtolus nos condocet: *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: poſtquam autem aduenict quod perfectum eſt, tunc, quod eſt aliquatenus, vt inutile tolletur, 1. Cor. XIII, 9. 10.* Et iterum: *cernimus nunc per ſpeculum in aenigmate, tum autem coram: nunc aliquatenus cognoſco, at tunc recognoſcam quemadmodum recognitus ſum, v. 12.* Atque haec quidem merito nos commonefaciunt, vt, qui theologiae operam nauamus, modeſte nos geramus, noſtrae imbecillitatis memores, nec nimium nobismet ipſis tribuamus. Quod ſi faciamus, nec aliorum nimis exaggerabimus, aut exagitabimus errores; tales cumprimis, qui fidei fundamentum non laedunt; quin potius monito eiusdem apoſtoli locum relinquemus: *Fratres, ſi quis aliquo delicto anticipatus fuerit, vos eum, qui ſpirituales eſtis, reficite cum animi comitate; adſpicientes vos ipſos, ne vos quoque tentemini, Gal. VI, 1.*

§. XL. Scientiam dum eam vocamus, vocem ita accipimus, prout in ſcriptura ſacra accipi ſolet, * vt cognitionem denotet *veram, certam & viuam*, ſeu *efficacem*.

* Qui enim ex philoſophia, praeſertim Ariſtotelica, vocis huius ſignificationem hauriunt, flexus & anfractus ſibi ipſis diſponunt, ex quibus non ſine difficultate quadam ſe expediant. Omnes facile euitamus ambages, ſi ſcripturae ſacrae inſiſtamus veſtigiis.

§. XLI. Et de *veritate* quidem nullum eſt dubium, cum falſa & erronea cognitio nullo modo ſcientiae nomine digna ſit. * Teſtimonio inſuper ipſius Dei, qui ipſa eſt veritas, & nulla ratione aut fallere, aut mentiri poteſt, *Num. XXIII, 19.* cum nitatur, non poteſt non longe eſſe veriſſima; conf. *Matth. XXII, 16. Ioan. XIV, 16.* Hinc & Paulo *ἐπίγνωσις*

 τῆς

τῆς ἀληθείας audit, Tit. I, 1. De ſupernaturali nimirum hoc intelligendum eſt veritate, quam *caro & ſanguis non reuelat, ſed ſolus pater in caelis, Matth. XVI, 17.* **

* Nec Deum auctorem habet, ſed diabolum, qui & ideo *pater mendacii* audit, *Ioan. VIII, 44.* Interim ipſorum hominum culpa contingit, vt pro Iunone nubem, pro veritate errorem amplectantur. Tam clare enim & perſpicue Deus, quae ad ſalutem ſunt neceſſaria, reuelauit, vt non temere quiſpiam, niſi ipſemet ſibi deſit, a recto aberrare tramite queat.

** Cum enim duplex ſit cognoſcendi principium, *ratio* & *reuelatio*, duplex quoque hinc oritur veritas, *naturalis*, & *ſupernaturalis:* illa ratione, haec reuelatione nititur. Ad illam percipiendam naturae vires ſufficiunt, modo diligens ingenii cultura accedat, nec media, quae ad illam adipiſcendam neceſſaria ſunt, negligantur. Ad hanc autem ſpiritus ſancti operatio quaedam, a verbo diuino tamen, eiusque legitimo vſu neutiquam ſeparanda, accedat neceſſe eſt, vt non tantum eam recte & plene cognoſcamus, ſed rite etiam de ea conuincamur. Idque eſt, quod ſeruator ipſe docet: *Nemo poteſt ad me venire, niſi pater, qui me miſit, eum trahat, a me vltimo die ſuſcitandum. Scriptum eſt in prophetis: eruntque omnes diuinitus docti. Quisquis, ergo ex patre audiuit & didicit, is ad me venit, Ioan. VI, 44, 45.* Sermo autem hic nobis eſt de veritate, *obiectiue*, vt loqui ſolent, ſpectata: quae in adcurata & plena, qua omnes fidei articulos, totumque ſalutis ordinem, noſtrorum conceptuum, cum rebus in ſcriptura ſacra reuelatis, iuxta genuinam ſpiritus ſancti mentem, conuenientia atque adſenſu, ex ſcripturae ſacrae, dogmata haecce proponentis, euidentia orto, conſiſtit.

Diuerſa ab ea, non penitus tamen ſeiungenda eſt veritas *ſubiectiue* ſpectata, ſeu ſincerum virtutis ſtudium, quod in illis, qui fide vera cum Chriſto coniuncti ſunt, deprehenditur, & itidem ἀλήθεια *veritas* vocari ſolet, *Epheſ. IV, 21;* conf. & *apocal. XXII, 15.* Etenim, niſi veritas hoc modo accepta, ad priorem, ſeu cognitionem veram accedat, haec parum prodeſt, nec ſalutaris, adeoque ſecundum loquendi rationem ſcripturae ſacrae propriam, minus genuina cenſetur, iuxta illud Ioannis: *per hoc ſcimus, quod ipſum nouimus* (hoc eſt, quod cognitio noſtra de Chriſto vera ſit) *ſi praecepta ipſius obſeruemus. Qui dicit, noui eum, & praecepta eius non obſeruat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt, 1. Ioan. II, 3, 4.*

Haecce cognitionis, de qua loquimur, veritas, alias etiam ὀρθοδοξία vocari conſueuit. Quae quidem vox, etſi in ſcriptura non occurrat, apud veteres tamen eccleſiae doctores non eſt infrequens. Inter ſcripta IVSTINI martyris non tantum exſtat ἔκθεσις πίστεως περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, *expoſitio fidei, de recta confeſſione*, ſed & ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους, *reſponſiones ad orthodoxos.* Vterque tamen libellus perperam IVSTINO tribuitur, vnde iam ea aetate nomen hocce in eccleſia receptum fuiſſe, inde probari nequit. A THEODORETO illud vſurpatum, dubio caret, ſiquidem in *dialogorum,* quos reliquit, *libris tribus,* qui *tom. IV. operum* eius *p. 1. ſeq.* exſtant, colloquutores introducit *eraniſten* atque *orthodoxum;* quorum ille opiniones erroneas, hic vero apoſtolicam doctrinam propugnat. Hinc & in *praef. ad dial. I,* orthodoxus illi audit ὁ ὑπὲρ τῶν ἀποστολικῶν ἀγωνιζόμενος δογμάτων, *qui pro apoſtolicis dogmatibus pugnat.* Deinde IO. DAMASCENVS notiſſimum opus *de orthodoxa fide,* cuius plenior inſcriptio eſt: ἔκδοσις ἀκριβὴς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, *expoſitio adcurata fidei ortho-*

orthodoxae, conſcripſit, eoque recepta eo tempore maxime in eccleſia orientali dogmata complexus eſt. Indeque adeo vſu inualuit, recentiori praeſertim aetate, vt, qui dogmata certae eccleſiae, aut etiam ſectae propria, quam adcuratiſſime exponerent, & defenderent, prae reliquis orthodoxiae laude florerent. Diuerſimode itaque vocem hancce accipi poſſe, ideoque & de re ipſa, quam denotat, non vna eademque ratione ſtatuendum, manifeſtum eſt. Veri enim generis orthodoxia, cum nihil aliud quam ipſam doctrinam diuinitus reuelatam, & in ſcriptura ſacra traditam, denotet, non alio loco, quam ipſa haecce doctrina habenda. Hanc ergo, qui aut reiicit, aut contemnit, vel in minimis ponit orthodoxiam, in ipſam veritatem, atque diuinam iniurius eſt reuelationem. Nec vitae ſanctae ſtudio opponi poteſt, vt quandoque fieri ſolet, ſiquidem veritatis cognitio ad ſanctitatis ſtudium ducit, ita quidem, vt hoc ſine illa ſibi non conſtet, nec illa ſine hoc finem ſuum conſequatur. Patet vero hinc etiam, quid de orthodoxia ſentiendum, ſi pro habitu ſumatur, facultatemque, quae in diuinis litteris reuelata atque propoſita ſunt, rite cognoſcendi, explicandi, edifferendi, defendendique, denotet. Tum enim cum ipſa theologia conuenit, & non poteſt non, ſi vbique veritatis tantum habeatur ratio, maxima in laude poni. Quodſi quis vero non tam ſcripturae ſacrae dogmata, eaque ad ſalutem neceſſaria, quam aut ingenii ſui commenta, aut eccleſiae cuiusdam, vel ſectae placita, ſcripturae teſtimonio deſtituta, nullaque ratione ſcitu ad ſalutem neceſſaria, primo quidem ſibi, aliisque vera eſſe perſuadeat, tum aliis obtrudere quouis modo admitatur, ſecusque ſentientes ceu haereticos peſſimos inſectetur, inde vt orthodoxiae gloriam referat; eum quidem grauiſſime voce hac abuti, nemo ſanae mentis dubitauerit. Interim, qui iſtum vocis abuſum damnant, recte ſimul ſibi cauent, ne vllo modo ipſi veritati diuinae, cui non ſatis magnum pretium ſtatui poteſt, quidquam derogent.

§. XLII. Longe quoque certiſſima eſt haec cognitio, idque eamdem ob cauſſam, ob quam pro veriſſima habenda. * Etſi enim, praeſertim in myſteriis, deſit euidentia *obiecti*, quae in rebus, rationis captum non excedentibus, efficit, vt earum longe certiſſima ſit cognitio; adeſt tamen euidentia *teſtimonii*, & quidem diuini, cuius ea vis eſt & efficacia, vt nec mathematicae demonſtrationes, quantumuis euidentiſſimae, certiores credi debeant. **

* Auctoritate enim diuina, quae nulla ratione fallere poteſt, haecce cognitio nititur. Quod vt recte intelligatur, duo hic requiri, obſeruandum eſt. Primo quidem, vt plane conuicti ſimus, ſcripturam ſacram Deum auctorem agnoſcere, & ex eius inſpiratione eſſe profectam; tum, vt certi ſimus, verum & genuinum iſtorum locorum, quibus cognitio noſtra nititur, nos tenere ſenſum. Prius, cum variis equidem, iisque euidentiſſimis argumentis probari queat, fides tamen diuina, qua hoc creditur, ex ipſo diuini ſpiritus oritur teſtimonio, vt in ſequentibus oſtendemus. Vt autem de loci cuiusdam vero & genuino aliquis certus ſit ſenſu, ex principiis hermeneuticis rite adplicatis prouenit. Exinde enim certa quaedam veri ſenſus criteria reſultant, quae omne dubium eximunt, efficiuntque, ne quis falli vlla ratione, aut decipi queat, modo rite hac in re verſetur. Accedit ipſa verbi diuini efficacia, in intimos cordis receſſus penetrans, & hac ratione de veritate doctrinae, quam ex eo hauſi-

Digitized by Google

hauſimus, pleniſſime nos conuincens, *Ioan. VI, 63. Ebr. IV, 12.* Atque hoc Paulus ſuo nos condocet exemplo, quando, *ſcio*, inquit, *cui crediderim, & firmiter perſuaſus ſum, eum poſſe meum depoſitum cuſtodire, ad illum diem, 2. Tim. I, 12.* conf. *Iob. XIX, 25.*

** Solent & philoſophi cognitionem in *probabilem* & *certam* diſpeſcere, illamque *opinionis*, hanc *ſcientiae* nomine deſignare. Scientia porro, quae omnem dubitationem excludit, oritur ex euidentia principiorum, prouti haec ex idearum euidentia reſultat. In myſteriis autem, quae ſupra rationem ſunt, cum nulla idearum detur euidentia, nec euidentia principiorum locum habere poteſt. Sed adeſt contra euidentia teſtimonii, quando ex ſcripturae effatis euidenter conſtat, & clare, hoc a Deo ipſo reuelatum eſſe. Atque hinc cognitio longe certiſſima oritur. Facilius enim fieri poſſet, vt omnes mathematicorum demonſtrationes fallerent, quam vt vel vnicum dogma falſum eſſet, quod Deus ceu verum in ſcriptura ſacra reuelauit.

§. XLIII. Viuam denique, & efficacem vocamus hanc ſcientiam,* quod theologia, quanta quanta eſt, ſi finem ſpectes, ad praxin vitae comparata ſit. ** Fides enim, ad quam theologia ducit, aut quam potius ſimul connotat, ex fructibus dignoſci debet, *Matth. VII, 17. ſeq.* per opera eſt efficax, *Gal. V, 6.* ſine operibus mortua eſt, *Iac. II, 17.* Hinc & Chriſtus ipſe, *haec ſi ſciatis*, inquit, *beati eſtis ſi & faciatis, Ioan. XIII, 17.* Paulus autem eam vocat ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *Tit. I, 1.* conf. & *Epheſ. II, 10.* Hoc tamen non obſtat, quo minus ratione *obiecti* theologia, prout aut circa credenda, ſpeciatim ſic dicta, aut circa agenda verſatur, in *theoreticam* & *practicam* diuidi queat. ***

* Viua vocatur ea cognitio, quae hominem excitat, vrget, ſtimulat, ad id agendum, quod agendum ſibi eſſe cognouit: quae autem aliter ſeſe habet, mortua dicitur. Quemadmodum enim vita hominum naturalis, ex motibus variis, atque operationibus, quas vitales vocant, intelligitur; ita etiam ex motibus ſpiritualibus, num cognitio rerum diuinarum viua ſit, cognoſcitur. Poſſet, ſi quis paullo ſubtilius cuncta diſcernere vellet, diſcrimen aliquod inter cognitionem *viuam* & *efficacem* conſtitui, vt, quae nos vrget, ſtimulat, impellit, ad ea agenda, quae officii noſtri eſſe intelligimus, *viua* dicatur: quando autem obſequium, quod diuinae veritati praeſtandum eſt, actu ſequitur, *efficax* adpellitetur. Vſu tamen fere obtinuit, vt iſtae voces promiſcue ſumantur: recteque etiam vita & efficacia iunctim ſpectantur, cum viua cognitio omnino eo tendat, vt per obſequium, quod quis veritati, pro viribus a Deo conceſſis, praeſtat, ſeſe demonſtret. Res ipſa vero, quo pacto veri nominis agnitio viua & efficax eſſe debeat, haud obſcura eſt. Si quis enim de omniſcientia, aut omnipraeſentia diuina, omnia, quae theologi tradunt, recte & adcurate teneat, immo quam acutiſſime de hiſce omnibus diſputare queat, nec tamen ideo ſe induci patiatur, vt peccata etiam grauisſima fugiat, eius cognitionem mortuam & inefficacem eſſe, ſeu efficaciam ſuam actu non exſerere, nemo non intelligit. Contra, ſi quis non tantum ſciat, Deum & omniſcium eſſe, & omnipraeſentem; ſed &, quoties prauarum cupiditatum inſultus ſentit, omniſcientiae & omnipraeſentiae diuinae conſideratione ſe fortiter ſuſtinet, quo minus in peccata ruat, exemplo Ioſephi,

Digitized by Google

ſephi, *Gen. XXXIX, 9.* eius cognitionem viuam & efficacem dicendam eſſe, nemo temere dubitabit. Et eiusmodi quidem, cum omnium chriſtianorum cognitio, quam de rebus diuinis habent, eſſe debeat, idque non tantum ſcriptura diſerte doceat, ſed finis quoque eius requirat; multo magis eam, quae ad theologiam requiritur, cognitionem ita debere eſſe comparatam, ſua ſponte inde conſequitur. Qui autem ita efficaciter & ſalutariter veritatem diuinitus reuelatam cognoſcit, αἴσθησιν quoque, hoc eſt, *ſenſum*, ſeu *experientiam* rerum divinarum habet, de qua ſcriptura paſſim loquitur, *Pſalm. XXXIV, 9, Ioan. VII, 17. 1. Petr. II, 3. Ebr. VI, 4, 5.* Hinc & ἐπίγνωσιν καὶ αἴσθησιν apoſtolus iungit, *Phil. I, 9.* Qua quidem αἰσθήσει & experientia ſpirituali eos vel maxime praeditos eſſe debere, qui theologorum nomine veniunt, res ipſa facile quemuis docet. Conferenda, quae diximus in *inſtit. theol. moral. part. I. proleg. §. 9.*

** Simul tamen etiam ad praxin miniſterii. Sunt enim haec coniungenda, non ſeparanda, ſiquidem theologus, aut qui doctoris munere in eccleſia fungitur, non minus ad ſuam, quam ad aliorum ſalutem reſpicere debet, *1. Tim. IV, 16.* Idque etiam luculenter idem apoſtolus *2. Tim. III, 15. ſeq.* confirmat. Laudat namque Timotheum, quod ἀπὸ βρέφους *a pueritia ſacras didiciſſet litteras, quae poſſint* σοφίσαι, *ſapientem vel eruditum reddere ad ſalutem per fidem in Chriſtum Ieſum.* Hinc vero cum oſtendiſſet, quam ex ſcriptura ſacra vtilitatem capere liceat, quodue illa omnia, quae ad fidem vitamque recte inſtituendam neceſſaria ſint, complectatur, omnia haec eo comparata eſſe dicit, vt ἄνθρωπος θεοῦ, homo Deo dicatus, rerumque diuinarum ſtudio, ea qua decet ratione deditus, hinc & diuini ſpiritus particeps, *2. Pet. I, 21.* ἄρτιος ſit πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, omnibus iis, quae ſacri muneris adminiſtratio requirit, plene & ſufficienter inſtructus. Hinc vero colligere licet, in quem finem ſcriptura ſacra a theologo legenda eſt, eum quoque ipſius theologiae eſſe finem. Scripturam vero a theologo legendam, tum vt ipſemet ad ſalutem per fidem in Chriſtum Ieſum erudiatur, tum vt & ἄρτιος reddatur, & πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, ex hactenus dictis liquet. Hic itaque ipſius theologiae finis eſt, adeoque & recte pro ſcientia practica, ſeu ad praxin comparata, habetur. Poſſet idem exemplo ipſius ſeruatoris, & officii eius prophetici, itemque apoſtolorum, praeterea ex comparatione theologiae archetypae cum ectypa, aliisque rationibus comprobari, ſi hiſce diutius immorari fas eſſet.

*** Qua finem enim tota theologia practica eſt. Qua in re omnes conſentiunt. Obiectum autem cum in *credenda* & *agenda* diſpeſcatur, quae illa ſpeciatim conſiderat theologiae pars, *theoretica* ſeu *dogmatica*, quae haec ediſſerit, *practica* vocari poteſt & ſolet. Licet autem & credenda, & agenda diſtincte conſiderari queant, reipſa tamen ſunt longe coniunctiſſima, & ſine maximo errore diuelli nequeunt. Pluribus hoc expoſui in *inſtit. theol. moral. part. I. prol. §. 2. ſeq.* it. *§. 10.*

§. XLIV. Non tantum itaque falſa erroneaque doctrina theologiae nomine indigna eſt, * ſed cum vnica etiam ſaltem ſit, & eſſe poſſit veritas, omnis *indifferentiſmus religionum* procul hinc exſulare debet. ** Idem & de *ſcepticiſmo* eſt ſentiendum, qui cum cognitione certa conſiſtere nequit. *** Sed &, quae mortua ſaltem eſt, & efficaciam ſuam, hominum quidem culpa, non exſerit, rerum diuinarum cognitio, vix meretur, vt hoc nomine veniat. *

* Erro-

* Erroris nomine nobis hic venit, quidquid a veritate, maxime reuelata, diſcrepat. Vt autem reuelatae veritatis capita in ordine ad ſalutem conſequendam, non eiusdem ſunt neceſſitatis, ita & errorum in rebus diuinis diuerſa eſt ratio; nec vno eodemque omnes habendi ſunt loco. Alii enim aliis magis ſunt noxii, id quod ex iis, quae ſupra de articulis fidei fundamentalibus diſputauimus, abunde liquet. Cauſſae errorum, ſi ab infernali genio, mali omnis auctore, diſcedas, in ipſa hominum natura, per primorum parentum lapſum deprauata, quaerendae ſunt: ea quidem ratione, vt alii ex praua intellectus, alii voluntatis indole ſint deriuandi: quamquam ſimul ad prauam intellectus diſpoſitionem corrupta mortalium voluntas, cupiditatesque male ſanae, plurimum conferant. Copioſius haec alibi ediſſeruntur. Conferre interim iuuabit ABR. HEIDANI, de *origine erroris libros octo*, Amſtelaedami, anno 1678. editos. Quodſi ad errores capitales accedat pertinacia ad eos defendendos, ac diſſeminandos, *haereſis* vocari ſolet: de qua ſuo loco. Solent tamen, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, ſpeciatim illi haereticorum nomine venire, qui libros vtriusque foederis canonicos admittunt; reliquos, qui aut vtriusque, aut ſpeciatim noui teſtamenti libros reiiciunt, *infideles* vocare moris eſt. Eam vero, quam eiusmodi homines de rebus diuinis habent cognitionem, theologiae nomine, ſi adcurate loqui velis, indignam eſſe, nemo dubitauerit.

** Varia ſunt *indifferentismi*, vt loqui ſolent, genera, quae diſcernere par eſt, vt recte hac de re ſtatui queat. Cauendum vero cumprimis, ne illi, qui pacis ac concordiae ſtudium ſalua veritate ſuadent, aut inutiles ac acerbas de rebus ad fundamentum fidei non ſpectantibus, altercationes improbant, ſtatim indifferentismi rei agantur. Indifferentismus vere talis aut vniuerſalis eſt, aut particularis. Ille omnes religiones vno eodemque loco habet, quod aut nullam omnino, aut ſolam naturalem admittat. Prius ſi fiat, ab atheiſmo non differet: ſin poſterius, cum naturalismo conſentiet. Particularis autem indifferentismus, de quo nunc nobis ſermo eſt, reuelationem diuinam, quam ſcriptura ſacra nobis exhibet, equidem admittit, inter chriſtianorum autem ſectas aut omnes, aut pleraſque, aut quasdam, capitale aliquod intercedere diſcrimen negat. Qua in re qui inter ſe conſentiunt, ob cauſſam rurſus, quae in hanc eos inducit ſententiam, in diuerſas abeunt partes: nonnullis quidem omnem Numinis cultum, praecipuamque adeo religionis vim, in Numinis amore, rectaque adeo voluntatis diſpoſitione collocantibus, quam aliquis adipiſci queat, quamcumque etiam de controuerſis religionis capitibus teneat ſententiam: aliis veritatem ita abſconditam eſſe adſerentibus, vt in ea inuenienda omnis fruſtra collocetur opera: aliis denique diſſenſum, qui inter partes diuerſas intercedit, etſi fundamentalis ſit, talem eum eſſe negantibus. Ab vltimis ſi incipiamus, res omnis eo redit, vt, quid fundamentale, quid non fundamentale, in ſacrae doctrinae capitibus ſit, definiatur: quod, qua ratione fieri debeat, ſupra iam expoſuimus. Qui ad mediam claſſem pertinent, iisdem, quibus ſceptici, pugnant armis, eademque adeo & ratione ſunt refellendi, vt deinceps dicemus. De iis itaque ſaltem, qui in primo ordine conſtituti ſunt, vt aliquid dicamus, ſupereſt. Hi vero & ſe ipſos, & alios turpiter fallunt, dum fidem tantum in voluntate collocant: perperam porro ſibi perſuadent; ac ſi quis ſine fide, adeoque & ſine ſufficiente, eaque explicita cognitione Deum amare, atque rite colere, ac virtuti, prout ab homine chriſtiano requiritur, operam dare queat. Cum enim ſine fide Deo placere ἀδύνατον ſit, *Ebr. XI, 6.* collat. cum

Digitized by Google

cum *cap. X, 38.* praeterea homines vera fide deſtituti, ſpiritu quoque υἱοθεσίας deſtituantur, *Rom. VIII, 15.* eos quoque nec amare Deum, nec quidquam, quod illi gratum ſit, efficere poſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Fides autem, licet qua vltimum gradum, ſeu fiduciam, ad voluntatem pertineat; qua primum tamen & ſecundum, ſeu cognitionem & adſenſum, intellectus opus eſt. Idque vel ipſa humanae mentis, facultatumque, qua pollet, conſideratio, iſtos homines condocere potuiſſet: cum quotidiana experientia conſtet, voluntatem non niſi praeuia, eaque ſufficienti cognitione moueri. Ecquis enim credat, fieri poſſe, vt quis ſpem ſuam & fiduciam in homine plane ignoto, de quo, num odio aut amore ſe proſecuturus ſit? num iuuare poſſit, nec ne? non conſtat, collocet. Quin immo, ſi voluntas ad eiusmodi adfectum moueri debet, neceſſe eſt, vt non tantum vtcumque alter mihi notus ſit, ſed vt etiam ſufficienter de eius erga me voluntate, deque viribus, quibus pollet, deque impedimentis, quae remouenda ſint, ſim inſtructus. Ipſa praeterea ſcriptura ſacra diſerte hoc teſtatur, quando de fide ita loquitur, vt in ipſius conceptu ac praxi cognitionem inuolui, manifeſte innuat, *Eſ. LIII, 11. Ioan. XVII, 3.* collat. cum *Hab. II, 4. Ioan. VI, 69. 2. Tim. I, 12.* Hinc & non aliter, quam per verbi diuini auditionem fides producitur, *Rom. X, 17.* quod profecto ſine cognitione fieri nequit. Sed copioſius infra hoc edifferemus, quando natura indolesque fidei explicanda erit.

*** Non omnis equidem fluctuatio aut dubitatio ſtatim eſt ſcepticiſmus. Facile tamen fieri poteſt, vt in ſcepticiſmum degeneret; eumque eo magis noxium, quo propius ad ipſa fidei fundamenta accedit. Aliam praeterea illorum eſſe conditionem, qui fide diuina ſcripturae ſacrae auctoritatem, quam a Deo habet, credunt, quam eorum, quos fides humana, & ex rationibus philoſophicis orta, hac de re dubitare non ſinit, ex iis, quae ad *§. XLII.* diximus, conſtat. Ex quibus adeo illos longius ab omni fluctuationis periculo, niſi forte in tentatione fuerint conſtituti, remotos eſſe, quam hos, colligere licet. Cum autem fluctuatio ac dubitatio in iis, quae dubitationem non admittunt, ne quidem cum quorumuis chriſtianorum fide conſiſtere queat, *Iac. I, 6, 8.* multo minus theologi nomen, qui hocce morbo laborat, aut omnino in ſcepticiſmum pronus eſt, promereri, quilibet facile intelligit. Plura hic de ſcepticiſmo, eiusque lubricis fundamentis non addimus, cum iam praecipua, quae de eo obſeruatu digna, expoſita ſint in *theſib. de atheiſmo & ſuperſt. c. 2. §. 4. p. 213. ſeq.* & *c. 6. §. 1. p. 457. ſeq.*

* Immo ψευδώνυμος potius haecce cognitio Paulo apoſtolo audit, *1. Tim. VI, 20.* Nec enim dubium, quin ſterilem illam omnisque fructus expertem, & ab omni pietate ſeiunctam cognitionem ſimul hac voce deſignet. Siue enim Gnoſticos, ſiue Nicolaitas, ſiue Simonianos generatim hac voce perſtringat, hi omnes non tantum grauiſſimos, quamuis & diuerſos, fovebant errores; ſed & in eo fere conſentiebant, vt γνῶσιν quamdam ac cognitionem iactitantes, eaque prae reliquis ſe efferentes, quaſi haec ſola ad ſalutem ſufficeret, effreni impetu in quoduis prauarum cupiditatum ſe darent genus. Spurciſſimos, foediſſimosque horum omnium fuiſſe mores, magno conſenſu veteres tradidere. Apoſtolum vero non tantum erroneam, ſed & ſterilem, omnique fructu deſtitutam, ſeu mortuam cognitionem hac voce innuere, vel inde conſtat, quod alibi idem, eam demum veri Numinis eſſe γνῶσιν diſerte doceat, quae ſe talem pietate vitaeque ſanctae ſtudio ſincero demonſtrat. Sic *1. Tim. VI, 3.* eam, quam omnes conſectari doctrinam debent, διδασκαλίαν κατ' εὐσέβειαν vocat; & *Tit. I, 1.* ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν,

εὐσέβειαν, ceu veri nominis cognitionem commendat. Non minus itaque cognitionem pietatis fructu deſtitutam, quam figmenta quaelibet, atque errores, aut ineptorum etiam hominum nugas, quales ſubinde ſcholaſticorum ſunt, de rebus diuinis more ſuo philoſophantium, ceu γνῶσιν ψευδώνυμον reiicit, proculque faceſſere iubet. Copioſius haec omnia ediſſerui in *program.* περὶ τῆς γνώσεως ψευδωνύμου in *ſyntagm. diſſert. theol. p. 653. ſeq.*

§. XLV. Verſatur theologia circa res diuinas, prout ex reuelatione, ſeu ſcriptura ſacra nobis conſtant. Et ipſae quidem res diuinae, ſeu quaecumque nobis de Dei eſſentia & attributis, operibus ac voluntate diuina conſtant, obiectum theologiae *materiale* vocari ſolent, quemadmodum *formale* contra in ipſa reuelatione diuina quaerendum. *

* Sollemne namque eſt, vt, cum ſcientiae cuiusdam natura indolesque explicatur, ſtatim illud, circa quod verſatur, indicetur; quod *obiecti* nomine venit. Id quidem, cuiusmodi in theologia ſit, neminem fugit, cum in ea de rebus diuinis, hoc eſt, de Deo, homine peccatore ad ſalutem aeternam perducendo, deque mediis, quibus ſalutem conſequi queat, agatur. Haec enim ſumma illorum eſt, quae fuſius in ſequentibus ediſſerentur. Cum vero & naturalis theologia de hiſce aliqua ratione praecipiat, etſi imperfecte, minusque ſufficienter, hic vero cuncta iuxta lumen reuelationis conſiderentur, reuelationem ipſam, ceu principium cognoſcendi, quod hic in cenſum venit, *obiectum formale* vocare ſolent. Ad materiale itaque obiectum cum *credenda* pariter ac *agenda*, adeoque & *articuli fidei* ſpectent; ea, quae de his ſupra ad *§. XXIX. ſeq.* diximus, hic itidem conſideranda ſunt.

§. XLVI. Rerum iſtarum diuinarum notitia hic ſpectatur, prout homini * peccatori ad ſalutem aeternam conſequendam eſt neceſſaria. Vnde & ipſius hominis ſimul in cenſum venit conſideratio, qui in ordine ad ſalutem, & ante conuerſionem ſpectatus, viribus gratiae deſtitutus, planeque mortuus, nihil ad ſalutem ſuam conferre, *Eph. II, 1. Coloſſ. II, 13.* per Numinis tamen gratiam atque benignum fauorem, ad fidem vitamque ſpiritualem, ſi modo mediis oblatis recte vtatur, nec ſpiritui ſancto reſiſtat, excitari poteſt. ** Tum vero viribus gratiae inſtructo, atque eadem Numinis gratia adiuto, vt ad fidei conſeruationem ac incrementum aliquid conſerat, denegatum non eſt, *1. Cor. XV, 10. Tit. II, 14. 2. Pet. I, 3. 5. ſeq.* ***

* Hinc *ſubiectum operationis* dici ſolet, de quo, quae ſcitu neceſſaria ſunt, in ipſa equidem theologiae tractatione, praecipue parte tertia & etiam quarta, ſecundum noſtram diſpoſitionem, fuſius, & ex inſtituto ediſſeruntur: ordinis tamen cauſſa, & ad genuinam theologiae indolem exhibendam, paucis hic attingenda ſunt. Etenim, cum theologia rerum diuinarum ſit ſcientia, nemo plene & ſufficienter hoc adſequetur, niſi & de fine conſtet, ad quem iſta ſcientia comparata eſt, & de illis etiam, qui huncce finem conſequi poſſunt. Cumque de his ſtatim ſe offerat quaeſtio, num etiam apti ſint ad huncce finem conſequendum, maximumque ſimul ob hominum naturalium in rebus ſpiritualibus ἀδυναμίαν ſuboriatur dubium; paucis hoc monen-

monendum, & quaenam gratiae diuinae in hominum defectibus ſupplendis, hic partes ſint, oſtendendum fuit. Condiſcere hinc ſimul licet, theologi eſſe, vt haud perfunctorie ſtudium ſuum operamque, in humanae naturae generatim ſpectatae, tum & ſingulorum hominum indole explorandi, & perſcrutanda, collocet: vt & ſibi ipſi, & aliorum rectius conſulere ſaluti queat. Neque ſufficit generatim intimam hominum poſt lapſum noſſe corruptionem, quamquam & hoc prorſus neceſſarium ſit; ſed cum magna etiam hominum, qua naturalem, qua ſpiritualem eorum ſtatum, ſit diuerſitas, impedimenta quoque varia tum conuerſionis, tum progreſſuum in vitae ſanctimonia, ex iſta illorum, praeſertim qua aetatem, ſexum, dignitatem, vitae genus, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, diuerſitate oriuntur, quanta rerum cognitu neceſſariarum & vtilium, quae tamen vulgo negliguntur, theologo ſe offerat copia, quam ampla meſſis, nemo non perſpicit. Atque haec omnia ſibi reuocare in mentem, & paullo adcuratius expendere iuuabit, quando de *ſubiecto*, quod vocant, *operationis*, ſermo in theologia inſtituitur.

** Haec, quando doctrina de *peccato* atque *conuerſione* proponetur, tamquam in proprio loco explicabuntur.

*** Ad articulum de *ſanctificatione* iſta ſpectant.

§. XLVII. Finis nimirum theologiae vltimus, isque *formalis*, quem homo peccator, ex miſeria ſua eluctari cupiens, ſibi conſtitutum habet, eſt ſumma felicitas, ſeu beatitudo, in poſſeſſione, ſeu fruitione Dei, ceu ſummi boni, conſiſtens, inchoanda quidem in hac vita, ſed in futura perficienda, *1. Ioan. III, 2. 3.* * Vnde ſimul conſtat, *finem*, quem vocant, *obiectiuum* ipſum Deum eſſe, ** quemadmodum intermedius eſt fides in Chriſtum, per quam veram aeternamque ſalutem conſequimur, *Ioan. III, 16. XX, 31.* *** Atque haec quidem de fine *externo* ſunt intelligenda; *internus* namque in eo conſiſtit, vt theologiae cultor aptus fiat ad ſuam, aliorumque ſalutem promouendam, *2. Tim. III, 17.*

* Vltimum huncce eſſe theologiae finem, egregie Ioannes *l. c.* nos condocet. Loquitur enim de beatitudine, quam poſt hanc vitam ſumus conſequuturi: *nondum adparuit, quid futuri ſimus.* Ipſam autem beatitudinem in eo conſtituit, quod Deo futuri ſimus ſimiles. Enimuero, cum Deus longe beatiſſimus ſit, non poteſt non ſumma quoque illorum eſſe beatitudo, qui ei ſunt ſimiles. Omnis autem beatitudo, cum in boni cuiusdam poſſeſſione conſiſtat, recte inde concluditur, hominum quoque beatitudinem in fruitione ac poſſeſſione Dei, ceu ſummi boni, conſiſtere. Idque cum ex viſione, ſeu intuitione Dei non poſſit non fluere, addit: *videbimus illum, ſicuti eſt.* Quae autem ſequuntur: *quilibet, eiusmodi ſpem habens, purificet ſe ipſum*, ad finem intermedium ſpectant, ſiquidem *per fidem corda hominum purgantur, act. XV, 9.* conf. & *Ioan. XV, 2.*

** Solus enim Deus ſummum eſt mortalium bonum, in cuius fruitione ſumma quoque felicitas conſiſtit. Hoc & ipſa quodammodo intelligit ratio; luculentius autem ſcriptura ſacra nos condocet; qua de re ſuo loco.

*** Nulla enim alia ad ſalutem via eſt, quam per Chriſtum, quem Deus nobis ἱλαστήριον propoſuit, *Rom. III, 25.* conf. & *actor. IV, 12.* A fide autem, cum vitae ſanctae ſtudium ſeparari nequeat, *1. Ioan. II, 7.*

Digitized by Google

Gal. V, 6. 2. Tim. II, 19. manifeſtum eſt, hoc itidem ad finem intermedium referendum eſſe. Diſcrimen tamen inter *finem intermedium* & inter *medium* ipſum, praefertim tale, quod cauſſae rationem habet, circumſpecte hic eſt obſeruandum. Etſi enim vitae ſanctimonia ad finem intermedium ſpectet, eam tamen medium, aut omnino cauſſam ſalutis eſſe, nemo, niſi qui ſcripturae ſacrae diſerte contradicere velit, adſeret. Vitae autem ſanctae ſtudium, cum imaginis diuinae reſtaurationem ſecum vehat, a nobis minime diſſentiunt, ſaltem facile conciliari poſſunt, qui finem proximum theologiae in imaginis diuinae reſtauratione conſtituunt: loquuntur enim de eiusmodi hominibus, qui per veram fidem Deo iam ſunt reconciliati.

* *Externus* nimirum finis vocatur, qui in agentis poteſtate poſitus non eſt. Talis eſt fides & ſalus aliorum hominum. Ob varia enim, quae ipſimet ſubinde obiiciunt, impedimenta, finis hicce non ſemper obtineri poteſt. Sunt enim, proh dolor! plurimi, qui ſpiritui ſancto reſiſtunt, *act. VII, 51.* & conſilium Dei de ſalute ſua ad perniciem ſuam contemnunt, *Luc. VII, 30.* *Internus* vero is dicitur, qui ſemper, ſi modo media rite & ſerio adhibeantur, obtineri poteſt, etſi idemtidem hominum culpa aliquando non obtineatur. Talis eſt, vt homo Dei ἄρτιος fiat, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, vt ex *2. Tim. III, 17.* iam indicauimus. Vtrumque autem finem, qui rerum ſacrarum ſtudio deditiſunt, & doctorum aliquando munere in eccleſia fungi cupiunt, ita ſibi propoſitum habeant neceſſe eſt, vt ad eum conſequendum, omnes animi & ingenii neruos intendant. Alium autem finem, qui in theologiae tractatione ſibi conſtitutum habent, non tantum graui ſe obſtringunt crimine, dum animo profano ad rerum ſacrarum tractationem accedunt, ſed in ipſo limine ſtatim a recto aberrant tramite. Quo nomine cumprimis male ſibi conſulunt, qui aut gloriae ſtudio, aut ad commoda huius vitae obtinenda, ad ſacra haecce accedunt. Id namque nefas eſſe, vel inde intelligitur, quod gloriae ſtudium cum vera fide conſiſtere nequeat, iuxta illud ſeruatoris: *qui poſſitis credere vos, qui & alii ab aliis gloriam accipiatis, neque gloriae, quae a ſolo Deo eſt, ſtudeatis? Ioan. V, 44.* Iſta praeterea & gloriae, & commodorum huius vitae ſectatio, cum abnegatione ſui conſiſtere nequit, quam tamen diſcipulorum ſuorum characterem ipſe ſeruator eſſe voluit, *Matth. XVI, 24. Luc. XIV, 26.* Hinc & per abnegationem ſui, euangelii ſe participem factum Paulus profitetur, exemplum relicturus omnibus, quod imitentur, *1. Cor. IX, 23.* Ipſe denique ordo ſalutis hoc omnes condocere poteſt, qui in eo conſiſtit, vt per crucem ad ſalutem tendamus: *per multas* enim *calamitates nos in regnum caeleſte intrare oportet, actor. XIV, 22.* Vnde itidem ſeruator a diſcipulis ſuis requirit, vt crucem ſuam in ſe ſuſcipiant, *Matth. XVI, 24.* & *Luc. XIV, 27.* Ipſius quoque ſeruatoris exemplo hoc comprobat Paulus, *Phil. II, 5. ſeq.* conf. & *Rom. VIII, 17.* Immo pſeudo-apoſtolorum hunc eſſe characterem, vt crucem Chriſti fugiant, idem apoſtolus docet, *Phil. III, 19.* Eiusque rei & id nos admonere poterat, quod theologia, cui operam damus, *viatorum* vocari ſoleat; cum ea, quae hominum eſt, qui iam in patriam peruenerunt, ſeu *gloriae*, alterius vitae ſit. Viatoribus autem cum plurimis incommodis colluctandum, nec aliud quid illis agendum, quam vt ad metam perueniant, nemo ignorat; conſ. *Phil. III, 14.* Quanti autem referat, finem atque ſcopum recte conſtitutum habere, ex verbis ſeruatoris, *Matth. VI, 22, 23.* ſatis intelligitur.

§. XLVIII. Nec tamen quaelibet rerum diuinarum cognitio ſtatim theologum efficit. Quin immo talis requiritur, quae cum facultate,

tate, res diuinas iterum alios docendi, atque eas confirmandi, ac contra diſſentientium inſultus defendendi, ſit coniuncta. Vnde, quodnam inter *fidem* & *theologiam* intercedat diſcrimen, intelligitur. Nec enim quilibet chriſtianus ſeu verae fidei particeps, ſtatim theologus eſt: quemadmodum vice verſa admodum ἀκύρως is theologus diceretur, qui verae fidei expers eſt. *

* Sunt enim omnes vere credentes equidem θεοδίδακτοι *Ioan. VI, 45.* ſed non omnes ſunt, aut eſſe poſſunt διδάσκαλοι *Epheſ. IV, 11.* Vt enim docentis quis munere fungi poſſit, quod theologorum eſt, amplius quid requiritur. Rurſus tamen omnis διδάσκαλος, ſi vndequaque & in omnibus partibus recte hoc munere fungi velit, debet eſſe θεοδίδακτος, adeoque & vera in Chriſtum fide praeditus. Quod enim ad quemlibet vere chriſtianum requiritur, eo multo magis theologum, ſeu doctorem, qui aliis viam ſalutis monſtrare & doctrina, & exemplo debet, inſtructum eſſe oportet. Hinc vero & diſcrimen, quod inter theologiam & fidem intercedit, intelligitur. Fides ſine iſta facultate docendi, aliosque erudiendi, quae ad theologiam requiritur, eſſe poteſt: ſed habitus ille docendi, & alios in rebus diuinis erudiendi, abſque fide ſpectatus, ſi adcurate, & ad ductum ſacrarum litterarum loqui velis, non niſi improprie theologia vocatur. Theologia enim fidem includit, adeoque & eiusmodi cognitionem, quae fidei eſt, & qualem hactenus deſcripſimus, connotat: id quod & ſynonyma iſta theologiae, quae ſupra ad §. XXXVII. ex ſcriptura ſacra recitauimus, ſatis ſuperque comprobant. Hinc vero etiam, vti & ex reliquis, quae hactenus diſſeruimus, adparet, theologiam eſſe habitum non *naturalem*, ſed *ſupernaturalem*, eumdem tamen ſimul adquiſitum. Quemadmodum enim homo ψυχικὸς non cognoſcit ea, quae ſunt ſpiritus Dei, *1. Cor. II, 14.* ita nemo quoque naturae viribus *ad Chriſtum venire*, inque eum credere *poteſt, niſi pater caeleſtis illum trahat:* qua demum ratione θεοδίδακτος euadit, *Ioan. VI, 44, 45.* Nemo quoque fidem ſibi ipſi largiri poteſt, *1. Theſſ. III, 2.* quam potius a Deo ipſo accipimus, qui per ſingularem ſuam miſericordiam nos regenerat, hoc eſt, fidem in nobis producit, *1. Petr. I, 3.* Vnde & *ipſius opus* dicimur, *Epheſ. II, 10.* Praeterea vt intellectus ad adſenſum primae veritati reuelanti, & quidem fide diuina, praebendum, ſimulque voluntas ad obſequium flectatur, id non hominis, ſed Dei ipſius eſſe, nemo non intelligit. Neque tamen immediate hoc Deus in nobis efficit, ſed per verbum, ex cuius legitima tractatione, non excluſo ſacramentorum vſu, a Deo praeſcripto, fides in nobis accenditur, & corroboratur, *Rom. X, 14. Iac. I, 18.* Vnde ſimul intelligimus, quo pacto theologia, etſi habitus ſupernaturalis, tamen habitus ſit adquiſitus. Vt enim ipſa fides per media gratiae recte adhibita accenditur, & augetur, ita etiam facultas illa amplior docendi veritatem diuinam, explicandi, defendendi, etſi itidem donum Dei ſit, *Iac. I, 17.* ſine legitimo tamen mediorum vſu nemini obtingit. Media vero illa, quibus iſte habitus comparatur, ſummatim beatus Lutherus noſter complexus eſt, quando tria theologum facere dixit, *orationem*, *meditationem*, *tentationem.* Quod & praeter alios, qui ex inſtituto de methodo diſcendi theologiam egerunt, ediſſeruit fuſius CALOVIVS, in *paedia theolog.*

§. XLIX. Ex dictis etiam conſequitur, eum, qui iure meritoque theologus dici poteſt, * non alium eſſe, quam hominem vera fide prae-

Digitized by Google

ditum, ſeu regenitum. ** Idque vel inde conſtat, quod homo ψυχικὸς ſibi relictus atque naturalis, non recipiat, ſeu adſenſu vere diuino amplectatur ea, quae ſunt ſpiritus Dei, *1. Cor. II, 14.* *** quodue eius cognitio naturalis ſaltem ſit, cum tamen theologia reuelata ſupernaturalem requirat; * hinc & quod nec certa ſit, adſenſu quippe diuino, quem ſolus ſpiritus ſanctus operatur, deſtituta; *2. Cor. III, 5.* multo autem minus viua & efficax, ea quidem ratione, vt actu efficacia eius ſeſe exſerat, fructuum quippe, qui vitam eius demonſtrare debebant, expers; *Matth. VII, 21. ſeq.* **

* Subiectum nimirum theologiae intelligimus, & quidem *quod*, ſeu vt in ſcholis loqui ſolent, *denominationis*. Subiectum enim *quo*, ſeu *inhaeſionis*, animam eſſe cum nemo dubitet, monere etiam ſuperuacaneum eſt.

** Per *regenitum* eum intelligimus, qui in ſtatu regenerationis eſt conſtitutus, adeoque vera fide praeditus. Etſi enim omnes, qui in infantia baptizantur, etiam ſimul regenerentur, *Tit. III, 5.* non tamen omnes in hocce ſtatu permanent, ſed plurimi per peccata proaeretica ſpiritum ſanctum iterum excutiunt, fidemque adeo amittunt. Atque hi quidem recte irregeniti dicuntur; non ac ſi numquam regeniti eſſent, ſed quod ex ſtatu hocce exciderint. Regeniti itaque vice verſa illi dicuntur, qui reuera in hocce ſtatu conſtituti ſunt, veraeque adeo fidei ſunt participes; ſiue numquam eo ſtatu exciderint, ſiue per veram ſeriamque poenitentiam in eumdem ſint reſtituti.

*** Vt vim argumenti eo rectius capiamus, verba apoſtoli *1. Cor. II, 14.* paucis conſiderabimus. Per hominem itaque ψυχικὸν Paulus intelligit hominem ſolius naturae viribus inſtructum, gratiaque & fide deſtitutum, quantumuis ceteroquin ingenio, doctrina & ſapientia humana praeſtantem. Opponit enim ψυχικὸν τῷ πνευματικῷ *v. 15.* Spiritualis autem, ſeu πνευματικὸς non alius eſt, quam qui ex aqua & ſpiritu eſt regenitus, *Ioan. III, 15.* vnde & ſtatim ibidem ſeruator addit: *Quidquid ex carne genitum eſt, caro eſt, & quidquid ex ſpiritu genitum eſt, ſpiritus eſt.* Eſt itaque ψυχικὸς idem ac σαρκικὸς *carnalis*, cum voces σὰρξ & πνεῦμα eodem ſenſu ſibi opponi ſoleant, *Rom. VII, 14. VIII, 6, 7.* Hacce voce autem apoſtolum eos quoque denotare, qui ceteroquin ingenio & ſapientia humana praediti ſunt, ex *v. 6.* liquido conſtat, vbi inter eos, quos τοῖς πνευματικοῖς opponit, etiam τοὺς ἄρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου refert, quales erant ſacerdotes, ceterique Iudaeorum proceres, qui Chriſtum cruci adfigi curarunt, & prae reliquis diuinae legis ſcientiam exquiſitam ſibi vindicabant. De eiusmodi homine ψυχικῷ Paulus dicit: οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. Vbi quidem eum per τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ, intelligere τὴν σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην *&c. v. 7.* res ipſa aperte docet. Totam nimirum euangelii doctrinam, cum integro ordine ſalutis, quorſum & adplicatio, iuxta huncce ordinem rite inſtituta, pertinet, innuit. Et hanc quidem licet homo ψυχικὸς hactenus percipiat, vt notiones de iis, quae in doctrina euangelii occurrunt, in animo ſuo formet, non tamen δέχεται, *recipit*, ſeu adſenſu vero atque diuino eam comprobat. Ita enim & alibi vocem δέχεσθαι accipi, conſtat; conf. *Luc. VIII, 13. act. XVII, 11. 1. Theſſ. II, 13.* Rationem autem reddituras apoſtolus, cur homo ψυχικὸς quae ſunt ſpiritus Dei, recipere nequeat, μωρία γὰρ, inquit, αὐτῷ ἐστι, καὶ οὐ δύναται γνῶναι. Certe, cum doctrina euan-

euangelii non tantum multa, quae ſupra rationem ſunt, contineat, ſed eum ordine ſalutis rite quoque ſit applicanda, mirum non eſt, quod hominibus ſibi relictis, ſeu ψυχικοῖς ſit ſtultitia: adeoque eam cognitione tali, quae cum adſenſu diuino coniuncta, hinc & ſalutaris ſit, cognoſcere nequeant. Sunt equidem haud pauci, qui vita, moribusque ſe ψυχικοὺς eſſe, ſatis ſuperque teſtantur, & nihiloſecius de veritate myſteriorum diuinorum, e. g. trinitatis in vna eſſentia diuina, incarnationis, &c. adeo non dubitant, vt acriter potius ea propugnent: verum, ſi obſeruemus, Paulum non de fide, quae doctrinae euangelicae praebetur, humana, ſed diuina; deque cognitione non mortua & ſterili, ſed viua, efficaci, & ſalutari; nec de myſteriis tantum, ſed ſimul de integro ſalutis ordine, eiusdemque legitima adplicatione loqui, hocce eius effatum in quoslibet ψυχικοὺς egregie quadrare, facile deprehendemus. Idque & ab eodem apoſtolo ſubiuncta ratio confirmat: ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Ab homine enim ψυχικῷ, qualiscumque demum ſit, πνευματικὴν ἀνάκρισιν fruſtra exſpectaueris. Comprobari autem vlterius noſtra adſertio poteſt, ex omnibus illis ſcripturae dictis, in quibus vera Dei cognitio ſolis regenitis, ſeu vere in illum credentibus, tribuitur, *1. Ioan. II, 4. Ioan. VIII, 55. XIV, 21.* conf. & *pſalm. XXV, 14.* itemque ex illis locis, in quibus illuminatio illis tribuitur, qui reuera ad Deum conuertuntur, reliqui autem, qui non conuertuntur, in tenebris verſari, atque manere dicuntur; *Epheſ. IV, 18. V, 8, 14. act. XXVI, 18.* conf. & *Ioan. I, 5. III, 19.* Et quid multis opus eſt verbis? nonne diſerte Chriſtus dicit: *mundum non poſſe* (οὐ δύναται) *accipere ſpiritum veritatis? Ioan. XIV, 17.* Quaenam autem haec erit cognitio, quae a ſpiritu veritatis non eſt profecta? num theologiae nomine digna?

* Vt *ad §. praecedentem* ex inſtituto demonſtrauimus; conf. *Matth. XI, 25. XVI, 17. Epheſ. I, 17. 18. Coloſſ. I, 9. 10. 1. Io. II, 27.*

** Conſtant haec ex iis, quae §. 42. & 43. de genuina *ſcientiae* ſeu *cognitionis*, prout omnium vere credentium, multo magis theologorum eſſe debet, indole diximus. Quae enim ita comparata eſt cognitio, vt ſine fide eſſe nequit, ita in ſolos quoque regenitos cadit. Irregeniti equidem hominis cognitionem, ſi modo notiones de rebus diuinis ſcripturae ſacrae conformes, animo concipiat, veram, in ſenſu quem vocant logico, dici poſſe, lubens largior; qua quidem ratione nec theologi nomen illi denegandum fuerit. Qua ratione ſi quis *theologiae* voce vti velit, cum eo non litigabimus, modo & nobis genuinam eius faciem, iuxta modum loquendi in ſcriptura ſacra vſitatum, exhibere liceat. Sed res omnis eo redit, vt diſpiciamus, quaenam veritatis ſit notio, quando cognitio hominis non regeniti, adeoque & eius theologia vera eſſe aut adfirmatur, aut negatur. Si eam cognitionem veram vocamus, quae in conceptuum noſtrorum conformitate cum rebus in ſcriptura ſacra reuelatis conſiſtit, non abnuimus, etiam irregeniti hominis cognitionem veram dici poſſe: atque hac ratione loca quaedam ſcripturae, in quibus impiis aut ethnicis vera quaedam cognitio tribuitur, vt *Luc. XII, 27. Rom. I, 18.* intelligenda. Contra, ſi ea demum cognitio vera dicatur, quae ſimul genuina & ſalutaris, hinc & cum vera fide coniuncta ſit, idque ſecundum loquendi modum in ſcriptura ſacra vſitatum, irregeniti hominis cognitionem hocce nomen non promereri, adeoque & hoc ſenſu theologiam dici non poſſe, manifeſtum eſt. Quare ſi vel maxime priori ſenſu vera dicatur, non tamen *genuina*, aut *veri nominis* erit theologia.

§. L. Obſer-

§. L. Obſeruare autem iuuabit, ſermonem hic nobis eſſe de theologia, prout habitum homini inhaerentem denotat. Si enim vox haecce pro ipſa doctrina, ex litterarum ſacrarum fontibus hauſta, accipiatur,* dubium nullum eſt, quin theologiae, ſi modo ſcripturae ſacrae conformis ſit, ** eadem, quae ſcripturae ipſi, qua materiam ſpectatae, conueniunt, tribui queant. ***

* Eſt & haec non infrequens hodie vocis iſtius ſignificatio, quemadmodum & vox *fidei* aliquando pro ipſa doctrina fidei accipitur, vt *Gal. I, 23.* A priori autem ſollicite vt eam diſcernamus, par eſt, niſi vires plane diſtinctas inter ſe miſcere velimus, vnde foecunda inutilium de verbis certaminum ſeges.

** Poteſt namque hoc ſenſu & irregenitis theologia tribui. Fieri enim poteſt, vt eiusmodi homo ex ſcripturae ſacrae, aliorumque librorum lectione, tales animo ſibi formet notiones, quae rerum ſacrarum conceptibus, prout in ſcriptura ſacra proponuntur, reſpondeant. Atque tum quidem eiusmodi hominis doctrina, ſeu theologia, reuera, ſi rem ipſam ſpectes, eſt ipſius ſcripturae ſacrae, ſeu, quae in ea continetur, doctrina. Quodſi vero notiones eiusmodi hominis conceptibus atque notionibus ſcripturae ſacrae aut plane non, aut non adcurate reſpondeant, aliter quoque erit cenſendum. Idque quin ſubinde contingat, quando profani, impiique homines de rebus diuinis aut cogitant, aut loquuntur, vel ipſa humanae indolis conſideratio nos dubitare non ſinit. Nihil enim eſt frequentius, quam vt mortales dogmata atque ſententias, quas de rebus diuinis fouent, prauis ſuis adfectibus adcommodent: ſaltem in adplicatione ita verſentur, ne temere ſententiam contra ſe ipſos pronuntiare cogantur. Eiusmodi autem homines merito omnium miſerrimos dixeris. Per vitia enim ſua, prauosque adfectus aut ita excaecantur, vt lucem clariſſimam non videant, & caeci caecorum ductores, vna cum iis, quibus viam monſtrare cupiunt, in praecipitia ruant, *Matth. XV, 14.* aut ſi veritatem cognitam perſpectamque habent, numquam non vel inuiti contra ſe ipſos ſententiam pronuncient, iuxta diſertiſſima ſeruatoris effata, *Matth. VII, 21. ſeq. Luc. XII, 47.* conf. & *Rom. II, 18. ſeq.* it. *pſalm. L, 16. ſeq.*

*** Eſt enim haec doctrina ex ſcriptura ſacra hauſta, eidemque plane conformis, ipſum verbum Dei, adeoque & quin vera, diuina, ratione originis, & cum efficacia & vi quadam ſupernaturali coniuncta ſit, dubitari nequit. Hinc vero & ſequitur, ſi recte qua omnes partes, obſeruato ordine ſalutis, cum adplicatione, quam res ipſa poſtulat, proponatur, poſſe per eiusmodi doctrinam, ſi vel maxime ab irregenitis proferatur, homines conuerti, illuminari, regenerari, in fide confirmari, in aduerſis erigi, & ita tandem ad ſalutem æternam perduci. Hosce doctrinae iſtius, ſimilesque effectus ſpirituales, libenter admittimus, ſi modo recte, & vt decet, proponatur. Id autem ab hominibus, luce & ſapientia deſtitutis diuina, non ſemper fieri, facile mecum, qui paullo adcuratius cuncta ponderauerit, agnoſcet.

§. LI. Haec, quae diximus, ſi rite conſiderentur, patebit, cauſſam efficientem tum theologiae, tum finis, ad quem comparata eſt, intuitu, aliam eſſe non poſſe, quam ipſum Deum. Quemadmodum enim in ſpiritualibus nemo mortalium ſibi ipſi quidquam absque gratiae viribus aut

aut dare, aut tribuere; ita multo minus ea largiri poteſt, quae ad theologiae habitum requiruntur. * Veram autem, aeternamque ſalutem, quae vltimus theologiae finis eſt, ſolius Dei munus eſſe, eo minus dubitandum, quo apertius ſcriptura hoc teſtatur, *Rom. VI, 23. Epheſ. II, 8.* Idemque & de fide, ceu fine intermedio cenſendum, *2. Theſſal. III, 8.* De reliquis autem ſalutis cauſſis ** cum ſuo loco dicendum ſit, aliquid addere ſupervacaneum fuerit.

* Cum enim dona quaeuis naturalia Deum auctorem habeant, *Iac. I, 17.* multo magis de ſpiritualibus hoc eſt dicendum; cum *ſolus Deus* ſit, qui *in nobis & velle & perficere operetur*, *Phil. II, 13.* Theologiam autem eſſe habitum ſupernaturalem, ſimul tamen per media ab ipſo Deo praeſcripta adquiſitum, ſupra ad §. 48. luculenter euicimus. Eodem ſenſu & habitus θεόσδοτον a quibusdam dici ſolet. Cum etiam quilibet vere in Chriſtum credentes ſint θεοδίδακτοι; *Ioan. VI, 45.* multo magis theologi, ſi nominis iſtius menſuram impleant, tales erunt.

** Impulſiua ſcilicet tum interna, tum externa, itemque inſtrumentali &c.

§. LII. Cum diuerſimode, quae cognitu ad ſalutem ſunt neceſſaria, & diuinitus in ſcriptura ſacra reuelata, tradi ſoleant; * hic tamen ea tractandi theologiam ratio, qua dogmata fidei, iuſto ordine diſpoſita, & apte inter ſe coniuncta, exhibentur, in cenſum venit. Atque haec cum exquiſitiori quodam ſtudio inſtitui queat, illis; qui ad ſublimiora ducuntur, inſeruitura, vel ſimpliciorum ingenio adcommodata, ** illa quidem in ſyſtematica, quam vocant, theologia maxime conſpicitur: quae, licet variis incommodis & abuſibus obnoxia ſit, ob commoda tamen non minora, euitatis ſedulo, quae eam comitari ſolent, vitiis, merito retinetur. ***

* Interdum enim ipſius ſcripturae ſacrae aut integri libri eo, quo ſcripti ſunt, ordine, aut dicta quaedam, vel particulae ex illis excerptae, explicantur, ſimulque, quae in iis continentur dogmata, euoluuntur, aliquando etiam ad fidei atque vitae praxin traducuntur, vnde theologia tum *exegetica*, tum *homiletica*: aliquando autem dogmata ipſa, ex ſcriptura hinc inde hauſta, iuſtoque ordine diſpoſita, exhibentur, vnde theologia tum *catechetica*, tum *ſyſtematica*, de qua nunc plura dicemus.

** Quae ſimpliciorum, rudiorumque hominum captui eſt adcommodata, *exoterica* etiam, quae autem exquiſitiori cura, methodoque ſcholae attemperata traditur, vt ad ſublimiora tendentibus inſerviat, *acroamatica*, vocibus ex philoſophia Ariſtotelica repetitis, vocari ſolet. Quod tamen non ita capiendum, ac ſi quoad rem ipſam diſcrimen intercedat, aut illa dignitate vel vtilitate huic cedat. Quin immo vtraque, ſi recte ſe habeat, verbum diuinum, licet diuerſa methodo, proponit, illaque non minus neceſſaria, quam haec eſt, quandoque etiam plus vtilitatis atque commodi adfert; etſi hac quoque, ſi veritas diuina contra diſſentientes defendenda ſit, carere nequeamus. Exoterica alias etiam *catechetica* vocatur, voce iam pridem non tantum in eccleſia noſtra, ſed & veteri, recepta. Immo verbum κατηχεῖν *Act. XVIII, 25.* ita accipi videtur, vt, *prima religionis chriſtianae elementa ſeu rudi-*

menta viua voce tradere, ſignificet. Apollos enim κατηχημένος dicitur τὴν ὁδὸν κυρίου, hoc eſt, primis religionis elementis imbutus, cum Aquila & Priſcilla ἀκριβέστερον *adcuratius* deinceps viam domini illi expoſuerint, *v. 26.* Fuiſſe autem omni tempore, etiam in veteri teſtamento, immo inter patriarchas, qui liberis ſuis atque ſeruis, aliisque hominibus ſimplicioribus, prima reuelatae religionis capita, pro captu illorum traderent, iſtorum hominum pietas nos dubitare non ſinit. Eo minus itaque dubitandum, apoſtolos, aliosque primitiuae eccleſiae doctores eodem officio functos. Certe Paulus apoſtolus diſerte hoc docet, quando *1. Cor. III, 2.* dicit: γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, quod de catechiſatione recte explicat CLEMENS Alexandrinus, *lib. I. paedag. c. 6.* Sed deinceps quoque non defuiſſe in veteri eccleſia, qui in pueris atque ſimplicioribus inſtituendis, primisque doctrinae chriſtianae elementis iis inſtillandis, operam ſtudiumque collocauerint, vel eccleſiae Alexandrinae exemplo patet, in qua Pantaenum, Origenem, atque Clementem Alexandrinum hocce functos munere conſtat. A vero etiam non abhorret, fuiſſe, qui eiusmodi doctrinae chriſtianae elementa litteris conſignarint: quamquam nihil eorum, quae ante quartum ſaeculum conſcripta ſunt, hodie ſuperſit. Tum vero CYRILLVS Hieroſolymitanus vixit, cuius *catecheſes XVIII*, cum *catecheſibus myſtagogicis*, antiquiſſimae ex illis ſunt, quae ad noſtram aetatem peruenerunt. Sed de origine, progreſſu, fatis theologiae catecheticae ex inſtituto diſſerui in *hiſtoria critica theologiae theticae*, quam ſelectis aliquando auditoribus tradidi; ex qua nonnulla *vindiciis* ſuis *catecheticis* ſubiecit vir reuerendus & doctisſimus IO. MARTINVS SCHAMELIVS. Sed & in *praefat. B. Fridem. Bechmanni adnotationibus vberioribus in Conradi Dieterici inſtit. catechet.* praemiſſa, nonnulla *de origine & auctoritate catechiſmi* commentatus ſum.

*** Quae methodo acroamatica dogmata ſacra tradit theologia, *thetica*, itemque *poſitiua* vocari ſolet: quo nomine tamen hodie ſpeciatim ea pars theologiae venit, quae circa credenda verſatur, ſicuti, quae agenda iuſto ordine proponit, *moralis*, itemque *practica* vocari ſolet. Olim quidem haec coniungebantur, prouti & re ipſa ſunt coniunctiſſima. Nec tamen etiam quidquam obſtat, quo minus ſeorſim & credenda & agenda conſiderentur; modo id ſemper inculcetur, in ipſa fidei & vitae praxi credenda non poſſe ſine agendis eſſe, nec agenda ſine credendis. Sed hoc iam obſeruatum eſt in *inſtit. theol. mor. part. I. prolegom. §. 23.* Solet etiam ea theologiam tractandi ratio, qua cuncta cognitu ad ſalutem neceſſaria, iuſto ordine diſpoſita exhibentur, atque apte inter ſe connectuntur, *ſyſtematica* vocari: quamquam hodie ſpeciatim iſti rerum theologicarum commentarii, in quibus cuncta fuſius, & magno adparatu ediſſeruntur, & non tantum doctrinae ſacrae veritas adſtruitur, ſed & diſſentientium errores refutantur, ſyſtematum nomine venire ſoleant. Originem autem ſyſtematicae theologiae ab ipſis apoſtolis nonnulli deriuare adnituntur. Certe, quando Paulus Timotheo ſuo ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων commendat, *2. Tim. I, 13.* non deſunt, qui breuem, ac rudem deſignationem, ſeu formulam quamdam ac ſciagraphiam intelligunt, quam ex praeſcripto apoſtoli in conſpectu habuerit, cuiusque ductum in docendo ſequutus ſit Timotheus. Verum, cum etiam typum quemdam, ſeu ſummam doctrinae, quam quis animo comprehendit, vox haecce denotare queat, infirmo nituntur fundamento, qui de formula quadam litteris conſignata eam accipiunt. HVGO GROTIVS ὑποτύπωσιν per *exemplar* exponit, additque: *ſed intellige exemplar in*

in animo fixum, quod ἰδέαν Platonici vocant; ad h. l. Recte etiam ABR. CALOVIVS monet, *non rudem tantum delineationem, vti nec ſolam docendi formam notari, verum inprimis ipſam doctrinae caeleſtis ſubſtantiam.* Summa autem quaedam doctrinae caeleſtis, quam quis animo comprehenſam habet, nondum ſyſtematis nomen, ſi adcurate loqui velimus, promeretur. Sed de ὑποτυπώσει illa Pauli legi quoque merentur, quae HERM. WITSIVS diſſerit, *miſcellan. ſacror. tom. II. exercit. 16. p. 561.*

Enimuero, vt tractatio quaedam ſyſtematicae theologiae nomine venire queat, duo cumprimis requiruntur, primo, vt omnia cognitu ad ſalutem neceſſaria plene, deinde & iuſto ordine, & apta quadam connexione, exhibeat; neque exhibeat modo, ſed & explicet, probet, atque confirmet. Fruſtra itaque in eiusmodi ſcriptis, vbi dogmata fidei, ſed non omnia, aut non apta, iuſtaque connexione adducuntur, aut non explicantur, ac confirmantur, ſyſtema aliquod theologiae quaeſiueris, niſi vocibus puerorum more ludere velis. Quando itaque Paulus *Ebr. VI, 1, 2.* ſumma quaedam doctrinae chriſtianae capita commemorat, ne vmbram quidem, nedum imaginem theologiae ſyſtematicae ibi deprehendere licet. Sed nec veterum quorumdam eccleſiae doctorum ſcripta, in quibus quaedam doctrinae chriſtianae capita attingunt, vt IGNATII *epiſtola ad Magneſianos*, IVSTINI *expoſitio fidei*, (quae tamen inter ſcripta ſpuria referenda) THEOPHILI Antiocheni *libri tres ad Autolycum*, & alia quaedam eiusdem generis, ſtatim pro compendiis aut ſyſtematibus theologicis habenda. Non enim omnia doctrinae chriſtianae in hiſce proponuntur capita, nec iuſto ordine, multo minus ita vt decet, explicantur & confirmantur. Pari ratione de CLEMENTIS Alexandrini *paedagogo*, GREGORII Nazianzeni *orationibus quinque de theologia*, ſimilibusque ſcriptis cenſendum, quae ſyſtema aliquod theologiae continere nemo adſeret, niſi qui aut numquam ea inſpexit, aut, quid ſyſtema ſit, neſciat. Quod & de *ſynopſi ſcripturae*, quae inter opera ATHANASII exſtat, & ipſi ATHANASIO inſuper perperam tribuitur, longe eſt maniſeſtiſſimum. Immo nec de ORIGENIS libris περὶ ἀρχῶν hoc dici poſſe, alibi oſtenditur, etſi non deſint viri docti, qui eos pro primo theologiae chriſtianae compendio habeant: quos inter & GEORG. CALIXTVS eſt, in *adparatu theol. p. 122.* CYRILLVS equidem Hieroſolymitanus praecipua fidei capita in catecheſibus ſuis ediſſerit, omnesque ſymboli Hieroſolymitani articulos fuſe explicat, & adeo iudice THOMA MILLES, in *praefat.* operibus eius praemiſſa, *totum theologiae corpus abſoluit.* Ordinem tamen iſtum partiumque nexum, qui vel maxime ſyſtematicam theologiam decet, fruſtra hic, & in aliis eiusdem generis ſcriptis quaeras. Idem & de AVGVSTINI quibusdam ſcriptis obſeruandum, in quibus ſummam quamdam doctrinae chriſtianae exhibere videtur, inter quae eminet *enchiridion* eius *ad Laurentium*, compendium equidem velut quoddam, at minime ſyſtematica ratione conſcriptum, exhibens. Quo iure autem libri eius *de doctrina chriſtiana* huc referantur, neſcio, cum in iis id praecipue agat, vt veram rationem ſcripturam interpretandi monſtret. Id tamen negare nolim, AVGVSTINVM ſubinde in ſcriptis ſuis paullo curioſius philoſophando, exemplum praebuiſſe ſcholaſticis, quos vocant, quod imitarentur, a quibus vera theologiae ſyſtematicae origo repetenda.

Propius, vt reliquos nunc praetermittam, qui perperam huc aduocantur, ad ſyſtematicam tractandi theologiam rationem acceſſit IO. DAMASCENVS, qui octauo poſt natum Chriſtum ſaeculo floruit, in notiſſimo *de fide orthodoxa* opere.

Digitized by Google

Nullum certe ſacrae doctrinae caput, quod cognitu dignum iudicauit, praetermiſit, nec ordine quodam tractatio eius deſtituitur: quamquam ſimul multa admiſceat, quae plane ad theologiam non pertinent. Eumdem eum, quem THEODORETVS in *diuinorum dogmatum epitome* (ſeu *haereticarum fabularum lib. V.*) inſtituerat, ordinem tenere, at non item methodum, nuperus operum Damaſceni editor, MICHAEL LEQVIEN obſeruat, in *prologo* in huncce librum *tom. I. p. 118. Ille enim,* inquit, *ex proprii ingenii molimine, adductis ſacrae paginae teſtimoniis, aduerſus haereticos varia componens argumentorum genera, compendiariam theologiae digeſſit tractationem: noſter vero* (Damaſcenus) *non ex ſcriptura ſolum, verum etiam ex conglobatis ſanctorum patrum ſententiis, ea qua par erat, tum perſpicuitate, tum breuitate, inexhauſtum traditionis promtuarium protulit.* Qua quidem in re ſcholaſticis doctoribus exemplum praeiuit, quippe qui itidem ſententias patrum compilando, theologiae ſyſtemata condiderunt. Acceperitne autem IO. DAMASCENVS ſuam, quam tenuit, tractandi rationem a Syris, aut Arabibus, vt HOTTINGERO placet, *hiſt. orient. l. 2. c. 7.* nunc non diſquiram. Id ſaltem adhuc obſeruare iuuabit, opus iſtud IO. DAMASCENI *de orthodoxa fide* apud Latinos in quatuor vulgo libros diuidi. Eius vero partitionis veſtigium, cum in nullo codice graeco adpareat, non ſine ratione is, quem antea laudauimus, LEQVIEN coniicit, eam a Latinis excogitatam, introductamque fuiſſe ad inſtar quatuor librorum ſententiarum Petri Lombardi.

Eam, quam in orientali eccleſia IO. DAMASCENVS inſtituit theologiam tractandi rationem, in occidentali etiam ſequuti ſunt, qui patrum ſententias de dogmatibus fidei congeſſerunt, & in certos locos diſtribuerunt; a quibus vera & genuina, vt ſcholaſticae, ita ſyſtematicae theologiae deriuanda eſt origo. Inter hos primo loco a quibusdam commemoratur TAIO ſeu TAGO, epiſcopus Caeſarauguſtanus, qui circa medium ſaeculi ſeptimi claruit, & ex Gregorii magni ſcriptis collegit *ſententiarum libros quinque*, ſeruatis ipſius Gregorii verbis, paucis, vbi ea deſunt, ex Auguſtino ſuppletis; vid. MABILLONIVS, *de ſtudiis monaſticis, part. 2. c. 6. p. 284.* Idem cum deinceps & alii ſequerentur inſtitutum, ſimul vero philoſophiam, quam ex corruptis Ariſtotelis fontibus hauſerant, cum theologia coniungerent, ſenſim ſcholaſtica illa, ſimulque ſyſtematica theologia enata eſt. Eius quidem originem nonnulli a Lanfranco, Cantuarienſi archiepiſcopo repetunt, qui ſaeculo vndecimo floruit; vt DANAEVS, *prolegom. in Petri Lombardi libros ſententiarum.* Quamquam, ſi eousque adſcendendum ſit, alii potius Rozelinum, ſeu Roſcelinum, nominandum cenſeant, Compedienſem dialecticum, & Petri Abaelardi praeceptorem, qui ſi non primus, certe inter primos fuit, qui corruptam Ariſtotelis philoſophiam cum theologia coniunxerunt. Nec vero etiam deſunt, qui aut ipſum Abaelardum, aut diſcipulum eius, Petrum Lombardum, pro ſcholaſticae theologiae primo auctore habent. Quae tamen inter ſe conciliari ſententiae poſſunt, ſi occaſio ab re ipſa, ſeu tempus conceptionis a tempore natiuitatis diſtinguatur. Qui ante Petrum Lombardum philoſophiam cum theologia coniunxerunt, & dialecticis ſubtilitatibus doctrinam theologicam obruerunt, occaſionem dederunt theologiae ſcholaſticae, quam demum, ceu partum iam maturum, condendo *libros ſententiarum,* enixus eſt Petrus Lombardus. Etenim, etſi ea aetate alii quoque libros ſententiarum ſcriberent, Lombardus tamen magnam prae reliquis omnibus conſequutus eſt auctoritatem. Legenda IAC. THOMASII, *de theologia ſcholaſtica, eiusque initio, commentatio,* in

CHRIST.

CHRIST. THOMASII *hiſtoria ſap. & ſtult. tom. III. p. 231. ſeq.*

In iſtis itaque ſententiarum libris, cum omnia doctrinae ſacrae capita certo ordine & nexu, iuxta indolem philoſophiae Ariſtotelicae, exhiberentur, ſyſtematica ſimul theologia exorta eſt. Neque ideo improbanda eſt, aut reiicienda haec theologiam tractandi ratio, ſi caute atque ſobrie inſtituatur. Etſi enim ſcholaſtica theologia non ſine ratione male audiat, non omnia tamen, quae ſcholaſtici doctores, aut a maioribus acceperunt, aut ipſi excogitarunt, prorſus reiicienda ſunt. Theologiam, quam tradiderunt, quod non ex puris ſcripturae fontibus hauſerunt, ſed patrum ſententiis ſuperſtruxerunt; philoſophiae ex Ariſtotele, ne recte quidem intellecto, hauſtae, in rebus theologicis quod nimium indulſerunt; variisque, iisque ſubinde grauiſſimis erroribus, ineptiſſimis porro & nullius momenti quaeſtiunculis, ſanam doctrinam non tam conſpurcarunt, quam prorſus deformarunt: haec, inquam, & quae id genus alia ſunt, merito reprehenduntur, & reprehenſa quoque ſubinde ſunt, ab iis praeſertim, qui ex inſtituto de vitiis & incommodis theologiae ſcholaſticae commentati ſunt, SARCERIO, BINDERO, HIMMELIO, TRIBBECHOVIO, aliisque. Doctrinae autem ſacrae capita, quod plene, iuſtoque & apto ordine proponere conati ſunt, quod ſyſtematicae theologiae proprium eſt, ecquis vituperio dignum cenſeat? Quare &, cum opera beati Martini Lutheri noſtri melioris doctrinae lux eccleſiae noſtrae adfulgeret, repudiatis atque reiectis ſcholaſticorum quisquiliis, ſyſtematicam tamen theologiam retinendam cenſuerunt noſtrates, ſed ea lege, vt ex ipſis ſcripturae fontibus hauſta ſobrie tractaretur, nec ipſius ſcripturae ea quidquam derogaretur pretio; cumprimis autem, vt ſedulo caveretur, ne, quae in ſcholaſticis beatus Lutherus ipſe, & alii cum eo damnauerant vitia, poſtliminio reducerentur. Quod, ſi vel maxime ab omnibus ea, qua par eſt, ratione, obſeruatum non ſit, non ideo iuſta enaſcitur cauſſa, omnem ſyſtematicam tractandi rationem reiiciendi. Nec enim video, quid prohibeat, quo minus quae cognitu ad ſalutem neceſſaria ſunt, ex ſcripturae ſacrae fontibus hauſta, iuſto ordine diſpoſita, riteque inter ſe deuincta, proponantur, explicentur, confirmentur; modo veritati cuncta ſint conſentanea, & ad fidei ſimul, & vitae praxin referantur, iis vna, quas antea indicauimus, obſeruatis legibus. Id vero eſt, quod nos ſyſtematicam theologiam vocamus. Nec vocum quarumdam, aut terminorum, conſuetudine receptorum, quemquam offendere vſus poterit, cum abuſum ipſimet procul abeſſe iubeamus; ſobrie autem & caute ſi adhibeantur, ad perſpicuitatem, pariter ac inutiles ambages euitandas, plurimum faciant.

§. LIII. In hacce, quam hactenus de religione tum generatim, tum ſpeciatim reuelata & chriſtiana, itemque theologia, expoſuimus, doctrina, non vna ratione a recto tramite homines aberrant. Cuius rei partim in eo quaerenda cauſſa eſt, quod rationi, atque naturae viribus, plus quam decet, tribuant: * partim in eo, quod falſa quadam, temereque credita reuelatione, aut vera etiam vel non recte intellecta, vel corrupta ac mutilata, ſe ipſos pariter ac alios decipiant. ** Nec tamen defuerunt, qui recta, mediaque via incedentes, & extrema quaeuis euitantes, veritatem in hocce quoque doctrinae capite conſeruarunt, & inter varia fata propagarunt. ***

* Hoc primo atheorum exemplo patet, qui, vt Deum nullum credunt, ita religionem, ſeu Numinis cultum, pro ſuperſtitione habent, aut inter callida hominum commenta referunt: de quibus, cum abunde in *theſibus de atheismo & ſuperſtitione*, dictum ſit, nihil hic addo.

Fuerunt vero etiam, qui, licet generatim religionem quamdam admitterent, reuelatae tamen & neceſſitatem, & veritatem, praeſertim prouti aliquid tradit, quod rationis captum ſuperat, in dubium vocarunt: qui quidem *naturaliſtae* vocari ſolent. Hoc nimirum nomine, quod diverſimode ſumi ſolet, nunc eos intelligo, qui per ſolius rationis lumen, atque ex ſolis naturae viribus abſque reuelatione quadam a Deo profecta, homines ſalutem aeternam conſequi poſſe, ſibi perſuadent. Quo ipſo ſimul patet, non aliunde huncce errorem originem trahere, quam quod rationis ac naturae viribus, plus quam decet, eiusmodi homines tribuant. Hinc & mirum non eſt, exſtitiſſe omni tempore, qui in iſtum errorem praecipites ruerent. Idque, ſi gentiles ſpectes, vel philoſophorum, qui inter eos vixerunt, exempla docent. Cum enim religio gentilium ex corrupto rationis & reuelationis lumine, vt ſupra ad *§. 24.* demonſtrauimus, orta, in meram tandem, eamque longe ineptiſſimam ſuperſtitionem abiiſſet, fieri fere aliter non poterat, quam vt illi, qui rationis vſu prae reliquis pollebant, nec tamen ratione ipſa ad veram reuelationem inueſtigandam recte vtebantur, dum ſuperſtitionem euitare volebant, aut omnino in atheismum praecipites ruerent, aut ſaltem in naturaliſmo ſubſiſterent.

Atque huc etiam Iudaismum degenerem tendere, facile quiuis, paullo adcuratius cuncta ſecum expendens, intelliget. Poſtquam enim praecipuum reuelatae religionis caput, hominum cum Deo, per expiationem infiniti valoris reconciliationem, dimiſerunt, qui reliquis ratiocinandi facultate praeſtant, non poſſunt non religionem mere naturalem in Moſaica quaerere: qua quidem ratione haud difficulter tandem ad naturaliſmum deducuntur. Id quod tum aliis, tum maxime BODINI exemplo comprobari poteſt, quem per Iudaismum ad naturaliſmum tranſiiſſe, dudum viris doctis obſeruatum eſt; conf. DIECMANNI *ſchediasma, de naturaliſmo, cum aliorum, tum maxime Io. Bodini.*

Sed inter eos quoque, qui chriſtianorum nomine veniunt, numquam fere non fuerunt, qui naturaliſmo fauerunt, licet craſſiori ratione alii, alii ſubtiliori. Qui Chriſtum pro nudo habuere homine, quod Ebionitas, Cerinthianos, aliosque veterum haereticorum plurimos feciſſe conſtat, ſimulque myſterium trinitatis in dubium vocarunt, non alia magis cauſſa ad hoc inducti videntur, quam, quod religionem omnis myſterii expertem, adeoque mere tandem naturalem, cuperent. Maxime vero per Pelagium naturaliſmus caput in eccleſia chriſtiana erexit. Etſi enim directe veritatem & neceſſitatem reuelationis non impugnaret, dum tamen naturae vires in tantum extulit, vt ad quaeuis bona, Deoque placentia opera ex ipſius opinione ſufficerent, non potuit non eousque progredi, vt gentiles operibus legis iuſtificatos, admitteret. Legenda, quae hanc in rem diſſerit VOSSIVS, *hiſtor. Pelagian. l. 3. part. 2. p. m. 665.* Id vero vt ex iſta ſententia, quae naturae viribus plus quam decet, tribuit, ſua ſponte fluit, ita vlterius & id inde conſequitur, reconciliationem hominum cum Deo per expiationem infiniti valoris, ſuperfluam, aut minus neceſſariam eſſe: quod tamen praecipuum reuelatae religionis caput eſſe conſtat. Vſus equidem ſubinde Pelagius eſt voce *gratiae;* ſed in ſenſu, ſemper ad errores ſuos palliandos adcommodato;

adeoque

adeoque ad caliginem ſaltem imperitioribus obfundendam; vt ſuo loco ex inſtituto oſtendemus. Damnato hinc, & inter haereticos reiecto Pelagio, errores, quos diſſeminauit, eo minus in latina eccleſia reſuſcitari poſſe videbantur, quo maior in eadem Auguſtini fuit auctoritas; qui in iis conficiendis & debellandis, omne ſtudium, omnemque laborem collocauit: adeo vt ab altero ſubinde parum abeſſe videatur extremo. Factum nihilo ſecius non vnam ob cauſſam, vt Pelagiana placita in monaſteriis reciperentur, atque hinc tandem in ſcholaſticorum doctrinam irreperent, vt & aliunde conſtat, & in compendio a me oſtenſum eſt, in *commentat. hiſtorico-theol. de Pelagianiſmo in eccleſia Romana triumphante, §.3.ſeq.* Atque hinc vera ratio arceſſenda, cur inter ipſos ſcholaſticos haud pauci fuerint, qui, dum gentiles etiam ad ſolius rationis praeſcriptum vitam inſtituentes, aeternam ſalutem conſequi potuiſſe docuerunt, in naturaliſtarum ſe militare caſtris, aperte profeſſi ſunt. Nomina illorum non commemorabo, cum apud MONTACVTIVM legi poſſint, in *adparatu ad origines eccleſiaſt. p. 43. ſeq.* Notatu prorſus digna ſunt haecce IOSEPHI A COSTA verba: *Vix ſatis poſſum mirari, quid praeceptoribus quibusdam ſcholaſticis, viris certe grauibus, noſtri ſaeculi, in mentem venerit, vt nunc quoque temporis, poſt tamdiu reuelatum Chriſtum, ſine Chriſto ſalutem cuiquam aeternam contingere poſſe, confirment; de procuranda Indor. ſalute, l.5.c.3.* Immo eousque inter pontificios per Pelagianiſmum progreſſus eſt naturaliſmus, vt quidam Franciſcani ordinis monachus in ipſo concilio Tridentino pro concione diceret: *Eos, qui Chriſti nullam cognitionem habuiſſent, & alioqui vitam egiſſent honeſte, ſalutem eſſe conſequutos: hanc etiam eſſe genuinam Pauli ſententiam in epiſtolae ad Romanos capite ſecundo,* teſte SLEIDANO, *commentar. de ſtatu relig. & reip. l.23. p.m. 690.* Exorta etiam cum litterarum παλιγγενεσίᾳ eſt noua antitrinitariorum progenies, a praecipuo reſtauratore Socinianorum nomine inſignita. Horum cum praecipuus in eo labor verſetur, vt myſteria quaeuis ex religione eliminent, & cum Pelagio naturae viribus omnia tribuant, gratiae diuinae nullum locum relinquentes, non poſſunt reuera aliam, quam mere naturalem admittere religionem. Quam infenſi etiam hoſtes ſint reconciliationis per ſacrificium, quod pro nobis Chriſtus obtulit, quae reuelatae religionis, vt ſaepe diximus, praecipuum caput conſtituit, neminem latet. Sed eos quoque, qui ex Arminii ſchola prodierunt, non procul ab hac ſententia abeſſe, notum ſatis eſt. Negata Chriſti ſatisfactio, aut neceſſitas eius non agnita, cum reliquis Pelagianis erroribus, non poteſt non homines ad haecce praecipitia ducere. Fuerunt vero etiam, qui id aperte agerent, vt gentilibus, ductum rationis ſequentibus, aditum ad beatorum ſedes concedendo, reuelatae ſimul religionis fundamenta conuellerent, vt PVCCIVS, CAMPANELLA, EDVARDVS HERBERTVS DE CHERBVRY, aliique, de quibus TRIBBECHOVIVS agit, in *hiſtoria naturaliſmi, capite* praeſertim *10. p. 47. ſeq.* Ego id ſaltem obſeruatu dignum adhuc eſſe exiſtimo, plures in eamdem de ſalute gentilium, ſed ex diuerſis plane principiis, ingreſſos fuiſſe ſententiam. Nonnulli enim gentiles, rationis ductum ſequentes, ad ſalutem peruenire potuiſſe exiſtimant, quod ad eam conſequendam nihil aliud requiratur, quam quod ratio omnes condocet, virtutum ſtudio nauandam operam, vitia contra fugienda, quae autem admiſimus peccata, per poenitentiam retractanda. Eo EDVARDI HERB. DE CHERBVRY, auctoris *catholici diſcreti*, ſeu ERNESTI, Haſſiae Landgrauii, BODINI, HOBBESII, ſi modo is atheis non adnumerandus, aliorumque

rumque ſententia redit. Alii autem, ne rationi, atque ſolis naturae viribus omnia tribuere videantur, gratiam quamdam diuinam, aut, quae eius fungatur vicibus, prouidam Numinis curam hominibus reuelationis lumine deſtitutis adiungunt, cuius ope aeternae ſalutis participes fiant. Atque haec eſt nonnullorum reformatae, quam vocant, eccleſiae addictorum, ZWINGLII, GVALTERI, AMYRALDI, & ex Arminianorum coetu, CVRCELLAEI, aliorumque ſententia: ad quam & CHAVVINVM accedere a me obſeruatum, in *animaduerſionibus ad Petri Chauuini librum de religione naturali*, *c. 1. §. 3.* Alii rurſus, ob lumen aliquod internum, omnium hominum animis inſitum, diuerſum tamen a ratione, hominibus, externae reuelationis lumine deſtitutis, aditum ad beatorum ſedes denegari non poſſe, immo hac ratione ethnicos, qui vim iſtius luminis non impediuerint, aeternam conſequutos ſalutem, contendunt. Ita POIRETVS, itemque auctor libri, *ratio & fides collatae*, aliique interni iſtius luminis defenſores, ſentiunt, de quibus ſupra ad §. 15. dictum. Quantumuis autem hi in principiis diſſentiant, non tantum tamen in eo, quod ethnicis viam ad ſalutem patuiſſe exiſtimant, ſed in eo etiam, quod caput cauſſae eſt, conſentiunt, explicitam Chriſti ſeruatoris notitiam ad ſalutem non eſſe neceſſariam: quod perinde eſt, ac ſi fateantur, homines ſine reconciliatione cum Deo per meritum Chriſti, ſaluari poſſe. Quo ipſo praecipuum reuelatae religionis caput euertunt, ſimulque adeo in naturaliſtarum caſtra tranſeunt.

Hi vero omnes, de quibus hactenus diximus, vt non aliam magis ob cauſſam, quam quod rationi, viribusque naturae plus, quam decebat, tribuerint, in errorem huncce praecipites dati ſunt, ita ex eodem fonte ſi indifferentiſtarum quoque prognatam cohortem dixerimus, non errabimus. Non vnum autem indifferentismi eſſe genus, ſupra ad §. 44. iam obſeruauimus. De illis, qui aut cum atheis, aut naturaliſtis, aut ſcepticis plane conſentiunt, hic ſermo non eſt. Quidam enim reuelationis equidem neceſſitatem admittunt, ceteroquin perinde eſſe putant, cuiusnam ſectae, inter eas quas chriſtianus orbis fouet, placita amplectantur: & licet vna forte melior ſit, quam altera, neminem tamen ſalutis ob doctrinam adire periculum, eo quod diſſenſus minime ſit fundamentalis. Haec Rhetorianorum in veteri eccleſia fuiſſe ſententia videtur, quorum haereſin *mirabilis vanitatis* eſſe, AVGVSTINVS dicit, quippe *quae omnes haereticos recte ambulare, & vera dicere adfirmat;* additque: *quod ita eſt abſurdum, vt mihi incredibile videatur; de haereſib. c. 72. p. m. 202.* conf. & PHILASTRIVS, *de haereſib. num. 90. p. m. 41.* Quod ſi eousque religionis verae limites extendant, vt Socinianos quoque, eosque omnes, qui ſatisfactionem Chriſti negant, aut in dubium vocant, in eius admittendos ſocietatem contendant, nullum dubium eſt, quin eamdem cum naturaliſtis tandem originem agnoſcant. Ex Arminii ſectatoribus nonnullos huc referendos, conſtat: quos inter & CLERICVS, in libro, quem gallicano idiomate, *de incredulitate*, ſcripſit, quae creditu ad ſalutem ſunt neceſſaria, tam laxo circumſcripſit ambitu, vt illi quoque, qui myſteria nulla in religione chriſtiana admittunt, promte iisdem ſubſcribere queant. Non ſine ratione itaque hiſce hominibus *Latitudinariorum* nomen datum eſt, quod hac ratione viam ad ſalutem pluribus aperiant, eamque dilatent. Legenda, quae praeter alios IVRIEV, in libro, gallicano idiomate, cui titulus: *religio Latitudinarii*, de iis commentatus eſt. Diuerſi itaque ab iis ſunt, qui arctioribus limitibus indifferentismum, quem profitentur, religionum circumſcribentes, excluſis

cluſis Socinianis, ceteriſque, qui expiationis Chriſti neceſſitatem negant, Romanae ſaltem, atque reformatae, aut omnino tantum huius eccleſiae ſacris addictos, in fidei ſocietatem recipi poſſe, contendunt, qui & *ſyncretiſtarum* nomine venire ſolent. Horum namque in eo verſatur error, quod nimio, ac intempeſtiuo pacis ac concordiae ſtudio ducti, fundamentalia religionis reuelatae a non fundamentalibus non ſatis caute diſcernant: quod, qua ratione fieri debeat, ſupra *§. 33. ſeq.* fuſe oſtenſum eſt. Quae de theologia, eiuſque natura & indole ſubinde agitantur controuerſiae, maximam equidem partem in concertationes de variis vocum acceptionibus, plerumque iuſto vehementiores, abeunt: ſunt tamen, qui & hic a recto quandoque ideo diſcedunt tramite, quod rationis & naturae vires non aequa lance ponderent. Quod vel illorum exemplo patet, qui hominem, ſolis naturae viribus inſtructum, ea adſequi contendunt, quae tamen teſte ſcriptura ſacra, a ſpiritus ſancti, intellectum ad adſenſum, & voluntatem ad obſequium mouentis, operatione ſunt deriuanda.

** Alterum hoc eſt extremum, eorum ſcilicet, qui praua quadam perſuaſione, aut adfectu inconſulto, caecoue animi impetu abrepti, pro vera religione ſuperſtitionem amplectuntur. Quo nomine primum hic in cenſum veniunt, qui lumen aliquod internum, omnium hominum animis inſitum, aut reuelationem vniuerſalem, quae omnibus hominibus immediate a Deo obueniat, ſub *verbi* vel *alloquii interni* nomine, ſtatuunt; veram illam, ſpecialemque reuelationem, cui chriſtiana religio innititur, hoc ipſo labefactantes, de quibus ſupra ad *§. 15.* dictum. Sequuntur porro, qui reuelationes ſpeciales, ſed falſas, pro veris adoptant, in grauiſſimos errores praecipiti lapſu ruentes: quales & apud ethnicos olim plurimos, & nonnullos etiam inter chriſtianos fuiſſe conſtat, vt *capite ſeq.* copioſius demonſtrabimus. Denique & illi hic in cenſum veniunt, qui veram reuelationem corrumpunt, eam aut non recte interpretando, aut non plene admittendo, aut aliis, iisque falſis reuelationibus interpolando. Qua quidem ratione falſarum religionum, quae orbem vniuerſum inundarunt, facile intelligere licet originem. De ethnicorum enim religione ſupra iam obſeruauimus, eam partim ex rationis, partim ex reuelationis verae corruptione ortam eſſe; idque praecipue de praua verae reuelationis interpolatione intelligendum: quamquam & ſubinde falſae, quae inter eos circumferebantur, reuelationes acceſſerint. Iudaei olim quidem veram habebant reuelationem, dum autem ſucceſſu temporis verum eius ſenſum amittebant, eamque adeo perperam interpretabantur, praecipuum reuelatae religionis caput, de reconciliatione hominum cum Deo per expiationem infiniti valoris, intervertentes, ideoque & nouam reuelationem, quae tempore Chriſti & apoſtolorum accedebat, & veterem confirmabat, luculentiuſque explicabat, reiiciebant, non potuerunt non a recto tramite prorſus diſcedere; indeque adeo Iudaiſmus hodiernus enatus eſt. Turpiſſimus vero ille impoſtor, qui magnam partem orientis fraudibus ſuis ſeduxit, Muhammed, veteris, nouique teſtamenti reuelationem fictis ſuis, & ad decipiendos mortales callide excogitatis reuelationibus interpolauit, eaque ratione veram reuelationem non tantum deprauauit, ſed praecipuum etiam eius caput, de reconciliatione hominis cum Deo per Chriſtum redemtorem vnicum, quod ſibi non conſtat, niſi diuinitatem ſeruatoris quoque agnoſcamus, labefactauit. Originem & fata falſarum iſtarum religionum, aeque ac verae, plurimi integris voluminibus exponunt; quos quidem laudare, noſtri non fert inſtituti ratio; in compendio praecipua exhibet.

Digitized by Google

MEIERVS, in *hiſtoria religionum, chriſtianae, iudaicae, gentilis & Muhammedanae.*

*** Cum Deus primis parentibus poſt lapſum vnicam ſalutis viam, veraeque adeo religionis ſummam, reuelaſſet, eamdem deinceps patriarchae, tum ante, tum poſt diluuium, propagarunt. Gentiliſmo autem orbem fere vniuerſum inundante, gentem Iſraeliticam, in qua hactenus vera religio conſeruata fuit, prae reliquis elegit, cui eius cuſtodiam, & propagationem committeret: quamobrem & primo per Moſen, deinde & alios, quae ſcitu, credituque ad ſalutem hominibus eſſent neceſſaria, litteris conſignari voluit. Hinc & τὰ λόγια τοῦ θεοῦ Iudaeis concredita dicuntur, *Rom. III, 2.* Et licet ſubinde inter ipſos Iudaeos exiſterent, qui, relicto veritatis tramite, ad gentilium ſtultitiam & ſuperſtitionem deflecterent; numquam tamen etiam non Deus excitauit viros ſanctos, atque prophetas, qui veram reuelationem contra quasuis infernalis genii fraudes adſererent, atque defenderent ſtrenue. Atque potuerunt reuelationes, quas forte ethnici iactitabant, eo facilius fraudis, vanitatis, erroris conuinci, quod ipſa illorum religio naturalis quoque religionis primis fundamentis repugnaret, vt vel idololatriae exemplo patet. Accedebat, quod futurorum etiam contingentium notitia fruſtra a reuelationibus gentilium exſpectaretur, quae contra iſtius, quae a vero Deo proficiſcebatur, characterem omni exceptione maiorem conſtituebat: vt ipſimet diuini vates ſubinde inculcant; conf. *Eſ. XLII, 8, 9. XLIII, 11, 12. XLVIII, 14.* Non tantum autem vera haecce reuelatio in gente Iudaica conſeruata, ſed & per varia, quae ſubiit, fata, ipſam cumprimis captiuitatem Babylonicam, ad alias gentes propagata: quod & luculentiori adhuc ratione factum, cum ſacri codicis, qui tum exſtabant, libri, ex ebraeo ſermone in graecum transferrentur.

Cumque deinceps, tempore a Deo deſtinato, ipſe filius Dei inter mortales, ad generis humani redemtionem, adparuiſſet, per apoſtolos eius diuina illa, quae ex reuelatione conſtabat veritas, gentilibus etiam adnuntiata, incredibili celeritate orbem vniuerſum colluſtrauit. Plurimi nihilo-ſecius, eo quod lucem iſtam admittere nollent, manebant in tenebris, immo acriter, magnaque vehementia luci exorienti ſeſe opponebant. Hinc tum ab apoſtolis, tum ab illorum ſucceſſoribus chriſtianae religionis veritas contra vanos ethnicorum inſultus ſubinde defenſa fuit, atque propugnata. Id enim, vt eos nunc taceam, quorum ſcripta ad nos non peruenerunt, ex Graecis praeſtiterunt IVSTINVS martyr, in *duplici pro chriſtianis apologia,* itemque in *cohortatione,* vt & *oratione ad Graecos;* TATIANVS, itidem in *oratione ad Graecos;* ATHENAGORAS, *in apologia pro chriſtianis;* THEOPHILVS Antiochenus, *libris III. ad Autolycum, pro fide chriſtiana;* ORIGENES, *libris 8. contra Celſum;* EVSEBIVS, *libris 15. praeparationis euangelicae,* & *libris 10. demonſtrationis euangelicae,* itemque, *aduerſus Hieroclem;* HERMIAS, in *irriſione gentilium;* & alii quamplurimi. Atque hi etiam ſimul iudaicam religionem veterem, quae, ſi rem ipſam ſpectes, eadem cum chriſtiana fuit, defenderunt, gentiliumque calumnias, quibus eam conſpurcare adniſi ſunt, ab ea depulerunt: quod & ex ipſis Iudaeis IOSEPHVS fecit, *libris II. contra Apionem.*

Non tamen aeque caute ac circumſpecte omnes in chriſtianae religionis verſati ſunt defenſione. Nimia enim virtutum, quibus ethnici quidam immortale nominis decus conſequuti erant, admiratione nonnulli abrepti, aeternam illis, etſi Chriſti cognitione deſtitutis, adiudicarunt ſalutem; parum ſecum perpendentes, hoc ipſo, quod in reuelata diuinitus religione praecipuum eſt, labefactari. Atque IV-

STINO

STINO quidem martyri eo facilius error eiuſmodi adhaerere potuit, quod nondum omnia Platonicae ſcholae, cui innutritus fuerat, placita exſuiſſet. Hinc vocis λόγου ambiguitate aut deceptus ipſe, aut alios decipiens, de Chriſto ſubinde ita loquutus eſt, vt eo nomine nihil aliud, quam ipſam *rationem* intelligere videatur. Eum enim cum primogenitum Dei vocaſſet, ſtatim addit, eum eſſe λόγον, ὃυ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε, *rationem, cuius vniuerſum hominum genus eſt particeps; apolog. II. pro chriſtianis, p. m. 90, 91.* Immo porro ſubiicit: *Et quicumque cum ratione vixere, chriſtiani ſunt, quamuis nullius Numinis cultores habiti ſint: quales inter Graecos fuere Socrates & Heraclitus, atque iis ſimiles: inter barbaros autem Abraam, & Ananias, & Azarias, & Miſael &c.* Sed & alibi Chriſtum ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα vocat; atque gentiles ait, κατὰ σπερματικοῦ λόγου μέρος, *iuxta partem aliquam ſeminariae rationis*, mores ſuos compoſuiſſe; eos vero, qui Chriſti nomen profitentur, κατὰ τὴν τοῦ παντὸς λόγου, ὅ ἐστι χριστοῦ γνῶσιν καὶ θεωρίαν, *ſecundum vniuerſae rationis & verbi, quod Chriſtus eſt, rationem; apolog. II. p. 19, 20.* Excuſent haec alii, & in omnes ſe vertant partes, mihi longe manifeſtiſſimum videtur, hanc IVSTINO ſediſſe ſententiam, ethnicis rationis lumen, quod ludendo voce λόγος, Chriſtum vocat, ad ſalutem ſuffeciſſe, aut, quod perinde eſt, ſine explicita Chriſti ſeruatoris cognitione eos ſalutem adeptos. Eum vero errorem vt longe grauiſſimum eſſe cenſemus, ita alios veteris eccleſiae doctores, ORIGENEM, CLEMENTEM Alexandrinum, TERTVLLIANVM non procul ab eodem abfuiſſe, conſtat; aut, ſi quis hac de re dubitat, ex MONTACVTIO condiſcere poteſt, *adparat. I. ad orig. eccleſ. p. 20. ſeq.* Iſta vero paullo inconſideratius a quibusdam doctoribus dicta, vti a veritate aliena ſunt, ita pro totius eccleſiae doctrina haberi nequeunt; praeſertim, cum alios longe rectius hac de re ſcripſiſſe conſtet. Conferenda &, quae hac de re diſſerit CASAVBONVS, *exercitat. I. ad adparatum annal. Baronii, p. 2. ſeqq.* itemque VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. 3. part. 3. theſi 11.*

Nec defuerunt inter latinae eccleſiae doctores, qui itidem chriſtianae religionis veritatem fortiter contra gentiles defenderent, quippe quod TERTVLLIANVM feciſſe conſtat, in *apologetico*, & *libris duobus aduerſus nationes;* MINVCIVM FELICEM, in *Octauio;* CYPRIANVM, in *libello ad Donatum*, itemque, *de idolorum vanitate;* ARNOBIVM, *libris 7. aduerſus gentes;* & alios quamplurimos, ipſum quoque AVGVSTINVM, *libris 22. de ciu. Dei.* Damnata etiam Pelagiana haereſi, cui & idem Auguſtinus fortiſſime omnium ſe oppoſuit, ipſi fontes naturaliſmi, qui gentilibus, aliisque chriſtianae religionis hoſtibus, praecipua ſuppeditat arma, obturati ſunt. Graecorum enim, quos antea notauimus, patrum, quo gentilibus, etiam rationis ductum ſequentibus, viam ad ſalutem aperuerunt, non aliunde magis exortus eſt error, quam quod intimam naturae corruptionem, aut ignorantes, aut non ſatis perpendentes, plus quam decebat, illi tribuerent. Ceterum, licet ſequenti aetate, poſtquam occidens Romanorum pontificum iugo collum ſubmiſerat, nihil amplius eccleſiae ab ethnicis timendum eſſet, fuerunt tamen, qui adhuc contra eos pugnarent, quod & ipſum THOMAM DE AQVINO feciſſe conſtat, in *ſumma catholicae fidei contra gentiles, in libros 4. diſtributa.*

Non tantum autem contra ethnicos, ſed & contra Iudaeos religionis chriſtianae adſerenda fuit veritas. Diuinae enim, quam maiores illorum tam ſancte cuſtodiuerant, reuelationis eos corrupiſſe ſenſum, veraeque adeo religionis excidiſſe poſſeſſione, antea iam obſeruauimus. Quantopere autem ipſis apoſtolis cum iſto homi-

num genere colluctandum fuerit, nemini ex ſacris litteris ignotum eſſe poteſt. Horum deinceps veſtigiis veteris eccleſiae doctores inſiſtentes, tela illorum contra religionem chriſtianam directa, pro viribus repulerunt, vt IVSTINVS martyr, in *dialogo cum Tryphone;* GREGORIVS Nyſſenus, *de trinitatis myſterio aduerſus Iudaeos;* IOAN. CHRYSOSTOMVS, in *demonſtratione de Chriſto, aduerſus Iudaeos & ethnicos*, item *homiliis 6. aduerſus Iudaeos;* BASILIVS Seleucienſis, in *demonſtratione adverſus Iudaeos;* CYRILLVS Alexandrinus, in *libro aduerſus Iudaeos;* immo ipſe quoque ORIGENES, dum *contra Celſum* diſputat, obiectiones, quas Iudaei nomine Celſus produxerat, refellit. Addendi his TERTVLLIANVS, atque CYPRIANVS, ille, in *libro aduerſus Iudaeos*, hic vero *in tribus teſtimoniorum ad Quirinum, aduerſus Iudaeos libris;* & alii. Non ſemper tamen aeque feliciter pugnatum eſt, ob linguae ebraeae ignorantiam; qua qui inſtructus non eſt, in ſacri codicis, qua vetus teſtamentum, oraculis explicandis ex voto non verſabitur. Cum etiam ſequenti aetate Iudaei magis per Hiſpaniam, Galliam, aliasque Europae prouincias diſpergerentur, ſaepius noua, pugnam hanc iterandi, data eſt occaſio; vnde magna eiusmodi librorum, quibus religionis chriſtianae contra Iudaeos defenditur veritas, enata eſt copia, quos tamen recenſere omnes, huius loci non eſt.

Ethnicis atque Iudaeis acceſſerunt & Muhammedani, veritatem religionis non corrumpentes modo, ſed labefactantes penitus, eiusque loco impoſtoris ſui figmenta aliis obtrudentes. Nouum hinc eccleſiae doctoribus pro religionis chriſtianae veritate certamen, in quo ſaeculo octauo ipſe iam eminuit IO. DAMASCENVS, quippe cuius exſtat διάλεξις Σαρακηνοῦ καὶ χριστιανοῦ *diſceptatio Saraceni & chriſtiani, tom. 2. opp. p. 466. ſeq.* ex edit. MICH. LEQVIEN. THEOD. quoque ABVCARA, Ioan. Damaſceni diſcipulus, *varia contra haereticos, Iudaeos & Saracenos opuſcula* reliquit; ex quibus ea, quae contra Saracenos ex ore Io. Damaſceni hauſit, itidem LEQVIEN exhibet, *l. c. p. 470.* His porro ex Graecis addendi EVTHYMIVS ZIGABENVS, in *confutatione Iſmaelitarum*, ſine auctoris nomine edita in *Saracenicis* SYLBVRGII; IO. CANTACVZENVS imperator, in *libris adverſus Iudaeos & Muhammedanos;* BARTHOLOMAEVS Edeſſenus, in *elencho & confutatione Hagareni*, a STEPH. LE MOYNE edita, in *variis ſacris, tom. I. p. 302. ſeq.* Cum vero etiam in Hiſpania per Mauros Muhammedanismus propagatus eſſet, in latina quoque eccleſia plurimi exſtiterunt, qui contra Muhammedanorum impietatem chriſtianae religionis veritatem oſtenderent: quod & recentiori aetate haud pauci fecerunt. Exhibet eos FABRICIVS, *biblioth. graecae vol. VII. p. 136. ſeq.* Non omnes tamen in hoc quoque certamine aeque feliciter verſatos, quinimmo nonnullos ſaepius Muhammedanis ſententias tribuiſſe, quae illis tribui nequeunt, luculenter oſtendit RELANDVS, *de religione Mohammedica, lib. 2. p. 96.*

Tandem & illis, qui inter ipſos chriſtianos exorti ſunt, chriſtianae religionis hoſtibus, atheis, naturaliſtis, cuiuscumque etiam generis, indifferentiſtis, numquam non ſtrenue obuiam itum eſt: quod ingens ſcriptorum, qui contra eiusmodi homines in aciem prodierunt, teſtatur numerus, (etſi inter hos quoque quidam felicius quam alii pugnauerint) vt adeo numquam tot religionis chriſtianae exſtiterint hoſtes, vt non longe plures fuerint, qui maſcule eam, fortiterque, contra quosuis infernalis genii inſultus defenderent, ac propugnarent.

§. LIV. Noſtri denique officii eſt, rationis equidem lumine recte vti, ſed non plus, quam decet, ei tribuere; reuelationis beneficium

grato agnoſcere animo; eumdemque re ipſa, cumprimis fide & obſequio demonſtrare; credenda & agenda non ſeparare, ſed vti coniunctiſſima ſunt, ita ipſa vitae praxi hoc oſtendere; cauere autem vel maxime, *ne veritatem detineamus in iniuſtitia, Rom. I, 18:* cumque religio chriſtiana pariter ac theologia, quae ad eam ducit, ipſum Deum auctorem agnoſcat, ſumma animi ſubmiſſione ac reuerentia, non minus & noſtrae imbecillitatis conſideratione, ad eius tractationem accedere; in ipſa tamen tractatione ſemper cogitare, quod theologia non tantum ſit *ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας*, ſed & *τῆς κατ᾽ εὐσέβειαν, Tit. I, 1.* vt cuncta ad verae pietatis praxin animo ſincero referantur.

PARTIS SIVE LIBRI PRIMI

CAPVT SECVNDVM

DE REVELATIONE ET SCRIPTVRA SACRA.

Σύνοψις.

Reuelationis ſpecialis neceſſitas, §. I.

Statim poſt hominum lapſum initium ſumſit, §. II.

Continuata deinceps, & magis illuſtrata fuit, per alias reuelationes, non omnibus tamen, ſed certis tantum hominibus factas, §. III.

Modus reuelationis varius fuit: in nullo tamen aliquid Deo indignum deprehendebatur, §. IV.

Diuini vates non tantum conſcii ſibi fuerunt, quae loquebantur ex diuina reuelatione, ſed longe etiam hac de re certiſſimi, §. V.

Certis etiam argumentis alios, ſe a Deo miſſos, conuincere poterant, §. VI.

Ex iis, quae Deus olim viris ſanctis reuelauit, ea maxime in cenſum veniunt, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria, §. VII.

Atque haec Deus ob cauſſas grauiſſimas litteris conſignari voluit, §. VIII.

Vnde originem ſcripturae ſacrae intelligere licet, §. IX.

In qua nihil continetur, niſi quod ex diuina inſpiratione profectum; cauſſa itaque efficiens ipſe Deus eſt, §. X.

Conſideranda autem in ea tum materia, tum forma, §. XI.

Diuina ſacrae ſcripturae auctoritas tum abſolute, tum relatiue, ſeu quoad nos, conſiderari poteſt: priori modo ſpectata, a ſumma Numinis veracitate, & poteſtate infinita; poſteriori modo, partim a diuinorum quorumdam attributorum, partim a θεοπνευστίας notitia dependet, §. XII.

Argumenta, quibus θεοπνευστίας notitia originem debet, vel diuinam fidem producunt, vel humanam, §. XIII.

Poſterioris generis ſunt vel interna, vel externa: atque illa iterum vel a formali ſcripturae ſacrae, vel a materiali deſumuntur: quaenam ad priorem claſſem pertineant? §. XIV.

Quaenam ad poſteriorem? §. XV.

Externa argumenta quaenam ſint? §. XVI.

Omnibus hisce argumentis, quantumuis non contemnendis, multum praeferenda fides diuina, §. XVII.

 Prae-

Praeter auctoritatem diuinam, inter ſcripturae ſacrae adfectiones referenda eius ſingularis efficacia, §. XVIII.
itemque perfectio, ſeu ſufficientia, §. XIX.
& perſpicuitas, §. XX.
Locis, quae in ſcriptura ſacra occurrunt, obſcurioribus, per interpretationem legitimam lux adfundenda, §. XXI.
Quae ad legitimam ſcripturae ſacrae interpretationem requirantur, ſummatim indicantur, §. XXII.
Finis interpretationis eſt, vt verum ſenſum adſequamur: quid per ſenſum, itemque verum ſenſum, intelligatur? §. XXIII.
Vnius ſermonis vnicum tantum poſſe eſſe ſenſum, §. XXIV.
Nec obſtat, quod ſenſus ſcripturae plerumque in litteralem & myſticum diuidatur, §. XXV.
Veri quoque ſenſus obſeruanda ſunt criteria; inter quae primum, vt conſtet, librum ab eo auctore ſcriptum eſſe, a quo ſcriptus dicitur, §. XXVI.
alterum: verba textus nec corrupta eſſe, nec interpolata, §. XXVII.
reliqua iunctim indicantur, §. XXVIII.
In interpretatione ſcripturae porro reſpiciendum ad conditionem eius, qui eam interpretari cupit, §. XXIX.
Media hermeneutica quaenam ſint? §. XXX.
Auctoritas ſcripturae canonica vnde dependeat? §. XXXI.
Quinam libri canonici, quinam apocryphi? §. XXXII.
Scripturam ſacram genuinum eſſe in theologia cognoſcendi principium, itemque vnicam fidei & vitae regulam, §. XXXIII.
Ad quam adeo & omnes controuerſiae theologicae, ceu ad vocem ſpiritus ſancti, tamquam ſupremi iudicis, ſunt exigendae, §. XXXIV.
Vt in omnium hominum vſum eſt conſignata, ita ab omnibus etiam legenda, §. XXXV.
Quare & verſiones ſcripturae ſacrae non tantum vtiles, ſed & neceſſariae ſunt, §. XXXVI.
Obiectum ſcripturae ſacrae tum primarium, tum ſecundarium, §. XXXVII.
Finis tum vltimus, tum intermedius, §. XXXVIII.
Errores, qui in hocce ſacrae doctrinae capite occurrunt, eorumque fontes, ſummatim indicantur, §. XXXIX.
Verae doctrinae propagatio, ac conſeruatio, §. XL. & XLI.
Quae noſtri hic ſint officii? §. XLII.

§. I.

Cum humanae rationis tanta ſit imbecillitas, vt veram & genuinam ad ſalutem nobis monſtrare nequeat viam; * benignitati Dei prorſus conueniens fuit, * * vt ipſemet per reuelationem quamdam ſpecialem, * * * ſuam, de aeterna ſalute conſequenda, nobis manifeſtaret voluntatem.

* Quod patet ex iis, quae *capite praecedenti §. 16. ſeq.* dicta ſunt.

** Vti identidem eſt iam antea ad *capitis praeced. §. 20.* obſeruatum.

*** Vniuerſalem enim illam reuelationem, per lumen aliquod internum, omnium animis inſitum, & a ratione diuerſum, aut per adloquium aliquod internum, cuius omnes homines, ſi velint, compotes fieri poſſint, fundamento omni deſtitui, liquet ex iis, quae *cap. praeced. §. 15.* diximus. Repugnat inſuper ſumma gentilium ignorantia, non aliter, quam per verbi externi adnuntiationem depellenda; *Ephes. IV, 18. V, 8. Coloſſ. III, 10. 1. Theſſal. IV, 5.* adeoque & praedicationis euangelii neceſſitas ſubinde inculcata, *Rom. I, 16. X, 14, 15. Matth. XXVIII, 19.*

§. II. Atque

Digitized by Google

§. II. Atque erat ea quidem ſtatim poſt hominum lapſum neceſſaria; * cum miſeri iſti, qui ſua culpa ſumma felicitate exciderant, nihil omnino excogitare potuiſſent, quod viam illis ad vnionem cum Deo, priſtinamque adeo felicitatem recuperandam panderet. Hinc & ſtatim cum poenae denuntiatione reuelationem, & de ratione modoque conſequendi ſalutem, coniunctam fuiſſe, nouimus ex *Geneſ. III, 15.* **

* De ſtatu enim integritatis nunc nobis ſermo non eſt. Primis hominibus, in eo conſtitutis, quaedam de Deo, eiusque eſſentia, per reuelationem innotuiſſe, negandum non eſt. Quae autem hodie diuinae reuelationis ſumma eſt, reconciliatio hominum cum Deo per infiniti valoris redemtionem, in ſtatu integritatis locum non habebat. Scholaſticorum enim quorumdam, ac aliorum ſomnium, filium Dei humanam adſumturum fuiſſe naturam, etiamſi homines non peccaſſent, iamdudum noſtrates profligarunt.

** Antiquitas inde, atque vniuerſalitas, ceu verae reuelationis character, intelligitur, vti ſupra, *cap. praeced.* §. *23.* eſt obſeruatum.

§. III. Summa haec diuinae reuelationis non tantum propagata, ſed amplificata ſubinde, luculentiusque per alias reuelationes explicata fuit.* Quae tamen reuelationes non omnibus promiſcue obtigerunt, ſed certis tantum hominibus, quibus Deus, ceu amicis ſuis, ſpeciatim ea manifeſtare voluit, quae deinceps aliis hominibus iterum adnuntiare debebant. **

* Praeſertim tempore Abrahami, Moſis, Dauidis. Immo, totam ſcripturam ſacram eo comparatam eſſe, vt primam hancce reuelationem euolueret, explicaret, determinaret, & cuncta in Chriſto ſeruatore noſtro impleta fuiſſe oſtenderet, ad §. *23. cap. praeced.* iam docuimus.

** Hoc iterum contra vniuerſalis reuelationis, quae immediate a Deo fit, defenſores, de quibus antea ad §. *1.* dictum, obſeruandum. Nemini vtique aditus ad ſalutem, adeoque & veram Dei cognitionem intercluſus eſt. Immo, Deus omnibus eam offert: quo ſenſu etiam omnes illi, qui Deum, vti par eſt, cognoſcunt, merito *θεοδίδακτοι* vocantur, *Io. VI, 44. 45.* Inde vero, vt & ex aliis eiusdem generis ſcripturae ſacrae effatis, concludi non poteſt, immediate, & absque verbi externi interuentu eam cognitionem iis obuenire.

§. IV. Modus iſtius reuelationis varius fuit, atque multiplex, cum *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* Deus ad patres loquutus ſit per prophetas, *Ebr. I, 1. Num. XII, 6, 8.* * In nullo tamen aliquid Deo indignum; ** ſapientiae potius, ac benignitati diuinae hoc prorſus conueniens fuiſſe, vt credamus, par eſt. Etſi enim cauſſae, cur mox hocce, mox alio modo vti Deo placuerit, non ſatis cognitae ſint atque perſpectae, ob longe tamen grauiſſimas hoc factum eſſe, non eſt quod dubitemus. ***

* Varii iſti modi, quibus Deus ſanctis hominibus ſe olim reuelauit, diuerſimode recenſeri ſolent. Nobis res ita omnium optime confici poſſe videtur, ſi dicamus, hoc interdum *immediate*, nulla angeli, aut hominis cuiusdam intercedente opera, conti-

contigiſſe, aut *mediate*. Prius iterum vel *ſimplici* quadam ratione fiebat, vel *ſymbolica*.

Simplex ille reuelationis modus absque interuentu ſignorum, ad corpus relationem habentium, peragebatur. Neque enim dubitandum, cum Deus ſit mens puriſſima, quin ita cum mente hominis intime agere poſſit, vt absque nullius ſigni interuentu illi ſtatim innoteſcant, quae Deus ei vult manifeſtari. Huc referre licet, quod de verbo Dei in prophetis legitur, quod ſcilicet τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα χριστοῦ, *ſpiritus Chriſti qui in illis erat*, iis declarabat, ſeu manifeſtabat, *1. Petr. I, 11.* confer. etiam *2. Sam. XXIII, 2. Matth. X, 19, 20. Luc. XXI, 14, 15.* Huncce reuelationis modum eumdem eſſe, quem Iudaei רוח הקדש *ſpiritum ſanctum* vocant, quem tamen perperam infra reliquos deprimunt, non ſine ratione nonnulli credunt. Neque tantum hac ratione quaedam manifeſtabantur prophetis, ſed ſubinde etiam inſtinctu quodam diuino valide excitabantur, tum ad loquendum, prophetandum, ac de rebus diuinis diſſerendum facunde, tum ad componendos hymnos elegantiores, ac diuinas laudes publice decantandas; immo & interdum ad facinora quaedam heroica, diuina virtute perpetranda; cuius generis exempla in Miriama, Debora, Anna matre Samuelis, Dauide, Maria, Zacharia, Simeone, itemque heroibus illis, Pinea, Gideone, Simſone, aliisque occurrunt, *Exod. XV, 1. Iud. V, 1. 1. Sam. II, 1. 2. Sam. XXIII, 1, 2. 3. Luc. I, 46, 67. II, 25.*

Quae autem per ſigna quaedam, ad corpus relationem habentia, & per corpus, ſiue ſenſus ad mentem delata fiebat reuelatio, *ſymbolica* vocari ſolet. Neque haec vnius erat generis, cum imagines iſtae, ſeu ſymbola, vel *ſenſibus externis*, vel *phantaſiae*, ſeu *imaginationi* offerrentur. Per ſenſus externos hoc ſubinde factum, ſacra nos condocet hiſtoria. Sic Adamus audiuit vocem Dei in horto ambulantis, *Gen. III, 10.* & Moſes, cum ingreſſus eſſet tabernaculum, vocem ſe adloquentem, *Num. VII, 89.* conf. & *1. Sam. III, 21.* Interdum viſio & auditio coniunctae erant; quod factum eſt in baptiſmo Chriſti, *Matth. III, 16, 17.* Atque ita ſe res ſemper habuit in adparitionibus eiusmodi, quibus mixta fuere colloquia; *Gen. XVIII, 17.* Ad ſigna externa ſenſibus oblata a nonnullis etiam referuntur *ſortes diuinatoriae*, quarum tum in conſultationibus rei obſcurae, *Ioſ. VII, 14. 1. Sam. XIV, 42.* tum in diſtributione haereditatum, immo ipſius terrae Canaan, & aliquando etiam in electione, *act. I, 26.* vſus fuit. An vero etiam huc referenda ſit reſponſio Dei per *vrim & thumim*, non ſine ratione dubitatur. Exſtant variae doctorum virorum de modo, quo Deus reſponſa per vrim & thumim dederit, ſententiae: quas quidem recenſere, aut ſub examen reuocare, huius non eſt loci. Cumque coniecturis hic ſaltem locus detur, reliquis mihi praeferenda videtur, quae ſummum ſacerdotem, pectorali cum lapidibus pretioſis, ſeu τῷ vrim & thumim legitime vtentem, per internam reuelationem certiorem redditum ſtatuit, quid ad propoſitam quaeſtionem reſpondere deberet: qua quidem ratione haecce reuelatio ad priorem modum, ſimplicem ſcilicet illum, qui absque ſignorum ſeu ſymbolorum interuentu peragebatur, referenda fuerit. Copioſius hac de re dixi in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. ad per. II. ſect. I. §. 32. p. 706.* Solet denique ad huncce reuelationis per ſenſus externos modum etiam referri בת קול *filia vocis*, de qua plurima exſtant Iudaeorum, talmudicorum praecipue doctorum commenta: quorum nonnulla apud IO. BVXTORFIVM legere licet, in *lexico talmud. rabbin. p. 320.* Sunt etiam viri docti, qui non omnia, quae Iudaei hac de re tradunt, prorſus reiicienda exiſtimant: alii vero, vt pleraque pro fabulis

fabulis atque commentis habent, ita, ſi quid veri ſubſit, id aut daemonis praeſtigiis, aut hominum tribuere fraudibus, nulli dubitant. Sed, ſi quis talmudicorum auctorum, quae hac de re exſtant, loca paullo adcuratius expendat, in eam facile concedet ſententiam, eos plerumque nihil aliud, quam diuinam prouidentiam, ſingulari quadam ratione ſeſe exſerentem, ἀλληγορικῶς hac voce indicare voluiſſe; id quod itidem mihi iam obſeruatum, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. II.* ad *per. II. ſect. 6. §. 10. p. 975.* Tempore equidem Chriſti aliquoties vocem caelitus delapſam, qua pater filio teſtimonium perhibebat, nouimus; *Matth. III, 17. XVII, 5. Ioan. XII, 28, 29.* At inde, alias quoque hoc factum, colligere non licet.

Non tantum autem ſenſibus externis, ſed, vti dictum, phantaſiae etiam, ſeu imaginationi ſymbola eiusmodi, & imagines diuinitus offerebantur: idque aliquando *vigilantibus* contingebat, aliquando *dormientibus.* Nimirum, contingebat interdum, vt vigilantes ſibi iis in locis eſſe viderentur, vbi reuera non erant, eaque ibi cernere, quae non niſi imaginationi illorum repraeſentabantur: id quod exemplo viſionis *Eſaiae, cap. VI, 1, 2.* & *Ezechielis, cap. I, 3. ſeq.* comprobari poteſt. Huc etiam a nonnullis refertur, quod de cingulo Ieremiae, depoſito ad crepidinem Euphratis, ibique computreſcente, quod inde repetere propheta iuſſus eſt, exſtat *Ierem. XIII, 4. ſeq.* Cum enim vrbs Hieroſolyma eo tempore a Chaldaeis fuerit obſeſſa, extra viſionem hoc fieri non potuiſſe, exiſtimant. An vero etiam, quae *Ezech. III, 1. IV, 5.* leguntur, in viſione contigerint, diſputari inter eruditos ſolet. Subinde vero & *ecſtaſis* accedebat, hoc eſt, eiusmodi mentis alienatio, qua, ceſſantibus, externorum ſenſuum functionibus, obiecti cuiusdam intrinſecus oblati repraeſentatione ita adficiebatur, vt ignara eorum eſſet, quae in corpore gererentur. Quod cum & ex cauſſis naturalibus, & infernalis genii pariter, ac ipſius Dei opera queat contingere, vel *naturalem,* vel *diabolicam,* vel *diuinam* eſſe ecſtaſin, patet: ne dicam, quod aliquando & a callidis hominibus eiusmodi quid fingatur. Hic ergo de diuina ſermo eſt, quando ſpiritus ſanctus mentem, a corporis commercio ſingulari quadam efficacia auocatam, rerum diuinarum meditationibus ac contemplationibus occupatam tenet: idque ea ratione, vt aliquando reuelationem ecſtaſis ſequatur, *Dan. X, 8, 9.* aliquando antecedat, *act. X, 9, 10, 11.* Illuſtre admodum ecſtaſeos exemplum Paulus exhibet, *2. Cor. XII, 2. 3. 4.* Nec vigilantibus tantum, ſed etiam dormientibus quandoque ſe patefacere Deo placuit, vti iam Eliphazo Themaniti obſeruatum, *Iob. IV, 12, 16.* Quod ſomnia vel *naturalia* ſint, vel *ſupernaturalia,* & haec iterum vel *diabolica,* vel *diuina,* conſtat. Hic diuina nos intelligere, res ipſa docet, quae extra communem prouidentiae cauſſam, ſpeciali quadam ratione ad rerum arcanarum patefactionem, hominibus immittuntur: quorum exempla varia in ſcriptura ſacra occurrunt, *Gen. XXVIII, 12. Matth. II, 12. act. XVI, 9.* Quid reſpondendum ſit, ſi quaeratur, cur Deus hac ratione dormientibus ſe patefacere voluerit; itemque, quibus characteribus ſomnia diuina a naturalibus ac diabolicis diſcerni queant, intelligetur ex iis, quae deinceps monebimus.

Denique & *mediate* reuelatio fiebat, idque per *angelos,* ſiue ipſimet hominibus indicarent, quae Deus illis innoteſcere volebat, ſiue ea, quae aut vigilantibus, aut dormientibus oblata erant, nec dum intelligebantur, iuſſu Numinis explicarent. Speciatim Deus ſubinde Gabrielis angeli opera in rebus maximi momenti vſus eſt, quippe qui Meſſiae natiuitatem, plurimaque eo ſpectantia, primo quidem Danieli,

Digitized by Google

Dan. IX, 21. tum Zachariae, *Luc. I, 19.* denique & ipſi Mariae, *ibid. v. 26.* indicauit. Nec creatos modo angelos, ſed & ipſum Dei filium, angelorum omnium dominum, angeli ſpecie aliquando hominibus adparuiſſe, & tum ipſum, tum per aliquem angelum miniſtrum, arcana Dei iis patefeciſſe, nonnulli contendunt. Neque de alio interpretandum cenſent, quod *Dan. X, 5, 6.* legitur: praeſertim, cum a viro ibi adparente haud obſcure diſtinguatur angelus ille, qui manu ſua Danielem tetigit, compellauit, informauit, quemque Gabrielem fuiſſe, probabile putant. Legenda, quae CALOVIVS ad *h. l.* diſſerit. Conferre etiam iuuabit *Zach. I, 8, 9, 10.* item *II, 3, 4.* Sed plura de variis reuelationum diuinarum modis dabunt, R. MAIMONIDES in *more neu. part. II. cap. 45.* WITSIVS, *miſcell. ſacr. part. I. l. 1. c. 3.* VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae*, *c. 2.* KNIBBIVS, in *hiſt. prophetarum*, ex lingua belgica in germanicam translata, *c. 3. p. 55. ſeq.*

** Hoc ex inductione omnium modorum diuinae reuelationis, quos hactenus recenſuimus, patet. Nec vllum in ſcriptura ſacra exemplum occurrit, quo probari queat, inuſitatos & vehementes corporum motus ac agitationes, in iis, quibus reuelatio diuina obtigit, exſtitiſſe: quin immo ab lenitate & manſuetudine ſpiritus ſancti hoc plane abhorret. Fuerunt certe interdum ecſtaſes cum reuelatione diuina coniunctae, vt antea obſeruauimus: ſed vti in ecſtaſi corpus quieſcebat, mente tota in obiecti ſingularis, quo adficiebatur, contemplatione defixa; ita in ea quoque nihil, quod Deo indignum, deprehendebatur. Et non ſine ratione θεοπρέπεια inter characteres diuinae reuelationis refertur, cum ſapientia, benignitas, ac maieſtas Numinis hoc exigat.

*** Ad hominum id ſpectaſſe vtilitatem, dubio caret: poteratque inde diuinae gratiae abundantia intelligi, quod non tantum πολυμερῶς, diuerſis vicibus, ſeu temporibus, ſed & πολυτρόπως ſeſe illis patefecerit, *Ebr. I, 1.* Nec tamen etiam dubitandum, quin ad cauſſam hancce generalem ſpeciales acceſſerint, cur huic per internum adloquium, alii ſymbolica quadam ratione; huic per obiecta ſenſuum externorum, alii per imagines phantaſiae oblatas; huic in ſomnio, alii cum vigilaret, & ſic porro, ſeſe manifeſtauerit. Quaenam autem iſtae cauſſae fuerint, id vero eſt, quod noſtram cognitionem multum ſuperat.

§. V. Qualiscumque autem reuelationis eſſet modus, dubium tamen nullum eſt, quin diuini vates non tantum conſcii ſibi fuerint eorum, quae ex iſta reuelatione loquebantur, * ſed ex criteriis etiam quibusdam longe certiſſimi, reuelationem iſtam vere diuinam eſſe; vt adeo nullo modo ea in re aut errare, aut decipi potuerint. **

* Non enim ſolet gratia diuina, etiam quae extra ordinem hominibus obtingit, naturam prorſus immutare, aut ex hominibus bruta aut ſtipites facere. Certe, nullo ex ſcriptura ſacra comprobari poteſt exemplo, hominem, qui ex inſtinctu diuino loquebatur, non fuiſſe conſcium eorum, quae loquebatur. De apoſtolis equidem, cum ſpiritum ſanctum, qui omnia illis ſuggeſturus eſſet, quae coram iudicibus loqui deberent, illis promittit ſeruator, dicit: *non enim vos eritis, qui loquimini, ſed patris veſtri ſpiritus in vobis loquens, Matth. X, 19.* Sed, non ita hoc intelligendum, ac ſi apoſtoli plane neſciuerint ipſimet, quid loquerentur, vel ex *Luc. XXI, 15.* condiſcimus, vbi Chriſtus, eamdem promiſſionem illis exhibens, ἐγὼ δώσω, inquit, ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν. Sapientia autem ſine concurrente vſu rationis eſſe nequit. Idem & ex dictis, factis, ſermonibus,

bus, immo diſceptationibus prophetarum luculenter patet, quippe quae ſatis ſuperque docent, conſcios eos omnino fuiſſe illorum, quae ex reuelatione, & inſtinctu diuino, aut dicebant, aut faciebant. Quod ſi aliquando, dum reuelationem accipiebant, vſus rationis tantiſper ceſſauit, diverſimode quidem, pro modorum reuelationis diuerſitate, mox tamen iterum rediit, adeo vt ipſimet & ſcirent, quae ſibi reuelata eſſent, & diuinam quoq; hanc reuelationem fuiſſe, vt ſtatim pluribus oſtendemus, cognoſcerent. Idem vero & AVGVSTINVS iam recte docuit, dum, *non eſt propheta*, inquit, *qui ſigna videt, niſi ea intelligat. Ideo videntes prophetae adpellati, quia magis ſpiritui, quam corpori viſio congruit; de geneſi ad lit. l. 12. c. 9.* Pari ratione & HIERONYMVS: *neque vero, vt Montanus, cum inſanis feminis, ſomniat, prophetae in ecſtaſi ſunt loquuti, vt neſcirent, quid loquerentur, & cum alios erudirent, ipſi ignorarent, quid dicerent; de quibus apoſtolus ait:* neſcientes quae loquantur, & de quibus adfirment: *ſed iuxta Salomonem, qui loquitur in prouerbiis,* ſapiens intelligit, quae profert de ore ſuo, & in labiis ſuis portabit ſcientiam, *etiam ipſi ſciebant quid dicerent;* conferatur & EPIPHANIVS, *haereſi §. 48.*

** Eos, quibus reuelationes diuinae obtingebant, longe certiſſimos fuiſſe, reuelationes iſtas eſſe diuinas, nec vmquam ea in re deceptos fuiſſe, aut decipi potuiſſe, extra omnem poſitum eſt dubitationem. Certe, ſi non fuiſſent, fruſtra eiusmodi facta fuiſſet reuelatio, cum ſemper dubitaſſent, an eidem fidem adhibere deberent: hinc nec ad obtemperandum voluntati Numinis ita reuelatae, animum inducere potuiſſent ſuum. Et quo pacto legatione, a Deo illis ſubinde demandata, rite potuiſſent fungi, ſi dubitandum illis fuiſſet, num Deus ipſos miſiſſet? Summa denique παῤῥησία, qua aliis indicabant, quae a Deo acceperant, ſatis oſtendit, de veritate reuelationis diuinae, quae illis obtigerat, eos neutiquam dubitaſſe: quod & ipſimet ſubinde teſtati ſunt; conf. *Gen. XXVIII, 16. 17. 1. reg. XXII, 12-28. Num. XXIV, 13. Ierem. XX, 7. 9. actor. XVI, 9, 10.* Ad modum autem quod attinet, quo ita perſuaſi & conuicti ſunt, vt de reuelationis iſtius diuina origine dubitare non poſſent, fatendum equidem, eum nos plene adſequi non poſſe, cum ea, quae ipſimet non experimur, obſcuriora fere nobis eſſe ſoleant. Obſeruare tamen quaedam iuuat, quibus de reuelationis diuina origine ac veritate certi reddi poterant. Primum inter illa locum tenet, intima mentis conuictio, ex lucis intus illabentis ſplendore, Deique aut adparentis, aut loquentis maieſtate, vel alia ratione orta, accedente ſingulari ſpiritus ſancti operatione. Qua in re tamen, vt eo minus fallerentur, coniungenda quoque erant, nec dubium, quin ſubinde coniunxerint, reliqua κριτήρια, cumprimis θεοπρέπεια; quae in eo conſiſtit, vt in reuelatione ipſa, aut eius etiam modo, nihil omnino ſit, quod cum ſanctitate, bonitate, iuſtitia, ac veracitate Numinis pugnet. Talia enim, vti a Deo nullo modo proficiſci poſſunt; ita reuelatio, hocce charactere deſtituta, quantumuis ceteroquin ſplendida, vana erit, falſa, & mere illuſoria. Accedebat porro ad haecce criteria, quod tum per vocationem diuinam ſpecialem, vt Moſes, aliique prophetae veteris teſtamenti, itemque apoſtoli, tum & interdum per ſigna quaedam aut miracula, ſubinde & per vaticiniorum ab ſe editorum complementum, quandoque & per promiſſiones diuinas, ab aliis prophetis profectas, aliaque ratione, de veritate reuelationis ſibi factae, & diuina origine, certiores redderentur. Qua quidem ratione, vt nemo decipi potuit, ita verus quoque propheta numquam deceptus fuit. Quod enim ad quadringentos illos prophetas attinet, qui a maligno quodam ſpiritu decepti dicuntur, *1. reg. XXII, 22.* illi

 non

non erant veri prophetae, ſed vitulorum cultum adprobando, idololatriam cum vero Numinis cultu coniungere volebant; adeoque mirum non eſt, infernalis genii illuſioni eos fuiſſe obnoxios. Pari ratione & *Ezech. XIV, 7. 9. 10.* de pſeudo-propheta ſermo eſt, quem Deus decipi ex iuſto iudicio permittit.

§. VI. Nec deerant illis argumenta, quibus alios, ſe a Deo miſſos, conuincere poterant. Certe haec ſi iis defuiſſent, quantumuis ipſi de reuelatione diuinitus ſibi facta longe fuiſſent certiſſimi, ab aliis tamen vt reuelationem illis factam pro diuina haberent, exigere non potuiſſent. *

* Non modo iniquum, ſed & plane ridiculum eſt, ſi quis ab aliis pro legato Dei, ſeu propheta haberi velit, nec tamen ſignis, aut argumentis euidentiſſimis, ſe talem eſſe, demonſtret. Hinc & Deus ipſe prophetam, etiam talem, qui in nomine diuino loquitur, non vult recipi, ſine exploratione, *Deut. XVIII, 21.* Obſeruanda itaque & hic criteria, ex quibus propheta, cui Deus reuera ſe patefecerat, poterat dignoſci. Primum inter ea locum obtinet conuenientia doctrinae cum ea doctrina, cuius veritas tum ex ratione ipſa, tum ex reuelatione, primis parentibus facta, & per patriarchas propagata, per Moſen autem copioſius explicata, conſtabat. De Moſaica enim doctrina, eiusque & veritate, & diuina origine, eo minus dubitari poterat, quod non tantum primam iſtam reuelationem contineret, ſed Moſes etiam ſe verum & a Deo miſſum prophetam eſſe, tam luculentis, & extra omnem dubitationem poſitis ſignis, ac miraculis demonſtrauerat, vt nemo, niſi qui omnem rationis vſum amiſerat, hac de re dubitare poſſet: vnde eminentiſſimum inter omnes prophetas iure meritoque obtinet locum; *Num. XII, 6, 8. Exod. XXXIII, 11. Deut. XVIII, 15. XXXIV, 10.* Atque ipſemet Deus nobis hoc ſuppeditat criterium, diſerte adſerens, ſi quis etiam ſigna & prodigia ederet, non tamen audiendum, aut pro vero propheta habendum eſſe, ſi abducere populum ad idololatriam vellet, adeoque aliquid doceret, quod doctrinae Moſaicae repugnaret, *Deut. XIII, 1.* Neque tamen hocce κριτήριον ad verum prophetam agnoſcendum ſufficiebat: ſiquidem aliquis *in nomine Domini loqui*, adeoque & veram doctrinam proferre poterat, qui tamen a Deo miſſus non erat, vt Moſes ipſe docet, *Deut. XVIII, 21.* Pondus equidem porro ingens addebat vitae ſanctae & inculpatae ſtudium. Vti enim firmiſſime colligere licebat, hominibus impuris, & vitiorum ſordibus commaculatis, nulla cum Deo intercedere poſſe commercia, ita de viro, virtutis & ſanctitatis laude inclyto, non temere poterat praeſumi, eum, reuelationem diuinam perperam iactitando, alios decipere velle. Sed nec hoc tamen rem extra omnem dubitationem ponebat; cum quorumdam tam callida ſit hypocriſis, vt prudentiſſimos etiam decipere queant: quemadmodum rurſus contingere poteſt, vt viri etiam ſancti, & inculpatis moribus praediti, falſa quadam reuelationis ſpecie, ſi non ſatis ſibi attendant, decipiantur ipſimet. Licebat vtique ex moribus improbis, aeque ac doctrina erronea, ſeu falſa colligere, aliquem prophetam eſſe falſum: ſed verum eum eſſe, ex doctrina vera & vitae integritate, nondum ſtatim colligi poterat, niſi & alia adhuc criteria accederent. Nimirum quando & de doctrinae veritate, & vitae integritate conſtabat, non poterat diuina prophetae auctoritas certiori fere ratione cognoſci, quam ſi futurorum contingentium praedictioni euentus & implementum reſpondebat.

Digitized by Google

Id enim, vt rei creatae vim plane ſuperat, ita ipſemet Deus huncce maxime chara-cterem ſtatuit, quo a falſis fictiſque gentium diis diſcerni queat, ſuamque ſimul manifeſtet gloriam; *Eſ. XLI, 21-26. XLIII, 9. XLIV, 7. 8.* Qui ergo talia praedicebant, non aliunde, quam ex diuina ſua habere poterant reuelatione, atque pro veris habendi erant prophetis: id quod ipſa paſſim ſcriptura teſtatur, *Exod. III, 12. Deut. XVIII, 22. Eſ. XXXIV, 16. Ierem. XXVIII, 9. &c.* Poterat equidem fieri, vt pſeudo-prophetae praedictioni euentus quandoque reſponderet, quod & ipſe Moſes innuit, *Deut. XIII, 1, 2.* Id vero, vt de futuris vere contingentibus, niſi caſu quodam fortuito id fieret, minime eſt intelligendum: ita, ne decipiamur, cum hocce criterio & alia, doctrinae cumprimis veritatem coniungendam, ipſemet Moſes *l. c.* nos condocet. Quodſi autem veri prophetae praedictioni euentus non reſpondebat, tum quidem ſub certa conditione praedictionem iſtam intelligendam fuiſſe, res ipſa docet. Dubium equidem inde oriri poteſt, quod vaticinia prophetarum interdum iis iam pridem mortuis fuerint impleta; vt adeo complementum iſtud iis, dum viuerent, parum profuerit. Verum aliquando & vaticinia, viuente adhuc propheta, a quo edita fuerant, impleta fuiſſe, exemplis ſcriptura docet. Iſtud ſi non contigerit, alia adhuc, etſi nobis non ſatis perſpecta, ratione auctoritas prophetae ita innoteſcere potuit, vt de diuina eius miſſione nullam haberent dubitandi cauſſam. Cum Deus miraculis, aut per ipſum prophetam, aut propter ipſum factis, miſſionem eius obſignabat, diuina illius auctoritas omnium luculentiſſime confirmabatur; *Exod. IV, 1, 2. 1. Reg. XVII, 24. 2. Reg. V, 15.* Non tamen ſemper Deus miracula faciebat: & quando ea non fecit, iis ad conciliandam prophetae fidem opus non fuiſſe, vt credamus, par eſt. Quo pacto autem vera miracula, quae perpetrare ſolius Dei eſt, a mirandis, praeſertim praeſtigiis, diſtingui & debeant, & poſſint, alibi ex inſtituto a nobis exponitur.

§. VII. Erant equidem ea, quae Deus prophetis olim reuelauit, non vnius generis; hic tamen maxime illa in cenſum veniunt, quae ſcitu credituque hominibus ad ſalutem aeternam conſequendam erant neceſſaria: quorum ſumma erat, doctrina de hominum ſeruatore, qui ipſos cum Deo reconciliare debebat: quod, vti diximus, primis iam parentibus Deus reuelauerat. *

* Pertinent haec ad obiectum prophetiae, ſeu diuinae reuelationis; quod vtique non eſt vnius generis. Solebat enim Deus quaeuis arcana, praeterita, praeſentia, prout vtraque occulta erant, futura, ſanctis vatibus reuelare. In duas autem praecipue claſſes ea, quae Deus prophetis reuelabat, diſpeſcere licet: quarum altera *mundi huius*, altera *eccleſiae* fata complectitur. Prioris claſſis vaticinia iterum vel generatim, aut ad totius orbis, aut magnae eius partis, pluriumque adeo imperiorum mutationes, conuerſiones, interitus, ſpectabant; vt reuelatio Noacho facta, de orbe per diluuium puniendo, *Gen. VI, 3.* item, quae de imperio Babylonico, Perſico, Macedonico, & ſucceſſorum Alexandri, *Dan. II, 31-46. VII, 1-28. XI, 1, 2. ſqq.* leguntur; vel ſpeciatim, quid ſingulis gentibus, vt Aegyptiis, Babyloniis, Aſſyriis, Iudaeis, Tyriis, aut hominibus etiam, quorum opera Deus ſingulari quadam ratione vti decreuerat, vt Nebucadnezari, Pharaoni Necho, Cyro, Dario Codoman-

no, Alexandro magno, aliis, euenturum eſſet, indicabant. Poſterioris autem claſſis vaticinia, Chriſtum, regem & caput eccleſiae, tum & eccleſiam ipſam, ſecundum varios eius ſtatus, delineabant. Et haec cuidem praecipuum diuinae reuelationis qonſtituebant obiectum; immo, hocce caput, & velut centrum omnium reuelationum erat, vt hac ratione hominibus ille innoteſceret, ſine quo nemo ſpem vllam ſalutis habere poterat. Hoc inductione omnium reuelationum, Adamo, Noacho, Abrahamo, ceteriſque patriarchis, Moſi, Samueli, Dauidi, reliquiſque prophetis omnibus, factarum demonſtrari poſſet, niſi aperta ſacrae ſcripturae teſtimonia nos hac de re dubitare non ſinerent Mirifice itaque in eo conſpirarunt omnes diuini vates, ea quidem ratione, vt iis, quae primis parentibus Deus reuelauerat, noua ſemper lux accederet, donec euentu omnia haecce vaticinia euidentiſſime comprobarentur; *Dan. IX, 24. Matth. XI, 13. Luc. XXIV, 26, 27. actor. III, 24.*

§. VIII, Placuit porro Deo, pro ipſius ſapientia, & erga homines miſeros benignitate, vt ea, quae hunc in modum reuelauerat, quaeue ad ſalutem conſequendam omnes ſcire oportebat, per viros θεοπνεύστους litterarum monumentis conſignarentur. Idque eo magis neceſſarium erat, quod extraordinarium donum propheticum in eccleſia non eſſet futurum perpetuum. * Accedebat praeter alia, quod doctrina reuelata, multiplicato nimis hominum genere, per oralem traditionem commode propagari non poſſet. Hinc & iſtius conſignationis eo tempore factum eſt initium, quo oralis traditio non amplius locum inueniebat **

* Poſtquam enim ea omnia, quae ſcitu credituque hominibus, etiam ſecundum certa oeconomiae foederis gratiae interualla, ad ſalutem neceſſaria erant, a viris θεοπνεύστοις litteris erant conſignata, extraordinario illo dono prophetico non amplius opus erat. Scio equidem, acriter ſubinde hac de re diſceptatum fuiſſe, num in nouo teſtamento, adeoque & noſtra aetate reuelationes eiusmodi, quae immediate a Deo originem trahunt, hominibus quandoque obtingant? nonnullis quidem hoc adfirmantibus, aliis autem, & quidem pleriſque noſtrae eccleſiae theologis, hoc negantibus. Qua de re, vt paucis, quid veritati conſentaneum credam, aperiam, primo quidem obſeruandum, de eo tempore quaeri, quod totius ſcripturae, adeoque & noui teſtamenti canonem clauſum, ſequutum eſt. Hinc ea, quae circa initium noui teſtamenti contigerunt, cum nouae iſtius oeconomiae foederis gratiae, quae nouo teſtamento propria, fundamenta ponenda eſſent, necdum canon ſcripturae finitus atque clauſus eſſet, huc non pertinent, perperamque adeo a reuelationum, quae hodie adhuc quibusdam obtingant, defenſoribus vrgentur. Diſcrimen praeterea conſtituendum inter res ad fidem & vitam recte inſtituendam pertinentes, & ea, quae ad eccleſiae, aut reipublicae ſtatum, aut fata etiam ſingulorum quorumdam hominum ſpectant. In hiſce enim Deum aliquando hodienum aliquid reuelare, nonnulli etiam ex noſtrae eccleſiae doctoribus credunt. Deum vtique hoc facere non poſſe, nemo adſeret: quod vero nec velit, nulla ratione idonea comprobari poteſt. Nullibi ſane Deus, quod hoc amplius facere noluerit, declarauit. Quaeue, vt olim hoc faceret, eum induxere cauſſae, adhuc hodie, vt idem faciat, eum per-

Digitized by Google

permouere poſſunt. Caute tamen, & admodum circumſpecte hac in re verſandum, cum nulla in re facilius homines decipi queant, pluribusque obnoxii ſint illuſionibus: experientia praeterea doceat, plurimas ex eiusmodi reuelationibus falſas fuiſſe, eo quod euentus iis non reſponderit.

In iis vero rebus, quae ad fidem, vitamque recte inſtituendam pertinent, poſt clauſum noui teſtamenti canonem, nullas amplius reuelationes immediate a Deo exſpectandas, & recte adſeritur, & firmisſimis demonſtrari poteſt rationibus. Id namque I) apoſtolus ipſe diſerte nos condocet, quando olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Deum patribus per prophetas loquutum dicit; at *vltimis temporibus*, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν eum loquutum eſſe ἐν υἱῷ *in filio* ſeu *per filium*, *Ebr. I, 1.* Vbi quidem per *vltima tempora* eum vltimum foederis gratiae interuallum, ſeu tempus illud, quod adventum Meſſiae inſequuturum eſſet, intelligere, & res ipſa, & loquendi ratio ſcripturae vſitata, nos dubitare non ſinit. In hocce itaque temporis interuallo, loquutus eſt nobis *per filium*, per filium ſcilicet ſuum vnigenitum, qui ſolus omnium optime, quae creditu & factu ad ſalutem neceſſaria ſunt, & ſciuit ipſe, & nobis indicare potuit; iuxta illud Ioannis: *Nemo vnquam Deum vidit, vnigenitus filius, qui in ſinu patris eſt, ille nobis adnuntiauit*, omne ſcilicet Dei patris de noſtra ſalute conſilium, *cap. I, 18.* Quo ipſo & ſe verum Meſſiam demonſtrauit, de quo recte mulier illa Samaritana dicebat: *cum Meſſias venerit*, *reuelabit nobis omnia*, *Ioan. IV, 25.* Idque Chriſtus tum ipſe fecit, diſcipulis ſuis *omnia*, quae a patre acceperat, adnuntians; *Ioan. XV, 15.* tum per apoſtolos atque ſcriptores θεοπνεύστους, qui itidem ea *omnia*, quae ad ſalutem neceſſaria ſunt, docuerunt, & litteris conſignarunt, *actor. XX, 27. 2. Petr. I, 3.* II) Probari hoc porro inde poteſt, quod terminus vaticiniorum, adeoque & reuelationum, quae extra ordinem hominibus obtingunt, adventus Chriſti, & regni, ſeu nouae foederis gratiae oeconomiae, ab eo introducendae, conſtitutio, diſerte ponatur, *Dan. IX, 24. Matth. XI, 13. Luc. XVI, 16.* Ita namque hicce terminus intelligendus eſt, vt initium nouae huius oeconomiae, adeoque, quae ad eam rite ſtabiliendam pertinent, quorſum & ſcripta noui teſtamenti θεόπνευστα merito referuntur, includantur. Id quod ex loco Danielis euidentiſſime patet. Atque tum omnia vaticinia & reuelationes deſinere debebant, quia tum finem ſuum erant conſequutae. Accedit vero III) quod in rebus fidei, adeoque via ſalutis eligenda, numquam ad reuelationes eiusmodi, quae immediate hominibus obtingunt, ſed ad ſcripturam ſacram ablegemur, *Ioan. V, 39. Luc. XVI, 29, 31.* Quod iterum pro diuerſa oeconomiae foederis gratiae ratione eſt intelligendum: vt homines, qui ante Chriſtum natum vixerunt, Moſem & prophetas, quorum tum ſcripta θεόπνευστα exſtabant, audire; qui autem poſt Chriſtum natum, poſtque canonem noui teſtamenti clauſum vixerunt, Chriſtum atque apoſtolos, & quae ab his ex ſpiritus ſancti adflatu litteris conſignata ſunt, pro fidei & vitae regula accipere debuerint. Cumprimis vero & quidem IV) hunc in modum rationes ſubducere licet: ſi in rebus fidei nouae reuelationes admittendae ſint, vel ideo id fieri oportet, quod noua doctrina in illis proponatur, vel vt doctrina, qua hactenus eccleſia perſonuit, inſigni quadam acceſſione augeatur, vel ut veritas in ſcriptura propoſita clariore luce perfundatur, vel denique, vt eadem maiori quadam efficacia & ἐνεργείᾳ proponatur. Quod ſi nulla ex quatuor hiſce cauſis locum inueniat, ſequetur, inutiles, & ſuperuacaneas eſſe nouas reuelationes, easque adeo, vt pote a Deo non profectas, minime

minime eſſe admittendas. Nullam vero ex iis locum inuenire, facili negotio probari poteſt. Noua enim, ſi per reuelationem quamdam proponatur doctrina, vt impia, & in ſcripturam ſacram iniuria, merito reiicitur; adeo vt cum Paulo apoſtolo dicere fas ſit: *Sed etiamſi nos, aut angelus e caelo euangelizet vobis praeter id, quod euangelizauimus vobis, anathema eſto; vt antea diximus, etiam nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit praeter id, quod accepiſtis, anathema eſto, Gal. I, 8, 9.* Cumque non ſit alia ſalus, nec aliud nomen, in quo nos ſeruari oportet, quam nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, *act. IV, 12.* non poteſt alia doctrina, quae aditum ad ſalutem nobis muniat, proferri, quam ea ipſa, quae iam in ſcriptura ſacra continetur, quaeue de hocce ſeruatore ea omnia luculentiſſime tradit, quae nobis ſcitu ſunt neceſſaria. Quae autem ab hac diuerſa eſt doctrina, non poteſt non eſſe falſa, erronea, impia: vnde & qui eam proferunt, fugiendi ſunt, iuxta monitum apoſtoli, *Rom. XVI, 17, 18. Tit. III, 10.* conf. & *1. Tim. VI, 3, 4.* Quodſi autem quis exiſtimet, augeri tamen eccleſiae doctrinam inſigni quadam acceſſione per nouam reuelationem poſſe; & is falletur turpiter. Cum enim omnia ad fidem & vitam, adeoque ad ſalutem neceſſaria, plene & ſufficienter in ſcriptura ſacra contineantur, noua quadam non opus eſt acceſſione. Quemadmodum enim Paulus, dum Epheſios edocuit, quo pacto ad Deum ſe conuertere, & in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum credere debeant, omnia, quae conducibilia iis erant, indicauit, *omneque Dei conſilium* adnunciauit; *actor. XX, 18, 21, 27.* ita &, dum eadem in ſcriptura ſacra continentur, non eſt, quod amplius quid deſideremus. Poteſt namque ſcriptura nos *ſapientes reddere ad ſalutem, quae eſt in Chriſto Ieſu, & vtilis eſt ad doctrinam &c. vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus, 2. Tim. III, 15, 16, 17.* Quid noua itaque opus eſt acceſſione? At lucem forte clariorem noua reuelatio adferet. Hoc vero cum ſcripturae ſacrae perſpicuitate, quam in rebus ad fidem ac vitam pertinentibus, nemo, niſi qui eam numquam recte legit, in dubium vocabit, conſiſtere nequit. Et, quid noua luce opus eſſet, cum ipſa ſcriptura ſit *lucerna pedi, & lux itineri noſtro, pſalm CXIX, 105. illuſtrans oculos, pſ. XIX, 9. lucerna ſplendens in loco obſcuro, 2. Pet. I, 19.* Num noua luce nobis opus eſt, vt ſolem videamus? Denique & illud fruſtra adſeritur, ut maiori efficacia & ἐνεργείᾳ verbum diuinum proponatur, noua opus eſſe reuelatione. Eſt enim verbum Dei, quod ſcriptura ſacra nobis exhibet, per ſe ſatis efficax ad homines illuminandos & conuertendos, modo ipſimet homines eius efficaciam haud impediant; conf. *Ebr. IV, 12.* Eſt namque euangelium *potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti, Rom. I, 16.* Et licet dona diuinitus illis, qui verbum Dei aliis adnuntiant, conceſſa, interdum ad commouendos, adeoque praeparandos quodammodo audientium animos, aliquid conferant, ipſa tamen verbi efficacia ab hiſce donis non pendet, immo ſaepius abſque eiuſmodi donis ſeſe exſerit: quemadmodum & haec ipſa dona nulla reuelatione noua indigent, & per media ordinaria hominibus obtingunt. Atque hiſce quidem, quas attulimus, rationibus, vt nihil ſolidi ſecus ſentientes reponere poſſunt, ita quod V) vltimo tandem loco notandum, omni, cui nouas iſtas reuelationes ſuperſtruant, deſtituuntur fundamento. Ad experientiam prouocare nequeunt, cum, quaecumque in rebus, ad fidem & vitam ſpectantibus, proferuntur nouarum reuelationum exempla, merito ſtatim reiiciantur, & explodantur, cum per hactenus dicta pro diuinis haberi nequeant. Nec in ſcriptura, quod illis praeſidio ſit, inuenient. Ad

locum

Digitized by Google

locum enim, *Ioel. II, 28, 29.* quem praecipue vrgere ſolent, iam dudum ita reſponſum eſt, vt, quod regeri queat, ſupereſt nihil. Si κατὰ ῥητὸν is accipiatur, impletum hocce vaticinium adcuratiſſime eſt eo tempore, cum prima nouae foederis gratiae oeconomiae fundamenta ponenda eſſent, praecipue quidem, cum ſollemni ratione ſpiritus ſanctus ſuper apoſtolos effunderetur; tum vero & per alia dona miraculum arguentia, vsque ad clauſum ſacri codicis canonem; conf. *act. II, 1, 2. ſeq. VIII, 17. X, 44. XIX, 6.* Sin κατὰ διάνοιαν, nihil aliud innuitur, quam amplior illa, & illuſtrior rerum diuinarum cognitio, quae omnibus noui teſtamenti fidelibus quouis tempore promiſſa, non autem alia ratione, quam per legitimam verbi diuini, in ſcriptura ſacra propoſiti, illis obtingit tractationem.

** Singularis in eo Numinis, circa veram reuelationem propagandam & conſeruandam eluceſcit prouidentia, quod non tantum, quae ſcitu crediituque ad ſalutem neceſſaria ſunt, litteris conſignari voluerit, ſed & eo tempore eius rei fieri initium, quo id vel maxime neceſſarium videbatur. Ea enim, qua Moſes vixit, aetate, magna gentium variarum per orbem facta erat diſperſio; ſuperſtitio inſuper, ac idololatria, maxima incrementa ſumſerat: vnde religionis reuelatae, quam patriarchae per traditionem propagauerant, pauca fere hinc inde ſupererant veſtigia. Nec tanta amplius hominum, etiam ſanctorum, quam antea, longaeuitas, quae ceteroquin veritati, per traditionem propagandae, vel maxime inſeruire poterat: ipſo Moſe hancce hominum ſuae aetatis miſeriam deplorante, *pſalm. XC, 10.* Quae omnia cum obſtarent, quo minus diuina veritas commode amplius per traditionem conſeruari poſſet, conſultum Deo viſum, per Moſem initium fieri, vt litteris conſignaretur. Id quod, vt alia multa, prouidam Numinis hac in re curam luculentiſſime euincit.

§. IX. Atque hinc originem ſcripturae intelligere licet, quippe quae diuinam reuelationem per viros θεοπνεύστους litteris conſignatam nobis exhibet. *

* Solet alias ſcriptura ſacra deſcribi, quod ſit verbum Dei, a ſcriptoribus diuinitus inſpiratis litteris conſignatum, ad ſalutem aeternam, per fidem in Chriſtum impetrandam, nos erudiens: quod cum noſtra mente ſententiaque plane conuenit. Scripturae ſacrae nimirum nomine ſpeciatim libros canonicos intelligimus. In latiori enim ambitu vox haec etiam ſimul pro apocryphis, quos vocant, accipitur. Quando *verbum Dei* vocatur, ſenſus eſt, quod ipſos rerum atque verborum conceptus, quos ſpiritus ſanctus ſcriptoribus θεοπνεύστοις ſuppeditauit, modo longe certiſſimo exhibeat. Eodem res redit, quando alii ſcripturam per *complexum* ſeu *volumen* librorum diuinitus inſpiratorum deſcribunt. *Sacra* & ab *obiecto*, & a *fine*, & a *cauſſa efficiente* dici poteſt. Vltima tamen hic maxime in cenſum venit denominatio, quia in eo a reliquis libris praecipue differt, quod Deum ipſum qua res, qua verba, auctorem agnoſcat, & a viris θεοπνεύστοις litteris ſit conſignata. Complexus ille ſacrorum librorum in ipſo ſacro codice vocatur ἡ γραφή, *Ioan. II, 22.* item αἱ γραφαί, *Matth. XXI, 42.* αἱ γραφαὶ ἅγιαι *Rom. I, 2.* ἱερὰ γράμματα, *2. Tim. III, 15.* Reſpondet & *bibliorum* nomen, κατ' ἐξοχὴν ſcripturae ſacrae ſubinde tributum: quod tamen idemtidem nonnumquam ita ſumitur, vt apocryphos libros ſimul complectatur.

§. X. Nimirum, etſi ſcriptores ſacri non tantum quae ex reuelatione, ſed & ex ſenſuum teſtimonio, aut aliunde iis conſtabant, litteris conſigna-

ſignabant, nihil tamen ſine diuina ſcripſerunt inſpiratione, idque, ſiue res ipſas, ſiue verba & formulas loquendi, quibus vſi ſunt, ſpectes.* Vnde, qua ratione Deus *cauſſa efficiens principalis*, ſcriptores autem ſacri *inſtrumentalis* dicantur, intelligitur.**

* Qui in eo conſentiunt, ſcripturam ſacram eſſe verbum Dei, & adeo ab eo profectam, de ipſa tamen inſpiratione, eiusque modo, non vnam eamdemque fouent ſententiam. Nonnulli enim ſcripturam ſacram quoad *res*, quae in ea continentur, non autem quoad *verba*, diuinitus inſpiratam eſſe contendunt: alii autem ne quidem quoad *res omnes*, ſed eas tantum, quae non aliter, quam per reuelationem hominibus innoteſcant. Praeterea nonnulli eiusmodi θεοπνευστίας modum commenti ſunt, per quem vera eius ratio prorſus tollitur, dum eum in *directione quadam cogitationum*, alii autem omnino in *pio* ſaltem *adfectu, & animi motu* conſtituerunt. Atque hi quidem reuera nihil aliud agere videntur, quam vt θεοπνευστίαν prorſus negent, ſcripturamque ſacram non alio, quam alios libros hominum induſtria confectos, loco habeant. Sequitur enim ex ea ſententia, omnes viros pios poſſe eſſe θεοπνεύστους, eorumque ſcripta ſcripturae ſacrae, ſi auctoritatem ſpectes, eſſe aequiparanda: cumque quilibet facile ſibi perſuadeat, ſe pium & ſanctum eſſe, eodem, quo reliqui, iure contendet, ſcripta ſua pro θεοπνεύστοις habenda, quae plana ad ſcepticiſmum via eſſet. Nullo etiam modo poſſet ſcriptura ſacra pro regula vitae & fidei haberi, ſi ſcriptores ſacri non alia gauiſi fuiſſent θεοπνευστίᾳ, cum homines etiam pii & ſancti falli queant, variisque erroribus ſint obnoxii. Paullo melius equidem illi ſentire videntur, qui θεοπνευστίαν in *directione quadam cogitationum* conſtituunt, qua ſcriptores ſacri extra erroris periculum fuerint poſiti. Verum, cum nec hac ratione ſcriptura ſacra poſſit *verbum Dei* dici; ſimulque, vt pro regula fidei & vitae accipi poſſit, neceſſe ſit, vt nobis conſtet, ipſa verba non minus, quam res ipſas, a Deo eſſe profecta; neque haec admitti ſententia poteſt. Hinc vero etiam ſimul patet, de illis quid cenſendum ſit, qui tantum *quoad res*, non autem *quoad verba*, aut ne quidem *quoad res omnes*, ſed tantum *quasdam*, eam diuinitus inſpiratam contendunt.

Enimuero, diuinam inſpirationem ita ſeſe habuiſſe, vt ſcriptoribus ſacris tum rerum ipſarum, tum & verborum conceptus ſuppeditarentur, I) ex fine ſcripturae ſacrae quam rectiſſime demonſtratur; qui in eo conſiſtit, vt omnes homines ad ſalutem per fidem in Chriſtum obtinendam, erudiantur, adeoque certiſſimam, quaeue nulla ratione fallere poſſit, fidei atque vitae regulam habeant, *Ioan. XX, 31. 2. Tim. III, 15, 16.* Hic autem finis fruſtra ſcripturae ſacrae propoſitus eſſet, niſi non tantum qua res, ſed & qua verba diuinitus eſſet inſpirata. Si enim verba ab ipſis ſcriptoribus ſacris tantum profecta eſſent, dubitari ſemper poſſet, an recte diuini Numinis ſententiam expreſſerint, numue Deus id ipſum etiam velit, quod verba illorum inſinuant? Deinde II) & ipſa ſcriptura ſacra hoc diſerte teſtatur, & quidem Paulus *2. Tim. III, 16.* quando πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον, *omnem*, ſeu *totam ſcripturam, quae diuinitus inſpirata eſt, vtilem eſſe* dicit *ad doctrinam, ad conuictionem* &c. Dum enim ipſam *ſcripturam* θεόπνευστον vocat, non de rebus ſaltem, ſed verbis etiam, quibus res diuinae in ſcriptura exprimuntur, ſe loqui, aperte ſignificat; quo ſenſu etiam *verſu praeced.* ſcripturam ſacram vocat ἱερὰ γράμματα. Et nulla profecto adſerri ratio poteſt, cur contra genuinam vocum γραφὴ & γράμματα, ſignificationem, tantum res, non autem verba,

verba, quibus res exprimuntur, intelligere debeamus. Conſentit III) & Petrus, idemque confirmat, *2. ep. I, 19, 21.* quando ſanctos Dei homines *loquutos* dicit φερομένους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, *latos a ſpiritu ſancto.* Etenim, licet verbum φέρω de *impulſu* & *inſtinctu* etiam accipi queat, vt adeo ad voluntatem referatur; quia tamen hic diſerte cum ſermone connectitur, dum dicit: ἐλάλησαν, manifeſtum eſt, eiusmodi operationem ſancti ſpiritus indicari, ex qua etiam conceptus rerum pariter ac verborum fluxerint. Nec enim ſine verbis ſcriptores ſacri aut loquuti ſunt, aut ſcripſerunt. Cumprimis vero IV) luculentum admodum eſt effatum Chriſti ſeruatoris, ſpiritum ſanctum apoſtolis, quando coram iudicibus & magiſtratibus ſiſtendi eſſent, promittentis: *Cum autem ſiſtent vos,* (coram principibus atque regibus) *nolite curare, quomodo & quid loquamini: ſuggeretur enim vobis eadem hora, quid loquamini. Non enim vos eritis, qui loquemini, ſed patris veſtri ſpiritus in vobis loquens; Matth. X, 19, 20.* conf. *Marc. XIII, 11. Luc. XII, 11, 12. XXI, 14, 15.* Non ergo res ſaltem, ſed verba ipſa apoſtolis ſpiritus ſanctus ſuggerebat: *ſuggeretur, quid loquamini,* immo ipſe ſpiritus ſanctus in apoſtolis loquebatur. Neque eſt, quod excipias, hoc apoſtolis tum demum promiſſum, cum ad tribunal abreptis euangelii cauſſa agenda eſſet; nec inde ſequi, rem ita ſe habuiſſe, cum aliquid litteris conſignarent. Longe enim maioris momenti ſcriptio illa erat, qua, vt totius orbis doctores, non praeſentem modo, ſed futuram aetatem, adeoque omnes huius vniuerſi homines de rebus maximi momenti, ad ſalutem quippe aeternam ſpectantibus, erudiebant. Quo dum fungebantur officio, longe magis adhuc neceſſarium erat, vt extra omne erroris periculum, qua res ipſas, qua verba, conſtituti eſſent, quam cum coram iudicibus aut ſuam, aut euangelii cauſſam agerent. Rectiſſime itaque colligimus: ſi ſpiritus ſanctus apoſtolis, coram iudicibus conſtitutis, omnia, etiam ipſa verba ſuggeſſit, multo magis idem feciſſe cenſendus eſt, quando ad orbem vniuerſum ſcriptis erudiendum ſeſe accingebant. Fruſtra porro excipitur, per *ſpiritum ſanctum* intelligi *ſpiritum conſtantiae & ſanctitatis*, quem euangelium in cordibus producat, id eſt, animum intrepidum; quod vel exemplo Pauli apoſtoli conſtet, in cuius coram tribunali dictis, *actor. XXIII.* nihil reperiatur, quod non ſine inſpiratione ex humana prudentia aliquis dicere queat. Vt enim a propria & litterali vocis ſignificatione diſcedamus, non tantum nulla nos cogit neceſſitas, ſed quo minus id facere liceat, grauiſſimae obſtant rationes. Spiritus enim ille, qui in apoſtolis loqui debebat, non ipſorum apoſtolorum ſpiritus aut animus vocatur, ſed πνεῦμα τοῦ πατρὸς, *ſpiritus patris, Matth. X, 20.* qui *in apoſtolis* loquebatur, vt olim in prophetis, illisque & rerum, & verborum conceptus ſuggerebat, στόμα καὶ σοφίαν, quibus aduerſarii reſiſtere, aut repugnare non poſſent, *Luc. XXI, 15.* Ad Pauli exemplum, & alia eiuscemodi, quid reſpondendum ſit, ex iam dicendis patebit. Confirmat vero quod diximus, & rem omnem V) extra dubium ponit Paulus apoſtolus, quando *1. Cor. II, 13.* dicit: *quae loquimur ſermonibus, non quos humana ſapientia docet, ſed quos docet ſpiritus ſanctus.* Ipſos ergo ſermones, ſeu verba, quibus euangelii doctrinam proponebant, ſpiritus ſanctus illos docuit. Quod, ſi fiebat, quando viua voce hanc doctrinam proponebant, multo profecto magis ita ſe habuit, quando ex eiusdem diuini ſpiritus impulſu eam litteris conſignabant.

Vt vero omnia, quae hic ſuboriri poterant, dubia euaneſcant, diſcrimen, quod inter reuelationem & inſpirationem intercedit, haud perſunctorie eſt obſeruandum. In latiori equidem ſignificatione ſi

M 2 vox

vox *reuelatio* accipiatur, vt, quidquid immediate a Deo proficiſcitur, denotet, inſpirationem quoque ambitu ſuo complectitur. Nunc autem limitibus paullo arctioribus circumſcribitur, atque de eiusmodi rerum manifeſtatione vſurpatur, quae ceteroquin prorſus ignotae eſſent, niſi Deus eas reuelaſſet. *Inſpiratio* autem rerum, iam ceteroquin etiam notarum, itemque verborum ſuggeſtionem denotat: quae ſcriptoribus θεοπνεύστοις neceſſaria erat, vt extra omne erroris periculum, qua res ipſas, qua verba, eſſent conſtituti. Ecquis enim dubitet, non tantum verba, ſed & res plurimas ſcriptoribus ſacris iam antea fuiſſe notas, vt reuelatione quadam iis minime patefaciendae eſſent? Inſpiratione tamen opus erat, ne vlla in re aut fallerentur, aut aberrarent. Certe, quae Matthaeus, atque Ioannes, apoſtoli, de Chriſto ſeruatore litteris prodiderunt, maximam partem ipſimet oculis ſuis vſurpauerant, auribusque audiuerant. Hinc Ioannes: *Quod fuit a principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod & ſpectauimus, & noſtris ipſis manibus tetigimus, (de verbo vitae loquor, quae vita patefacta eſt) id, inquam, & vidimus, & teſtamur; 1. ep. I, 1, 2.* Non minus vero & illis nota erant, quae ab aliis acceperant, & ipſimet deinceps litteris conſignabant: quod diſerte de ſemet ipſo teſtatur Lucas: *Quandoquidem adgreſſi ſunt multi, narrationem contexere compertarum apud nos rerum; quemadmodum nobis tradiderunt, qui ab initio & ſpectatores, & adminiſtratores rei fuerunt, viſum eſt etiam mihi* &c. *cap. I, 1, 2.* Pari ratione nota quoque ſcriptoribus ſacris plurima fuere, quae a Iudaeis ipſimet per traditionem acceperant, quorſum & dictorum quorumdam ſcripturae ſacrae, ſecundum interpretandi rationem, ea aetate in gente iudaica receptam, eam tamen veritati ipſi reſpondentem, explicatio & allegatio pertinet: itemque, quae ipſi iuſta & legitima ratiocinatione ex certis principiis deduxerunt. Haec, inquam, & alia, cum ſcriptoribus ſacris per ſe nota eſſent, nulla ſane in iis opus habuerunt reuelatione, ſed tamen inſpiratione, vt ea, quae hunc in modum illis innotuerant, ſine erroris periculo proponere poſſent. Qua quidem in re Deus eiusmodi vſus eſt συγκαταβάσει, vt liberum ſcriptoribus eſſet, genium, indolemque ſuam in ſcribendo ſequi, vnde magnam & adfectuum, & ingeniorum diuerſitatem in ipſo ſcriptorum ſacrorum ſtilo animaduertimus. Quae enim ita, ex impulſu ſpiritus ſancti, genio ſuo adfectibusque conuenientia ſcripturi erant, ipſe etiam ſpiritus ſanctus illis ſimul ſuggerebat. Quod quidem nonnulli exemplo organi muſici haud inepte declarant, in quo, cum vna ſit cantici ſubſtantia, ſpiritus tamen, qui tibias inflat, mox acutioribus, mox obtuſioribus fiſtulis ſeſe adcommodat. Qua quidem iſtius rei imagine ſubinde vtitur ATHENAGORAS. Sic, cum de prophetis dixiſſet: *qui extra ſe, ſuasque cogitationes poſiti, diuino ipſos mouente ſpiritu, quaecumque hic operabatur, eloquebantur*, addit: συγχρησαμένου τοῦ πνεύματος, ὡσεὶ καὶ αὐλητὴς αὐλὸν ἐμπνεῦσαι, *cum ſpiritus eumdem in modum iis vteretur, quo tibicen inflat fiſtulam;* in *legatione pro chriſtianis, p. 74.* Quod tamen cum grano ſalis eſt accipiendum, nec vltra, quam par eſt, extendendum, ne ipſi ſcriptores hac in re nihil plane egiſſe cenſeantur.

Atque haec ſi perpendamus, ſua ſponte ſtatim corruit, quod de ſtili diuerſitate obiicitur, & praecipuum ex illis eſt, quae alicui negotium aliquod faceſſere poſſunt. Optime enim iſta ſtili diuerſitas cum modo inſpirationis, quem tradidimus, conſiſtere poteſt. Patet etiam, quid atheorum facile principi, BENEDICTO DE SPINOZA, reſpondendum ſit, quando argumentationes & ratiocinationes apoſtolorum nobis obiicit: *Longas Pauli deductiones & argumentationes, quales in epiſtola ad*

ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex revelatione ſupernaturali ſcriptas fuiſſe, concedo; in tract. theologico - polit. p. 339. Turpiter nimirum confundit inſpirationem & reuelationem. In reuelatione, tali ſcilicet, qua res ignotae nobis manifeſtantur, ratiocinationes locum non habent, at cum inſpiratione bene conſiſtere poſſunt. Patet vero hinc etiam, quo pacto apoſtoli quandoque dubitanter loqui potuerint, vt cum Paulus *1. Cor. I, 16.* dicit. *Baptizaui praeterea Stephanae familiam; ceterum neſcio, an vllum baptizauerim:* item, quo pacto idem gentium doctor *1. Cor. VII, 12.* dicere potuerit: *Ceteris ego dico, non dominus.* Quae enim ipſimet apoſtoli ex diuini ſpiritus impulſu cogitabant, quaeue adeo ex ſpeciali reuelatione non acceperant, adeoque hac ratione *dominus iis non dixerat*, ſpiritus ſanctus, quando in actu ſcribendi conſtituti erant, illis qua rerum, qua verborum conceptus ſuggerebat.

Corruunt porro, ſi hactenus dicta recte obſeruentur, ſua ſponte, quae *theologi*, vt ſe vocant, *Batavi*, in *iudiciis ſuper Richardi Simonis hiſtoriam criticam V. T.* Amſtaelodami anno 1685. editis, & eius *defenſione*, anno ſequenti luci publicae expoſita, contra ſcripturae ſacrae, ſpeciatim veteris teſtamenti, θεοπνευστίαν diſputant. Triplicis enim generis res in ſcriptura ſacra reperiri aiunt, quae ſingulari reuelationi adſcribi nequeant: *prophetias*, *hiſtorias*, & *doctrinas.* Ad prophetias enim quod attinet, licet quaedam ita comparatae ſint, vt res ipſae a Deo reuelatae dici queant, id tamen de vocibus intelligendum non eſſe, cum nulla ratio adpareat, cur etiam voces Deus iis reuelare debuerit; & contrarium etiam ex ipſa ſtili, quae in prophetarum ſcriptis conſpicitur, diuerſitate adpareat. Eſſe tamen etiam quoddam prophetiae genus, quod non in praedictione rerum futurarum verſetur, ſed in explicatione ſcripturae, atque in compoſitione extemporali canticorum, in honorem Dei fuſorum, quorſum & magnam pſalmorum partem referunt, in quibus omnibus nulla etiam, qua res ipſas, opus fuerit reuelatione, cum ad eorum elaborationem nihil niſi pietas atque zelus requiratur. Atque ita etiam de hiſtoriis ſentiunt, in quarum auctoribus, vt fides illis adhibeatur, nihil aliud quam probitas, atque earum rerum, quas tradunt, cognitio requiratur; in ſacris vero hiſtoriarum ſcriptoribus diuinam eo minus admittendam reuelationem, quod ipſimet in circumſtantiis ſubinde inter ſe non conueniant. Ad doctrinas denique quod attinet, quae in libro prouerbiorum, eccleſiaſte, cantico canticorum, & Iobo occurrunt, ita maximam partem comparatas eſſe, vt nihil in illis diuini deprehendatur, quin potius a quolibet homine probo talia proferri potuiſſe. Addunt hunc in modum & alia multa, quae ad diuinam iſtorum librorum auctoritatem infringendam pertinent: quae omnia aut recenſere, aut ſigillatim diſcutere, noſtri non fert inſtituti ratio. Id ſaltem generatim obſeruare liceat, vna eademque ſemper auctorem iudiciorum iſtorum oberrare chorda, dum aeque ac SPINOZA, aliique, reuelationem, & quidem ſpecialem, cum inſpiratione confundit. Sic in prophetiis, in quibus rerum reuelationem admittit, non opus equidem erat, vt verba, quae prophetis alias nota erant, reuelarentur; at inſpiratione tamen, qua verba pariter ac res ipſas, opus erat; quia ceteroquin non Dei, ſed ſua protuliſſent verba. Idem & de ſcripturae explicatione, de canticorum compoſitione, deque hiſtoriis, itemque dogmatibus plurimis in prouerbiis & eccleſiaſte Salomonis, aliiſque eiuſdem generis ſcriptis cenſendum. Erant haec vtique ita comparata, vt auctoribus etiam abſque ſpeciali reuelatione innoteſcerent: adeoque, ſi diuina inſpiratio non acceſſiſſet, pro ſcriptis mere humanis habenda forent.

Pro talibus autem non habenda eſſe, liquido conſtat, cum ad eam ſcripturam pertineant, quam Paulus diſerte θεόπνευστον adpellitat: quo nomine nullum ſcriptum vlla ratione dignum eſt, niſi illud, quod qua verba pariter ac res ipſas a Deo ſit inſpiratum. Sed haec, & reliqua eiusdem generis, iampridem ſolide confecerunt IO. HENR. MAIVS, in *diſſert. de inſpiratione librorum-ſacrorum*, quae prima eſt inter *diſſertationes quatuor de ſcriptura ſacra*; HERM. WITSIVS, in *miſcellaneis ſacris, part. I. lib. I. c. 18.* alibique; C. G. DE LA MOTHE, in tractatu *de inſpiratione librorum ſacrorum noui teſtamenti*, gallicano idiomate ſcripto; aliique. Ipſum an his addere debeam RICH. SIMONEM, dubito; cum nonnullis recte quidem dictis, plurima itidem, quae ſine reprehenſione dimittenda non ſunt, admiſceat.

** Quo pacto Deus ſit *cauſſa efficiens principalis* ſcripturae ſacrae, ex indole atque ratione inſpirationis, quam hactenus explicauimus, manifeſtum eſt. Id etiam de omnibus ſanctae trinitatis perſonis, etſi ſpiritus ſanctus ſpeciali quadam ratione in hocce negotio ſe manifeſtauerit, intelligendum eſſe, nemo dubitauerit. Dum autem ſcriptores ſacri *cauſſae inſtrumentalis* nomine veniunt, id quidem intuitu cauſſae principalis, ſeu diuinae inſpirationis, eſt intelligendum. Ipſius enim ſcriptionis intuitu, nihil obſtat, quo minus cauſſae principalis nomine veniant. Sed haec omnis ad voces pertinet diſceptatio. Id potius obſeruandum, non propria voluntate & conſilio, ſed iuſſu atque mandato Numinis eos ad ſcribendum acceſſiſſe. Hoc vero ſi non ſemper expreſſe illis innotuit, quod tamen ſubinde factum, ex *Exod. XVII, 14. Deuter. XXXI, 19. Eſ. XXX, 8. Ier. XXX, 2. XXXVI, 2.* conſtat; ex ipſo tamen diuini ſpiritus inſtinctu atque impulſu ad ſcribendum, intelligere potuerunt: quod & voce φερόμενοι ſimul innuit Petrus, *2. ep. 1, 21.* Atque vocantur ibidem ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι, *ſancti Dei homines*: alias autem *prophetarum* atque *apoſtolorum* nomine venire ſolent, ea quidem ratione, vt illo veteris, hoc autem noui teſtamenti ſcriptores deſignentur. In latiori nimirum ſignificatione tum vtraque vox accipitur, vt prophetae non illi ſaltem vocentur, qui futura praedicunt, ſed & qui ex adflatu & inſpiratione diuina loquuntur, aut ſcribunt: & apoſtoli quoque non duodecim ſaltem illi, quos Chriſtus prae reliquis, vt hoc munere fungerentur, elegit, quibus Paulus poſtea acceſſit, dicantur, ſed & qui extra huncce numerum fuerunt, vt Lucas & Marcus, in ſcribendo tamen apoſtolico veluti munere functi ſunt. Legenda FRID. SPANHEMII *diſſertatio, de apoſtolis & apoſtolatu, tom. 2. operum lib. 3. p. 289. ſeq.*

Atque haec quidem vti ſatis manifeſta ſunt, ita illud ſaltem vt expediamus, ſupereſt, qua demum ratione certi eſſe queamus, quemlibet librum ſacri codicis ab eo auctore ſcriptum eſſe, a quo ſcriptus eſſe dicitur? Ad veritatem enim pariter ac diuinam auctoritatem ſcripturae ſacrae in tuto collocandam, hocce cognitum habere, plurimum noſtra refert. Librum autem ab eo, cui tribuitur, ſcriptum eſſe, certo cognoſcere licet, ſi I) is, qui eius auctor fertur, eum ab ſe ſcriptum dicat: idque II) alii ſcriptores, qui aut eodem tempore, aut paullo poſt vixerunt, teſtentur: ſique porro III) nihil in iſto libro, qua res ipſas, qua ſermonem, modumque loquendi, occurrat, quod non auctori, aut etiam tempori, quo vixit, conueniat. Qua quidem ratione, cum cuiusuis libri γνησιότητα explorare, criticae artis magiſtri doceant; in ſcriptura ſacra tamen adhuc accedit, allegatio in alio ſcripturae ſacrae libro. Id enimuero apud eos, qui diuinam ſcripturae ſacrae auctoritatem agnoſcunt, merito tantum valet, vt vel minimum ea de re dubitare, nefas eſſe ducant.

Quodſi

Digitized by Google

Quodſi nunc ad ſingulos ſacri codicis libros deſcendere per inſtituti rationem liceret, probare primum facili ratione hoc modo poſſemus, Moſen eſſe auctorem pentateuchi. Plurima enim in hiſce libris occurrunt, quae a ſemet litteris conſignata, ipſe teſtatur; ut ſupra iam ad *capitis praecedentis* §. 25. ex inſtituto docuimus. Idem & iuxta alterum τῆς γνησιότητος criterium probari poteſt ex teſtimoniis ſcriptorum, qui ſtatim poſt Moſen, aut non diu admodum poſt eius aetatem vixerunt, & quidem tum domeſticorum, gentis ebraeae, vt Ioſuae, auctoris libri regum, & ſic porro, tum extraneorum; quae magno numero legi poſſunt apud HVETIVM, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. 4. c. 1. & 2. p. m. 68. ſq.* Sed & tertius τῆς γνησιότητος character in libris, qui Moſi tribuuntur, locum inuenit. Nihil enim in iis occurrit, qua ſermonem, modumque loquendi, qua res ipſas, quod non Moſi, & aetati, qua is vixit, conueniat. Non equidem neſcio, quae HOBBESIVS, *Leuiathan. part. 3. c. 33.* PERERIVS, *ſyſtem. praeadamit. lib. 4. cap. 1.* SPINOZA, in *tract. theologico-polit. de libertate philoſophandi*, *c. 8.* aliique impietatis magiſtri, obuertunt; quippe qui omnem mouent lapidem, vt in libris Moſis ea inueniant, quae eos ab ipſo Moſe non conſcriptos arguant. Vt autem alii horum obiectionibus abunde ſatisfecerunt, ita ſupra iam, & quidem itidem ad §. 25. obſeruatum, ſi vel maxime concederetur, quod tamen, vt concedamus, nulla hactenus nos cogit neceſſitas, deprehendi quaedam in hiſce libris, aetate Moſis recentiora: quia tamen ea ab alio quodam ſcriptore θεοπνεύστῳ addi potuerunt, nondum inde colligere fas eſſe, Moſen ipſorum librorum auctorem non eſſe. Accedit vero ad haec, quod rem omnem plane conficit, & extra omnem dubitationem ponit, quod in aliis ſcripturae ſacrae libris, immo, ab ipſo Chriſto, Moſes pentateuchi auctor perhibeatur; quod, cum ſimiliter ſupra *l. c.* ex *Ioan. V*, *46*, *47*. *Luc. XXIV*, *27*. aliisque locis, demonſtratum ſit, vt hic ea repetamus, neceſſe non eſt. Impium autem non minus, quam ſtolidum foret, exiſtimare, quod nonnulli faciunt, Chriſtum atque apoſtolos non tam ex rei veritate loquutos, cum Moſen pentateuchi auctorem facerent, quam quod receptam apud Iudaeos opinionem ſequerentur. Perinde enim hoc eſſet, ac ſi quis diceret, data opera eos falſas atque erroneas opiniones confirmaſſe: quod vel cogitare nefas eſt. Sed hocce negotium dudum confecerunt, Moſemque pentateuchi auctorem eſſe, ſolide contra Spinozam, aliosque demonſtrarunt HVETIVS, FRID. SPANHEMIVS, HERM. WITSIVS, PETRVS ALLIXIVS, ſupra iam laudati, itemque SALOM. VAN TILL, in *atrio gentium omnium aperto*, *p. 5. ſeq.* & nuper ex noſtratibus, IO. GOTTLIEB CARPZOVIVS, in *introd. ad libros canon. bibl. vet. teſtam. part. I. c. 3. §. 2. p. 38. ſeq.* immo & ipſe IO. CLERICVS, in *diſſert. de ſcriptore pentateuchi Moſe*, quae tertia eſt in *prolegomenis, verſioni, paraphraſi, & commentario* eius *in geneſin* praemiſſis; poſtquam antea ſub *theologorum Batauorum* nomine contra RICH. SIMONEM diſputans, contrariam ſententiam propugnauerat.

Et ea quidem ratione, qua libros, qui Moſi tribuuntur, eidem vindicauimus, etiam reliquorum veteris pariter ac noui teſtamenti librorum γνησιότης demonſtrari poteſt. Si enim paucos quosdam veteris teſtamenti libros, quorum auctores aut ignorantur, aut non ſatis certo ſciuntur, demas, de reliquis, & noui quidem teſtamenti omnibus, tam perſpicue, a quibus conſcripti ſint, demonſtrari poteſt, vt dubitare hac de re non liceat. Neque tamen ideo diuina libri cuiusdam auctoritas ſtatim in dubium vocanda, ſi ſcriptor eius aut ignoretur, aut non ſatis certo conſtet, cum alia adhuc ſint argumenta, ex quibus eadem

eadem agnoſci queat. Interim non deſunt, qui, vt pentateuchi, ita & reliquorum, veteris cumprimis teſtamenti librorum γνησιότητα dubiam reddere, quouis modo adniſi ſunt. Primum inter eos merito locum tenet SPINOZA, qui non tantum librorum hiſtoricorum veteris teſtamenti ad paralipomena vsque conſcriptionem Esrae tribuit, ſed eum quoque perfunctorie admodum, atque indiligenter ea in re verſatum, audacter non minus, quam impudenter pronuntiat, in *tract. theologico-polit. c. 9. p. 115.* Eamdem tibiam inflat HOBBESIVS. Cum enim omnem mouiſſet lapidem, vt, quae de librorum veteris teſtamenti auctoribus credimus, conuelleret, tandem concludit, ſcripturam veteris teſtamenti, ea forma, qua hodie conſpicitur, nec ante captiuitatem babylonicam, nec poſt Ptolomaei philadelphi tempora editam eſſe, ſimulque ab Esra eam accepiſſe coniicit; fretus quodammodo auctoris *libri IV. Esrae, cap. XIV, 21. ſeq.* teſtimonio, *Leuiath. part. 3. c. 33. p. 179.* Nec procul admodum hinc diſcedit RICHARD. SIMON, libros hiſtoricos, quos hodie habemus, veteris teſtamenti, ex ſcribarum, quos ipſemet finxit, publicorum commentariis excerptos contendens, idque haud obſcure Esrae tribuens, *hiſtor. critic. V. T. l. 1. c. 1. p. 4.* IO. CLERICVS, etſi contra Simonem diſputet, non tamen multo meliora profert, dum libros Ioſuae, iudicum, Ruth, Samuelis, regum, paralipomenon, ex, neſcio quibus, hypomnematibus, (cum traditione tot nomina ſeruari nequiuerint) multiplici cum mutatione & contractione fuiſſe confectos, exiſtimat; in *iudiciis quorumdam Hollandiae theologorum &c. ep. 7.* conferenda tamen, quae deinceps in *diſſertatione, libris hiſtoricis V. T.* praemiſſa, hac de re diſſeruit. Verum, iſta omnia, ceu commenta inania, & omni fundamento deſtituta, eadem, qua proferuntur, etiam reiiciuntur facilitate: difficultatibusque, quae hic occurrunt, alia ratione obuiam iri poteſt, vt in haecce nos dare praecipitia neceſſe non ſit. Cur Esrae librorum hiſtoricorum veteris teſtamenti compoſitio tribuenda ſit, nullam plane rationem video, niſi quis forte fabulae, de libris ſacris omnibus, tempore captiuitatis babylonicae deperditis, & ab Esra ex adflatu diuino reſtitutis, quae *lib. IV. Esrae, cap. XIV, 21.* exſtat, fidem adhibere velit. Certe, haec ipſa narratio nonnullis occaſionem dedit, vt in eam ingrederentur ſententiam, quos hodie habemus veteris teſtamenti libros, ante Esram conditos, ſi formam ſtilumque ſpectes, non alium, quam Esram auctorem agnoſcere. Ita ANDREAM MASIVM ſentire conſtat, *praef. comment. in Ioſuam*, atque THEODORVM BIBLIANDRVM, *de optimo genere interpr. ebr. p. 74.* Sed & HOBBESIVM, ad hocce ex *libro IV. Esrae* prouocare teſtimonium, antea diximus; cui ſi & reliqui non innitantur, nihil prorſus, praeter meras coniecturas habent, quo Esram librorum hiſtoricorum veteris teſtamenti auctorem comprobent. Id vero, quam nullius ponderis ſit, vt oſtendamus, neceſſe non eſt, cum quartus ille Esrae liber, fabulis atque commentis iudaicis totus ſcatens, apud prudentes rerum exiſtimatores fidem omnem dudum amiſerit. Solent equidem & nonnulli ex eccleſiae patribus aduocari, qui hanc auctoris iſtius narrationem calculo ſuo comprobauerint, vt IRENAEVS, CLEMENS Alexandrinus, BASILIVS, IO. CHRYSOSTOMVS, aliique. Praeterquam vero, quod exigua, aut nulla potius patrum in hac re ſit auctoritas, nonnullis etiam perperam eam ſententiam tribui, demonſtraui in *hiſt. eccleſ. V. T.* ad *per. II. ſect. 6. §. 12. p. 1023. ſeq.* Quos vero RICH. SIMON excogitauit ſcribas publicos, ex quorum commentariis libri hiſtorici veteris teſtamenti compoſiti ſint, cum nullibi terrarum exſtiterint, dudum etiam viri docti exploſe-

exploſerunt. Luculentius adhuc iſta commenta explodi poſſent, ſi ad ſingulos ſcripturae ſacrae libros deſcendere, eorumque demonſtrare γνησιότητα, inſtituti noſtri pateretur ratio. Fecerunt id equidem praeter alios HVETIVS, in *demonſtr. euang.* & LVDOVICVS ELIAS DV PIN, in *diſſertatione praeliminari in ſcripturam ſacram ;* ſed vt ex Romanae eccleſiae placitis, aut nimia etiam, quam ſibi indulſerunt, libertate, nonnulla admiſcerent, quae minime ſunt probanda. Ex noſtratibus itaque hic conferre iuuabit MICH. WALTHERVM, in *officina biblica*, & B. IO. GERHARDVM noſtrum in *locis theol. loc. I. p. 53. ſeq.* De veteris teſtamenti libris, & eorum ſcriptoribus, ex inſtituto etiam diſputaui in *hiſt. eccleſ. V. T. :* quod & IO. GOTTLIEB CARPZOVIVS fecit, in *introd. ad libros canon. biblior. V. T.* De noui teſtamenti ſcriptoribus ſpeciatim conferendi IO. MILLIVS, in *prolegom.* nouo teſtamento graeco, a ſe edito, praemiſſis; CAVE, in *antiquitatibus apoſt.;* FABRICIVS, *biblioth. graecae l. 4. c. 5. p. 122. ſeq.* Atque ex hiſce etiam auctoribus conſtabit, γνησιότητα epiſtolarum Iacobi, poſterioris Petri, ſecundae & tertiae Ioannis, Pauli ad Ebraeos, & denique apocalypſeos, ſine ratione olim in dubium vocatam : qua de re etiam legenda, quae diligenter IO. HENR. MAIVS diſſerit, in *repetito examine hiſt. criticae textus N. T. Richardi Simonis, c. 16. ſeq.* &, ad epiſtolam ad Ebraeos quod attinet, FRID. SPANHEMIVS, de *auctore epiſtolae ad Ebraeos, tom. II. oper. p. 171. ſeq.*

§. XI. In ipſa ſcriptione, tum *materia*, tum *forma*, vt in ſcholis loqui ſolent, conſideranda venit. Materiam in verbis, phraſibus, periodis, ſeu ipſa lingua ebraea, qua vetus, graeca autem, qua nouum teſtamentum, agnoſcere licet. * Formam autem in conceptibus rerum & verborum, prout ſcribentium menti diuinitus ſunt inſpirati. **

* Codicem ſacrum veteris teſtamenti lingua ebraea conſcriptum eſſe, conſtat inter omnes, nec eſt, qui hac de re dubitet. Pauca quaedam excipienda ſunt chaldaice ſcripta, vt in *Daniele cap. II. a verſu 4. ad finem ;* item *cap. III, IV, V, VI, & VII.* tota: in libro *Eſrae a verſu 8. cap. IV. vsque ad verſum 18. cap. V.* & rurſus *a verſu 12. cap. VII. vsque ad verſum 26.* eiusdem capitis ; in Ieremia denique vnica pericope *cap. X, 11.* qua concepta verba praeſcribuntur Iſraelitis, quae Chaldaeis, ad idololatriam eos ſollicitantibus, regerere debebant. Chaldaicis hiſce commercia, quae Iudaeis eo tempore cum Chaldaeis intercedebant, occaſionem praebuiſſe, nemo non intelligit. Nec cauſſa procul arceſſenda, cur ſcriptores veteris teſtamenti lingua ebraea vſi ſint. Erant ipſimet Ebraei, in gente ebraea viuebant, & in Ebraeorum praecipue gratiam, ſi finem proximum ſpectes, ſcribebant. Textui ebraeo ſubinde vocabula quaedam peregrina, chaldaica, perſica, aegyptiaca, & alia interſperſa eſſe, dudum viri docti obſeruarunt: quod tamen eius puritati non obſtat, cum iſtae voces haud dubio eo tempore vſu receptae, ſatis quoque notae eſſent: cauſſa etiam ſingularis, cur eas adhiberent, accederet. Iisdem quoque litteris, quae hodie in ſacro codice exſtant, ſcriptores ſacros ſermonem ebraeum expreſſiſſe, non eſt, quod dubitemus.

Sunt equidem viri longe doctiſſimi, qui exiſtimant, litterarum characteres, quos hodie ſamaritanos vocamus, eos ipſos eſſe, quibus Moſes & prophetae in libris ſuis conſcribendis vſi ſint, & quorum loco Iudaei, in captiuitate babylonica conſtituti, Chaldaeorum characteres, qui hodie & aſſyriaci vocantur, ſenſim receperint. Eſram itaque, (ita pergunt) cum ſo-

luta captiuitate babylonica, patriis ſedibus redditi eſſent, curaſſe, vt libri ſacri charactere chaldaeo ſeu aſſyriaco, vtpote notiori Iudaeis, ſcriberentur; cum interea apud Samaritanos, per Iſraelitas, ex aſſyriaca captiuitate reduces, antiqui iſti, & genuini characteres conſeruarentur, qui ideo ſamaritanorum retulerint nomen. Primus in hanc ſententiam ingreſſus dicitur ex Iudaeis IOSEPHVS ALBO, qui ſaeculo XV. floruit, in libro, cui titulus *ikkarim*, quem plurimi ex chriſtianis, ex gente iudaica pauci, ſequuti ſunt. Romanenſibus cumprimis mirifice haec ſententia ſe adprobauit, cum ad labefactandam codicis ſacri auctoritatem plurimum valeat. Hinc poſt PETRVM GALATINVM, ARIAS MONTANVS, SIXTVS SENENSIS, ROB. BELLARMINVS, EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, HVETIVS, RICH. SIMON, IO. MORINVS, DV PIN, aliique, eamdem acriter propugnarunt. Sed & ex criticorum gente IVSTVS IOSEPHVS SCALIGER eam amplexus eſt, ſuaque adeo auctoritate effecit, vt & alii ex eodem ordine eum certatim ſequerentur: quod & IS. CASAVBONVM, HVG. GROTIVM, GER. IO. VOSSIVM, aliosque feciſſe, conſtat. Rationes quoque non deſunt, quibus, vt prima fronte videtur, perſuaderi poteſt. Eas tamen ita comparatas eſſe, vt ſolida reſponſione iterum dilui queant, ſimul longe validiores illis opponi poſſe, luculenter, ni fallor, & copioſe a me demonſtratum eſt, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 2.* ad *per. 2. ſect. 6. §. 12. p. 997. ſeq.* Ipſam quoque linguam ebraeam, qua codex ſacer veteris teſtamenti conſcriptus eſt, primitiuam illam eſſe, qua homines ante linguarum confuſionem vſi ſunt, itidem a me euictum *l. c. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 2. §. 11. p. 235. ſeq.*

Ad nouum teſtamentum quod attinet, id graeco ſermone conſcriptum fuiſſe, notum eſt. De quibuſdam tamen libris diſputari ſolet, ſpeciatim de euangelio Matthaei, quippe quod ebraeo ſermone in gratiam Iudaeorum ab eo conſcriptum, IRENAEVS, ORIGENES, aliique veteris eccleſiae doctores* tradiderunt. Sequuti ſunt hac in re Papiam, quem primum huius traditionis auctorem eſſe, EVSEBIVS nos condocet, *hiſt. eccleſ. l. 3. c. 39.* Patrum vero iſtorum auctoritate, non ſolum Romanae eccleſiae addicti, ſed nonnulli etiam ex reformatis, vt IS. CASAVBONVS, GER. IO. VOSSIVS, PAVLVS COLOMESIVS, GVIL. CAVE, HENR. DODWELLVS, immo & ex noſtratibus, permoti, euangelium hocce primitus ebraice a Matthaeo conſcriptum crediderunt. Simul tamen, qui ex noſtratibus huic ſubſcripſere ſententiae, textus graeci nihil detractum voluere auctoritati, cum verſionem iſtam graecam non tantum textui originali fere coaeuam, ſed & a Iacobo apoſtolo, vt nonnulli veterum ferunt, aut alio eiuſdem auctoritatis viro profectam, exiſtiment; conf. DANHAVERVS, in *chriſtiade, p. 110. ſeq.* item GLASSIVS, *philol. ſacrae lib. I. tr. 4. ſect. 2. cap. I. p. 231.* Sed qui paullo adcuratius rem omnem conſiderauerit, iſtam patrum auctoritatem nondum rem omnem conficere, vt ebraeo idiomate euangelium Matthaei ſcriptum credere debeamus, facile deprehendet. Non enim ab omnibus veteris eccleſiae doctoribus receptum, ſed a quibuſdam repudiatum fuit ebraicum illud euangelium Matthaei, vt idemtidem EVSEBIVS auctor eſt, *hiſt. eccleſ. l. 3. c. 25.* Qui vero receperunt, Papiam, in quo ipſemet Euſebius ἀκρίβειαν deſiderat, caeco ſequuti ſunt impetu. Conferendi, qui ex inſtituto hac de re egerunt, cumprimis KORTHOLTVS, *de variis bibliorum editionibus*, *p. 66. ſeq.* ITTIGIVS, *de haereſiarchis aeui apoſtolici &c. ſect. I. c. 7. p. 69. ſeq.* IO. HENR. MAIVS, in *examine hiſt. criticae textus N. T. Richardi Simonis, cap. 5, 7. & 11.* IO. ALB.

FABRI-

FABRICIVS, *cod. apocr. noui teſtam. p. 355. ſeq.* Fuerunt etiam, qui epiſtolam ad Ebraeos itidem lingua ebraea ſcriptam adfirmarent, & a Luca, aut Clemente Romano, aut alio quodam in ſermonem graecum traductam, non alio fere argumento inducti, quam quod ad Ebraeos ſcripta fuiſſet: quo & primus omnium vſus eſt CLEMENS Alexandrinus, teſte EVSEBIO, *hiſt. eccleſ. l. 6. c. 14.* At, graece ſcriptam eſſe, iam dudum ſolidis argumentis demonſtrarunt viri eruditi; conf. IO. BRAVNIVS, *prolegom. in epiſt. ad Ebraeos, §. 3. p. 21. ſeq.* & FRID. SPANHEMIVS, *de auctore epiſtolae ad Ebraeos, part. 3. c. 2. p. 143. ſeq.* Marcum euangelium ſuum lingua latina ſcripſiſſe, quorumdam Romanae eccleſiae doctorum eſt ſententia: quos inter haud vltimum locum tenet BARONIVS, in *annalibus* ad *an. XLV. num. 38.* Originem fabulae, ex male intellectis veterum adſertis, Marcum interpretem fuiſſe Petri, arceſſendam eſſe, viri docti oſtenderunt. Cum vero etiam ipſos eccleſiae veteris doctores refragantes ſibi hac in re habeat Baronius, mirum non eſt, quod paſſim a ſuis deſeratur; quos inter & RICH. SIMON eſt, *hiſt. crit. textus N. T. c. 11. p. 111. ſeq.* & LVD. ELIAS DV PIN, *diſſert. praelimin. in biblia, l. 2. c. 2. §. 4. p. 33.* conf. & BASNAGIVS, in *exercitat. hiſtorico-crit. anti-Baron. p. 395.* IO. HENR. MAIVS, in *examine hiſt. crit. textus N. T. Richardi Simonis, c. 11. p. 129. ſeq.* FRID. SPANHEMIVS, de *hiſt. euangel. ſcriptoribus, ſpeciatim de Marco §. 20. tom. II. oper. p. 282.*

Ceterum, cum lingua graeca, qua ſcriptores noui teſtamenti vſi ſunt, in modo loquendi ab aliorum ſcriptorum, praeſertim profanorum, in quibusdam differret, IVSTVS IOSEPHVS SCALIGER quidem peculiarem dicendi formam peculiari nomine deſignandam cenſuit, dictionemque noui teſtamenti *helleniſticam* vocauit; in *animaduerſ. in Euſebium, p. 124.* Vlterius progreſſus eſt DAN. HEINSIVS, dum non tantum linguam, ſed peculiarem quoque gentem helleniſticam, Iudaeorum ſcilicet, extra Palaeſtinam degentium, & ebraiſtis in Palaeſtina oppoſitorum, finxit, in *exercitationib. ad Nonnum*, itemque in *praefat. in exercit. ſacras in nou. teſtam.* neque non *exercitat. de lingua helleniſtica & helleniſtis &c.* In eamdem quoque ſententiam HVGO GROTIVS, CONSTANTINVS L'EMPEREVR, LVD. DE DIEV, RICH. SIMON, aliique viri docti conceſſerunt. Summo contra ſtudio ei ſe oppoſuit SALMASIVS, in *commentario de lingua helleniſtica*, item in *funere helleniſtico, ſiue confutatione exercitationis de helleniſtis, & lingua helleniſtica*; porro in *oſſilegio, ſeu appendice ad confutation. de helleniſtica lingua exercitationis*, qui & in vltimo hocce libro, *p. 387.* IO. DRVSIVM, primum ſententiae de helleniſtis auctorem vocat. Veſtigia SALMASII preſſerunt IO. CROIVS, in *obſeruat. in N. T. c. 30. ſeq.* MATTHAEVS COTTERIVS, in *exercit. de helleniſtis & lingua helleniſtica*, aliique. Recte vero aliis obſeruatum, omnem hancce de vocibus fere eſſe contentionem. Diuerſam in multis ſcriptorum noui foederis eſſe dictionem a ſtilo ſcriptorum profanorum, negari nequit; nec id mirabitur, qui ſecum expenderit, de rebus quoque multum diuerſis, immo, gentilibus plane ignotis, iis dicendum fuiſſe. Cumque commodiſſime mentem ſuam formulis modisque loquendi, linguae ebraeae, qua & ſcriptores veteris teſtamenti vſi erant, propriis, & apud Iudaeos, qui lingua graeca vtebantur, receptis, exprimere poſſent, fieri aliter non potuit, quam vt ſubinde ebraismi quidam illorum ſermoni admiſcerentur. Quos, vt recte in ſtilo noui teſtamenti viri docti admittunt, ita tamen non ſine neceſſitate eos multiplicandos, quod a IO. VORSTIO, in *libris duobus de ebraismis N. T.* factum,

alii non ſine ratione monent. Tantum vero abeſt, vt id ſcriptoribus ſacris vitio vertendum, aut vt labes quaedam ideo linguae, qua ſcripſerunt, adſpergatur, vt potius laudi ducendum, quod ea loquendi ratione, quae rebus ipſis exprimendis aptiſſima, & omnium captui adcommodata, vſu quoque atque more recepto comprobata erat, vſi ſint. Neſciunt itaque, quid ſibi velint, qui ideo barbariſmos, & neſcio quas ſermonis ſordes, ſcriptoribus ſacris exprobrant. Illis enim, qui peregrinas loquendi rationes, non ex ignorantia, ſed grauiſſimis cauſſis adducti, vſu inſuper receptas & comprobatas, adhibent, eiusmodi quid obiici nequit. Nec peccabit, qui ſtilum graecum, cui ebraiſmi admixti ſunt, helleniſticum dixerit, modo non ea voce impuritatis cuiusdam, aut labis illum arguat. Helleniſtarum ſane *act. VI, 1. IX, 29. & XI, 20.* mentio iniicitur: ſuntque diuerſae admodum doctorum virorum ſententiae, quinam ea deſignentur, quas in compendio FABRICIVS exhibet, *Biblioth. graecae l. 4. c. 5. p. 226.* Ego tamen illis accedere non dubito, qui Iudaeos intelligunt, qui graeca vtebantur lingua, eaque lingua ſcripturam ſacram legebant, forte & patriorum rituum non adeo tenaces erant, quam reliqui. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Illi autem plane in contrarium currunt, qui ne ebraiſmos quidem in nouo teſtamento admittere volunt, dictionemque graecam in eo puriſſimam ſibi deprehendiſſe viſi ſunt: quos inter HENR. STEPHANVS, atque SEBAST. PFOCHENIVS eminent; ille in *praefat. noui teſtam. an. 1576. editi*; hic autem in *diatribe de linguae graecae noui teſtamenti puritate.* Non malo equidem illud fecerunt conſilio, euentu autem non ſemper aeque felici, vt contra Pfochenium THOMAS GATAKERVS oſtendit, in *diſſert. de ſtilo noui inſtrumenti.* Rectius illi hac in re verſati ſunt, qui admittendo ebraiſmos, a barbariſmis atque ſoloeciſmis textum graecum noui teſtamenti ſtrenue vindicarunt: quo nomine maxime laudandus BALTHASAR STOLBERGIVS, in praeclaro opere *de ſoloeciſmis & barbariſmis, graecae noui foederis dictioni falſo tributis.* Lucem dictis vberiorem adfundent, qui ex inſtituto de ſtilo noui teſtamenti commentati ſunt, quorum duo exſtant ſyntagmata, alterum a IACOBO RHENFERDIO, alterum a TACO HAIO VAN DEN HONERT collectum: illud Leowardiae an. 1702, hoc autem Amſtaelodami 1703 prodiit.

** Eodem itaque res redit, quando alii formam, ſeu formale, ſcripturae ſenſum eſſe dicunt. Eſt enim *ſenſus* nihil aliud, quam id, quod ſcriptores ſacri ex inſpiratione diuina in mente habuerunt, & per verba ceu ſigna aliis indicarunt. Sunt &, qui formam ſcripturae in ipſa θεοπνευστίᾳ conſtituunt: quod admitti poteſt, ſi non tam ipſe actus inſpirationis in ſe ſpectatus, quam prout cum conceptibus rerum ac verborum, per inſpirationem diuinam ſuppeditatis, coniunctus fuit, hac voce intelligatur.

§. XII. A Deo itaque ipſo cum ſcriptura ſacra ſit profecta, diuina quoque eius inde ſequitur auctoritas, quae, ſi abſolute conſideretur, a ſumma eius veracitate, & poteſtate infinita dependet; * ſin relatiue & quoad nos, partim a notitia diuinorum attributorum, praeſertim antea memoratorum, partim a notitia θεοπνευστίας. **

* Diuina haecce ſcripturae auctoritas, quae & αὐθεντία, ab aliis ἀξιοπιστία, itemque αὐτοπιστία dicitur, in eo conſiſtit, quod intellectum humanum ad adſenſum dictis eius, voluntatem autem ad obſequium, mandatis eius praebendum, moueat. Intellectus autem

autem ad adſenſum dictis eius praebendum non poteſt non per ſummam Dei veracitatem moueri. Cum enim hominibus etiam, quorum & circumſpectio, & integritas ſatis ſuperque nobis cognita eſt, fidem denegare ſtolidum ſit, multo magis & iniquum, & abſonum eſſet, eam illi non adhibere, qui vt omniſcius, ita & veraciſſimus eſt, ita quidem, vt longe facilius ſit, vt omnes demonſtrationes mathematicae fallant, quam vt vel minimum verbum proferat, cui veritas non conſtet; conf. *Num. XXIII, 19.* Voluntas autem, vt ad obſequium moueatur, id a poteſtate, ſeu imperio, quod alter in nos habet, provenit. Deum autem imperium in omnes homines, ſeu poteſtatem, obſequium ab iis exigendi habere, inter primas, quas ratio ipſa omnes docet, notiones merito refertur. De cauſſis equidem, cui generatim imperium aliquod, ſpeciatim diuinum innitatur, diſputari ſolet; nonnullis quidem ex potentia, cui nemo reſiſtere poſſit, vt HOBBESIVS, *de ciue, c. 15. p. m. 113.* & in *Leuiathane, part. II. c. 31. p. m. 167.* aliis autem cum MOSE AMYRALDO, in *diſſert. de iure Dei in creaturas*, ex naturae diuinae virtute & praeſtantia illud deriuantibus. Sed vt alibi iam a me demonſtratum, duo ad imperium aliquod requiri, poteſtatem exigendi obſequium, ſeu cauſſam iuſtam, & potentiam, reluctantes cogendi: ita etiam diuinum ex hiſce deriuandum fontibus, manifeſtum eſt. Cauſſam nimirum iuſtiſſimam Deo eſſe, cur obſequium ab omnibus exigere queat, ex eo patet, quod omnes homines, ſicuti & res creatae quaelibet, per creationem pariter, ac conſeruationem a Deo plane dependeant, nec quidquam habeant, quod ab eo non acceperint: conf. *Deut. XXXII, 6.* item *Ierem. X, 7. Kohel. XII, 1.* Idem vero cum & potentia omnia, quae velit, efficiendi polleat, neminem reſiſtere voluntati eius, viribusque poſſe, palam eſt. Iungenda, quae hac de re dixi, in *inſtitutionib. theolog. mor.* ad *part. II. cap. 1. §. 7.* & *cap. 2. §. 8.*

** Vt enim ſcriptura ſacra effectum iſtum in nobis producere, hoc eſt, intellectum ad adſenſum, voluntatem ad obſequium mouere queat, neceſſe eſt, primo quidem, vt ſciamus, Deum & veracem eſſe, & merito obſequium a nobis exigere: deinde, ſcripturam ſacram eum auctorem agnoſcere. Etenim, ſi quis alterutrum, aut vtrumque vel ignoraret, vel negaret, is ad adſenſum & obſequium diuinis literis praebendum adduci non poſſet. Quemadmodum autem prius, Deum & veraciſſimum eſſe, & poteſtatem habere, obſequium ab omnibus exigendi, ratio ipſa euidentiſſime nos condocet, ita, quo pacto nobis poſterius innoteſcat, nunc porro demonſtrabitur.

§. XIII. Argumenta, quae notitiam θεοπνευςίας apud nos producunt, non ſunt vnius generis. Quaedam enim fidem diuinam producunt,* quaedam autem humanam equidem, ſed, ſi recte capiantur, adeo certam, vt demonſtrationi fere aequipolleat. **

* Per *fidem diuinam* cognitionem intelligimus, ſimpliciter certam, & omnem oppoſiti formidinem excludentem, quae per internum ſpiritus ſancti teſtimonium, quod in legitima verbi diuini tractatione ſeſe exſerit, producitur, vt deinceps ad §. 17. vlterius exponemus.

** Per *fidem humanam* eiusmodi hic intelligitur cognitio, quae aut teſtimonio mere humano, aut alia quadam ratione probabili nititur: adeoque non ſimpliciter certa, ſed veroſimilis eſt. Quemadmodum autem diuerſi dantur veroſimilitudinis gradus, ita fieri poteſt, vt eo vsque aliquando exſurgat, vt ſcientiae, ſeu cognitioni plane certae aequipolleat: adeoque

de iis, quae per eiuſmodi argumenta probabilia cognoſcuntur, non magis dubitare liceat, quam quae per demonſtrationem euidentiſſimam conſtant. Conferenda, quae diximus in *elem. philoſ. inſtrumental. part. I. c. 3. §. 41.* Atque ita ſe habere fidem, quae vocatur, humanam, qua diuinam ſcripturae ſacrae inſpirationem credimus, non dubitabit, qui paullo adcuratius argumenta, quibus nititur, conſideraucrit, cumprimis autem ad verum probandi neruum recte attenderit. Quod & ex dicendis patebit.

§. XIV. Quae fidem humanam producunt, vel *interna* ſunt, vel *externa.* Interna ſunt, quae ex ipſa indole, atque natura ſcripturae ſacrae deſumuntur: & quidem tum a formali eius, ſeu ſtili ſimplicitate, cum ſumma maieſtate coniuncta; tum a materiali, ſeu ipſius doctrinae ſacrae adfectionibus, diuinam eius originem arguentibus.

* Nimirum, quod ad ſtilum ſcripturae ſacrae attinet, primo conſtat, quod nihil in eo occurrat, quod diuina indignum ſit maieſtate. Quin potius ſecundo, ſimplicitas cum ſumma grauitate coniuncta vbique conſpicitur. Simplicitatem autem dum voco, eam ſermonis virtutem intelligo, quae fucum omnem, adfectatum artificium, aut quidquid ad iactantiam & oſtentationem facit, ab eo procul abeſſe demonſtrat. Hinc nec diuerſitas ſtili, quae in ſcriptoribus ſacris conſpicitur, eius obſtat ſimplicitati. Quantumuis enim ſublimius dicendi genus in vno, planius autem, & facilius in alio conſpiciatur, in nullo tamen fucati aliquid, aut adſectati, aut quod naturale non ſit, deprehenditur. Haec tamen ſimplicitas, quae numquam non animi & ingenui, & a minutiis abhorrentis, magna autem atque ſeria conſectantis, character eſt, cum ſingulari coniuncta eſt grauitate: vt nihil, quod puerile, aut leue, aut parum decorum ſit, lectorem offendat. Cumque idem iſte ſtili character, ſimplicitas ſcilicet, cum grauitate coniuncta, in diuerſis adeo ſcriptoribus, temporum pariter ac locorum interuallis ab ſe inuicem ſeiunctis, ſe oſtendat; argumento id eſt, vno eodemque omnes impulſos ſpiritu ad ſcribendum acceſſiſſe. Accedit porro, quod cuncta, credenda pariter ac agenda, ita proponantur, vt vim quamdam ſuperiorem, & auctoritatem imperantis facile agnoſcas. Immo, haec ipſa formula, *ſic dicit dominus,* qua diuini ſubinde vtuntur vates, vt diuinam ſermonis originem demonſtrat, ita maieſtatem ſingularem, vimque, animos hominum percellendi, ſermoni ipſi conciliat; praeſertim ſi conditio, notaque & perſpecta virtus & integritas eius, qui ea vtitur, reſpondeat. Ceteroquin enim non negandum, quod ſeductores etiam & falſi prophetae eiuſmodi formula vti queant: quos tamen a veris diſcernere, haud adeo difficile eſt. Quam autem profani noſtrae aetatis homines, in luce clariſſima caecutientes, in ſtilo ſcripturae perſpicere nequeunt grauitatem, maieſtatemque, eam ex ipſis ethnicis in eo deprehendit DIONYSIVS LONGINVS, rhetor clariſſimus, adeoque idoneus in hacce cauſſa iudex. De Moſe enim is ita facit verba: ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων. εἶπεν ὁ θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. *Sic & Iudaeorum legislator, vir non vulgaris, quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam fecit, declarauitque, ſtatim initio prooemii legum ſuarum ſcribens: Dixit Deus, inquit; quid? fiat lux, & facta eſt, fiat terra, & facta eſt,* περὶ ὕψους, *p. m. 20.*

ex

ex edit. TANAQ. FABRI Non equidem neſcio, diſputatum non ita pridem fuiſſe, num in verbis, an in rebus ipſis τὸ ὕψος, quod LONGINVS hic deprehendit, quaerendum ſit? Mihi autem in ipſa verborum ad rei grauitatem adcommodatione id poſuiſſe videtur. Rem enim maximi momenti ita Moſes deſcribit, vt ipſa ſermonis breuitas, & ſummam imperandi poteſtatem arguens, rei ipſi egregie attemperata, plane diuinum quid, & minime vulgare indicare videatur. Quae profani homines in ſtilo ſcripturae reprehenſione digna ſibi inueniſſe viſi ſunt, adcurate diluit ROB. BOYLE, in *commentatione de ſtilo ſcripturae;* quae inter reliqua eius *ſcripta ſelecta*, germanico idiomate edita, exſtat, *p. 31. ſeq.*

§. XV. Adfectiones doctrinae, in ſcriptura ſacra exhibitae, quae diuinam eius arguunt originem, ſunt veritas, * ſanctitas, ** & ſufficientia. ***

* Vt, quod a *veritate* doctrinae, in ſcriptura ſacra propoſitae, deſumitur argumentum, rite capiatur, euincendum prius, in ſcriptura ſacra occurrere nihil, quod non ſit veriſſimum. Hoc vero, licet pro certo adſumi queat, donec vel vnico exemplo, quod reſponſionem non admittat, euincatur contrarium: poteſt tamen etiam hunc in modum demonſtrari: quaecumque in ſcriptura ſacra continentur, ad duas rerum claſſes referri poſſunt; namque aut *facta* ſunt, aut *dogmata.*

Ad *facta* quod attinet, ea aut extraneorum quoque ſcriptorum conſenſu confirmari poſſunt, aut ſolo domeſticorum teſtimonio nituntur. Prioris generis plurima in veteri pariter, ac nouo teſtamento continentur. Quodſi etiam directe & exſerte ſcriptores profani eorum, quae ſcriptura ſacra meminit, mentionem non faciant: cum tamen de ſtatu & fatis aliarum gentium, e. g. Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum, Graecorum, ea tradant, quae plane cum iis, quae ſcriptura ſacra de Iudaeorum cum hiſce gentibus commerciis commemorat, conſentiunt, mirifice inde quoque ſacrae hiſtoriae veritas confirmatur. Quodſi autem vel maxime inter ſcriptores ſacros & profanos diſſenſus aliquis, & quidem de rebus aut Iudaeorum, aut chriſtianorum intercedat, aequitas vtique naturalis poſtulat, vt ſcriptoribus domeſticis, de rebus ſibi cognitis atque perſpectis ſcribentibus, potius fides adhibeatur, quam extraneis, de rebus parum ſibi exploratis verba facientibus, ſubinde & aperte falſa tradentibus: quod exemplo ſcriptorum gentilium, res iudaicas attingentium, alibi demonſtratum eſt. Quodſi nunc porro accedat, ſcriptores domeſticos ea eſſe conditione, eamque integritatis obtinere laudem, vt ne minima quidem ſuſpicio ſit, data opera eos mentiri, & falſa tradere voluiſſe: ſtolidum prorſus, atque ineptum foret, eorum narrationibus credere nolle. Certe nullus hac ratione eſſet hiſtoricus, cuius non pronum eſſet labefactare fidem, adeoque facta quaeuis, etſi longe certiſſima, in dubium vocare.

Iam, quod ad *dogmata* attinet, quae in ſcriptura ſacra continentur, ea iterum vel *agenda* ſunt, vel *credenda.* Si ea, quae Deus hominibus agenda in ſacra ſcriptura praeſcripſit, conſideremus, nihil in iis, quod rationi repugnet, deprehendemus, eorumque adeo veritas ex ipſo cum recta ratione conſenſu euinci quam validiſſime poteſt. Ad rationis autem dum prouocamus conſenſum, *rectam rationem* intelligimus, quae nec Ariſtotelis, nec Platonis, aut Stoicorum decretis, vel placitis ſectae cuidam propriis, ſed euidentiſſimis principiis, ex humanae naturae conſideratione fluentibus, nititur. Haec ſi in conſilium adhibeamus,

beamus, ſtatim videbimus, quae ſcriptura de Deo ſuper omnia, hominibus autem aliis, ſicut nos ipſos diligendis, de temperantiae, caſtitatis, aliarumque virtutum ſtudio, deque aduerſis fortiter & patienti animo ferendis, docet, ea ipſam rationem ſuo non poſſe non comprobare calculo. Immo & quae de inimicorum dilectione, deque abnegatione ſui ſcriptura ſacra docet, ita comparata ſunt, vt ratio ipſa facile intelligat, naturae humanae haec eſſe conſentanea, cum & inimici noſtri aeque homines ſint, ac nos ipſi; & abdicatio rerum omnium, quae virtutis ſtudium ſufflaminare, aut impedire poſſunt, non poſſit non magna in laude poni. Vnde & ethnicorum tum exemplis, tum teſtimoniis, maxime M. AVRELII ANTONINI imperatoris effatis, ex libro eius, περὶ ἑαυτοῦ πρὸς ἑαυτόν, ea comprobari poſſent, ſi vllum hac in re ſupereſſet dubium. Naturae equidem vires eo non pertingunt, vt hiſce praeceptis morem gerere, prout decet, queamus: ideoque & praeclaris philoſophorum effatis res ipſa numquam reſpondit, & exempla ad oſtentationem ſaltem fuere comparata: ſed id quidem nunc non eſt in quaeſtione. Sufficit, quod ipſi ethnici agnouerint, haec omnia, quae ſcriptura de virtutum ſtudio praecipit, rationi maxime eſſe conſentanea. Non minus tamen etiam in *credendis* ſcripturae ſacrae ſibi conſtat veritas. Namque & haec iterum duplicis ſunt generis. Quaedam enim ex rationis etiam lumine innoteſcunt; vt, Deum eſſe vnum, eumdemque ſumme bonum, ſapientem, potentem, totumque hocce vniverſum prouida ſua cura dirigere, ac gubernare: alia autem tantum ex reuelatione conſtant, adeoque, licet non ſint contra rationem, eius tamen vim ſuperant, atque excedunt, adeoque *myſteriorum* nomine venire ſolent; quorſum pertinent, quae de Deo in eſſentia vno, trino in perſonis, de incarnatione Chriſti, & reliquis eiusdem generis, ſcriptura ſacra tradit. Haec vero eo ipſo, quod myſteria ſunt, & rationis vim atque captum ſuperant, falſitatis cuiusdam argui nequeunt. Vt enim dogma aliquod vel verum, vel falſum pronuntietur, neceſſe eſt, vt euidenter cognoſcatur. De rebus obſcuris, quarumue claras & diſtinctas ideas non habemus, nihil omnino ratio pronuntiat, aut pronuntiare etiam poteſt. Atque hinc etiam patet, non poſſe adſeri, quod myſteria ſint contra rationem, ſeu, quod pugna quaedam ſit inter rationem atque reuelationem. De iis enim, quae non euidenter percipio, non poſſum adſerere, quod aut inter ſe, aut cum aliis pugnent. Recte itaque ab ipſis philoſophis demonſtratum eſt, ex eo, quod aliquid ſit ſupra rationem, minime ſequi, illud eſſe contra rationem; quod & copioſe & adcurate fecit LEIBNITIVS, in *diſcurſu de conformitate rationis ac fidei*, praemiſſo ipſius *tentaminibus Theodiceae, ſuper bonitate Dei*, *libertate hominis &c.* Nullam praeterea cauſſam adferri poſſe, cur in religione chriſtiana nulla admittenda ſint myſteria, ad *cap. praeced. §. 28.* ſolidis iam euictum eſt rationibus.

Atque haec cum ita ſe habeant, ſupereſt, vt oſtendamus, quo pacto ex veritate, divina ſcripturae ſacrae auctoritas probari queat. Id vero facile intelliget, qui conſiderauerit, nullum vmquam, etiam a ſapientiſſimo mortalium elaboratum eſſe ſcriptum, quod non (niſi ex ipſa ſcriptura deſumtum ſit) erroribus quibusdam, falſisque opinionibus ſit obnoxium, praeſertim in iis, quae ad Deum, resque diuinas, pertinent. Praeſtantiſſimorum, qui umquam in orbe vixerunt, philoſophorum exemplo hoc conſtat. Quis ergo non videt, vim humana longe maiorem, hoc eſt, diuinam ad hoc requiri, vt ſcriptum aliquod proferatur, quod nullius erroris, nulliusque falſitatis, in rebus tanti momenti poſſit argui? Accedit porro, vimque noſtrae

noſtrae probationis mirifice auget, conſenſus atque harmonia, tot ſcriptorum, qui libros ſacri codicis ex inſtinctu ſpiritus ſancti compoſuerunt. Cum enim vix vnus homo, quantumuis ingenio & doctrina praeſtans, ſemper ſibi conſtet, raro autem duo, aut tres, de vno eodemque argumento ſcribentes, prorſus inter ſe conſentiant; diuini vtique operis certiſſimum eſt indicium, ſi tot homines, temporum, quodammodo etiam locorum interuallo a ſe inuicem remoti, in doctrina ſalutis, quam proponunt, prorſus inter ſe conſpirent, conſentiantque. Non equidem neſcio, omnia profanos homines conquirere, vt ſcriptores ſacros inter ſe committant, nec eos in omnibus inter ſe conſpirare, euincant: ſed operam eos, oleumque perdere, & ab aliis dudum demonſtratum eſt, & per leges quasdam harmonicas generales demonſtrari facili negotio poſſet, ſi inſtituti noſtri hoc permitteret ratio. Sed vaticinia quoque, eorumque complementa, veritati dogmatum atque factorum addita, diuinam ſcripturae auctoritatem euidenter euincunt. Et primo quidem ipſa religionis reuelatae, quam ſcriptura ſacra tradit, diuina origo ex iis conſtat, vt iam ſupra ad *cap. praeced.* §. 28. docuimus. Sed ipſa quoque ſcriptura, cui tot vaticinia interſperſa ſunt, non poteſt non plane diuina cenſeri, praeſertim ſi nexum omnium vaticiniorum, & concatenatas velut praedictiones conſideres, quibus euentus ſinguli, ad totius regni gratiae oeconomiam ſpectantes, pridem antea, quam contigerunt, fuerunt ſignificati; adeo quidem, vt nonnullis non difficile fuerit, *ſyſtemata* quaedam *theologiae propheticae*, ad ductum ſcripturae ſacrae condere. Accedit, quod plurimi ex ſcriptoribus ſacris ſimul vaticinia ediderint, euentu deinceps comprobata, vt Eſaias, Ieremias, aliique prophetae, quorum in codice ſacro exſtant ſcripta, itemque rex ſanctiſſimus Dauid, in pſalmis, immo & ipſe Moſes, quippe qui non tantum aliorum vaticinia refert, vt Iacobi, *Gen.* XLIX. & Bileami, *Num.* XXIV. ſed & ipſe quoque nonnulla praedixit, vt vel ex *Deut.* XXXIII. liquet. Eos enim, qui hac ratione ſe veros prophetas demonſtrarunt, etiam alia ex impulſu & inſpiratione diuina ſcripſiſſe, non eſt, quod dubitemus, praeſertim, ſi & reliqua diuinae inſpirationis criteria conſpirent. Nec praetermittendum, ſcripturam ſacram de rebus plurimis ſcitu neceſſariis nos informare, quas, ſine ea ſi eſſemus, plane ignoraremus: quo ipſo & plurima ſoluit dubia, & rationem, in rebus maximi momenti, certam ſcientiam conſequendi, nobis ſuppeditat. Quod, cum nullum ſcriptum humanum efficiat, aut efficere queat, diuina eius iterum inde eluceſcit auctoritas. Exemplo eſſe poſſunt, quae de mundi, rerumque omnium, ſpeciatim hominum origine, deque origine mali, de inuentione & propagatione artium, de linguarum diuerſitate, & reliquis eiusdem generis tradit. De hisce omnibus enim, ſi veteres aut philoſophos, aut hiſtoricos conſulas, nihil niſi meras ineptias eos protuliſſe, deprehendes: cum ea contra, quae ſcriptura ſacra de iis tradit, ita comparata ſint, vt non tantum eleganter inter ſe conſentiant, ſed nec ipſa ratio, quod in hocce ſyſtemate reprehendendum ſit, inveniat. Hisce denique ipſa, de ratione ex ſumma miſeria, qua omnes circumſepti ſumus, eluctandi, aeternamque conſequendi ſalutem, doctrina addi poteſt. Haec enim cum talis ſit, vt ea, quae ratio ignorat, nos condoceat, nec tamen ab ipſa ratione improbari queat, quippe quae & bonitati, & iuſtitiae diuinae plane eſt conſentanea; non poteſt non diuinae eſſe originis: id quod ſupra quoque iam ediſſeruimus, ad *cap. praec.* §. 20. *ſeq.* Quis vero hinc dubitet, etiam ſcripturam ſacram, quae reuelationem iſtam exhibet, Deum auctorem habere?

** *Sanctitas*, quando ſcripturae ſacrae tribuitur, partim id de dogmatibus ipſis, partim de ſermone, partim denique de animo ſcriptorum ſacrorum, luculentiſſime in ſcriptura ſacra ſe prodente, intelligi poteſt. Dogma aliquod ſanctum vocari poteſt, ſi ita comparatum ſit, vt nihil contineat, quod non legi, atque voluntati Dei, qui eſt ſanctiſſimus, ſit conueniens. Scripturae autem ſacrae dogmata, ſpeciatim & ea, quae de agendis praecipiunt, ſancta hoc pacto eſſe, nemo dubitauerit, niſi qui ea prorſus ignorat. Cuncta enim, quae de fide & vita praecipit, eo tendunt, vt a peccatorum ſordibus purgati, *Deo ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia, Epheſ. IV, 24.* Nec dogmata ſcripturae tantum ſancta ſunt, ſed eo quoque ſermonis genere proponuntur, in quo ſumma grauitas pariter, ac ſanctitas eluceſcit. Nihil enim, quod leue, aut turpe, vel obſcenum ſit, vel ſpeciem quamdam vitii animis lectorum obiicere queat, in ſcriptura ſacra deprehenditur. Quod ſi profanis hominibus quaedam ita videantur, inde hoc prouenit, quod impuro ipſi ad haecce ſacra accedant animo, aut linguarum, quibus ſacer codex conſignatus eſt, non ſatis periti ſint, vel ex ſuo ingenio loquendi formulas, apud veteres vſitatas, aeſtiment. Sed ipſorum ſcriptorum quoque ſanctitas, eminensque virtutis ſtudium, in ſcriptura ſacra ſatis eluceſcit: cum earum imbecillitatum, quas in aliis ſcriptoribus deprehendimus, eos immunes eſſe, obſeruare liceat. Nec enim, quod aliis ſcriptoribus ſollemne, eos aut voluptati, aut ambitioni quidquam dediſſe, videmus, aut gloriae cupiditate inductos, ad ſcribendum acceſſiſſe, ſed hoc vnice eos magno ſtudio, omnique conatu egiſſe, vt ad veri Numinis agnitionem, pietatisque ſtudium, mortales perducerent. Immo, facile obſeruare licet, ſcriptorum ſacrorum indolem atque adfectus, a genio & adfectibus aliorum ſcriptorum adeo differre, vt nulla ratione conueniant, cum illi perpetuum velut bellum ambitioni, voluptatis cupiditati, aliisque vitiis, indixerint. Eiusmodi ergo, qua dogmata, quaue ſermonem, ipſosque ſcriptorum adfectus, ſanctitatem, cum fruſtra ab vllo alio ſcriptore exſpectes, vim quamdam, humana longe maiorem, hoc eſt, diuinam in ſcriptoribus ſacris vt agnoſcamus, par eſt.

*** *Sufficientia* in eo conſiſtit, quod ſcriptura ſacra omnia, quae creditu atque factu ad ſalutem ſunt neceſſaria, pleniſſime exhibet. Quae enim ratio de Deo, rebusque diuinis, de lege naturali, de peccato, de peccatorum poenis, de recte factorum praemiis cognoſcit; ea imperfecte ſaltem cognoſcit, & ad ſalutem conſequendam minime ſufficiunt. Reconciliationem hominis peccatoris cum Deo, & qua ratione haec fieri queat, plane ignorat. Scriptura autem ſacra haec omnia ita tradit, vt nihil plane eorum, quae ad hunc finem pertinent, ſit praetermiſſum; immo ita tradit, vt quilibet mortalium, ſi modo vſu rationis polleat, & diligentiam debitam adhibere velit, omnia, quae ad ſalutem conſequendam pertinent, facili negotio inde haurire queat. Cumque bonitati & ſapientiae diuinae ſit conueniens, vt eiusmodi medium ad ſalutem perueniendi, ea quidem ratione, vt finis commode obtineri poſſit, exſtet; ſcriptura autem ſacra illud ita, vt par eſt, omnibus exhibeat; hanc a Deo ipſo profectam, non ſine ratione inde colligimus. Iungenda, quae ſupra ad *cap. praec. §. 16. ſeq.* de inſufficientia luminis naturalis ad ſalutem, diſputauimus.

§. XVI. Externa argumenta cum iis fere conueniunt, quibus chriſtianae religionis veritas probatur, atque a doctrinae, in ſcriptura ſacra propoſitae, antiquitate, a conditione ſcriptorum ſacrorum, a miraculis, a teſtimo-

teſtimonio eccleſiae, ſpeciatim martyrum, & denique a doctrinae chriſtianae conſeruatione, ac mirabili propagatione, peti ſolent. *

* De hiſce omnibus, quantum ſatis, diximus, cum chriſtianae religionis veritatem demonſtraremus, ad *cap. praeced. §. 16.*

§. XVII. Quantumuis autem haec argumenta magni ponderis ſint, atque eiusmodi probationem ſuppeditent, quae a demonſtratione prope abſit: * longe tamen certior adhuc eſt fides diuina, quae ex interno ſpiritus ſancti teſtimonio, in legitimo verbi diuini vſu ſeſe exſerente, nec ab illo vlla ratione ſeiungendo, oritur. **

* Praeſertim, ſi iunctim, vti par eſt, ſumantur, & ad cuiusuis argumenti neruum rite attendatur.

** Quid per *fidem diuinam* intelligatur, iam ſupra expoſuimus ad *§. 13.* Producitur autem ea per ſpiritus S. operationem, qua intellectum lumine diuino perfundit, vt de veritate rerum, quae in ſcriptura ſacra proponuntur, intime conuincatur, ſimulque voluntas valide ad obſequium flectatur. Nec tamen hoc ita intelligendum, ac ſi ſpiritus ſanctus immediate iſtud in nobis efficiat. Quinimmo per ipſum verbum, ſi rite tractetur, nec homines ipſi repugnent, talia in nobis operatur, vt adeo coniungendum ſit cum ipſa operatione ſpiritus ſancti verbum diuinum, minime ſeparandum. Eſt equidem Chriſtus ipſe *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in huncce mundum, Ioan. I, 9.* Non tamen immediate hoc facit, ſed per verbum, quod ideo hominibus adnuntiatum eſt; conf. *1. Theſſal. II, 13. 1. Cor. II, 4, 5. Rom. I, 16. XV, 18.* Nec obſtat, quod plurimi mortalium, etſi verbum diuinum aut legant, aut audiant, hanc eius vim non ſentiant, adeoque de diuina eius auctoritate per internum hocce ſpiritus ſancti teſtimonium minime conuincantur. Cauſſa enim eſt, quod non ea, qua decet, ratione, verbum diuinum tractent, nec animum, in quo vis atque efficacia eius, adeoque internum ſpiritus ſancti teſtimonium ſeſe exſerere queat, ſecum adferant. Diiudicari hinc quaeſtio poteſt, de qua & inter reformatae eccleſiae doctores acriter fuit diſputatum; an diuina ſcripturae auctoritas non aliunde, quam ex ratione adſtrui queat? Etenim, qui ex ſola ratione diuinam ſcripturae auctoritatem adſtrui poſſe contendunt, in eam non poſſunt non ingredi ſententiam, ea, quae fidem humanam producunt, ad hoc ſufficere argumenta; adeoque internum illud ſpiritus ſancti teſtimonium, ex quo ſolo tamen fides diuina progignitur, procul faceſſere iubent. Contrarium, praeter rationem ſcilicet aliud quid, ad diuinam ſcripturae auctoritatem (fide diuina) credendam, requiri, recte contra IO. VAN DER WAYEN, & HERMANNVM ALEXANDRVM ROELLIVM, demonſtrauit VLRICVS HVBERVS, iure conſultus clariſſimus, in libro, *de concurſu rationis & ſcripturae*, Franequerae, anno 1687. edito. Priorem nihiloſecius ſententiam defendendam ſuſcepit HENRICVS HVLSIVS, theologus quondam Duisburgenſis, *libris duobus de principio credendi*, Lugduni Batauorum, anno 1688. editis. Cum enim diſcrimen aliquod inter vſum rationis *organicum* & *principalem* conſtituiſſet, hunc maxime in prima fundamenti confirmatione, ſeu *probatione diuinae auctoritatis ſcripturae*, ſe exſerere contendit. Hominem enim gentilem ad chriſtianae religionis profeſſionem non alio modo adduci, quam vt ratione ſua iudicet, haec vel

illa criteria, qua ſcripturae conueniunt, diuinitatis indicium eſſe: quin etiam quemlibet hominem plebeium, etiam fidelem, non aliter, quam ratione ſua, & notitia naturali veri & boni, de ſcripturae ſacrae diuinitate certiſſime perſuaderi. Si enim videat, in ſcripturis proponi id, quod aequum & verum eſt, ex conſcientiae innatis principiis, ſine examine id eum agnoſcere, recipere, & reuereri. Probat autem ſuam ſententiam ex eo, quod ſcriptura fidem vocet *rationalem cultum*, doctrinam fidei, *rationale lac*; quod σύνεσιν requirat ἐν πᾶσι; quod verbum Dei medullas penetrare, λόγον ἔμφυτον eſſe, ad conſcientiam omnium ſe commendare, dicat: quod denique explorare iubeat ſpiritus, num a Deo ſint. Hominis vlterius eam indolem eſſe, pronuntiat, vt nulli prorſus rei poſſit adſentiri, nihil itidem debeat agere, niſi luce, axiomate, & dictamine rationis praeeunte, adſenſuique & actioni facem praebente. Reiicit itaque prorſus illorum ſententiam, qui illuminationem, immediate a ſpiritu ſancto profectam, principium eſſe putant, propter quod ſcripturae credimus: quod quidem nihil aliud ſit, quam ipſe enthuſiaſmus, qui porro ad epicureiſmum, immo atheiſmum ducat.

Haec vero omnia fruſtra dici, facile intelliget, qui paullo adcuratius cuncta expenderit. Enthuſiaſmi quidem non eſt, quod metuamus ſuſpicionem, quippe qui a ſpiritus ſancti operatione, non quae immediate ab eo proficiſcitur, ſed quae cum ipſo verbo diuino coniuncta eſt, & per eius legitimam tractationem ſeſe exſerit, fidem diuinam, qua de auctoritate ſcripturae ſacrae diuina certiores reddimur, deriuamus. Falſum praeterea eſt, adſenſum, quem cognitae veritati praebemus, tantum ratione niti: cum non minus indoli hominum ſit conueniens, vt iis, quae per ſenſus externos & internos, ſepoſito etiam rationis vſu, experiuntur, adſenſu pleniſſimo ſuffragentur. Nec dicta, ad quae prouocatur, ſcripturae, noſtrae obſtant ſententiae, Paulus *Rom. XII, 1.* non ipſam fidem *rationalem* vocat, ſed de cultu, quem vitae puritate, ex vera fide fluente, homines pii Deo exhibent, loquitur, eumdemque λογικὴν λατρείαν adpellitat; dum cultui Iudaeorum & gentilium hypocritico, atque irrationabili, quo ſolis ſacrificiis, ritibusque externis, absque animi puritate Deum placare adnitebantur, illum opponit. Sic &, dum Petrus doctrinam euangelicam & fidei λογικὸν γάλα vocat, *1. ep. II, 2.* verbum λογικὸν, vel ipſo GROTIO ad *h. l.* iudice, idem eſt ac *ſpirituale*. Quodſi etiam vel maxime τὸ λογικὸν idem eſſet ac rationale, ita hoc accipi poſſet, quod doctrina fidei nihil contineat, quod rationi ſit contrarium. Inde vero non ſequitur, diuinam verbi auctoritatem non aliunde, quam ex argumentis, quae ratio nobis ſuppeditat, conſtare. Multo vero minus inde hoc colligi poteſt, quod *2. Tim. II, 7.* dicitur: δῴη σοι ὁ κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι. De Timotheo enim ibi apoſtolus loquitur, qui diuinam ſcripturae iam agnoſcebat auctoritatem. Dumque a Deo σύνεσιν, *intelligentiam* ſcilicet ſpiritualem, nos impetrare docet, ſolius rationis hoc minime opus eſſe, ſimul innuit. Quod verbum diuinum medullas penetrare Paulus dicit, *Ebr. IV, 12.* id vim eius diuinam arguit, adeoque noſtram potius egregie confirmat ſententiam. Iacobus per ἔμφυτον λόγον, *cap. I, 21.* non rationem, ſed ipſum verbum Dei, per apoſtolos cordibus fidelium inſitum, atque velut implantatum, intelligit. Atque idem verbum, *conſcientiae omnium ſe commendat*, *2. Cor. IV, 2.* dum omnes, qui conſcientiae lumen ſequi volunt, & de doctrinae veritate, & de apoſtolorum, qui idem euangelium adnuntiarunt, ſinceritate, facile conuincantur. Nec tamen, qui agnoſcit, nihil in ſcriptura ſacra contineri, quod verum non ſit, nec apoſtolos quid-

Digitized by Google

quidquam, quod cum ſinceritate pugnet, admiſiſſe, ſtatim de diuina ſcripturae ſacrae auctoritate perſuaſus eſt plane, aut eam fide diuina credit. Ad hoc enim, praeter argumenta, quae ratio ſuppeditat, aliud quid requiritur; quod adeo nec apoſtolus negat. Ad ſpirituum δοκιμασίαν, a Ioanne *1. ep. IV, 1.* commendatam, vſus rationis, ſed illuminatae, organicus requiritur: quis autem inde inferet, ipſam ſcripturae auctoritatem non alio fundamento, quam quod ex ratione prouenit, ſuperſtructam eſſe? Dum vero genuinum fundamentum, cui fides diuina, qua ſcripturae ſacrae auctoritatem diuinam credimus, nititur, internum ſpiritus ſancti teſtimonium eſſe, adſerimus, ea argumenta, quae fidem humanam progignunt, neutiquam prorſus reiicimus, aut omni deſtitui vſu, adfirmamus. Habent enim omnino aliquando vſum paedagogicum, in illorum, qui nunquam fidem chriſtianam profeſſi ſunt, conuerſione. Praeparari enim per ea poſſunt, vt debita attentione, & animo, a praeiudicatis opinionibus purgato, ad ſcripturae lectionem accedant, & ita vim eius ac efficaciam ſentiant. Quamuis non ſemper eiusmodi praeparatione opus eſſe, & res ipſa, & exempla plurimorum, qui ſine iſtis argumentis verbi diuini vim & efficaciam perceperunt, doceant. Idem & de tentatis, vt ὡς ἐν παρόδῳ hoc moneam, cenſendum. Non contemnendus enim hic argumentorum eiusmodi vſus eſt, quin potius ad erigendos lapſos, aut confirmandos vacillantes, plurimum ea valere, negari nequit. Subinde tamen & breuiori via, per legitimam verbi diuini tractationem non intermiſſam, ſed diligenter continuatam, eos ex eiusmodi morbo conualuiſſe, itidem experientia teſte nouimus. Ceterum illorum ſententia, qui ſolam rationem, vt de diuina ſcripturae ſacrae auctoritate certi reddamur, ſufficere arbitrantur, vti neutiquam omnibus reformatae eccleſiae doctoribus ſe probauit, ita ex inſtituto eamdem refutauit IO. REGIVS, in libro, *de modo percipiendi ſacrae ſcripturae diuinitatem*, Franequerae, anno 1688. edito; HERM. WITSIVS, in *diſſert. epiſtolica ad Vir. Huberum, in qua de ſcripturae ſacrae auctoritate diuina, ex ſola ratione adſtruenda &c. diſputatur;* Traiecti ad Rhenum, anno 1687. MELCH. LEYDECKERVS, in *exercit. theologica, de ſacrae ſcripturae auctoritate ad conſcientiam adſtruenda;* addita eiusdem *ſynopſi controuerſiarum, de foedere & teſtamento Dei &c.* Traiecti ad Rhenum, anno 1690.

§. XVIII. Ex eo nimirum, quod ſcriptura ſacra a Deo ipſo eſt profecta, praeter auctoritatem, qua pollet, efficacia quoque eius ſingularis, non naturalis, ſed ſupernaturalis, planeque diuina, fluit; quae in hominum illuminatione, conuerſione, regeneratione, aliisque effectibus ſpiritualibus producendis, quam luculentiſſime ſeſe exſerit. * *Epheſ. I, 17. Rom. I, 16. X, 17.* conf. & *Pſal. XXIX, 3. ſeq.*

* Habet equidem interdum quilibet ſermo vim quamdam, & efficaciam perſuadendi, & mouendi hominum animos, ſi rationes & argumenta ad hoc apta in eo contineantur, & alias etiam ita comparatus ſit, vt hominibus placere queat. Quotidiana oratorum atque philoſophorum, ſermonibus ſuis animos hominum huc illuc impellentium, hoc teſtantur exempla. At de *naturali* iſta ſermonis vi ac efficacia non loquimur, ſed de *diuina & ſupernaturali*, quam & Paulus adcurate ab illa diſtinguit, ſermonem & praedicationem ſuam fuiſſe adſerens, οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ſed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, *1. Cor. II, 4.* Eadem nimirum illa

vis, & infinita virtus, ſeu potentia, quae in ipſo Deo eſt, & per quam homines illuminat, conuertit, & alia, ſupra hominum vires longiſſime poſita, operatur, in ipſo verbo diuino conſpicitur; &, prout cum illo coniuncta eſt, & numquam non in illis, qui impedimentum nullum adferunt, ſeſe exſerit, hic in cenſum venit. Per verbum enim diuinum Deus efficit, vt, quae nihil ſunt, aliquid fiant, *1. Cor. I, 28.* quod infinitae virtutis eſſe, nemo negauerit; conf *Geneſ. I, 1.* Per verbum animos noſtros illuminat, quod non minorem virtutem & efficaciam arguit, ac, cum Deus ex tenebris lucem prodire iuſſit, *Geneſ. I, 3.* collat. cum *2. Cor. IV, 6.* Hinc & verbum diuinum *viuum & efficax* dicitur, *& quouis ancipiti gladio acutius, & penetrans vsque ad diuiſionem animae & ſpiritus, compagumque & medullarum, & animi cogitationum, conſiliorumque iudex, Ebr. IV, 12.* Confirmat hoc idem apoſtolus, *Epheſ. I, 17.* vbi potentiam illam Dei, quae in illuminandis & conuertendis hominibus, ſed per verbum euangelii *v. 13.* ſeſe exſerit, non tantum praedicat, ſed & *v. 19.* eamdem eſſe dicit, cum excellente illa magnitudine potentiae diuinae, & robore virtutis, quod Deus demonſtrauit, cum Chriſtum ex mortuis ſuſcitaret. Eamdemque ob cauſſam & euangelium δύναμιν Θεοῦ, *potentiam Dei*, vocat, *ad ſalutem omni credenti, Rom. I, 16.* De verbo nimirum euangelii loquitur, quod ipſe quidem adnuntiabat omnibus, ſed quod etiam in ſcriptura continetur. Et huius quidem vis in eo ſeſe exſerit, quod homines illud recipientes, ad ſalutem perducat, adeoque eos & conuertat, & illuminet, & reliqua, quae ad ſalutem neceſſaria ſunt, in iis operetur. Id enimuero, cum longe ſupra naturae vires poſitum ſit, ideo & ab ipſo Deo merito hoc deriuat, euangeliumque vocat δύναμιν Θεοῦ, *potentiam Dei*, non quidem formaliter, vt recte nonnulli monent, ceteroquin enim Verbum Dei eſſet ipſe Deus, quod abſurdum foret; ſed quod ſit organon illud, ſeu medium, per quod potentia illa diuina in conuertendis, illuminandis, ſaluandiſque hominibus ſeſe demonſtrat. Sic & ipſe ſeruator, *verba*, inquit, *quae ego vobis loquor, ſpiritus ſunt, & vita ſunt, Ioan. VI, 63.* Quod de verbo Dei, in ſcriptura ſacra nobis exhibito, recte intelligimus, cum illud a verbis Chriſti, quibus mortalibus viam ſalutis monſtrauit, diuerſum non ſit. Hoc autem *ſpiritum* & *vitam* vocat, quia per illud, ſi recte tractetur, dona quaeuis ſpiritus ſancti conferuntur, & vita ſpiritualis excitatur, fouetur, atque augetur. Id enimuero finitae virtutis opus non eſſe, ſed diuinam prorſus ad hoc requiri potentiam, nemo non intelligit. Idem & ex *Rom. X, 17. 1. Petr. I, 23. Iac. I, 18, 21.* aliiſque locis probari poſſet, ſi plura addere neceſſe eſſet; conf. & *pſalm. XXIX, 3. ſeq.*

Quaeſitum autem fuit, an verbum diuinum vim hanc & efficaciam, de qua hactenus verba fecimus, etiam extra vſum habeat? Quod omnino adfirmandum, ſi ſcilicet de actu primo ſermo ſit. Vt enim actu ſecundo vim hancce demonſtret, ſeu, ut potentia illa ſeſe exſerat, neceſſe eſt, vt vſus, & quidem legitimus, accedat, nec homines ipſi impedimentum aliquod adferant. Atq; hoc ipſa teſtatur ſcriptura, quando verbum diuinum cum ſemine comparat, quod numquam non vi quadam, atque potentia, in fructus erumpendi, pollet, eamque vim & potentiam actu ſecundo demonſtrat, niſi terrae aut agri, in quem proiectum eſt, conditio obſtet, aut alia quaedam impedimenta accedant: id quod fuſius ipſe ſeruator explicat, *Luc. VIII, 4 ſeq.* conf etiam *1. Petr. I, 23. Iacob. I, 18.* Eumdem in modum & *Ieſ. LV, 10, 11.* verbum diuinum cum niue ac pluuia comparatur, quae ſemper actu primo habet vim terram irrigandi & fecundandi; quam tamen actu ſecundo tum demum demonſtrat, quando in

Digitized by Google

in terram cadit, terraque ita comparata eſt, vt fecundari queat: in petris enim & lapidibus nullam fecunditatem efficiet. Quemadmodum autem verbum diuinum, in vſu legitimo ſpectatum, ſi nulla adferantur impedimenta, numquam non vim ſuam atque potentiam in illuminandis, conuertendis, & regenerandis hominibus, exſerit atque demonſtrat; ita, vt impedimenta iſta remoueantur, & corda mortalium ad vim hancce percipiendam & admittendam rite diſponantur, & velut praeparentur, in eorum neutiquam poſitum eſt viribus, vt Pelagiani perperam cenſebant, ſed diuini ſpiritus hoc quoque opus eſt. Hinc Deus ipſe *cor Lydiae aperuiſſe* dicitur, *vt ad Pauli orationem attenderet; act. XVI, 14.* Precibusque a Deo hancce ſpiritus ſancti gratiam efflagitare apoſtoli ſolebant; idque vt & nos faceremus, nos condocuere; *act. IV, 29. Rom. XV, 30, 31. Epheſ. VI, 19.* Vſuque receptum, vt in conuentibus publicis verbi diuini explicationi preces praemittantur, quibus a Deo ſpiritum ſanctum, qui & docenti adſit, & audientium animos rite diſponat, ac aperiat, petimus: quemadmodum priuatim quilibet ſui hoccе credit eſſe officii, preces verbi diuini iungere tractationi, vt fructum, quem ſperat, inde percipiat. Neque tamen haec ita accipienda, ac ſi operatio iſta ſpiritus ſancti ſeiuncta ſit a verbo diuino, aut ac ſi immediate, absque interuentu verbi, in animis hominum operetur: ſed quod cum ipſa verbi tractatione operatio haecce ſpiritus ſancti ſit coniuncta; dumque verbum illud recte audimus, aut legimus, nec ſpiritui ſancto reſiſtimus, ſimul ille in animis noſtris id efficit, vt & attendamus diligenter, &, quae intelleximus, recipiamus: vnde fides producitur, aliique effectus ſpirituales exſiſtunt. Quando autem nonnulli dicunt, verbum in nobis oportere *viuificari* prius, quam fructum ferre queat, non ita hoc intelligendum, ac ſi verbum vita, & potentia fructus ferendi deſtituatur, eamque aliunde accipere debeat; hoc enim admitti nequit: ſed quod efficacia, quae actu primo in verbo ceu ſemine exſiſtit, per legitimum eius vſum excitari, & ad actum ſecundum transferri debeat, vt hac ratione fructus re ipſa conſequantur.

Quae hactenus de efficacia verbi diuini diximus, de verbo externo ſunt intelligenda, quod ab interno eſſentialiter, vt loqui ſolent, non differt. Vnum enim idemque verbum, diuerſo intuitu, *internum*, aut *externum* vocari poteſt. Qui enim in mente ſcriptorum ſacrorum fuerunt conceptus rerum & verborum, *verbum internum* conſtituunt. Idemque prout per verba, ceu ſigna rerum, aut ore prolatum, aut litteris conſignatum eſt, *externum* dicitur. Cumque alii hocce verbum legunt aut audiunt, indeque conceptus rerum, conceptibus ſcriptorum ſacrorum reſpondentes, ſibi formant, rurſus *internum* vocatur. Vnum ergo, idemque verbum eſt, quod modo internum, modo externum adpellitatur. Hinc & ipſe ſeruator dicit; *ſe omnia, quae a patre acceperit, tradidiſſe diſcipulis ſuis, qui & ea acceperint, Ioan. XVII, 8. XV, 15.* Nimirum, non aliud, aut diuerſum erat verbum, quod ore proferebat, ſed reuera idem, ſi ſcilicet ſenſum ſpectes, quod a patre acceperat, & quod deinceps in mente fuit diſcipulorum eius.

Patet vero etiam ex dictis, nihil, quod reprehendi debeat, illos, qui verbum diuinum *inſtrumentum*, ſeu *cauſſam inſtrumentalem* effectuum ſpiritualium adpellitant, agere. Non enim eiusmodi inſtrumentum intelligunt, quod omni vi & efficacia, aliquid operandi, deſtituatur, quodue *paſſiuum* vocare ſolent: ſed tale, quod a cauſſa equidem principali adhibetur, ipſum tamen itidem vim quamdam & efficaciam habet, ad effectum, qui inde ſperatur, producendum, quodque in metaphyſicorum ſcholis *cooperatiuum* dicitur. Hisce litibus facile

Digitized by Google

facile ſuperſedere poſſemus, ſi modo viri docti a ſe impetrare poſſent, vt omnes de vocum ſignificationibus contentiones procul faceſſere iuberent. Qui autem de verbo diuino ita ſentiunt, vt eius virtuti & efficaciae reuera aliquid derogent, in eum prolapſi ſunt errorem, quod viderent, a multis hominum millibus quotidie verbum diuinum aut legi, aut audiri, nec tamen vllum eius in illis conſpici fructum. Sed, quod hominum eſt vitium, id neutiquam ipſi verbo diuino tribuere debebant. Si enim recte legerent, ſi recte audirent' ſi impedimenta remouerent, fructus eius longe vberrimi in multorum ſe oſtenderent animis.

§. XIX. Praeterea perfectione etiam, ſeu ſufficientia, ſcriptura ſacra gaudet; & quidem tum *intuitu partium*, quia nulla, ne minima quidem eius pars, temporum iniuria, aut alia ratione intercidit; * tum *intuitu doctrinae*, quia plene ea omnia exhibet, quae homini ſcitu creditu que ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, *Ioan. XX, 31. 2. Tim. III, 16, 17.* **

* Hoc ita intelligendum, quod ex libris canonicis, ſeu diuinitus inſpiratis, nullus, immo ne minima quidem pars eiusmodi libri interciderit. Certe, qui prouidam Numinis curam, circa ea, quae ad hominum ſalutem pertinent, vel maxime ſollicitam; qui ſummam rei neceſſitatem, vt libri omnes a Deo inſpirati conſeruarentur; qui ſingularem Iudaeorum, in libris ſacris conſeruandis & cuſtodiendis diligentiam, recte conſiderauerit, non temere ſibi perſuadebit, fieri potuiſſe, vt eiusmodi liber aut temporum iniuria, aut aliam ob cauſſam deperderetur. Vt adeo mirum ſit, ex ipſis veteris eccleſiae doctoribus nonnullos, ſpeciatim IO. CHRYSOSTOMVM, *hom. 9. in Matth.* & *homil. 7. in prior. ad Corinth.* in eam ingreſſos ſententiam, non omnia ſcripta diuina ad nos perueniſſe. Ad exempla, quae ſententiae iſtius patroni proferunt, facile reſponderi poteſt, modo obſeruetur, nonnullos libros pro deperditis haberi, qui numquam exſtitere; alios autem deperditos equidem eſſe, ſed eos canonicos aut θεοπνεύστους fuiſſe, probari numquam poſſe. Prioris exemplum liber Henochi praebet, cuius Iudam apoſtolum, *epiſt. v. 14. & 15.* mentionem facere exiſtimant. Et ſane, genuinum aliquod, atque diuinum Henochi exſtitiſſe ſcriptum, quod deperditum ſit, ipſemet AVGVSTINVS ſibi perſuaſit, *de ciu. Dei, l. 15. c. 23.* Id vero ex epiſtola Iudae non colligas: ſiquidem prophetia Henochi, ore prolata, per traditionem ad iſta propagari vsque tempora potuit. Librum equidem quemdam propheticum ſub Henochi nomine circulatum fuiſſe, vel ex TERTVLLIANO diſcimus, qui paſſim ad eum, ceu genuinum, prouocat; *de idololatr. c. 4. apologet. c. 22. de cultu feminarum, l. 2. c. 10.* Immo exſtat hodie adhuc fragmentum ἐκ τοῦ πρώτου βιβλίου Ἐνὼχ, περὶ τῶν ἐγρηγόρων, quod graece *notis* ſuis in *graeca Euſebii* inſeruit IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, *p. 404.* deinceps autem alii ſubinde ediderunt. Sed ſpuria haec omnia, & commentitia eſſe, pridem viri docti oſtenderunt, quorum laudaui nomina, in *biſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. I. ſect. I. §. 38. p. 164.* Exemplum porro praebet *liber bellorum domini*, quem *Num. XXI, 14.* commemorari putant, & itidem inter deperditos referunt. Sed, ſi verba ebraea Moſis recte conſideremus, nullam ibi eiusmodi libri mentionem fieri deprehendemus. Verba enim, quae ibi exſtant, ita vertenda ſunt: *Ideoque, quotiescumque poſthac bella, Dei auſpiciis ab Israelitis*

litis geſta, narrabuntur, horum locorum ante omnia mentio fiet, Vahebi ſiue Matthanis in Supha, & Arnonis eiusque decurſus &c. Conferenda iterum, quae hac de re dixi, in *hiſt. eccl. V. T.* ad *per. 2. ſect. 1. §. 26. p. 647.* Nonnullos rurſus libros reuera exſtitiſſe, & deperditos fuiſſe, negari equidem nequit; ſed eos fuiſſe canonicos, diuinitusque inſpiratos, id quidem probandum erat. Huius generis eſt *liber recti*, ſiue *liber iuſtorum*, cuius *Ioſ. X, 13.* & *2. Sam. I, 18.* mentio iniicitur. Licet autem variae de eo doctorum virorum exſtent ſententiae, maxime tamen probabile, collectionem quamdam carminum, ſeu canticorum, hoc nomine veniſſe, quibus heroum, virorumque illuſtrium laudes celebrabantur: vti itidem iam obſeruatum, *l. c.* ad *per. 2. ſect. 2. §. 16. p. 946.* Sed & de reliquis, qui ex veteri teſtamento pro deperditis habentur, ibidem paſſim egi, de quibus & conferendus MICH. WALTHERVS, in *officina biblica, §. 1306. ſq. p. 509.* Ex nouo teſtamento ſaltem epiſtolam Pauli ad Laodicenſes commemorare iuuat, quippe de qua multa viri docti diſputant. Mentionem eius Paulus ipſe, ſi nonnullis credimus, iniicit, *Col. IV, 16.* Sed verba, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, quae vulgatus interpres vertit, *eam, quae Laodicenſium eſt*, a Laodicenſibus potius ipſis, quam a Paulo ad Laodicenſes, ſcriptam fuiſſe, indicant. Sunt nihiloſecius viri docti ex illorum etiam numero, qui nullam a Paulo ſpeciatim ad Laodicenſes ſcriptam epiſtolam concedunt, qui verba haec ita capiunt, vt epiſtola quaedam ab ipſo Paulo ſcripta ſignificetur, ea maxime ratione inducti, quod epiſtola, a Laodicenſibus ſcripta, nullius aut auctoritatis, aut vſus eſſe potuerit apud Coloſſenſes. In diuerſas autem cum iterum abeant partes, quaenam ex reliquis Pauli epiſtolis intelligenda ſit, rationibus maxime probabilibus niti videntur, qui epiſtolam ad Epheſios intelligunt: quam ſententiam etiam calculo ſuo adprobat IO. MILLIVS, in *proleg. N. T. graeco praemiſſis, n. 74. p. 9.* Grauiſſimas tamen etiam huic ſententiae obſtare rationes, oſtendit vir clariſſimus IO. ALB. FABRICIVS, *cod. apocrypho N. T. p. 856.* Et nihil ſane obſtat, quo minus epiſtola a Laodicenſibus ſcripta intelligatur. Potuerunt enim Paulo cauſſae grauiſſimae eſſe, cur eam a Coloſſenſibus legi voluerit, etſi nobis non ſatis ſint cognitae. Quae autem hodie adhuc exſtat Pauli ad Laodicenſes epiſtola, quamue vir ille doctus, quem iam laudauimus, *l. c. p. 873.* exhibet, ſpuriam eſſe, nemo harum rerum peritus dubitat.

** Res ipſa docet, ſermonem eſſe de iis, quae ſcitu factuque neceſſaria ſunt ad ſalutem conſequendam. Hunc enim in finem ſcripturam ſacram a viris θεοπνεύστοις litteris conſignatam, conſtat; conf. *Ioan. XX, 31. 2. Tim. III, 16, 17.* Falluntur itaque maximopere, qui humanarum artium ac ſcientiarum principia & fundamenta in ſacro codice quaerunt. Etſi enim, quae de his oblata occaſione attinguntur, veritati ſint conſentanea, nec ſine impietate erroris aut falſitatis argui queant: non tamen hicce ſcriptorum ſacrorum ſcopus fuit, vt ex inſtituto iſta traderent. Vnde & abſonum foret, ſcripturam ſacram imperfectionis ideo arguere, quod ea, quae ad humanae eruditionis circulum pertinent, in illa non inueniantur. Minime autem laudandi ſunt, qui talia in ſcriptura ſacra quaerunt, quae, vti in ea quaeri non debent, ita nec inueniuntur. Quo ipſo, vt ſe ipſos traducunt turpiter, ita haud raro ſcripturam ſacram non ea, qua decebat, reuerentia tractant. Ea autem, quae ad ſalutem conſequendam pertinent, plene ſufficienterque in ſcriptura ſacra tradi, iam ſupra ad §. 15. demonſtrauimus. Quae in contrarium a Romanenſium quibusdam adferuntur, ita comparata ſunt, vt aut omnino in ſcriptura ſacra exſtent, aut ſcitu credituque ad ſalutem non ſint neceſſaria. Sic, quid de medio ſalutis feminarum in veteri teſtamen-

to, deque ſalute infantum, ante circumciſionem mortuorum, cenſendum ſit, ex indole & natura foederis gratiae facile intelligitur. Sed mitto, quae de his ſunt reliqua.

§. XX. Perſpicuitate denique ſcriptura ſacra ſe commendat, ea quidem ratione, vt quilibet, modo rationis vſu polleat, debitamque ſecum adferat attentionem, ea inde haurire queat, quae, vt ſalutis aeternae compos fiat, eum ſcire oportet.* *2. Tim. III, 15. 1. Cor. XV, 1. 2. Pſal. XIX, 9. CXIX, 105. 2. Petr. I, 19.*

* Vt & hoc eo rectius intelligatur, obſervare iuuat, aliam eſſe perſpicuitatem ſeu euidentiam *rerum*, aliam *verborum*. De rerum perſpicuitate iterum non vna eademque ratione cenſendum, cum quaedam ita comparatae ſint, vt haud difficulter a quolibet, rationis vſu pollente, queant intelligi; vt narrationes hiſtoricae, & dogmata quaelibet, quae ex rationis lumine naturali innoteſcunt: quaedam autem aut rationis vim multum ſuperent, aut ab illis, qui a ſpiritu ſancto luce diuina colluſtrati non ſunt, non ita, vt decet, agnoſci queant; vt Chriſtus ipſe teſtatur, *Matth. XI, 25.* & Paulus apoſtolus, *1. Cor. II, 14.* Licet autem in iis, quae ratio capere nequit, deſit euidentia, quam vocant, *obiecti*, ſufficit tamen euidentia *teſtimonii*, ſiue, quod clare & euidenter in ſcriptura ſacra contineantur. Hic autem de *euidentia*, ſeu *perſpicuitate verborum* praecipue nobis ſermo eſt: quae vt recte ſcripturae ſacrae adſeratur, & ad *ſubiectum*, & ad *obiectum*, & denique ad *modum*, vt in ſcholis loqui amant, attendendum eſt. Ad *ſubiectum* quod attinet, neceſſe eſt, vt & vſu rationis polleat, & debitam ſecum adferat attentionem, qui ſcripturam ſacram & legere, & intelligere cupit. Si quis enim intellectus quadam imbecillitate laboret, aut perfunctorie ac negligenter in ſcripturae ſacrae lectione verſetur, tumque ſcriptura illi minus videatur perſpicua, id quidem ipſorum hominum, non autem ſcripturae ſacrae vitium eſſe, nemo non intelligit. Quodſi etiam omnino ſcripturam ſacram aliquis interpretari velit, eum & linguarum originalium, quibus litteris conſignata eſt, & hiſtoriae, aliarumque artium & ſcientiarum peritum, & reliquis mediis hermeneuticis rite inſtructum eſſe oportet. *Obiecti*, quod vocant, ita habenda eſt ratio, vt diſcrimen inter ea, quae ad fidem, adeoque ad ſalutem ſunt neceſſaria, aut minus neceſſaria, probe obſeruetur. Perſpicuam euidentemque dum ſcripturam ſacram adſerimus, de iis hoc intelligimus doctrinae capitibus, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria; quaeue ita in ea proponuntur, vt a quolibet homine, rationis vſu non deſtituto, & debitam ſecum adferente attentionem, facili intelligi queant negotio. Etenim, ſi vel maxime in vno loco paullo obſcurius propoſita nobis videantur, ſunt tamen & alia, in quibus idem dogma perſpicue & ſine omni obſcuritate explicatur: vnde recte moneri ſolet, loca obſcuriora ex minus obſcuris interpretanda eſſe: qua de re deinceps. Praeterea vero & alia in ſcriptura ſacra exſtant, quae ſua quidem vtilitate non carent, & ob methodum, qua ſcriptores ſacri vſi ſunt, argumentique, quod tractant, ſpecialis rationem abeſſe non potuerunt, nec tamen ſcitu ad ſalutem ſunt neceſſaria: quorſum & hiſtorica, & chronologica, & id genus alia, referre licet. Et in hiſce quaedam ſubinde occurrere, quae etiam viris eruditis aliquid negotii faceſſere queant, non abnuimus. De *modo* denique noſtrae cognitionis obſeruandum, eam hic in cenſum venire, quae ſimplicis adprehenſionis vocari ſolet, non excluſo prorſus eo adſenſu, qui rationibus naturalibus nititur. Ad adſenſum enim, qui ex ſpiritus ſancti, per verbum

verbum diuinum intime nos conuincentis, oritur teſtimonio, generatimque eam cognitionem, quae ſalutaris eſt, quod attinet, eam in hominis ſibi relicti, ſoliusque naturae ductum ſequentis, minime poſitam eſſe viribus, nemo negauerit.

Ea itaque, qua diximus, ratione, ſcripturam perſpicuam eſſe, cum quilibet, ſi modo periculum facere vellet, ipſa experientia omnium optime condoceri queat, demonſtrari tamen etiam facili negotio poteſt. Primo namque ex ipſo ſcripturae ſacrae hoc fluit fine, qui non alius eſt, quam vt homines per eam ad fidem, adeoque & ad ſalutem erudiantur; *2. Tim. III, 15. Ioan. XX, 31.* Hicce autem qui obtineri finis poſſet, niſi ſcriptura in iis, quae ad fidem & ſalutem pertinent, ab omnibus poſſet intelligi? Deum enim medium aliquod ſalutis conſtituiſſe, per quod tamen finis obtineri nequeat, vel cogitare nefas eſt. Neque ſufficeret ad finem iſtum conſequendum, ſi a quibusdam ſaltem, hominibus ſcilicet ingenio & doctrina praeſtantibus, poſſet intelligi. Non enim quorumdam, ſed omnium hominum, nemine excepto, ſalutem vult Deus, *1. Tim. II, 4. 2. Pet. III, 9.* Neque eruditos ſaltem aut ſapientes, ſed rudes etiam atque plebeios, ad aeternam beatitudinem inuitat, *1. Cor. I, 27, 28.* Confirmat idem egregie Paulus, quando *1. Cor. XIV, 2. ſq.* oſtendit, doctoris munere eum demum recte fungi, qui ita loquitur, vt intelligi queat. *Alioquin*, inquit, *ſi ego vos alienis linguis adloquutum veniam, quid vobis prodero, niſi inſit in oratione mea patefactio, aut cognitio, aut vaticinatio, aut doctrina? Etiam inanimata, vocem emittentia, vt tibia & cithara, niſi diſcrimen ſonis faciant, quomodo intelligetur, quid tibia aut cithara ſignificetur? v. 6, 7.* Pari itaque ratione ſeſe habet ſcriptura ſacra. Si perſpicua non eſſet, operam oleumque perderent, qui ad eam legendam aut ſcrutandam ſe accingerent, aut ſalutis in ea quaererent viam. Sed & effectus proximus ſcripturae ſacrae, qui eſt illuminatio, tenebrarumque, quibus mens humana circumſepta eſt, diſpulſio, idem teſtatur quam luculentiſſime. Hinc & verbum Dei *luminis*, itemque *lucernae* nomine paſſim in ſcriptura ſacra venit, *Pſal. XIX, 9. 2. Pet. I, 19.* Lumen aliquod admittere, quod ipſummet obſcurum ſit, nec illuminare alios, vim eius non impedientes, queat, plane abſonum eſt.

§. XXI. Iis autem ſcripturae locis, quae aut obſcuriora ſunt, aut talia nobis videntur, * lux adfundi poteſt per interpretationem, ſi rite, & ſecundum regulas hermeneuticas inſtituatur. ** Haec enim eo comparata eſt, vt verus & genuinus vbique, praecipue tamen in locis difficilioribus, *** eruatur ſenſus.

* Nonnulla obſcurius dicta in ſcriptura ſacra occurrere fatemur: ſed id perſpicuitati eius, in illis, quae ad ſalutem neceſſaria ſunt, non obſtare, iam ſatis oſtendimus.

** Regulae iſtae vel *generales* ſunt, vel *ſpeciales*: illas philoſophia, has autem ipſa theologia ſuppeditat. Qua de re alibi.

*** Loca enim plana & perſpicua, ſi adcurate loqui velimus, interpretatione non indigent, etſi occaſionem, de rebus diuinis copioſius diſſerendi, praebere queant.

§. XXII. Vt, quae de ſcripturae ſacrae interpretatione dici poſſunt, ſummatim complectamur, * primo quidem ad *finem*, tum ad *conditionem* eius, qui eam interpretari cupit, denique ad *media hermeneutica* eſt reſpiciendum.

Digitized by Google

* Doctrinam de interpretatione paucis ſaltem, ne quid noſtrae tractationi deſit, & vt ſcripturae ſacrae perſpicuitas rite adſeratur, attingimus. Solet enim alias ſeparatim tractari, & quidem non ſine ratione: quod & plurimi, tum ex noſtratibus, tum aliis, ſub *theologiae exegeticae, hermeneuticae ſacrae*, aliisque fecerunt titulis; quorum nomina alibi a me laudantur.

§. XXIII. Finis proximus quidem, & immediate talis alius eſſe nequit, quam vt verum & genuinum ſenſum, in locis praeſertim obſcurioribus, adſequamur. Per *ſenſum* autem conceptus rerum intelligimus, qui per verba ſcribentis aut loquentis, in animis legentium aut audientium producuntur. * Qui quidem conceptus, ſi plane conformes ſint conceptibus loquentium aut ſcribentium, tum quidem ſenſus verus & genuinus inde oritur.

* Hicce enim finis ac ſcopus ſermonis eſt, vt aliis, quae in mente noſtra ſint, manifeſtemus. Quod fieri aliter nequit, quam vt in aliorum animis per certa ſigna eiusmodi rerum conceptus producantur, qui noſtris conceptibus adcurate reſpondeant.

§. XXIV. Si alterius ſenſum adſequi cupimus, neceſſe eſt, vt in ſignis, ſeu vocum ac phraſium ſignificatione, conueniamus, vtque certo conſtet, ſigna, quibus loquens aut ſcribens vtitur, hoc, nec aliud quid ſignificare.* Vnde ſua ſponte ſequitur, vnius ſermonis vnicum tantum poſſe ſenſum eſſe. Certe, qui ita loquitur, & ſcribit, vt intelligi velit, vnicum tantum ſenſum intendat, neceſſe eſt: quem ſi adſequamur, tum verum & genuinum ſenſum tenemus. **

* Etenim, ſi quis vocibus vtatur, quibus nulla ſignificandi vis eſt, aut eiusmodi illis ſignificationem adiungat, quam nemo ſciat, aut intelligere poſſit, is aut non ſanae mentis eſſe, aut data opera aliis illudere velle, merito cenſetur. Quod, vt non temere de vllo mortalium praeſumendum eſt, ita de ſcriptoribus ſacris eiusmodi quid cogitare, ſtolidum non minus quam impium foret.

** Si enim plures intendat ſenſus qui loquitur, aut ſcribit, anceps inde dubiusque euadet ſermo, nec quid ſibi velit, certo nobis conſtabit. Nec obſtat, quod interdum voces formulaeque duplicem ſenſum, proprium & figuratum, admittentes, adhibeantur. Hoc enim, licet varias ob cauſſas fieri ſoleat, neceſſe tamen eſt, vt ex mente loquentis aut ſcribentis ad vnicum ſenſum reſtringantur, qui ſecundum regulas hermeneuticas eſt definiendus.

§. XXV. Solet equidem ſubinde contingere, vt non tantum verba, ſed & res ipſae, verbis expreſſae, aliarum rerum ſigna ſeu ſymbola ſint. Vnde & ſenſus ſcripturae in *litteralem*, & *allegoricum* ſeu *myſticum* diuidi ſolet. Quod &, ſi recte intelligatur, admitti poteſt: quamquam non deſint, qui litteralem tantum pro ſenſu proprie & ſtricte ſic dicto, habeant.*

* Vt eo rectius, quae hac de re diſputari ſolent, intelligantur, obſeruare iuuat, eſſe nonnullos, qui duplicem ſcripturae ſacrae ſenſum, litteralem, & myſticum, etiam in iis locis, vbi nulla indicia, ſenſum myſticum iis ſubeſſe, ipſa ſcriptura ſuppeditat, ſtatuunt. Hanc tum aliorum quorumdam, qui fanaticorum nomine veniunt, tum maxime

xime Romanenſium eſſe ſententiam, notum eſt. Nec id quemquam latet, praeeuntes eos ſibi hac in re habuiſſe plurimos veteris eccleſiae doctores: immo ab ipſis Iudaeis originem huius rei repetendam, in ſequentibus oſtendemus. Myſticum praeterea ſenſum Romanenſes, itidem ad quorumdam veteris eccleſiae doctorum exemplum, in *allegoricum, tropologicum*, & *anagogicum*, diſpeſcere ſolent. Allegoricum nimirum vocant, cum verba ſcripturae, praeter litteralem ſenſum, ſignificant aliquid in nouo teſtamento, quod ad Chriſtum, vel eccleſiam pertineat; *Gal. IV, 22. ſ.* tropologicum, cum verba aut facta referuntur, ad aliquid ſignificandum, quod pertinet ad mores; *1. Cor. IX, 9.* anagogicum denique, cum verba aut facta referuntur ad ſignificandam vitam aeternam. Legendi hac de re ROB. BELLARMINVS, *de verbo Dei, l. 3. c. 3. §. 2.* GORDONVS HVNTLAEVS, *l. 1. controverſ. 7.* MART. BECANVS, *part. 2. theol. ſchol. tomo poſt. c. 3. q. 5:* quibus ex recentioribus iungendus DV PIN, in *prolegom. ſuper biblia, l. 1. c. 10. §. 3. p. 273.* Cum vero naturae indolique ſermonis longe ſit conuenientius, vt vnicus tantum eius ſenſus, proprie ſic dictus, admittatur, idque praeterea euidentia & perſpicuitas ſcripturae ſacrae requirat, immo, finis eius poſtulet, non ſine ratione haecce Romanenſium ſententia reiicitur. Idque eo rectius, quod ipſimet non aliam ob cauſſam eam defendant, quam vt πρόφασιν inde capiant, ſcripturam ſacram obſcuritatis & ambiguitatis adcuſandi, & hinc locum faciendi traditionibus. Ineptae etiam prorſus, & nullius ponderis ſunt rationes, quibus ſuam ſententiam defendunt: demonſtrari ſcilicet hac ratione ſcripturae ſacrae fecunditatem; Deoq; plane dignum eſſe, vt ſcriptura duplicem ſenſum, litteralem & myſticum, habeat. Nihil enim prorſus ſcripturae fecunditati decedit, ſi vel maxime vnicus ſaltem eius ſenſus adſeratur; cum ea ratione omnes, quae ſcitu neceſſariae ſunt, veritates ex ea deriuari queant. Praeſtantia autem, & diuina auctoritas ſcripturae, ſi inde comprobanda eſſet, pari ratione Homeri aut Virgilii ſcripta θεόπνευστα eſſe, aliquis euincere poſſet. Plane vero abſonum, quod nonnulli etiam ex veteris eccleſiae doctoribus, quos *patres* vocant, ad illud Pauli: *littera occidit, ſpiritus autem viuificat, 2. Cor. III, 6.* prouocant. Si enim apoſtolus de ſenſu litterali & myſtico ibi loqueretur, ſequeretur, ſolum myſticum ad vitam conducere, litteralem autem noxium eſſe, vt recte ANDR. RIVETVS obſeruat, *iſagog. ad ſcript. ſacr. c. 14. p. 212.* Res ipſa autem docet, apoſtolum ibi non de ſenſu ſcripturae, ſed de lege & euangelio loqui: adeoque de littera, ſeu lege in ſe ſpectata, recte adſerit, quod occidat, quia ſummam, & exactiſſimam obedientiam ab omnibus ſub poena maledictionis exigit, nec ſpiritum gratiae & fidei, per quem vitam conſequimur, offert, quod facit euangelium. Sunt equidem, qui per *litteram* ſenſum legis peruerſum & corruptum, per *ſpiritum* autem verum ac genuinum intelligunt. Ita DV PIN, *l. c. p. 273.* Nec procul hinc diſcedit IO. CLERICVS, in *notis ad Hammondi paraphraſin* ad *2. Cor. III, 6.* At vero & hoc a mente ſententiaque apoſtoli alienum eſſe, quilibet facile perſpiciet. Reliqua autem, quae pro eadem ſententia adferri ſolent, tam inepta ſunt, tamque ieiuna, vt iis ne quidem recenſendis, multo minus refellendis immorandum cenſeam.

Ad eos itaque progredimur, qui in alterum extremum procurrunt, & nullibi in ſcriptura ſacra ſenſum myſticum admittunt, aut, quem ita vocant, pro adcommodatione ſaltem quadam, praeter intentionem ſpiritus ſancti facta, habent. Socini adſeclas prima huius ſententiae ieciſſe fundamenta, mirum non eſt, cum ad ſeruatoris noſtri diuinitatem pariter ac ſatisfactionem labefactandam, illorum intereſſet plurimum, veteris teſtamenti oracula, quae de

eo agunt, de aliis explicare, & non niſi adcommodationem quamdam, quae omni probandi vi deſtitueretur, in illis admittere. Horum deinceps veſtigia preſſerunt, qui ex Arminii prodierunt ſchola, HVGO GROTIVS, PHILIPPVS a LIMBORCH, IO. CLERICVS, aliique. Et GROTIVS quidem hancce interpretandi rationem tanta animi contentione ſequitur, vt nullum temere oraculum praetermittat, quod non hac ratione mirum in modum peruertat. Illuſtre prae reliquis exemplum *c. LIII.* Eſaiae praebet; quod, cum noui teſtamenti ſcriptores ſacri de ipſo ſeruatore intelligendum eſſe doceant, GROTIVS tamen de Ieremia hoc explicat, cuncta vel obtorto eo rapiens collo: nonnulla vero in eodem myſtice, hoc eſt, per quamdam adcommodationem ad Chriſtum pertinere, concedens. Pari ratione PHIL. a LIMBORCH, in *praefat. commentario* eius *in acta apoſtol.* praemiſſa, ita hac de re diſſerit, vt litteralem in ſcriptura ſenſum, quippe *qui proprie ſcripturae ſenſus ſit*, praecipue inueſtigandum contendat: & licet concedat, dari loca, in quibus ſenſus non tantum litteralis, ſed myſticus quoque reperiatur, haud obſcure tamen innuit, per ſenſum myſticum nihil aliud ſe intelligere, quam adcommodationem quamdam rerum veteris teſtamenti, ad res noui teſtamenti: quo nomine & CAMPEGIO VITRINGAE vapulat, qui & eamdem ob cauſſam HVG. GROTIVM, pariter ac IO. CLERICVM reprehendit, *praef. comment.* eius in *Eſaiam* praemiſſa, *p. 17, 18.* Nec tamen ex reformatae quoque eccleſiae doctoribus deſunt, qui eamdem interpretandi ſcripturam methodum ſequuntur, aut exemplum reliquerunt GROTIO, quod imitaretur. Ipſum namque IO. CALVINVM, in *commentariis* ſuis *in pſalmos ac prophetas*, hoc egiſſe conſtat, vt euidentiſſima veteris teſtamenti oracula, non de Chriſto, de quo tamen litteraliter intelligenda ſunt, ſed de alio quodam explicaret; vnde nihil aliud, quam adcommodatio ſaltem quaedam ad Chriſtum remanere poteſt. Quod & ex noſtratibus AEGIDIVM HVNNIVM, in *Caluino iudaizante*, ipſi exprobraſſe notum eſt: vnde varia quidem eo tempore nata ſunt certamina: de quibus alibi exponitur. Sequuti Caluinum ſunt ex eiuſdem eccleſiae doctoribus & alii, non tamen omnes. Nonnullis namque iſta vaticiniorum explicatio, qua ſenſus myſticus exploditur, aut in nudam adcommodationem conuertitur, maximopere diſplicuit, & hodie adhuc diſplicet. Documento eſſe poteſt certamen in Belgio, inter IO. MASSONVM, atque DAV. MARTINI, viros cetera doctiſſimos, de ſenſu pſalmi cx. exortum. Id enim ille egerat, vt contenderet, pſalmum iſtum centeſimum decimum confectum eſſe, cum Dauidi integrum Iſraelis regnum, cum hactenus tantum Iudae ac Beniaminis tribubus imperaſſet, traderetur: vbi quidem alternis vicibus a duobus Iſraelitis, qua priores quatuor verſus, in praeſentia ipſius regis ſit decantatus, tres vero vltimi eius verſus a toto choro gratulationis inſtar ipſi adclamati ſint. Qua quidem ratione, vt totum iſtum pſalmum litteraliter de Dauide explicat, ita ad Chriſtum non niſi per adcommodationem quamdam, quam ſenſum myſticum vocat, eum pertinere, non admittere nequit. Commentatio eius ſub titulo: *tentamen nouae vitae Dauidis*, ſiue *diſſert. critica ſuper pſalmum CX*, exſtat in *hiſtoria critica reipublicae litterariae tom. 1. art. 3. p. 42. ſq. t. II. art. 1. p. 3. ſq. t. 3. art. 3. p. 107. ſq.* Non tantum autem DAV. MARTINI, quem antea iam laudauimus, peculiari libello hanc explicationem refutauit, ſed & in duabus inſuper ſynodis improbata fuit, MASSONO eam pariter tum contra ſynodi vtriusque decreta, tum contra MARTINIVM defendente: vti ex eadem *hiſtoria critica reipublicae litterariae, tom. 6. art. 1.* & *tom. 8. art. 16.* conſtat. Non ſine ratione equidem ad magnorum eccleſiae reformatae doctorum, immo ipſius Caluini

Digitized by Google

Caluini exemplum MASSONVS prouocauit, quippe quos eamdem veteris teſtamenti interpretandi oracula rationem tenuiſſe, negare non licet. Sed ſi ex rei veritate, non exemplis aliorum hac de re pronuntiandum ſit, probari vtique haecce methodus nequit. Hac enim ratione, ſi non omnibus, certe plerisque veteris teſtamenti oraculis, quae de Chriſto agunt, vis omnis probandi, omnisque efficacia eripitur. Et fruſtra ſane ipſe ſeruator huncce pſalmum oppoſuiſſet Phariſaeis, *Matth. XXII, 43. ſq.* ſi litteraliter de Dauide ſit intelligendus. Neque eſt, quod excipias, Iudaeos eo tempore itidem hunc pſalmum myſtice de Meſſia interpretatos fuiſſe: adeoque, admiſſa hypotheſi, ex qua Chriſtus contra eos diſputabat, nihil potuiſſe reſpondere. Quod ſi enim vel maxime concedatur, Iudaeos eo tempore myſtice, hoc eſt, per adcommodationem quamdam pſalmum huncce de Meſſia interpretatos fuiſſe, (quamquam & id ſine probatione adferatur) nondum tamen euictum eſt, eos crediditſſe, eiusmodi adcommodationibus vim demonſtrandi ineſſe, in qua plane ſit adquieſcendum: hoc enim ſi non crediderunt, ſupererat vtique, quod Chriſto reſponderent; idque, qua erant malitia, lubenter eos arrepturos fuiſſe, ſi modo aliquid reponere potuiſſent, non eſt, quod dubitemus. Legenda, quae hac de re erudite monet, celeberrimi nominis theologus MVILIVS, in *controuerſiae, inter duum-viros celeberrimos, Philipp. Limborchium, & Campegium Vitringam, de ſenſu ſcripturae myſtico, iam nuper agitatae, diſcuſſione, c. 2. §. 14. p. 29.* vbi & alios, qui, ſenſum myſticum in meram adcommodationem conuertentes, eumdem re ipſa explodunt, recenſet.

Cum itaque & horum admitti nequeat ſententia, ſupereſt, vt, quae noſtrae eccleſiae hac de re cenſeant doctores, paucis exponamus. In eo quidem omnes conueniunt, dari in ſcriptura ſacra loca plurima, in quibus res ipſae, verbis expreſſae, aliarum rerum, ex intentione diuina, ſigna ſint atque ſymbola; eumque ſenſum myſticum vocari poſſe. Conueniunt quoque in eo, non tantum in iſtis locis, quae hunc in modum ex veteri teſtamento in nouo allegantur, eiusmodi ſenſum myſticum obtinere; ſed in aliis quoque, modo ex certis indiciis id conſtet, atque ex ipſo textu euidenter probari poſſit. Hoc enimuero qui negauerit, is omnes typos & parabolas ex ſcriptura ſacra proſcribat, neceſſe eſt, in quibus res, per verba proxime ſignificatae, aliarum rerum ſunt ſymbola. Quis vero dubitet, per ſerpentem aeneum, a Moſe *Num. XXI, 8, 9.* deſcriptum, ſublimius quid, Chriſti ſeruatoris ſcilicet in cruce exaltationem ſignificatum, cum ipſemet diſerte hoc nos condoceat? *Ioan. III, 14, 15.* Quis dubitet, per Melchiſedeci atque Ionae hiſtoriam aliud quid adumbratum? cum vtrumque typum fuiſſe ſeruatoris, neminem fugiat. Hac ergo in re cum omnes inter ſe conueniant, in eo ſaltem diſſenſus aliquis ſupereſt, num inde ſequatur, duplicem in iſtiusmodi locis dari ſcripturae ſacrae ſenſum, litteralem & myſticum? Adfirmat quidem illud GLASSIVS noſter, *philolog. ſacrae tract. 1. ſect. 1. p. 249.* cui & alii ex noſtrae academiae doctoribus, B. FRIDEM. BECHMANNVS, B. IO. GVIL. BAIERVS, & ex Lipſienſibus, IO. BEN. CARPZ. in *theol. exeg. reg. 2. p. 25. ſq.* adſtipulantur. Nec in eo reprehendendi ſunt, cum longe alia via, quam pontificii, hic incedant. Non enim vbiuis duplicem iſtum ſenſum obtinere contendunt, nec quamuis adcommodationem ſtatim pro ſenſu myſtico venditant: ſed, ſi ex certis indiciis, quae ipſa ſcriptura ſuppeditat, conſtet, res per verba ſignificatas, aliarum rerum eſſe ſymbola, tum demum praeter litteralem, myſticum quoque eſſe admittendum ſenſum, adfirmant. Qua quidem ratione nihil etiam in hac ſententia deprehenditur, quod ſenſum ſcripturae incertum aut ambiguum redde-

re

Digitized by Google

re queat. Fuerunt nihiloſecius, qui tutius eſſe arbitrati ſunt, ſi vnicus ſaltem ſcripturae ſacrae ſenſus admittatur, isque litteralis: hinc & eum, qui myſticus dicitur, adcommodationem vocare malunt; non eo tamen modo, quo Sociniani, & qui in horum militant caſtris, de quibus antea dictum, hanc vocem accipiunt, vt mera ſaltem rerum conuenientia innuatur, ſed talis potius intelligatur, quam reuera ſpiritus ſanctus intenderit; quod & ex aliis ſcripturae locis, aut criteriis etiam, ſeu indiciis certiſſimis, quae ipſa ſuppeditat ſcriptura ſacra, conſtet. Ita CALOVIVS cenſet, *ſyſtem. theol. t. I. p. 663. ſq.* PFEIFFERVS, *crit. ſacr. c. 5. ſect. 2. quaeſt. 1. p. 225.* quos & alii magno numero ſequuntur. Rurſus tamen alii, cum facile concedant, conſultius eſſe, ſi vnicus tantum ſcripturae ſenſus admittatur, interim vel ſolum adcommodationis nomen ſuſpectum quibusdam videri queat; praeterea, & res myſtica aeque in eiusmodi locis a ſpiritu ſancto veriſſime intendatur, hominibusque proponatur, quam ea ipſa, per quam, vel cuius ſubſidio hoc fit; mediam quamdam ineundam putarunt viam, vt in hisce quoque locis vnicum tantum, eumque litteralem agnoſcerent ſenſum, nec tamen, vt in aliis, *ſimplicem*, ſed vel maxime *compoſitum*. Quem quidem optimum, commodiſſimumque, & ad omnes difficultates euitandas aptiſſimum loquendi modum eſſe, exiſtimant. Eumque & prae ceteris calculo ſuo adprobat vir doctiſſimus, deque re litteraria & eccleſiaſtica praeclare meritus, MVHLIVS, in antea iam laudata *controuerſiae inter Philippum Limborchium, ac Campegium Vitringam, de ſenſu ſcripturae myſtico agitatae, diſcuſſione, c. 3. §. 5. p. 49. ſq.* Totam non de re ipſa, ſed de modo loquendi ſaltem eſſe controuerſiam, facile quilibet, qui paullo adcuratius cuncta expenderit, intelliget. In latiori enim ſignificatione ſi vox *ſenſus* accipiatur, vt non tantum id, quod per verba ſignificatur, ſed & per res verbis expreſſas, ex intentione loquentis aut ſcribentis, indicatur, denotet, nihil obſtat, quo minus in quibusdam locis duplex ſenſus, litteralis & myſticus, admittatur. Pari ratione, ſi *adcommodationis* vox ita accipiatur, vt intentionem loquentis ſeu ſcribentis connotet, & haec adhiberi poteſt. Quodſi denique aliquis non duplicem ſenſum, ſed compoſitum, in iis locis, quae myſtice explicanda ſunt, admittendum cenſeat, nec is me ſibi repugnantem habebit. Si res ipſa ſalua ſit, non eſt, vt de modo loquendi magnopere cum quoquam contendamus.

Vt autem ſenſus iſte, quem nonnulli *myſticum*, alii autem *adcommodationem*, ex intentione ſpiritus ſancti profectam, adpellitant, omnino vim probandi habet, & hactenus cum litterali pari paſſu ambulat: ita recte & praeclare agunt, qui in eo eruendo ſtudium operamque collocant. Quae vero ita inſtituitur adcommodatio, vt ſpiritum ſanctum eam intendiſſe, certis indiciis probari nequeat, vt valde improprie *ſenſus* nomine venit, ita ad aliquid probandum nullam vim habet, & efficaciam. Non prorſus tamen improbanda iſta interpretandi ſcripturam ratio, cum plurimum ſubinde ad aedificationem faciat, modo caute & ſobrie inſtituatur, ita ſcilicet, ne ſenſus litteralis, qui tum vnicus ſenſus eſt, negligatur, aut poſtponatur, aut omnino veritati hiſtoricae quid derogetur: porro, vt nihil adferatur, quod analogiae fidei aduerſetur, vel alia quacumque ratione menti ſpiritus ſancti repugnet, aut alio modo in vitio poni queat. Peccaſſe hac in re veteris eccleſiae doctores, ORIGENEM prae reliquis, negari nequit, vt deinceps oſtendemus. Sed ex recentioribus quoque plurimi hic impegerunt. Exemplo eſſe poteſt BVRNETIVS, qui, cum narrationem Moſaicam de prima rerum origine, ſuae orbis theoriae obſtare videret, ad myſticam, ſeu parabolicam explicationem ſe recepit, veritatem narrationis

Digitized by Google

nis Moſaicae hoc ipſo labefactans, in *archaeologia philoſ. lib. 2. cap. 7. p. 449. ſeq.* caſtigatus ideo ab auctore libri, *Moſes vindicatus*, praeſertim *cap. 7. pag. 136. ſeq.* Immo DEVSINGIVS, nimio allegoricae interpretationis amore eousque abreptus eſt, vt ipſum trinitatis myſterium in allegoriam conuerteret, in *myſterio ſacro-ſanctae triados*, ſubiuncto *demonſtrationibus* eius *allegoriae hiſtoricis*, *ſeu hiſtoriae allegoricae veteris & noui teſtamenti.*

Generatim vero quod de ſenſu myſtico diximus, id ſpeciatim de *typis* eſt obſeruandum. Illi enim reuera typi ſunt, qui ex ipſius ſcripturae ſacrae indicio ad antitypum aliquem referuntur, quosue *innatos* vocare ſolent; adeoque & in hiſce tantum ſenſus typicus obtinet: qui autem *illati* vocantur, improprie ſaltem & abuſiue tales ſunt. Interim illorum minime reprehendendum eſt ſtudium, qui in hiſtoriis, & rebus veteris teſtamenti, imagines eorum, quae in nouo teſtamento nobis reuelata ſunt, quaerunt; modo non eodem, quo typi innati, habeantur loco, & cetera quoque, quae de myſtica interpretatione caute & ſobrie inſtituenda antea monuimus, & hic obſeruentur. Legenda etiam, quae hac de re monet SALDENVS, in *diſſert. de typorum vet. teſtam. vſu & abuſu*, in *otiis* eius *theologicis, l. 2. n. 3. p. 235. ſq.*

Quid per ſenſum *litteralem*, vt de hoc quoque aliquid addamus, intelligamus, ex hactenus dictis nemini obſcurum eſſe poteſt. Is namque hoc nomine venit, qui immediate ex verbis ſcripturae ſacrae, ſiue proprie, ſiue figurate acceptis, fluit. Interdum namque verba ſcripturae proprie, interdum improprie & figurate accipienda ſunt: vnde nonnulli litteralem ſcripturae ſenſum iterum in *proprium* & *figuratum* diſpeſcere ſolent. Verum, cum verba improprie & figurate iuxta leges hermeneuticas accipienda ſunt, tunc ſenſus, qui ex verbis proprie acceptis reſultat, aut nullus, aut non is eſt, quem ſpiritus ſanctus intendit. Hinc & alii illum ſenſum, qui ex verbis proprie acceptis, quae tamen improprie accipi debebant, fluit, *ſenſum litterae*, non *litteralem*, dicere malunt: reuera autem nullus eſt. Id vero ſua ſponte quilibet intelligit, ſenſum litteralem vnicum tantum eſſe poſſe. Immo, cum generatim vnicus tantum ſit ſcripturae ſacrae ſenſus, proprie & ſtricte ſic dictus, vti ex antea monitis conſtat, multo minus litteralis multiplex eſſe poteſt. Idque etiam ipſa ſermonis natura, indolesque requirit. Nec obſtat, quod verborum phraſiumque, etiam in certa conſtructione poſitarum, variae eſſe poſſint ſignificationes. Ex iis enim vna tantum intenditur, eaque ex praecedentibus & ſequentibus, aliisque principiis hermeneutices, facile intelligitur, ac determinatur. Verſantur equidem nonnulli ex Romanenſibus in ea ſententia, vnius loci varium ſenſum litteralem eſſe poſſe, quos inter & BONFRERIVS eſt, *praeloqu. in totam ſcript. ſacr. c. 20. ſect. 5. p. 77.* quae tamen aliis, eidem eccleſiae addictis, iisque ſanioribus, diſplicet: conf. LVD. ELIAS DV PIN, *diſſert. praelim. ſuper. bibl. lib. 1. cap. 10. p. 275.* add. GLASSII *philol. ſacr. part. 1. l. 2. p. 265. ſeq.* Ceterum, ſi quis non tantum verum & genuinum ſcripturae ſacrae ſenſum teneat, ſed & veritati ita cognitae locum relinquat, vt fides in eo aut incendatur, aut confirmetur, augeaturue, & per fidem homo ad opera quaeuis Deo grata praeſtanda concitetur, tum quidem ſenſus ſcripturae fit ſalutaris, hoc eſt, vis illa & efficacia ſcripturae, fidem ad hominum ſalutem producendi, & confirmandi, augendique, actu ſeſe exſerit. Qui autem veritati cognitae morem non gerunt, vt ſua culpa ſalute, ceu fructu ſcripturae ſacrae, excidunt, ita ſenſus quoque ſcripturae illis eſt minime ſalutaris. Nonnulli hunce ſcripturae ſenſum *carnalem* vocant, quod tamen caute, & cum grano quodam ſalis eſt accipiendum. Diuerſo enim modo ſenſus ſcripturae *carnalis* dici poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Primo quidem, cum quis rationis prauae ductum ſequutus, ſenſum, falſis ſuis ratiociniis conuenientem, ſectatur, & ex ſcriptura ſacra elicere adnititur, eumque in finem cuncta pro lubitu miſcet, peruertit, detorquet. Deinde, cum quis praeiudicata opinione, aut ſectae cuiusdam ſtudio imbutus, vel prauo adfectu abreptus, ſenſum ſuis opinionibus conuenientem ſcripturae ſacrae infert, non autem legitime quaerit. Vtrumque ſenſum, gradu ſaltem prauae diſpoſitionis differentem, recte *carnalem* dici, nemo negauerit. Eiusmodi enim rationis abuſus, cum proteruia inſuper coniunctus; praeiudicatae itidem opiniones, prauique adfectus, cum partium ſtudio, haud vltimum inter opera carnis obtinent locum. Si quis autem verum & genuinum ſenſum teneat, nec tamen veritati cognitae obtemperet, vt adeo cognitio iſta ſterilis, & ſine fructu maneat, non eodem prorſus cum prioribus habendus eſt loco; ſiquidem ſenſus, quem is tenet, in ſe ſpectatus, is ipſe ſit, quem Deus intendit, atque adeo hactenus carnalis dici nequit: etſi nihil obſtet, quo minus intuitu ipſius hominis, vim & efficaciam verbi diuini, eiusmodi obſtaculis, quae a carne originem ſuam ducunt, impedientis, ita vocari queat.

§ XXVI. Neue ulla ratione in interpretatione fallamur, & pro Iunone, quod aiunt, nubem amplectamur, veri & genuini ſenſus obſeruare iuuat criteria. Quae inter primum merito locum tenet, vt nobis conſtet, librum ab eo auctore ſcriptum eſſe, a quo ſcriptus eſſe dicitur. *

* Hoc enim niſi certo conſtet, cuiusuis potius, quam eius, cuius mentem percipere cupis, ſenſum obtinebis. Atque in libris profanis hoc vel maxime in cenſum venire, tanta ſcriptorum ſpuriorum & ſuppoſititiorum multitudo nos minime dubitare ſinit. Ad ſcripturam ſacram autem quod attinet, licet tandem perinde nobis eſſe queat, quis libri cuiusdam ſit auctor ſecundarius, de omnibus etiam ſacri codicis libris hoc certo adſeri nequeat; non exigui tamen momenti quandoque eſſe, ſi & de eo certo nobis conſtet, patet ex iis, quae ad *§. 10.* hac de re diſputauimus: vbi & criticorum, de auctoribus genuinis inueſtigandis, enarrauimus regulas. Notitia praeterea auctoris ſecundarii, cum libri cuiusdam hiſtoriam haud raro ſuppeditet, ad verum & genuinum eius ſenſum eo rectius adſequendum plurimum confert.

§. XXVII. Alterum eſt, verba nec corrupta, nec interpolata eſſe, ſed ita, vt leguntur, ab eo auctore, a quo profecta eſſe dicuntur, etiam reuera profecta eſſe. Vnde ſequitur, eos, qui fontes ſcripturae ſacrae, ſeu linguas originales, quibus conſignata eſt, corruptas adſerunt, nullo modo, nullaue ratione de vero & genuino ſcripturae ſacrae ſenſu certos eſſe poſſe. Ex verbis enim corruptis & interpolatis, aut nullum, aut non eum, quem ſcriptor intendit, haurire ſenſum licet. Quodſi quis autem, ſe ipſius ſcriptoris ſacri, aut ſpiritus ſancti tenere ſenſum, certus eſſe nequit, fruſtra ſcripturam ſacram legit, aut in ea veram ſalutem conſequendi rationem, quaerit: quinimmo latiſſima hoc ipſo ad pyrrhoniſmum panditur via. *

* Variis ex cauſſis contingere poſſe, vt ſcriptum aliquod corrumpatur, criticae artis

artis magiſtri iamdudum monuerunt: legendaque, quae hac de re in compendio tradit CLERICVS, *art. crit. part. III. ſect. I. cap. I. ſeq.* An vero etiam ſacer codex iisdem incommodis, ac reliqui libri, expoſitus fuerit, adeoque & corruptio quaedam in eo admittenda? id quidem eſt, de quo acriter inter viros doctos diſceptari ſolet. Et temporum quidem iniuria, incuriaque hominum, praeſertim librariorum & deſcriptorum, varie eum deprauatum, plurimi adſerunt; agnouitque illud iam ſuo tempore ORIGENES, *comment. in Matthaeum, fol. 381.* & HIERONYMVS, *praefat. in quatuor euangelia.* Hinc fuerunt & ex iis, qui prae reliquis criticae artis periti ſibi viſi ſunt, qui id ſibi datum crediderunt, vt non tantum ex codicum variorum manuſcriptorum, ſed & veterum verſionum collatione, veram lectionem indagandam, textumque, prouti hodie legitur, plurimis in locis corrigendum, ac emendandum cenſerent. Ex ingenti illorum, qui ita ſentiunt, turba, vel LVDOVICVM ſaltem CAPPELLVM laudare iuvat, quippe qui reliquis palmam hocce in argumento praeripuit, in *critica ſacra*, Lutetiae Pariſiorum, anno 1650. edita. Immo, haecce corruptionis & deprauationis incommoda eo minus ſacrum euitare potuiſſe codicem, nonnulli exiſtimant, quo maior olim in eo conſeruando Iudaeorum fuerit negligentia. Ex ipſa hoc conſtare ſcriptura ſacra, quae doceat, librum legis, qui in templo adſeruabatur, & ſeptimo quoque anno legi debebat publice, diu delituiſſe, nec, inuentus cum fuiſſet, ſine admiratione, a rege alioqui pio, Ioſia, fuiſſe lectum, *2. paralip. XXXIV, 15.* Si rex, inquiunt, quem ex lege oportebat eius exemplar habere, quod quotidie lectitaret, nullum habuit, non eſt credibile, vulgo proſtitiſſe eiusmodi libros, emendos aut deſcribendos. Nec credibile eſſe, tempore captiuitatis babylonicae maiorem eos adhibuiſſe curam, vt multos ac emendatos haberent codices; aut cura ſua efficere potuiſſe, quod ſtante republica a viris piis effici non potuerit. Tandem, cum aliquot poſt ſolutam captiuitatem babylonicam ſaecula effluxiſſent, animaduertiſſe Iudaeos, codices non ſatis emendatos circumferri: quaeſitis itaque antiquiſſimis, ſed exiguo numero, maſoram ex iis conflaſſe, & quo pacto codices in poſterum deſcribendi eſſent, conſtituiſſe. Nec tamen maſorethas iſtos alio loco habendos, quam alios criticos; cumque falli, & ipſi errare potuerint, illorum iudicium a quovis homine, artis criticae perito, ſub examen reuocari poſſe. Hunc in modum hac de re diſſerit CLERICVS, *loco* antea *citato, p. 21. ſeq.* Communibus hiſce deprauationis cauſſis & ſpecialem nonnulli addunt; data ſcilicet opera poſt Chriſtum natum Iudaeos codicem ſacrum veteris teſtamenti, in quibusdam locis corrupiſſe, vt chriſtianis tela, quibus contra eos vtebantur, eriperent. Ex ipſis veteris eccleſiae doctoribus, IVSTINVS martyr, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, alii, Iudaeis hoc exprobrant, quos nonnulli deinceps ſequuti ſunt, commemorati a WALTONO, in *adparat. bibl. proleg. VII. §. 2. ſeq.* conf. & MORINVS, in *exercitationibus biblicis, lib. I. cap. 2, 3.* Inter recentiores cumprimis ISAACVS VOSSIVS eamdem acriter ſententiam propugnat: quem hoc nomine reprehendit RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſtam. l. 1. c. 18. & l. 2. c. 4.* qui aeque ac CAPPELLVS, Iudaeos ab hocce crimine abſoluit, quamuis ceteroquin in eo totus ſit, vt aliquid comminiſcatur, quo probet, ſacrum codicem corruptum, deprauatum, mirumque in modum mutilatum eſſe. Ex noſtratibus quoque non deeſſe, qui Iudaeos eiusdem criminis reos agant, obſeruatum viro clariſſimo, IO. CHRISTOPHORO WOLFFIO, *hiſtor. lexic. ebraeor. p. 106.*

Digitized by Google

quamuis rurſus alii eos ab eodem abſolvant: vid. PFEIFFERI *critica ſacra, c. 4. ſect. 2. qu. 4. p. 139. ſeq.* Quod Iudaei in veteris teſtamenti codice, id in noui cumprimis feciſſe haereticos, vt eum corruptionibus, deprauationibusque variis, erroribus ſuis adcommodarent, itidem plurimi contendunt. Fueruntq; omnino ex veteris eccleſiae doctoribus, qui haereticos huius criminis reos agerent, vti EX ORIGENE, *lib. II. contra Celſum, p. 77.* aliisque conſtat. Exempla plurima, quibus hoc probari queat, vt alios nunc mittam, congeſſit GERMON, *de veteribus haereticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus, lib. I. part. I. p. 18. ſeq.* Nec tamen omnibus iure hoc obiici agnoſcit, & contra GERMONIVM probat COVSTANT, in *vindiciis veterum codicum confirmatis, part. II. p. 50. ſq.* Haereticis ſacri codicis corruptoribus etiam ipſos orthodoxos addit, celeberrimi nominis theologus, PFAFFIVS, in *diſſert. de variis N. T. lectionibus, cap. 11. §. 2. p. 192. ſeq.* Hiſce omnibus, quae ad demonſtrandam corruptionem ſacri codicis facere videntur, adhuc addi poteſt, quod de ANASTASIO imperatore VICTOR TVNVNENSIS refert, in *chronico ad annum 506*, eius ſcilicet iuſſu immutata & correcta fuiſſe quatuor euangelia. Verba auctoris ſunt: *Meſſala, viro clariſſimo, conſule, Conſtantinopoli, iubente Anaſtaſio imperatore, ſanctiſſima euangelia, tamquam ab idiotis euangeliſtis compoſita, reprehenduntur & emendantur.* Quod ſane ſi verum eſſet, haud leue dubium circa euangelia, quae hodie legimus, alicui mouere poſſet. Hinc nec ab ANTONIO COLLINO, omnia, quae potuit, ad labefactandam ſcripturae auctoritatem, & diſſenſiones, quae inter theologos circa varia capita intercedunt, exaggerandas, conquirente, praetermittitur, in *tract. de libertate cogitandi, ſect. 2. p. m. 133.* Denique & ad ipſam experientiam prouocant, qui ſacrum codicem corruptum clamitant. Id enim innumeras, quae paſſim a viris doctis congeſtae ſint, teſtari lectiones variantes: immo, quaedam ita comparata loca eſſe, vt, niſi textus corruptio ſtatuatur, nulla inde ſuperſit ſe expediendi ratio.

Haec vero, vt vt non ſine ſpecie quadam dicantur, ſunt tamen plurimi, & quidem noſtratium plerique, qui nondum a ſe impetrare potuerunt, vt codicem ſacrum corruptum fateantur. Nec obſcurum cuiquam eſſe poteſt, quid tandem inde ſequuturum: certe, quid profani homines inde porro colligant, vel COLLINI, quem antea laudauimus, exemplo patet. Non autem quaeſtio eſt de ſingulorum codicum in quibusdam locis corruptione; hanc enim omnes ore vno fatentur, nec negare quisquam, niſi rerum omnium ignarus, poteſt: cum non temere codex aliquis, ſiue manuſcriptus, ſiue typis expreſſus, reperiatur, in quem non ſcribentium aut typothetarum vitio mendum aliquod irrepſerit. Sed id in quaeſtionem venit, an omnes ita in vniuerſum corrupti ſint codices, vt vera lectio plane perierit, & nulla ratio, eam reſtituendi, ſuperſit, aut quam tenemus, extra omnem dubitationem collocandi. Addunt nonnulli, ſi vel maxime in rebus exigui momenti corruptio quaedam admittatur, aut recepta hodie lectio ſuſpecta ſit, integritati tamen & certitudini ſcripturae ſacrae nihil inde decedere: ſiquidem ſufficiat in iis, quae ad fidem vitamque, adeoque & ſalutem conſequendam ſpectant, ſcripturam ita integram eſſe, vt quilibet de vero & genuino eius ſenſu certus eſſe queat. Certe & ex noſtratibus ipſum B. LVTHERVM, in *gloſſa marginali ad 2. Sam. XXIII, 8. 10.* BRENTIVM, in *pſalm. XXXVII, 29.* LVCAM OSIANDRVM, in *1. Sam. XVIII, 19.* aliosque corruptionem quamdam admiſiſſe, nonnullis obſeruatum eſt. Aliis tamen tutius eſſe videtur, nullam prorſus corruptio-

ruptio-

Digitized by Google

corruptionem vniuerſalem concedere. Rationes porro grauiſſimae adſunt, quibus contra vniuerſalem corruptionem, quae proprie loquendo corruptio eſt, pugnatur: quemadmodum & ad rationes antea adlatas ita reſponderi poteſt, vt euincatur, eas vniuerſalem, talemque, quae ſacri codicis integritati obſtet, deprauationem minime probare. Certe, prouidentiae diuinae in ſacri codicis conſeruatione haud obſcura hinc inde ſeſe offerunt veſtigia. Nec credibile, cum, ſumma bonitate ſua ac miſericordia Deus ductus, ſcripturam ſacram hominibus tradiderit, in qua ſola viam ſalutis & quaererent, & inuenire poſſent, *Ioa. V, 39. Luc. XVI, 29.* eumdem permiſſurum fuiſſe, vt, ea corrupta ac deprauata, finem huncce fruſtra, aut certe non ſine magno erroris ac ſeductionis periculo, inde ſperarent. Atque idem ipſe ſeruator confirmat, cum *citius periturum caelum & terram*, ait, *quam aut ἰῶτα ἓν aut μία κεραία ex lege pereat, Matth. V, 18.* Etſi enim praecipue de legis, qua promiſſiones, qua praecepta, impletione loquatur, quod ex *Luc. XVI, 17,* & *XXI, 33.* liquet; per legitimam tamen conſequentiam inde fluit, integram ſemper, & non corruptam ſcripturam ſacram fore: cum ea ſola legis, qua promisſiones, qua praecepta, eorumque, quae Chriſtus ipſe docuit, de quibus Lucas, *cap. XXI, 33.* loquitur, notitiam ſuppeditet.

Expoſitam ſacram ſcripturam iis incommodis fuiſſe, quibus & alii libri obnoxii ſunt, vt librariorum ac deſcriptorum incuria codices quidam corrumperentur, non plane abnuo: id enim variantes lectiones, quas iam olim in ea exſtitiſſe, negari nequit, teſtantur. Inde vero vt vniuerſalis corruptio colligi nequit, ita ob ſingulare Iudaeorum in codice ebraeo conſeruando ſtudium, eum non aeque facile corrumpi potuiſſe, quilibet, qui aequa lance rem ponderauerit, agnoſcet. Nec admittenda, quae de Iudaeorum in illo cuſtodiendo negligentia diſſeruntur. Quae enim *2 chronic. XXXIV, 15.* de codice ſacro ſub Ioſia iterum inuento narrantur, non ita intelligenda ſunt, ac ſi plane amiſſus aut deperditus fuerit codex, qui ceteroquin in ſanctuario adſeruabatur, vt neſcio in quo templi angulo iterum ſit repertus: ſed tantum, quod fuerit neglectus, cum pauci inter ſacerdotes ſcripturae ſacrae haberent rationem, Chilkiae autem in reſtauratione templi occupato, in ipſo ſanctuario, aut alio non incommodo loco ſe obtulerit. Licet autem a ſacerdotibus neglectus eſſet, indeque facile fieri poſſet, vt nec ipſi regi comminationes, quae in eo perſcriptae erant, cognitae eſſent: inde tamen inferre non licet, non alios quoque exſtitiſſe inter Iudaeos, qui ſacri codicis exemplum haberent. Quodſi inſuper comminationes iſtas, quas rex legit, non in pentateucho, ſed aut in Eſaia, aut alio quodam prophetarum, quae quorumdam eſt ſententia, exſtitiſſe dicas, eo minus inde, pentateuchi apud alios nulla exſtitiſſe exempla, inferri poterit. Conferenda, quae hac de re dixi, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. II.* ad *per. II. ſect. 4. §. 26. p. 560.* Babylonicae captiuitatis tempore adflictae equidem valde ac perturbatae erant res Iudaeorum: nec tamen credibile, nullos inter eos fuiſſe viros pios, qui ſacri codicis curam diligenter geſſerint. Certe, qui cogitauerit, quanta Danielis ſubinde captiuitatis huius tempore fuerit auctoritas, quantaue is gentis ſuae amore flagrauerit, non temere eiuſmodi quid ſibi perſuaſerit, praeſertim, cum & eo tempore litterarum ſtudia in gente ebraea vtcumque exculta fuiſſe, non ſine ratione ex *Dan. I, 4.* colligatur. Quae Iudaei de Eſra, ac viris ſynagogae magnae comminiſcuntur, ac ſi praeter alia & maſorae origo ad eos referenda ſit, inter commenta referenda eſſe, lubens largior. Nec tamen a vero

abhorret, operam dediſſe Eſram, vt codices, qui tempore captiuitatis babylonicae corrupti, aut minus adcurate deſcripti erant, ad fidem illorum, qui integri & illibati manſerant, exigerentur, & emendarentur, ſimulque curaſſe, vt adcuratius maiorique inpoſterum cum ſtudio deſcriberentur. Fierique potuit, vt eius exemplo excitati & alii viri, pietate & ſapientia praeſtantes, in ſacrorum codicum integritate conſeruanda operam ſtudiumque collocarent. Ad ipſos autem maſorethas quod attinet, lubens itidem fateor, eos non alio, quam alios criticos habendos loco, valdeque errare, qui eos nullis fuiſſe obnoxios erroribus exiſtimant: immo eo minus illorum, ſi aliae non accedant rationes, ſtandum auctoritate, quod & ipſam, quae hodie exſtat, maſoram variis in locis corruptam ac deprauatam eſſe, viri harum rerum peritiſſimi, IO. BVXTORFFIVS pater, in *Tiberiade, p. 184.* & filius, in *anticritica, p. 502.* largiantur. Cum vero nihiloſecius magnam, immo ſtupendam in codicis ſacri integritate conſeruanda diligentiam adhibuerint, obſtitiſſe hoc, quo minus vniuerſalis quaedam corruptio temere in ſacrum codicem irreperet, nemo forte inficiatus fuerit. Vnde & hac in re, quod ad laborem in ſe ſuſcipiendum viri illi excitati ſint, prouidam diuini Numinis agnoſcere licet curam. Simul tamen inde intelligitur, iudaeos in ſacri codicis, data opera corrupti ſuſpicionem adduci non poſſe. Hoc enim cum ſummo iſto ſtudio, eumdem integrum & illibatum conſeruandi, cumque religione, qua eum fere ad ſuperſtitionem vsque proſequuntur, conciliari nequit: ne dicam, irritum etiam plane iſtum conatum futurum fuiſſe, poſtquam innumeri fere ſcripturae ſacrae codices in chriſtianorum erant manibus, vnde & hodie a plerisque harum rerum peritis ab hocce crimine abſoluuntur. Nec patrum, quos vocant, quemquam hic mouebit auctoritas: cum rationes, quibus ad eiusmodi quid ſuſpicandum inducti ſunt, ad illud euincendum parum idoneas fuiſſe, facile deprehendet, qui eas paullo adcuratius examinauerit. Non aeque ab hocce crimine abſoluendi ſunt haeretici. Licet enim non omnes, qui eius poſtulantur, etiam reuera rei ſint, vt antea iam obſeruauimus, nonnullos tamen reuera eiusmodi quid auſos fuiſſe, negari nequit. Nec tamen fieri potuit, vt omnes in vniuerſum ab iis corrumperentur codices, cum ſemper plurimi penes viros orthodoxos eſſent, qui huic periculo obnoxii non erant. Vnde & ipſe GERMONIVS, cum in *prima parte libri, de veteribus haereticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus*, plurima collegiſſet, quae ad hocce haereticorum facinus exaggerandum pertinent, *parte* tamen *ſecunda, p. 135. ſeq.* non tantum agnoſcit, ſed & ex inſtituto docet: *haereticorum, ſacros codices adulterantium perfidiam, non obeſſe certiſſimae ſacrorum librorum integritati & firmiſſimae auctoritati.* Ex teſtimonio porro VICTORIS TVNVNENSIS, antea memorato, nihil, quod noſtrae obſtet ſententiae, confici poſſe, erudite demonſtrauit vir doctiſſimus, & ex merito nobis iam laudatus, PFAFFIVS, in *diſſert. de euangeliis, ſub Anaſtaſio imperatore non corruptis.* Iungenda, quae de hocce loco etiam diſſerunt MILLIVS, in *prolegom. noui teſtam. n. 1014. p. 95.* & IAC. BASNAGIVS, in *hiſt. eccleſiae, l. 8. c. 2. §. 8.*

Iam ad variantes, quas vocant, lectiones quod attinet, plurimas in veteris pariter ac noui teſtamenti codice dari, nemo, niſi qui ipſi experientiae repugnare velit, negauerit. Nec reprehendendum, quin potius laudandum maxime illorum inſtitutum, qui in iis colligendis ſtudium operamque collocant, quod plurimos ſane feciſſe conſtat; modo caute ac ſobrie ea in re verſentur. Cum vero antea iam monuerimus, nos ſacrum codicem ita corruptum

Digitized by Google

ruptum negare, vt vera eius lectio non amplius ſuperſit, nec reſtitui queat, variantes iſtas noſtro non obſtare aſſerto, palam eſt. Interim illi minime laudandi ſunt, qui variantes citra neceſſitatem & ſine diſcrimine cumulant lectiones, ſimulque aliis, ſacri codicis certitudinem in dubium vocandi, occaſionem hoc ipſo ſuppeditant. Qua de re vir doctiſſimus, qui ſub litteris G. D. T. M. D. graecum nouum teſtamentum anno 1711. Amſtaelodami ſummo ſtudio edidit, recte omnino pronuntiauit: *Doctis quibusdam oborta eſt ſuſpicio, ex criticis poſteriores aliquot fere in hunc finem collegiſſe, & coaceruaſſe lectiones, etiam futiles ſaepe & orthographicas, vt fidem teſtamenti ſuſpectam facerent; vel ſaltem iſtam libertatem obtinerent, ex quocumque codice adſumendi lectionem, quae ipſis, eorumque dogmatibus conueniret quam maxime. Id quod de Socinianis vix dubium. Idem & Curcellaeo a pluribus imputatur, eumque illud in variis locis (Rom. IX, & 1. Ioa. V. aliisque) monſtraſſe.* Sunt equidem, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, qui STEPHANVM CVRCELLAEVM excuſandum cenſent: ſed cum ipſemet in praefatione fateatur, ſe *nonnullas* HENRICI STEPHANI, *aliorumque emendationes ex* CONIECTVRA *intermiſiſſe*, cenſuram auctoris ante laudati non omni deſtitui fundamento, exiſtimo. Eamdem quoque ob cauſſam quorumdam reprehenſionem incurrit MILLIVS, qui omnium, qui hactenus in variantibus noui teſtamenti lectionibus colligendis operam ſtudiumque collocarunt, induſtriam multum ſuperauit. Nec ſua defraudandus eſt laude, ob ſtupendam, quam operi huic impendit, diligentiam: pluſne autem vtilitatis, quam damni ex eo ſperare liceat, non ſine ratione a quibusdam dubitatur: immo, profanis hominibus, etſi inuitum, nec eiusmodi quid cogitantem, arma eum, quibus ſacri codicis integritatem impugnarent, ſuppeditaſſe, nonnulli iudicarunt, qui cenſuras ſuas in hocce opus expediuerint; quos inter DAN. WITHBY eminet, in *examine variantium lectionum Io. Millii;* qui non ſine ratione ſequentia mihi obſeruaſſe viſus eſt: *Habet nonum teſtamentum ex computatione Cl. D. Leusdenii 7959. verſus, voces 4956; ad quas vltra triginta millia variantium lectionum quaeſita & indicata fuiſſe, merito mirandum. Id fidei & auctoritati teſtamenti, vti quidam volunt, & produnt, non poſſe obeſſe, pauci, ſaltem non iurisconſulti, ſibi vix perſuaderi patientur; num. LXXXII. pag. 48.* Rurſus equidem non deeſſe ſcio viros longe doctiſſimos, qui MILLII cauſſam agunt: nec ego is ſum, qui malo conſilio eum tantam in variantibus lectionibus coaceruandis adhibuiſſe induſtriam, exiſtimem: ſed id tamen negari nequit, profanos homines auide talia ad integritatem ſacri codicis labefactandam, adripere; quemadmodum &, quem ſupra iam commemorauimus, COLLINVS, in hocce MILLII labore, quod in rem ſuam vereret, ſibi inueniſſe viſus eſt, *de libertate cogitandi, p. 129. ſeq.* Rectius itaque ſacri codicis & auctoritati, & integritati conſulunt, qui de numero variantium lectionum imminuendo potius, quam augendo ſolliciti ſunt: quod praeter DAN. WITHBY, eruditiſſimus noui teſtamenti, Amſtaelodami, an. 1711. typis exſcripti, editor praeſtitit, qui & *canones criticos, ſecundum quos variantes lectiones noui teſtamenti examinandae, & de iis iudicandum,* ſuppeditauit. Addenda his merito elegans diſſertatio theologi Altdorffini clariſſimi, IO. GVIL. BAIERI, *de variantium lectionum ſcripturae N. T. vſu & abuſu.* Ad exempla, quae a ſecus ſentientibus proferri ſolent, iis vt vniuerſalem ſacri codicis corruptionem probent, vt deſcendamus, noſtri inſtituti non permittit ratio. Reſponderunt ad ea iamdudum alii magno numero, ſpeciatim IO. BVXTORFFIVS, in *anticritica*, quam

CAPPEL-

CAPPELLO oppoſuit: RIVETVS, *iſagog. ad ſcripturam*, *cap. 8.* HOTTINGERVS, in *theſauro philologico l. 1. c. 2.* & ex noſtratibus GLASSIVS, *lib. I. tract. I. & II.* CALOVIVS, *critic. ſacr. diatriba 8.* KORTHOLTVS, *de edition. ſcripturae ſacrae*, *c. 4.*

§. XXVIII. Reliqua autem veri ſenſus criteria, partim in ipſa ſignificatione verborum & phraſium, * partim in conditione, ſtatu, indole, & adfectu loquentis, vel ſcribentis, ** quaerenda ſunt. Atque haec quidem, vt nec in ſcriptis mere humanis contemnenda ſunt, ita in diuinis, ſeu ſcriptura ſacra, momentum longe maximum trahunt. ***

* Merito enim id quisque ſibi voluiſſe creditur, quod verba, ac phraſes in recepta ſua ac vſitata ſignificatione indicant. Ideo namque aliquis loquitur, aut ſcribit, vt ab aliis intelligatur; niſi ridicule ac inepte ſermone abuti velit. Qui autem ita loquitur, vt alii ſenſum eius percipere debeant, eum neceſſe eſt, adhibere verba & ſigna vſitata, ſcilicet iuxta ſermonis, quo vtitur, indolem, loquendi conſuetudinem, & conditionem rerum, de quibus loquitur. Qui enim vult finem, media etiam, quibus is obtineri queat, velle, merito cenſetur.

** Vt ſtatui & conditioni loquentis vel ſcribentis ſermo ſit conueniens, ipſa ratio requirit, vnde non temere aliter rem ſe habere praeſumendum. Ad adfectus autem quod attinet, inter eos & ſermonem tam arctum intercedit vinculum, vt, niſi quis data opera illum diſſimulare velit, fieri aliter fere nequeat, quam, vt per ſermonem ſeſe prodat. Immo, ſi vel maxime diſſimulare adfectum homines in ſermone velint, non tamen ſemper queunt. Ad conditionem loquentis vel ſcribentis illud adhuc pertinet, quod nemo ſibi ipſi contradicere cenſeatur; quippe quod ab homine, ſana ratione praedito, alienum eſt: niſi aliunde conſtet, eum ſententiam ſuam data opera mutaſſe. Vnde inter veri ſenſus criteria & hoc referri ſolet; eum demum ſenſum verum & genuinum eſſe, ex quo nulla fluit contradictio. Quod quidem in ſcriptis diuinis rectiſſime procedit, non aeque in humanis; quod deinceps monebimus.

*** Quis enim tam ſtolidus foret, vt crederet, ſcriptores ſacros voces formulasque loquendi aliter, quam pro loquendi ratione, eo tempore vſitata, eas ſumere debebant, accepiſſe. Ad conditionem autem & ſtatum loquentis vel ſcribentis quod attinet, in ſcriptis humanis hocce criterium non ſemper procedit, cum aliquando fieri queat, vt ex imbecillitate, aut alias ob cauſſas, aliquis, ſui ipſius velut immemor, talia proferat, quae ſtatui & conditioni eius minime conueniunt. Immo, fieri poteſt, vt, qui ceteroquin eruditionis & ſapientiae laude floret, talia tamen proferat, quae a viro ſapiente & erudito non exſpectaſſes. Vnde, ſi quis eum ſenſum, qui eruditionem & ſapientiam auctoris arguit, repugnantibus reliquis criteriis, verum ſenſum eſſe, ſibi perſuaderet, maximopere falleretur. At de ſcriptoribus ſacris longe aliter ſentiendum. A ſpiritu enim ſancto cum ſint concitati, immo eius cum ſequuti ſint ductum, nihil omnino, quod ſtatui & conditioni illorum repugnet, ſcribere potuerunt. Idem & de adfectibus eſt cenſendum, qui in ſacris ſcriptoribus longe fuerunt ſanctiſſimi, puriſſimique. Rectiſſime itaque colligere licet, eum ſenſum, qui errorem in intellectu, aut prauam diſpoſitionem & adfectum in voluntate arguit, minime eſſe genuinum: verum contra, & genuinum eſſe, qui, conſpirantibus praeſertim, aut non repugnantibus prorſus reliquis criteriis, diuinam in intellectu lucem, & ſummam volun-

Digitized by Google

voluntatis puritatem demonſtrat. Eamdem quoque ob cauſſam fieri nulla ratione poteſt, vt ſacri ſcriptores pugnantia ſecum proferant, quod tamen ab hominibus ſibi ſolis relictis, quandoque & a ſapientiſſimis, fieri poteſt. Vnde eum ſenſum, qui contradictionem infert, ſpurium, minusque genuinum eſſe, tutiſſime colligere licet. Solent etiam nonnulli in perſpicuitate, itemque in ipſa rerum veritate, veri ſenſus criterium quaerere. Et ad veritatem quidem quod attinet, cum ſcriptores ſacri nulli erroris aut deceptionis periculo fuerint obnoxii, recte omnino rationes ſubducunt, qui eum ſcripturae ſenſum, in quo error continetur, falſum, ſpuriumque eſſe concludunt, genuinum autem, qui auctorem ab omni errore ac deceptione abſoluit. In humanis contra ſcriptis non aeque hoc procedit, cum nemo mortalium ſit, qui extra omne erroris aut deceptionis periculum conſtitutus cenſeri queat. Res ipſa vero poſtulat, vt in ſcripturae ſacrae ſenſu genuino ac ſpurio diſcernendo caueamus, ne pro falſo ac erroneo aliquid reputemus, quod longe eſt veriſſimum: quod illis contingere ſolet, qui nihil prorſus, niſi quod ratio capere poteſt, in rebus diuinis admittunt. Perſpicuitas in ſe ſpectata, aut nullum, aut infirmum admodum veri ſenſus criterium praebet. Fieri enim omnino poteſt, vt verus ac genuinus ille ſenſus ſit, qui nobis obſcurior videtur: falſus contra, & ſpurius, qui perſpicuitate vel maxime ſe commendat. Vt autem criteria hactenus commemorata vim ſuam plene exſerant, ea coniunctim capienda eſſe, vel me non monente, quilibet intelligit.

§. XXIX. Ad conditionem eius, qui ſcripturam rite interpretari cupit, quod attinet, non tantum iis ingenii, quae ad hoc requiruntur, dotibus eum inſtructum eſſe oportet, ſed linguarum quoque originalium, reliquarumque artium & ſcientiarum, quae aliquid lucis ſcripturae ſacrae dare poſſunt, notitia imbutum, praeiudicatarum praeterea opinionum, quae caliginem menti obfundunt, expertem, cumprimis autem ea voluntatis diſpoſitione praeditum, ne prauis adfectibus occaecatus, a vera & genuina ſpiritus ſancti mente quam longiſſime aberret. *

* De dotibus, quibus ſcripturae interpretem, ex voto munere ſuo functurum, inſtructum eſſe oportet, & quidem tam iis, quae naturae beneficio hominibus obtingunt, quam iis, quae ſtudio & induſtria parantur; maxime vero & iis, quas ſpiritus ſancti gratia piis hominibus confert, multa dici poſſent. Sed haec quidem huius loci non ſunt, & ab iis, qui de ratione ſcripturam interpretandi praecipiunt, ex inſtituto explicantur. Id ſaltem praetermittendum non eſt, etſi quis omnibus iis, quae & natura & induſtria ſuppeditat, abundet, parum tamen ad ſummam rei profecturum, niſi diuina luce a ſpiritu ſancto ſit colluſtratus. Haec etiam ſola ratio eſt, praeiudicatas animo eiiciendi opiniones, prauosque compeſcendi adfectus, qui vel maxime obſtant, quo minus homines, cetera doctiſſimi, ſapientiſſimique, verum ſcripturae ſacrae adſequi queant ſenſum. Idque eſt, quod Petrus apoſtolus nos condocet, quando ſcripturam ſacram *ἰδίας ἐπιλύσεως* eſſe negat, *2. ep. I, 29.* Nimirum ex iis, quae praecedunt, luculenter patet, per *προφητείας γραφῆς*, ſeu, vt *v. 19.* loquitur, *λόγον προφητικόν*, totam ſcripturam ſacram veteris teſtamenti intelligi: quae & vel hoc nomine recte *prophetia* dicitur, quod ad doctrinam de Meſſia, eiusque beneficiis, hominum generi conferendis, ceu ad centrum, & ſummam aliquam cuncta rede-

ant. Haec itaque ſcriptura non eſt *ἰδίας ἐπιλύσεως*, vt quis eam pro lubitu interpretari, ſenſumque rationi ſuae corruptae, aut prauis adfectibus conuenientem, inde eruere queat; ſed ſecundum mentem, ſententiamque ſpiritus ſancti, quae hominibus, doctrinae verae ſummam tenentibus, & diuino ſpiritu inſtructis, ignota non eſt, interpretanda eſt. Rationem addit: *non enim ex voluntate hominis prolata eſt prophetia, ſed a ſpiritu ſancto impulſi, loquuti ſunt ſancti Dei homines, v. 21.* Eadem itaque mente, pura ſcilicet, prauorumque adfectuum immuni, ad ſcripturam rite interpretandam nos accedere oportet, qua ſcriptores ſacri, a ſpiritu ſancto impulſi & concitati, ad eam litteris conſignandam acceſſerunt. Quae, cum ita ſint, fallitur omnino vir quidam doctus, quando in hocce Petri effato non de ſcripturae interpretatione, ſed de promiſſionibus diuinis, in veteri teſtamento populo iudaico datis, quae irritae reddi, atque infirmari nequeant, ſermonem eſſe, contendit. Etenim, cum apoſtolus in eo ſit, vt credentibus in Chriſtum certum fidei fundamentum, cui inniti queant, ſuppeditet, *v. 15.* hinc vero & doctrinae, quam illis praedicauerat, certitudinem adſtruat, *v. 16, 17, 18.* & tum porro ad ſcripturam veteris teſtamenti eosdem abieget, *v. 19.* ſimulque, quo pacto interpretanda ſit, oſtendat, *v. 20.* non de promiſſionibus certo implendis, ſed de ſcripturae ſacrae eum loqui interpretatione, manifeſtum eſt. Nec repugnat, quin potius hanc explicationem confirmat, ſignificatio vocis *ἐπιλύσεις.* Cum enim verbum *λύω*, itemque *ἐπιλύω* proprie ſignificet *ſolvere*, eleganter hoc transfertur ad interpretationem, quae eſt quaedam velut ſolutio, vbi ea, quae verum ſenſum abſconditum tenebant, remouentur atque ſoluuntur. Nec ab vſu ſcripturae alienam eſſe hancce ſignificationem, patet ex *Marc. IV, 34.* & *act. XIX, 39.*

§. XXX. Media hermeneutica * non vnius ſunt generis. Quaedam enim ex natura & indole ſermonis fluunt; ** quaedam autem ex coniecturis ſumuntur. *** Nec tamen haec ſeparanda, ſed potius coniungenda ſunt, aut, ſi coniungi nequeant, ex circumſtantiis omnibus prudenter iudicandum, quodnam prae reliquis obtinere debeat. * Cumprimis autem opera nauanda, vt ad genuinum ſcripturae ſacrae ſcopum, tum generalem, tum ſpecialem, cuncta referantur, & diiudicentur. **

* Hocce nomine ipſum etiam principium, ſeu fundamentum interpretationis comprehendimus, quod hic vel maxime in cenſum venit. Enimuero cum in variis ſcripturae ſacrae locis, praeſertim difficilioribus, in diuerſas ſaepe ſententias interpretes abeant, quisque etiam haud raro rationes quasdam, quibus ſuam ſententiam confirmet, adferat, principio quodam generali hic opus eſt, quod ceu normam ac cynoſuram ſequamur, omnesque aliorum expoſitiones ad illud, ceu ad lapidem Lydium exigamus. Quod, cum omnes facile intelligant, in eo tamen non conueniunt, quodnam hocce principium ſit.

Nonnulli namque ipſi rationi hoc tribuunt, contendentes, nihil ceu verum admittendum eſſe, quod ratio capere nequeat. Cumque ſcriptura ſacra nihil, quod verum non ſit, tradat, eam intrepretandi illam rationem methodumque ſequendam eſſe, inde fluit, qua myſteria omnia, & quidquid ſupra rationem eſt, ex ea eliminantur. Atque hocce principium nonnulli aperte & dire-

& directe, & quidem vbique ſequuntur, alii occulte & indirecte, & ſi non in omnibus locis, ſaltem in quibusdam. Qui in SOCINI caſtris militant, ad priorem claſſem referendos eſſe, conſtat; a quibus etiam ARMINII ſectatores non longe admodum diſcedunt. Data opera etiam hoc egit *exercitationis paradoxae: philoſophia ſcripturae interpres;* auctor, quem LVD. MEYERVM, medicum Amſtaelodamenſem eſſe, ferunt: & cui plurimi ex ipſis reformatae eccleſiae doctoribus ſcripta varia oppoſuerunt. Quantopere autem iſti fallantur, vel inde patet, quod vera & legitima interpretandi ratio requirat, vt quaeramus, quid auctor dixerit, non autem, quid ex noſtra mente dicere debuerit. Perinde itaque in vero & genuino ſenſu eruendo eſſe debet, num rationi hoc conueniat, an non conueniat, modo prius conſtet, quid auctor, quem interpretamur, ſibi voluerit. Idque eo rectius in ſcripturae ſacrae interpretatione requirimus, quod religionem chriſtianam, cuius dogmata continet, myſteriorum non eſſe expertem, immo, expertem eſſe non poſſe, iure meritoque credamus; vti ſupra euictum eſt. Rationi praeterea ſupremum in rebus diuinis iudicium tribuendum non eſſe, deinceps demonſtrabimus, cum de genuino cognoſcendi principio in theologia diſceptabimus. Dum autem negamus, rationem eſſe principium, ſeu fundamentum interpretationis ſcripturae ſacrae, non ſtatim vſum eius organicum reiicimus. Quin immo, quae ratio ſuppeditat, media hermeneutica, ſiue philoſophia, ſiue grammatica, vel ars critica ea ſubminiſtret, in ſcripturae ſacrae quoque interpretatione vſum prorſus egregium habere, lubentes fatemur. Principii ſaltem loco eam neutiquam habendam, contendimus, quippe quod longe rectius, vt mox euincemus, de analogia fidei adſeritur. Neſcio itaque, quid RICH. SIMONI in mentem venerit, dum per eam, quam nos ſequimur, interpretandi ſcripturam rationem, non poſſe non tandem cum Socinianis nos conſentire, contendit, *hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 16. p. 448.* Enimuero, etſi traditionem in ſcripturae interpretatione non magis pro regula admittamus, quam Sociniani, regulas quoque hermeneuticas, quas philoſophia & ars critica ſuppeditat, vſum minime contemnendum habere fateamur: ſimul tamen cuncta ad analogiam fidei, ceu normam & regulam legitimae interpretationis, exigenda, adſerimus. Quo ipſo maximum nos inter & Socinianos intercedere diſcrimen, nemini obſcurum eſſe poteſt.

In alterum rurſus extremum illi procurrunt, qui non rationem, ſed eccleſiae traditionem, patrumque auctoritatem, ceu normam ac cynoſuram legitimae interpretationis ſequendam putant. Et de Iudaeis quidem quibusdam, in kabbala legis explicationem contineri adſerentibus, hoc ſatis notum eſt, & aliis quoque iam pridem obſeruatum: conf. SIMON, *hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 5. p. 372.* Romanae etiam eccleſiae quae hac de re ſententia ſit, ex *ſeſſionis IV. decreto III. concilii Tridentini, p. m. 22.* conſtat: etſi non deſint, qui eam mitigare & emollire quouis modo adnituntur: quod & LVD. ELIAS DV PIN facit, in *diſſert. praeliminari ſuper biblia, l. 1. c. 10. §. 5. p. 283.* Cum vero ipſimet, qui ad traditiones ſcripturae interpretationem exigendam ſtatuunt, nondum inter ſe conueniant, quaenam traditiones pro veris ac genuinis ſint agnoſcendae; immo, traditionibus iſtis nihil infirmius ſit, aut incertius, vt deinceps itidem demonſtrabimus, pro norma & regula interpretandi ſcripturam eas adſumi non poſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Nec eccleſiae huc quidquam facit auctoritas, cum ea potius, num vera ſit, ex dogmatum veritate ſit dignoſcenda: dogmatum autem veritas ex legitima ſcripturae intelligatur interpretatione. Nec alia hic eccleſiae,

cleſiae, veteris praeſertim, quam doctorum eius, quos vocant patres, eſſe poteſt ratio. Horum autem non magni hic momenti auctoritatem eſſe, vel inde intelligitur, quod plerique linguae ebraeae, artisque criticae, aliarumque artium & ſcientiarum, ſine quibus ſcripturae non recte procedit interpretatio, prorſus fuerint ignari: ſubinde etiam in locis obſcurioribus maximopere a ſe diſſentiant; ne dicam, quod myſticum potius, quam litteralem vbique conſectentur ſenſum. Idque ex ipſis Romanae eccleſiae addictis recte agnoſcit LVD. EL. DV PIN, *l. c.* Immo & RICH. SIMON veritatem potius chriſtianae religionis, quam explicationem litteralem ſcripturae ſacrae, in commentariis patrum quaerendam eſſe, diſerte pronuntiat; *hiſtor. crit. V. T. l. 3. c. 8. p. 386.*

Atque haec cum ita ſeſe habeant, non aliud interpretandi ſcripturam principium conſtitui poſſe, facile intelligitur, quam quod ipſe Paulus apoſtolus nobis commendat, *analogiam* ſcilicet *fidei*, *Rom. XII, 7.* Hocce vero nomine conſenſum quemdam atque harmoniam dogmatum, ſcitu credituque ad ſalutem neceſſariorum, quibus vera religio abſoluitur, intelligi, ſupra iam ad *cap. praeced. §. 35.* euicimus: vbi & verba apoſtoli rite explicauimus. Ipſa nimirum ratio omnes condocet, non temere praeſumendum eſſe, ſcriptorem aliquem contra doctrinae iſtius ſyſtema, quod amplexus eſt, aliquid proferre: ſiquidem hoc fieri nequit, niſi aut ſecum ipſe pugnet, aut neſciat plane, quid loquatur, quidue ſcribat, aut data opera veritatem ſupprimere velit. Quare, ſi quis ſcriptorem, quem Platonicae philoſophiae addictum eſſe conſtat, interpretari velit, recte principii loco ponit, nihil illum, quod ſyſtemati Platonicae doctrinae aduerſum ſit, docere, adeoque, ſi locus occurrat, qui eidem aduerſetur, hunc ita explicandum, vt iſta repugnantia euaneſcat. Atque hoc cum in profanis ſcriptoribus ita ſe habeat, multo magis in ſacris procedit. Illi namque, cum homines ſint, a contradictionibus non ſunt immunes, nec ſemper ſibi conſtant: hi autem, cum impulſu & ex inſpiratione ſpiritus ſancti ſcripſerint, numquam eiusmodi quid ſcribere potuerunt, quod harmoniae & conſenſui diuinarum veritatum repugnaret. Quodſi quis dubitet, an eiusmodi harmonia atque ſyſtema diuinarum veritatum detur, illi cogitandum, vno eodemque ſpiritu concitatos ſcriptores ſacros ad ſcribendum acceſſiſſe; vnum praeterea eumdemque omni tempore fuiſſe modum perueniendi ad ſalutem, vt diſerte Petrus teſtatur, *act. XV, 11.* adeoque & vnam veritatis doctrinam: ſed omnia etiam doctrinae huius capita tam indiſſolubili vinculo inter ſe coniuncta eſſe, vt, qui vnum recte intellectum admittit, non poſſit non admittere reliqua, & qui vnum repudiat, non poſſit non & reliqua repudiare. Id quod cum ex iis conſtet, quae ſupra de articulis fundamentalibus diſceptauimus, vt pluribus hoc confirmemus, neceſſe non eſt. Conſenſus autem iſte, atque harmonia diuinarum veritatum, quam *analogiam fidei* vocamus, non aliunde, quam ex ipſa ſcriptura eſt hauriendus. Quod vt rite fiat, in ſcripturae ſacrae lectione diligenter ad ea attendendum, quae ad fidem, viamque adeo ad ſalutem perueniendi, pertinent. De quibus, cum hinc inde luculentiſſima planiſſimaque oracula exſtent, quae nulla aut obſcuritate, aut difficultate laborant, his ita inhaerendum, vt, quae ſalutaris doctrinae ſumma ſit, & quibus abſoluatur partibus, adcurate mente comprehendamus. Qua in re eo magis quilibet confirmabitur, quo diligentius ſcripturam legerit, & quo adcuratius clariſſima illa oracula, quae fidei doctrinam ſine inuolucris exhibent, conſiderauerit. Non itaque eſt, vt in circulum rem omnem abire quis exiſtimet, quando

ſcripturam

Digitized by Google

ſcripturam ſecundum analogiam fidei interpretandam cenſemus, & analogiam fidei rurſus ex ſcriptura hauriendam contendimus. Poſterius enim dum adſerimus, loca ſcripturae clara & euidentia, nullaque laborantia obſcuritate, intelligimus. Prius autem tum demum admittimus, quando ſenſus loci cuiusdam dubius aut obſcurus eiusmodi quid poſtulat. Praeterea circa applicationem huius principii obſeruandum, per remotionem quidem rem recte procedere, ſi ita inferamus: hicce ſenſus analogiae fidei repugnat, ergo verus non eſt. At per adfirmationem non aeque procedit: non enim ſtatim concludere licet: hicce ſenſus analogiae fidei eſt conformis, ergo eſt verus; poteſt enim & alius ſenſus analogiae fidei conformis eſſe. Adhibenda itaque & reliqua veri ſenſus criteria ſunt, antea expoſita; & tum demum tuto inferre licet, huncce ſenſum, qui ex mediis hermeneuticis rite adhibitis reſultat, & fidei inſuper analogiae conformis eſt, verum & genuinum ſenſum eſſe. Si quis autem opiniones, quas animo concepit, praeiudicatas analogiae fidei nomine deſignet, & tum iuxta eam, ſcripturam ſacram interpretari velit, eum in errore verſari grauiſſimo, turpiterque falli, lubentes fatemur. Plura hac de re dixi in *praefatione*, B. GLASSII *philologiae ſacrae* praemiſſa.

** Huc ea omnia pertinent, quae de vocum ſingularum, phraſiumque & loquendi formularum, vera ac genuina ſignificatione eruenda, grammaticorum filii tradere ſolent. Hiſtoriam, antiquitatumque notitiam, magnam hisce ſubinde adfundere lucem, conſtat. Nec negligenda, quae rhetorica cumprimis, ad proprias vocum ſignificationes a figuratis diſcernendas, ſuppeditat. Hinc & inter praecipuas regulas hermeneuticas haec quoque non vltimum locum tenet: a propria verborum ſignificatione non eſt diſcedendum, niſi ſumma & euidens hoc poſtulet neceſſitas, hoc eſt, niſi aliquid ex propria verborum ſignificatione fluat, quod analogiae fidei, & veritati manifeſtae, aperte repugnat. Id ſane res ipſa poſtulat. Propria namque verborum ſignificatio eſt prior figurata, adeoque merito primo loco in cenſum venit: hinc & quilibet, qui loquitur, proprie potius, quam figurate loquutus praeſumitur: praeſertim, cum figuratae loquutiones aut delectationis, aut ornatus cauſſa, aut ex neceſſitate adhibeantur; per proprias etiam loquutiones, clarius & euidentius, certiusque, quam per figuratas, ſenſus exprimatur. Quodſi ergo de re magni momenti agatur, quam citra erroris periculum ſine omni obſcuritate alteri innoteſcere cupimus, vt propriis potius quam figuratis vtamur loquutionibus, par eſt. Quae omnia in ſcripturae ſacrae interpretatione merito in cenſum venire, nemo temere dubitauerit. Non ſine ratione autem addita eſt reſtrictio: niſi aliquid ex propria verborum ſignificatione fluat, quod analogiae fidei, & veritati manifeſtae aperte repugnat. Tum enimuero omnino a propria ſignificatione verborum diſcedendum eſt, niſi viros θεοπνεύστους errores admiſiſſe, aut pugnantia ſecum ſcripſiſſe, adſerere velimus, quod plane abſonum eſſet. An vero analogiae fidei aut veritati manifeſtae aliquid repugnet, ex re ipſa, non ex huius aut illius opinione, aeſtimandum eſt. Manifeſtum quoque eſt, tropum, ſi adſit, aut ex eodem loco, aut aliis detegendum eſſe, quamquam prius, ſi fieri queat, praeferendum ſit; &, ſi poſterius fiat, loci non debeant eſſe peregrini aut alieni, ſed homogenei, & vere paralleli, qui de eadem, de qua quaeritur, re agant. Sed haecce omnia fuſius ediſſeruntur alibi.

*** Huc pertinent regulae iſtae generales, quas philoſophia, & quidem inſtrumentalis, ſpeciatim ea pars, quae hermeneutices nomine venit, ſuppeditat; quaeve naturam & indolem ipſius negotii, prae-

Digitized by Google

terea coniuncta tum origine, tum loco; effectum quoque, itemque adfectum, & conditionem loquentis, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, conſiderare iubent.

* Sunt enim haecce media ita comparata, vt vnum ad difficultatem tollendam non ſemper ſufficiat. Sic, quae grammatici de vera & genuina vocum ſignificatione, ex etymologia, aliisque fontibus inueſtiganda docent, hoc quidem probant, hanc aut illam vocis huius ſignificationem eſſe poſſe: inde autem non ſequitur, quod in loco quodam obſcuro haec ſignificatio neceſſario admittenda ſit; cum ſubinde contingat, vt vox aliqua ex vſu & conſuetudine loquendi longe aliam ſignificationem habeat, quam ex proprietate grammatica, quae eſt ex origine, vt GROTIO recte obſeruatum, *de iure belli & pacis, l. 2. c. 16. §. 2.* Ne ergo fallamur, nihil aliud ſupereſt, quam vt media hermeneutica ita adhibeantur, vt, quod vnum non poteſt, reliqua rite adhibita efficiant.

** Quis generatim ſcripturae ſacrae ſcopus ſeu finis ſit, deinceps dicetur ad *§. 38.* Specialis cuiusque libri innoteſcit, ſi, quae de auctore, de tempore quando vixerit, & reliquis, ad hiſtoriam libri, omnesque eius περιστάσεσι ſpectantibus, ſciri poſſunt, adcurate inueſtigemus. Scopi autem cum generalis, tum ſpecialis cognitio, cum viam nobis ad interiores mentis receſſus quodammodo pandat, ingens hinc ad ſenſum auctoris verum & genuinum pernoſcendum reſultare momentum, nemo dubitauerit.

§. XXXI. Ex auctoritate, qua ſcriptura ſacra pollet, diuina, * fluit etiam auctoritas eius canonica, ſeu normalis: ** quae itidem in ſe ſpectata, partim a veracitate diuina, partim ab ipſa rerum atque vocum inſpiratione; *** relatiue autem, & quoad nos conſiderata, ab interno ſpiritus ſancti teſtimonio, per ipſam ſcripturam ſacram in nobis producto, accedente primitiuae eccleſiae teſtimonio, * dependet.

* Conf. quae ſupra ad *§. XII.* huius capitis dicta ſunt.

** Vt eo rectius, quae de auctoritate canonica ſcripturae ſacrae dicenda ſunt, intelligantur, de voce κανών, cuius frequens hic vſus eſt, obſeruandum, eam ab architectonicae, aliarumque artium mechanicarum magiſtris, deſumtam, regulam, ſeu normam denotare, ad quam cuncta adcurate exigi ſolent, vt v. g. aedificium, iuſta partium omnium ſymmetria conſpicuum, inde exſurgat; vel etiam agri inter illos, qui eorum poſſeſſionem ſibi vindicant, rite diuidantur. Inde ad alias artes ſcientiasque translata, de legibus etiam quibuslibet, deque ordine militari, & aliis, quae regulae cuiusdam ac normae rationem habent, ſubinde vſurpatur. Nec in ſcriptura ſacra infrequens eius vſus eſt. Certam muneris apoſtolici partem, velut menſura ſibi tributam, ea deſignat Paulus, hunc in modum verba faciens: *Nos non gloriabimur de iis, quae menſurae noſtrae non ſunt, ſed ſecundum modum* τοῦ κανόνος, *quem diſtribuit nobis Deus, gloriabimur, nos perueniſſe ad vos etiam vsque.* Et porro: *Nequaquam de iis, quae menſurae noſtrae non ſunt, gloriantes, id eſt, de alienis laboribus, ſed ſperantes fore, vt augeſcente ſide veſtra in vobis amplificemur* κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν *vlterius: i. e. vt in iis regionibus, quae vltra nos ſunt, euangelizem, non vt* ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι *de praeparatis gloriemur, 2. Cor. X, 13, 15, 16.* Atque eodem ſenſu veteres epiſtolas apoſtolicas, quae nobis *catholicarum* nomine notae ſunt, dixere κανονικάς, tamquam miſſas ad omnes eccleſias, quae ad ſcriptoris ſacri canonem pertinebant. Apud eumdem

dem tamen apoſtolum, gentiumque doctorem, Paulum, vox κανὼν ita etiam vſurpatur, vt *regulam doctrinae* denotet, ad quam fides & vita hominum exigenda. *Quicumque*, inquit, τῷ κανόνι ταύτῳ στοιχήσουσιν, *pax erit ſuper eos, & miſericordia, & ſuper Iſraelem Dei, Gal. VI, 16.* Et iterum: *Ad quod peruenimus, incedamus* τῷ αὐτῷ κανόνι, *eadem regula, & idem ſentiamus, Phil. III, 16.* Atque haec etiam apud ſcriptores eccleſiaſticos frequens admodum eſt ſignificatio, quibus aliquando ipſa apoſtolorum doctrina, ſubinde vero & libri diuinitus inſpirati, adeoque veram & genuinam fidei & vitae regulam continentes, *canonis* nomine veniunt. De libris noui teſtamenti auctor *ſynopſeos*, quae inter opera ATHANASII exſtat: τοσαῦτα καὶ τὰ τῆς καινῆς διαθήκης βιβλία, τάγε κανονιζόμενα, καὶ τῆς πίστεως ἡμῶν διονεὶ ἀκροθίνια, καὶ ἄγκυραι καὶ ἐρείσματα: *hi ſunt & tot noui inſtrumenti libri canonici, & fidei noſtrae velut primitiae quaedam, vel certe ancorae & ſuſtentacula, vt pote ab ipſis apoſtolis Chriſti, qui & cum illo conuerſati, & ab eo inſtructi ſunt, conſcripti & expoſiti.* Additque porro, ad horum ἀκολουθίαν καὶ συμφωνίαν innumeros alios ab eccleſiae patribus eſſe elaboratos, qui tamen omnes ſint, τῆς αὐτῆς ἀκολουθίας, *eiusdem normae, tom. II. oper. Athanaſ. p. 61.* Vſu vero etiam obtinuit, vt & de aliis ſcriptis, quae normae cuiusdam, etſi humanae, rationem habuerunt, vſurparetur. Cui enim ignoti ſunt canones, qui *apoſtolici* vulgo dicuntur? nec temere quemquam fugit, decreta & conſtitutiones conciliorum itidem *canonum* inſigniri nomine. Interdum equidem apud veteres illae ſpeciatim conſtitutiones, quae ad mores & diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant, *canones* vocantur, quae autem doctrinae ſacrae determinabant capita, δόγματα: non tamen ſemper hoc obſeruatum fuit, nec tam adcurate, quin vna vox pro alia poſita inueniatur. Sequiori cumprimis aetate inualuit, vt omnia decreta, ſiue dogmata fidei, ſiue caerimonias eccleſiaſticas reſpiciant, *canones* vocarentur, Legenda, quae hac de re obſeruauit GERHARDVS VON MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſtici, p. 11, 13.* Neque tantum ad decreta & conſtitutiones conciliorum denotandas vox haecce adhibita, ſed inde a ſaeculi quarti initio in latiori adhuc ſignificatione vſurpata, vt quidquid in eccleſia permiſſum, vſuque receptum eſſet, ea denotaretur. Indeque factum, vt libri quidam, qui in eccleſia publice praelegebantur, *canonici* dicerentur, etſi inter θεοπνεύστους minime referendi eſſent. Hanc vocis iſtius ſignificationem apud AVGVSTINVM, *de doctrina chriſtiana, l. 2. c. 8.* RABANVM MAVRVM, *de inſtit. cleric. l. 2. c. 53.* aliosque legere licet. Supereſt vero & alia, qua catalogum quemdam, ſeu collectum, & conſtitutum librorum diuinorum corpus denotat. Exſtitiſſe enim in veteri eccleſia, qui ſpurios libros a genuinis diſcernerent, &, quinam ceu genuini & authentici recipiendi eſſent, definirent, adeoque certum canonem conſtituerent, deinceps docebimus. Hoc ſenſu auctor *ſynopſeos*, quae ATHANASIO tribuitur: *tota ſcriptura noſtra diuina* ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία, *finitos, & certo canone comprehenſos libros habet, tom. II. oper. Athanaſ. p. 55.* Hinc & aliquando ἀκανόνιστα βιβλία, *libri non recepti*, ſeu in canonem non relati, canonicis opponuntur. Habet eadem vox & alias adhuc ſignificationes, quas tamen recenſere ſuperuacaneum ducimus, cum ad noſtrum id nihil faciat inſtitutum. Ex hactenus etiam commemoratis illa maxime in cenſum venit, qua certam fidei & vitae regulam ac normam denotat, ad quam omnis alia doctrina, quae de ratione conſequendi ſalutem proponitur, exigenda ſit, atque diiudicanda. Hoc enim ſenſu ſcripturae ſacrae auctoritas canonica ſeu normalis tribuitur. Et merito quidem; cum

cum nihil aliud in rebus ad ſalutem, hinc & ad fidem & vitam ſpectantibus, canonis ac regulae nomen promereatur, quam, quod a Deo ipſo profectum, nulla prorſus ratione homines in errorem inducere poteſt. Simul vero patet, de ſcriptura ſacra, in lingua originali, qua ſcriptores ſacri vſi ſunt, ſpectata, hoc intelligendum eſſe. Etſi enim doctrina ſcripturae, in quacumque lingua proponatur, modo recte proponatur, vi plane diuina polleat, mouendi animos hominum, eosque ad obſequium fidei flectendi; vt tamen regulae ac normae vicem recte ſuſtineat, ipſa quoque verba eius conſideranda ſunt, vt pote quae diuinitus inſpirata, extra omne erroris nos conſtituere poſſunt periculum: quod quidem de ſolo textu originali, non autem de verſione quadam dici poteſt. Quantumuis enim adcurate & ſummo ſtudio verſio quaedam facta ſit, nulla tamen exſtat, quae diuinitus ſit inſpirata, adeoque fidem certam abſque collatione cum textu originali promereatur.

*** Nec enim aliud quid ad fidei ac vitae normam requiritur. Cum enim ἀδύνατον ſit, vt Deus aliquid, quod verum non ſit, reuelare queat, ſequitur, id, quod hoc modo a Deo reuelatum eſt, amplectendum atque ſequendum eſſe. Supereſt ſaltem, vt ſciam, ſcripturam ſacram reuelationem diuinam, viamque ſalutis a Deo monſtratam ita proponere, vt de ea plane certus eſſe queam. Longe autem certiſſimus eſſe poſſum, ſi ſciam, ſcripturam ſacram qua res ipſas, qua verba, a Deo profectam eſſe. Vnde eam pro fidei ac vitae regula ac norma habendam eſſe, non poteſt non conſequi.

**** Loquimur de *fide diuina*, qua canonicam ſcripturae ſacrae auctoritatem credimus, & quae non aliunde, quam ex ſpiritus ſancti interno teſtimonio, per ipſam ſcripturam ſacram in nobis producto, oriri poteſt. Id vero, vt eo rectius capiatur, ſimulque intelligatur, quid eccleſiae veteris huc conferat teſtimonium, obſeruandum, ex ſcriptura ſacra conſtare, eam eo ipſo idiomate, quo a ſacris ſcriptoribus litteris conſignata eſt, diuinitus quoque fuiſſe inſpiratam. Hoc ſupra iam probatum eſt ad §. *10.* huius capitis, cum ibi euinceremus, non tantum qua res, ſed & qua verba ipſa, ſcripturam ſacram diuinitus inſpiratam fuiſſe. Iam, ſi quaeratur, quonam itaque idiomate a ſcriptoribus θεοπνεύστοις litteris conſignata ſit, & vnde hoc nobis conſtet? recte reſpondetur, veteris teſtamenti libros idiomate ebraeo, prout id hodie in codicibus ebraeis exſtat, & noui teſtamenti, idiomate graeco, prouti illud itidem in noui teſtamenti codicibus hodie conſpicitur, conſcriptos eſſe, idque ex veteris eccleſiae nobis conſtare teſtimonio. Quodſi in iuſtae ratiocinationis formam hoc redigatur, maiorem quidem propoſitionem, vtpote ſcripturae ſacrae teſtimoniis ſuperſtructam, ita comparatam eſſe, vt fidem diuinam progignere queat, nemo temere dubitauerit. Adſumtio equidem, cum eccleſiae teſtimonio nitatur, humanam ſaltem producere poteſt fidem. Sed cum iuxta philoſophorum, qui ratiocinandi leges tradunt, ſcita, concluſio in maiori propoſitione contineatur, idque per minorem ſaltem demonſtretur, nullum plane eſt dubium, quin concluſio eiusdem plane cum maiori propoſitione ſit indolis.

Ceterum, per eccleſiae teſtimonium non aliud, quam eius, quae eo tempore, quo ſcriptores ſacri vixerunt, exſtitit, intelligitur. Et iudaica quidem eccleſia, quae a Moſis aetate vsque ad Malachiam fuit, cum Moſis, ceterorumque ſcriptorum θεοπνεύστων autographa viderit, immo ſtudioſiſſime conſeruauerit, ad quae apographa varia magna cura & exquiſita diligentia fuerunt expreſſa; ecquis dubitet, eam teſtimonium de libris hiſce, eorumque lingua originali fide dignum perhibere potuiſſe?

potuiſſe? Accedit, quod non omni prorſus fundamento eorum deſtituatur ſententia, qui ex EPIPHANII teſtimonio, quod in libro *de ponderibus & menſuris c. 4.* exſtat, colligunt, libros, quos eccleſia iudaica pro canonicis, adeoque genuinis habuit, in arca foederis fuiſſe repoſitos, reliquos inde excluſos. Legenda, quae hac de re erudite diſputat IO. HENR. MAIVS, in *diſſert. de libris canonicis, in arca foederis reconditis*, quae inter *ſelectiores* eius *de ſcriptura ſacra* ſecunda eſt, *p. 51. ſeq.* Nec eſt, quod dubitemus, Eſram cum aliis viris, pietatis ac ſanctitatis laude conſpicuis, poſt captiuitatem babylonicam omnem operam nauaſſe, vt libri ſacri, hinc inde forte diſperſi, in vnum colligerentur corpus, ſimulque adeo genuinos a ſpuriis diſcreviſſe, & hac ratione velut canonem quemdam ſcripturae ſacrae conſtituiſſe. Etſi enim non omnia, quae Iudaeorum magiſtri de Eſra, & viris ſynagogae magnae tradunt, admittenda cenſeamus, non omnia tamen etiam promiſcue ſunt reiicienda, vt SIMON facit, in *hiſt. crit. V. T. l. 1. c. 8. p. 52.* & cum eo theologi, vt ſe vocant, Batavi, in *les ſentimens ſur l'hiſtoire critique &c. p. 198.* Eccleſiae vtique iudaicae, qui eo tempore erat, hoc requirebat ſtatus. Cumque Eſra nihil eorum intermiſerit, quae ad eccleſiam reſtituendam & conſeruandam, immo & ad populum erudiendum ſpectabant; quis credat, eum de canone quodam, ſeu collectione librorum ſacrorum, qui pro genuinis agnoſcendi erant, non fuiſſe ſollicitum? Plura hac de re dixi, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. II.* ad *per II. ſect. 6. §. 12. p. 991.* Hoc pacto ergo cum conſtet, veteri eccleſiae iudaicae ignotum non fuiſſe, quo quisque liber idiomate ſcriptus ſit, & quo pacto etiam teſtimonium hac de re perhibuerit, & perhibere potuerit; facile etiam intelligitur, qua ratione ad nos hocce teſtimonium peruenerit. Qui enim poſt Eſrae, & vltimorum prophetarum aetatem viuebant, vt a maioribus ſuis hoc acceperunt, ita non minori cura ac diligentia ad poſteros illud propagabant. Vnde rectiſſime Paulus dicere potuit, Iudaeis quod concredita fuerint τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, *Rom. III, 2.* Quique ſtupendam & incredibilem maſoretharum, in ſacri codicis integritate conſeruanda, diligentiam conſiderauerit, non dubitabit, non minorem gentis huius fuiſſe curam, in traditione maiorum de libris ipſis, quinam genuini ſint, & quonam idiomate ſint ſcripti, conſeruanda ac propaganda. Hinc & de ipſo canone, ſeu, quinam libri ceu genuini ad illum pertineant, eosque omnes eo, quo hodie eos habemus, ſcriptos eſſe idiomate, inter ipſos Iudaeos nullum eſt dubium. Immo & in ipſa eccleſia chriſtiana canonem veteris teſtamenti, prout apud Iudaeos exſtat, in tribus prioribus ſaeculis ad quartum vsque ſine vlla additione receptum fuiſſe, vel ex MELITONIS teſtimonio conſtat, apud EVSEBIVM, *hiſt. eccleſ. l. 4. c. 26.* itemque ex ORIGENE, in *pſalm. I. commentarior.* eius a HVETIO editorum, *tom. I. pag. 41.* Omittuntur equidem apud ORIGENEM duodecim prophetae minores; ſed ſcribentium id factum incuria, vel inde manifeſtum eſt, quia alias ſibi non conſtaret numerus librorum XXII, quem ipſe indicauit etiam *philocal. cap. 3.* id quod & HVETIO, *ad Orig. l. c. p. 9.* recte obſeruatum. Pluribus adhuc id euincere pronum eſſet, niſi praeter multos alios hoc iam feciſſet IAC. BASNAGIVS, in *hiſt. eccleſiae*, gallice ſcripta, *l. 8. c. 9. p. 441.*

Ad nouum teſtamentum quod attinet, cum ipſa iam apoſtolorum aetate haud exiguus fuerit eorum numerus, qui fidem chriſtianam profiterentur, plurima quoque librorum ab iis conſcriptorum conficerentur apographa, qui ea aetate vixerunt, chriſtiano gaudentes nomine, idoneum itidem de libris iſtis, ad auctores pariter & idioma quod attinet, perhibere,

teſtimonium potuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Et, licet inter tot turbas ac vexationes, quibus chriſtiani eo tempore obnoxii fuerunt, facile fieri potuerit, vt autographa quaedam amitterentur; quaedam tamen diu ſatis ſuperfuiſſe, vel ex TERTVLLIANI, ad ea prouocantis, teſtimonio condiſcimus: *Age iam, qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuae, percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſae adhuc cathedrae apoſtolorum ſuis locis praeſident, apud quas ipſae authenticae litterae eorum recitantur, ſonantes vocem, & repraeſentantes faciem vniuſcuiusque. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam &c. de praeſcript. haeret. tom. I. oper. p. m. 245.* Per *authenticas* enim *litteras* eum ipſa apoſtolorum autographa indicare, vel inde manifeſtum eſt, quod in eccleſiis, ad quas ab apoſtolis ſcriptae ſunt, eas ſeruari adſerat. Patet inde ſimul, quanta in ſcriptis apoſtolorum conſeruandis fuerit diligentia: quantumque iſtius aetatis eccleſiae de libris ſacris tribuendum ſit teſtimonio; quod & non minori cura ac ſtudio ad ſequentem aetatem propagatum fuiſſe, vt credamus, par eſt; quae vt itidem hac ratione de auctoribus pariter, ac idiomate librorum noui teſtamenti certa eſſe poterat, ita mox extiterunt, qui eccleſiae iſtius ſententiam litteris conſignatam ad noſtram aetatem transmiſerunt. Exſtant ſane patrum, qui proximis poſt apoſtolos ſaeculis floruerunt, adeoque longe certiſſimi hac de re eſſe potuerunt, luculenta teſtimonia. Et ad quatuor quidem euangelia quod attinet, IRENAEVS ſingulis non tantum, quibus debentur, auctoribus ea tribuit, ſed tempus quoque, quo quodlibet ſcriptum ſit, deſignat, *l. 3. adu. haereſ. cap. 1. p. m. 198.* ex edit. GRABII, vbi & eleganter ea *fundamentum & columnam fidei noſtrae* vocat. Matthaeum equidem ἐν τοῖς ἑβραίοις, τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, *in ebraeis, ipſorum lingua, ſcripturam euangelii edidiſſe*, ſimul adſerit; eamdemque & aliorum veteris eccleſiae quorumdam fuiſſe doctorum ſententiam, ex iis, quae ſupra hac de re diſputauimus, conſtat. Sed, cum nonnulli crederent, euangelium hocce in gratiam Ebraeorum, aeque ac epiſtolam ad Ebraeos, ſcriptum, forte & ſtatim poſt euangelium a Matthaeo graece ſcriptum verſio quaedam eius ebraea conficeretur, facile fieri potuit, vt in eam ſententiam ingrederentur: cui cum alii inſuper repugnent, nondum hoc eiusmodi eſt, vt veteris eccleſiae, de auctoribus librorum noui teſtamenti, & eorum idiomate, teſtimonium inde labefactari queat. IRENAEO autem addimus TERTVLLIANVM, qui *ex apoſtolis*, inquit, *Ioannes & Matthaeus, ex apoſtolicis, Lucas & Marcus fidem nobis inſtaurant; lib. 4. contra Marcion. cap. 2. p. m. 503.* Graeco autem idiomate ſcriptores noui teſtamenti libros ſuos ſcripſiſſe, in libro *de monogamia, p. m. 684.* teſtatur, dum, *ſciamus*, inquit, *plane ſic non eſſe in graeco authentico.* Exſtitiſſe porro iam antiquiſſimis temporibus librorum noui teſtamenti collectionem quamdam, non temere negandum exiſtimo: nec ratione deſtituuntur, qui primum euangelia, deinde & epiſtolas Pauli ac reliquorum apoſtolorum in vnum corpus coactas, contendunt. Obſeruatum etiam nonnullis, euangeliſtarum collectionem εὐαγγελίου, epiſtolarum autem ἀποστολικοῦ nomine veniſſe; eoque ipſum iam IGNATIVM reſpexiſſe putant, hiſce verbis: προσφυγὼν τῷ εὐαγγελίῳ ὡς σαρκὶ Ἰησοῦ, καὶ τοῖς ἀποστόλοις ὡς πρεσβυτερίῳ ἐκκλησίας· καὶ τοὺς προφήτας δὲ ἀγαπῶμεν &c. *confugiens ad euangelium, tamquam ad carnem Ieſu, & ad apoſtolos, velut eccleſiae presbyterium; ſed & prophe-*

prophetas diligamus &c. in *epiſt. ad Philadelph. p. m. 60.* ex edit. ITTIGII. Quam quidem ſententiam ex inſtituto ſibi confirmandam ſumſit MILLIVS, *prolegom. in N. T. num. 199. p. 24.* Quidquid eius ſit, reliquorum noui teſtamenti librorum non minus luculenta apud veteres mentio fit, quam euangeliorum. In canone *octuageſimo quinto* ſiue *vltimo*, eorum, qui apoſtolici dicuntur, noui teſtamenti hunc in modum enumerantur libri: *Sint vobis omnibus, clericis & laicis, libri venerandi & ſancti, noui teſtamenti euangelia quatuor, Matthaei, Marci, Lucae, & Ioannis. Pauli epiſtolae quatuordecim: Petri epiſtolae duae, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudae vna, Clementis epiſtolae duae,* καὶ αἱ διαταγαὶ, *& ordinationes, vobis epiſcopis, per me, Clementem, in octo libris editae, quae non ſunt omnibus divulgandae, propter ea, quae ſunt in iis, myſtica; & actus apoſtolorum.* Notum equidem eſt, canones illos, qui apoſtolorum dicuntur, ab ipſis apoſtolis non fuiſſe profectos, eosq; ceu ſpurios & ſubdititios paſſim, & quidem non ſine ratione, reiici: ſpeciatim & vltimum huncce tum ab aliis, tum & a MILLIO repudiari, in *prolegom. num. 201. p. 24.* Nec tamen nullius plane hocce teſtimonium eſt ponderis, cum ſaltem eccleſiae iſtius aetatis, qua auctor iſte, quicumque demum ſit, vixit, de libris novi teſtamenti ſententia inde intelligatur. Immo eo minus hoc negligendum, quod auctor iſte cum aliis veteris eccleſiae doctoribus plane conſentiat, niſi quod apocalypſin omittat, & Clementis Romani epiſtolas, & alterius Clementis cuiusdam conſtitutiones ſuperaddat: quod tamen non adeo magni momenti eſt. Apocalypſin enim haud dubio non aliam ob cauſſam omiſit, quam quod non omnium eadem de illa eſſet ſententia, licet reuera idoneis deſtituerentur rationibus, qui eam a Ioanne ipſo profectam negabant. Clementina autem quaedam quod adpoſuerit, ideo factum videtur, quod eo tempore inter ea ſcripta referrentur, quorum lectio vtilis eſſet, etſi cum reliquis, ab eodem auctore commemoratis, neutiquam eodem haberentur loco. Illuſtre vero cumprimis, minimeque nobis praetermittendum eſt teſtimonium ORIGENIS, cuius magnam hac in re eſſe auctoritatem, nemo temere negauerit. Refert eius ſententiam EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. l. 6. c. 25.* Et de quatuor quidem euangeliis, ex *libro primo expoſitionum* eius *in euangelium Matthaei*, haec ibi leguntur: *Sicut ex traditione accepi de quatuor euangeliis, quae ſola in vniuerſa Dei eccleſia, quae ſub caelo eſt, citra controverſiam admittuntur. Primum ſcilicet euangelium ſcriptum eſſe a Matthaeo, ſecundum fuiſſe accepimus euangelium Marci, tertium euangelium Lucae, poſtremum vero euangelium Ioannis.* Hinc & de epiſtolis verba eius ex *libro quinto expoſitionum in Ioannem*, ſubiungit: *Is vero, quem Deus idoneum reddidit, qui noui teſtamenti miniſter eſſet, non littera & verbis tenus, ſed ſpiritus ipſius, Paulus ſcilicet, qui ab Hieroſolymis & finitimis locis vsque ad Illyricum euangelium adimpleuit, non omnibus eccleſiis, quas docuerat, ſcripſit; ſed & iis, quibus ſcripſit, paucas admodum lineas exarauit. Petrus autem, cui tamquam fundamento ſuperſtructa eſt eccleſia Chriſti, aduerſus quam nec ipſae inferorum portae praeualiturae ſunt, vnam duntaxat, omnium conſenſu receptam, reliquit epiſtolam. Concedamus vero, & ſecundam eius eſſe: de hac enim ambigitur. Iam vero, quid dicendum eſt de eo, qui in ſinu Chriſti recubuit, Ioanne? Qui quidem vnum reliquit euangelium; tametſi fateatur, tot ſe libros ſcribere potuiſſe, quot nec orbis ipſe terrarum poſſet continere. Scripſit praeterea reuelationem, iuſſus ſilere, nec ſeptem tonitruum voces perſcribere. Scripſit etiam epiſtolam admodum breuem. Sed concedamus, ſi placet, & ſecundam, & tertiam ab eo ſcriptas eſſe. Neque enim, has genuinas*

illius eſſe, omnes conſentiunt. Ambae tamen vix centum verſus continent. Pauli epiſtolas ſpeciatim non enumerat, quod nullum de iis ea aetate eſſet dubium, ſi eam, quae ad Ebraeos eſt, excipias, de qua mox iudicium ſuum ſubiungit. Eamdemque forte ob cauſſam acta apoſtolorum, itemque Iacobi & Iudae epiſtolam, non commemorat. De apocalypſi, quin a Ioanne profecta ſit, non dubitat. Alteram Petri epiſtolam, & duas Ioannis poſteriores non reiicit, etſi de iis dubitatum fuiſſe innuat. De epiſtola vero ad Ebraeos, ſententiam ORIGENIS ex *homiliis*, quas in eamdem epiſtolam conſcripſit, itidem EVSEBIVS ſubiicit, quae huc redit: ſententias quidem ipſas apoſtoli eſſe, dictionem vero, & compoſitionem verborum, eſſe alterius cuiusdam. Satis vero hinc manifeſtum eſt, eosdem libros, quos pro genuinis agnoſcimus, & eccleſiam tempore ORIGENIS pro talibus habuiſſe; niſi, quod de paucis quibusdam a nonnullis fuerit dubitatum. Nec tamen ſine ratione aliis obſeruatum, ORIGENEM, vbi quorumdam γνησιότητα in dubium vocat, ex ſua hoc facere ſententia; alibi autem, vbi publicum eccleſiae iſtius aetatis iudicium ſequitur, eosdem plane libros ceu genuinos recenſere, qui & hodie pro talibus ab omnibus habentur. Etenim, *hom. VII.* in *librum Ioſuae*, ita hac de re loquitur: *Sacerdotali tuba primus in euangelio ſuo Matthaeus increpuit; Marcus quoque, & Lucas, & Ioannes, ſuis ſinguli tubis ſacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epiſtolarum ſuarum perſonuit tubis. Iacobus quoque, & Iudas. Addit nihilominus & Ioannes tuba canere per epiſtolas ſuas & apocalypſin, & Lucas, apoſtolorum geſta deſcribens. Nouiſſime autem ille veniens, qui dixit, puto autem nos Deus nouiſſimos apoſtolos oſtendit, & in quatuordecim epiſtolarum ſuarum fulminans tubis, muros Hiericho, & omnes idololatriae machinas, & philoſophorum dogmata, vsque ad fundamenta deiecit.* Luculentiſſime inde patet, libros noui teſtamenti, quos hodie recipimus, & ea aetate pro genuinis habitos, hoc eſt, pro iis, qui ab auctoribus, quibus tribuuntur, ſcripti ſint, & eo etiam idiomate ab iis ſcriptos, quo ſcripti a nobis creduntur. Nec eſt, quod excipi queat, niſi forte quis dubitare velit, an iſtae in Ioſuam homiliae ORIGENEM auctorem agnoſcant? ſed id quidem ex ſtilo, allegoriis ORIGENI propriis, & peroratione RVFFINI, in *interpretationem commentariorum Origenis ad Romanos*, ſatis manifeſtum eſt, oſtenditurque a HVETIO, *Origenian. lib. 3. cap. 2. ſect. 3. §. 4. p. 246.* Ex ſequentis aetatis, ſeu quarti ſaeculi doctoribus cumprimis commemorare iuuat GREGORIVM NAZIANZENVM, cuius exſtat carmen, περὶ τῶν γνησίων βιβλίων τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, *de veris & germanis ſcripturae libris, tom. II. oper. p. m. 98.* in quo omnes libros noui teſtamenti pro genuinis agnoſcit, quos hodie & nos agnoſcimus, excepta *apocalypſi*, cuius nullam iniicit mentionem, ſine dubio, quod ea adhuc aetate eſſent, qui de ea dubitarent. Magni ceteroquin hocce GREGORII teſtimonium eſt ponderis, eo quod vir eruditus eſſet, qui & in Caeſarienſi, Alexandrina, & Athenienſi ſchola vixerat, cui adeo praecipuarum de libris ſacris ſententia eccleſiarum ignota eſſe non poterat. Eadem aetate & AMPHILOCHIVS vixit, ipſi GREGORIO & BASILIO magno in pretio habitus, quem & HIERONYMVS, in *epiſtola ad Magnum oratorem*, tanti facit, vt dicat, *ſe neſcire, quid in illo primum admirari debeat, eruditionem ſaeculi, an ſcientiam ſcripturarum?* Huius itidem habemus *carmen ad Seleucum, de libris ſcripturae, qui ſunt legendi*, quod in *bibliotheca maxima patrum* exſtat, *tom. V. p. 1076. ſeq.* in quo eadem prorſus ratione libros noui teſtamenti genuinos recenſet, de apocalypſi Ioannis etiam diſerte adſerens, a quibusdam

buſdam eam vt genuinam recipi, reiici autem vt adulterinam ab aliis. Epiſtolam vero ad Ebraeos, citra ambages pro genuina agnoſcit. Nec praetermittendum teſtimonium RVFFINI, quem itidem quarto adhuc floruiſſe ſaeculo, conſtat. Huius enim eſt *expoſitio* illa *in ſymbolum apoſtolorum*, quae & inter HIERONYMI, & inter CYPRIANI quoque opera exſtat, in qua *p. m. 165.* iuxta editionem operum CYPRIANI, quae Amſtaelodami 1700. prodiit, libros noui teſtamenti plane eodem modo recenſet, ac hodie eos recipimus; ita quidem, vt quatuordecim epiſtolas Pauli, duas Petri, Iacobi vnam, vnamque Iudae, & tres Ioannis, vna cum apocalypſi, inter genuinos, & ab eccleſia receptos referat; additque porro: *haec ſunt, quae patres intra canonem concluſerunt, & quibus fidei noſtrae adſertiones conſtare voluerunt.* Quo ipſo non ſuum ſaltem, ſed *patrum*, adeoque & ipſius eccleſiae veteris hac de re iudicium exponit; quemadmodum & antea dixerat: *Et ideo, quae ſunt noui ac veteris inſtrumenti volumina, quae ſecundum* MAIORVM TRADITIONEM *per ipſum ſpiritum ſanctum inſpirata creduntur, & eccleſiis Chriſti tradita, competens videtur in hoc loco euidenti numero,* SICVT EX PATRVM MONVMENTIS ACCEPIMVS, *deſignare.* A canonicis hiſce, atque genuinis, porro RVFFINVS deinde eccleſiaſticos adcurate diſcernit; *Sciendum tamen eſt, quod & alii libri ſunt, qui non canonici, ſed eccleſiaſtici a maioribus adpellati ſunt, &c.* Quae ex RVFFINO attulimus, ipſius etiam ATHANASII teſtimonio confirmari poſſunt. Exſtat *epiſtolae XXXIX.* ſeu *feſtalis*, ab eo ſcriptae fragmentum, *tom. II. operum* eius *p. 38. ſeq.* in quo cum monuiſſet, fuiſſe nonnullos, qui ſcripta apocrypha contexere, eaque ſcripturae diuinitus inſpiratae libris admiſcere auſi ſunt; hinc & ſibi viſum, addit, *ἐκθέσθαι τὰ κανονιζόμενα, καὶ παραδοθέντα, πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία. exponere iure conſtitutos*, ſeu in canonem receptos, *& traditos, creditosque, diuinos eſſe libros.* Vnde haud obſcure colligere licet, quod & RVFFINVS docuit, iam eo tempore certum librorum ſacrorum exſtitiſſe canonem. Recenſet hinc vtriusque teſtamenti libros, & noui quidem teſtamenti plane eos, quos hodie recipimus, ita, vt ſpeciatim alteram epiſtolam Petri, poſteriores duas Ioannis, Iacobi itidem, Iudae, & apocalypſin, inter eos commemoret. Et eadem quoque eſt ſententia auctoris, cuius *ſynopſis ſcripturae* inter opera ATHANASII, *tom. II. p. 55. ſq.* exſtat; qui & ipſe ſatis vetuſtus eſt, etſi doctorum virorum iudicio ipſi Athanaſio ſynopſis haecce tribui nequeat. Immo & CYRILLVS Hieroſolymitanus hiſce ſuffragatur, eodem modo noui teſtamenti canonem recenſens, niſi quod omittat apocalypſin; *catecheſi IV. p. 67.* Mitto nunc PHILASTRII Brixienſis, HIERONYMI, AVGVSTINI teſtimonia, cum ea minus nobis neceſſaria eſſe videantur. Id ſaltem adhuc commemorandum exiſtimo, in quibusdam etiam iſtius aetatis conciliis eadem ratione noui teſtamenti libros recenſeri, qua id factum ab Athanaſio, atque Ruffino. Certe, *canon vltimus*, ſiue *ſexageſimus* concilii Laodiceni plane reſpondet, niſi quod apocalypſis Ioannis omittatur. Reſpondet prorſus etiam, addita Ioannea apocalypſi, *canon XXVII.* conciliorum Carthaginenſium, qui *alias XLVII.* concilii tertii Carthaginenſis vocari ſolet. Laodiceni equidem concilii, quem laudauimus, canon, non in omnibus, quae exſtant, canonum exemplis legitur, tamen in quibusdam, & in Graecorum quoque *nomocanone* habetur: vnde, quamobrem reiiciendus ſit, ratio adparet nulla. Nec me fugiunt, quae de hocce concilio diſputari ſolent: ſed cum noſtrae illa non obſtent ſententiae, ea lubentes praetermittimus.

Quae paullo copioſius hactenus diximus, eo ſpectant, vt oſtenderemus, quo pacto ex veteris eccleſiae teſtimonio, de auctoribus librorum ſacrorum, ſimulque de idiomate, quo vſi ſunt, quodue nunc praecipue in cenſum venit, certiores reddi queamus. Iuuat tamen adhuc quaedam addere, vt, quae de canone ſcripturae, a veteri eccleſia conſtituto, diſputari ſolent, eo rectius intelligi pariter, ac diiudicari queant. Quando itaque primo quaeritur, num canon aliquis ſcripturae ſacrae in veteri eccleſia conſtitutus ſit? id quidem non prorſus negandum cenſemus, modo recte capiatur. Totius enim eccleſiae conſenſu definitum eſſe, quinam libri canonici eſſe debeant, quinam non, numquam probari poteſt. Multo autem minus, eccleſiam veterem hoc ſibi arrogaſſe, vt libro cuidam canonicam aut daret, aut demeret auctoritatem; quippe quam liber aliquis ex diuina inſpiratione, non autem ex conſtitutione eccleſiae habet; hac, de auctore ſaltem ſecundario, & idiomate teſtimonium perhibente. Nec tamen etiam negamus, eccleſiae, librum aliquem pro θεοπνεύστῳ ſeu canonico habentis, teſtimonium, inter argumenta, quae fidem humanam progignunt, haud vltimum tenere locum; ſed cum de fide diuina ſermo eſt, tum quidem illud neutiquam in cenſum venire: immo etiam, cum de fide humana quaeritur, tum demum vi quadam & efficacia ad conuincendum pollere, ſi reliquis argumentis iungatur, contendimus. Canonis itaque huuc in modum factam conſtitutionem exiſtimo; vt in veteri teſtamento ſemper viri quidam ſancti & pii exiſterent, qui iudicio ſuo veros & genuinos libros a reliquis diſcernerent: quod & praecipue Eſra ſibi datum credidit, quem cum aliis eiuſdem aetatis viris ſanctis & piis ea in re ſtudium & operam collocaſſe, non eſt quod dubitemus. Horum iudicium cum & alii ſequerentur, & non alios ſcriptores pro genuinis agnoſcerent, quam, quos illi probaſſent, ſenſim inde canon eccleſiae iudaicae enatus eſt; ex quo conſtaret, quinam libri pro genuinis & θεοπνεύστοις, eo & ſequenti tempore a Iudaeis habiti ſint, & quonam illi ſcripti ſint idiomate. Solent equidem nonnulli ex Romanae eccleſiae doctoribus, canonis conſtitutionem Eſrae, ac ſynagogae magnae viris tribuere, inde vt euincant, eccleſiam omni tempore conſtituere poſſe, quinam libri pro canonicis ſint habendi. Sed vt ſynagoga eiusmodi magna, quam Ebraeorum magiſtri fingunt, nullibi, quam in illorum exſtiit vmquam cerebro; ita, quod publica quadam auctoritate canonem ſcripturae conſtituerit, fruſtra quoque adſeritur. Teſtimonium vero, quod eius temporis eccleſia de libris genuinis perhibuit, & perhibere potuit, ab eccleſia ſequioris aeui, & longe recentioris aetatis, nonniſi ridicule admodum exſpectaueris. Legenda, quae erudite hac de re diſſeruit MAIVS, in *diſſert. de conſignato canone*, quae tertia eſt inter *diſſertationes* eius *quatuor, de ſcriptura ſacra, p. 88. ſeq.* & quae ipſe dixi in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. II.* ad *per. II. ſect. 6. §. 2. p. 991.* Ad noui teſtamenti libros quod attinet, in veteri eccleſia, ad minimum quarto ſaeculo, iam certum canonem obtinuiſſe, ex ATHANASII pariter ac RVFFINI, quae antea attulimus, teſtimoniis, longe eſt manifeſtiſſimum. Immo & EPIPHANII adhuc idem comprobari auctoritate poteſt, qui, *de apoſtolicis haereticis* verba faciens, *illi autem*, inquit, *dictis actis Andreae & Thomae maxima ex parte nituntur, omnino* ἀλλότριοι τοῦ κανόνος τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ ὑπάρχοντες, *alieni a canone eccleſiaſtico, haereſ. LXI.* Immo, iam Origenis aetate certum exſtitiſſe canonem, ex hiſce EVSEBII, de eo loquentis, haud obſcure colligitur verbis: *In primo libro expoſitionum in euangelium Matthaei*, τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα, ECCLESIASTICVM

CANONEM SERVANS, *quatuor dumtaxat euangelia eſſe teſtatur, his verbis: Sicut ex traditione accepi de quatuor euangeliis, quae ſola ſine contradictione in vniuerſa, quae ſub caelo eſt, eccleſia Dei recipiuntur; hiſt. eccleſ. l. 6. c. 25.* Hinc viri docti id ſibi datum crediderunt, vt paullo adcuratius in tempus, quando noui teſtamenti canon conſtitutus eſt, inquirerent; fueruntque, qui contenderent, canonem euangelicum, ſeu, qui quatuor euangelia, vt antea dictum, complectebatur, ante Ioannis euangeliſtae mortem fuiſſe conſtitutum; quippe cuius ipſe collector fuiſſe videatur: poſt mortem vero Ioannis reliquos etiam noui teſtamenti libros in canonem receptos. Legenda, quae diligenter hanc in rem diſſerit IO. ENS, in *bibliotheca ſacra*, ſiue *diatribe, de librorum noui teſtamenti canone*, quae Amſtaelodami anno 1710. prodiit; cumprimis *cap. 5. p. 75. ſeq.* Nec a vero hoc abhorret, modo iterum recte capiatur; apoſtolos ſcilicet ipſos, aeque ac alios, qui eadem aetate vixerunt, de aliorum apoſtolorum ſcriptis teſtimonium, quod genuina eſſent, perhibuiſſe: quod omnium rectiſſime Ioannes, qui inter omnes quam diutiſſime vixit, facere potuit. Ab his cum alii id accepiſſent, in vnum tandem aliquod corpus libri, qui pro genuinis habiti ſunt, collecti, & ita canon aliquis, ſeu collectio ſacrorum librorum exorta eſt. Id vero cum non vnica vice, ſed ſenſim factum ſit, manifeſtum, certum aliquod tempus, aut annum definiri non poſſe. Nec aliter haec conſtitutio capienda, quam quod hac ratione ex teſtimonio hominum fide dignorum, quive certi hac de re eſſe potuerint, conſtiterit, quinam libri genuini eſſent, & quo idiomate fuerint ſcripti. Publica autem eccleſiae auctoritate canonem aliquem conſtitutum, & hac ratione definitum, quinam libri pro diuinitus inſpiratis habendi eſſent, perperam, & ſine fundamento adſeritur: quod, vt alios taceam, ex hiſtoriae eccleſiaſticae fontibus oſtendit BASNAGIVS, in *hiſtoria eccleſiae, l. 8. c. 5. ſeq. p. 429.*

Facile autem intelligitur, per huncce doctorum virorum, de canonis conſtitutione, diſſenſum, diuinam ſacrorum librorum neutiquam labefactari auctoritatem. Id quod contra profanae mentis homines, ſpeciatim COLLINVM, ὡς ἐν παρόδῳ notandum, qui non, quod pueri in faba, hic ſe inueniſſe ſibi viſus eſt. Cum enim GRABII, atque MILLII teſtimonio probaſſet, de tempore conſtituti canonis nihil definiri certo poſſe, ipſum inde ſcripturae canonem incertum reddi, concludit, atque hinc porro libertatem cogitandi, limitibus & legibus deſtitutam, adſtruit, *de libertate cogitandi, p. 126. ſeq.* Verum iſta de tempore conſtituti canonis, controverſia, vt antea obſeruatum, non adeo tanti eſt momenti, vt inde diuina librorum ſacrorum pendeat auctoritas. Quidquid enim de canonis iſtius conſtitutione ſit, ſufficit, quod ex teſtimonio veteris eccleſiae, aliisque argumentis, conſtet, quinam libri genuini ſint, & quo idiomate ſcripti. Diuina enim illorum auctoritas ex aliis argumentis, copioſiſſime ſupra expoſitis conſtat.

XXXII. Diiudicare itaque hinc licet, quinam libri ſint canonici; a quibus apocryphi diſtingui ſolent: qui, licet pro diuinitus inſpiratis habendi non ſint, aliquam tamen in eccleſia obtinuerunt auctoritatem; quare & canonicis ſubinde ſubiungi ſolent. *

* Nihil ſollemnius, quam vt ſcripta quaedam ἀπόκρυφα dicantur, etſi de vocis iſtius origine viri docti inter ſe non conſentiant. Paullo longius petitum, quod nonnulli

nulli autumant, libros quoſdam *apocryphos* vocatos, quod in κρύπτῃ *arcula*, ſiue armario iudaico non fuerint repoſiti; etſi res ipſa, cuius EPIPHANIVS mentionem facit, de *ponder. & menſuris c. 4.* vt ſupra obſeruauimus, non plane reiicienda videatur. Nihil planius, quam vt a verbo ἀποκρύπτειν *occulere, abſcondere*, libri quidam *apocryphi* dicantur, quia ſunt *occulti, abſconditi*, hoc eſt, non ea polleant auctoritate, nec in tam clara luce poſiti ſint, quam alii, qui iis opponuntur. Et hinc facile intelligitur, cur libri quidam, quorum in eccleſia chriſtiana olim vſus aliquis fuit, quiue a canonicis diſtinguuntur, dicantur *apocryphi*. Falluntur enim, qui ideo ſaltem id factum exiſtimant, quod auctores eorum eſſent incerti. Namque & inter canonicos, omnium conſenſu receptos, nonnulli referuntur, de quorum auctoribus certe nihil conſtat. Veteres diſcrimen conſtituere ſolebant inter libros *canonicos*, *eccleſiaſticos*, & *apocryphos*. Tradit hanc diſtinctionem RVFFINVS, per *canonicos* eos intelligens, qui & nobis hoc nomine veniunt; per *eccleſiaſticos* autem eos, qui non quidem canonici erant, ob vtilitatem tamen, quam ex eis haurire licet, in eccleſia legebantur. *Quae omnia*, inquit, *legi quidem in eccleſia voluerunt, non tamen proferri, ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Tum vero de *apocryphis* haec addit: *Ceteras vero ſcripturas apocryphas nominarunt, quas in eccleſiis legi noluerunt; expoſit. in ſymb. apoſt. p. m. 165.* Eodem ſenſu ATHANASIVS, in *fragmento epiſt. 39.* ſeu *feſtalis, tom. II. oper. p. m. 40.* diſcrimen facit inter βιβλία κανονιζόμενα, ἀναγινωσκόμενα, & ἀπόκρυφα. Nimirum inter libros *eccleſiaſticos*, ſiue ἀναγινωσκομένους, referebantur non ſolum ſcripta, quae hodie apocrypha audiunt, verum etiam Hermae *paſtor*, Clementis Romani *epiſtola*, Barnabae *epiſtola*, *canones apoſtolici*, & *conſtitutiones*, quae dicuntur *apoſtolicae*. Apocryphorum autem nomine veniebant iſtiusmodi libri, quos canon ſexageſimus apoſtolorum vocat ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, *falſo inſcriptas impiorum libros;* quales erant *euangelia Thomae apoſtoli; apocrypha quibus vtebantur Manichaei; euangelia apocrypha, quae falſauit Lucianus*, & alia eiuſdem generis. Et huius quidem ordinis libros apocryphos intelligere videtur CYRILLVS Hieroſolymitanus, quando, commemoratis viginti duobus veteris teſtamenti libris canonicis, ſubiicit: πρὸς δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν, *nihil habeto cum apocryphis commune.* Idem &, cum quatuor noui teſtamenti euangelia genuina commemoraſſet, τὰ δὲ λοιπά, inquit, ψευδεπίγραφα καὶ βλαβερὰ τυγχάνει, *cetera falſo inſcripta ſunt, & noxia, catecheſi IV. p. 66.* Hodie autem *apocryphorum* nomine ſubinde vel maxime venire illi ſolent, qui *eccleſiaſtici* olim dicebantur, immo & ſpeciatim illi, qui canonicis in ſacris bibliis iungi ſolent, & a quibusdam *deuterocanonici* adpellantur. Licet autem *eccleſiaſtici* omnes illi dicerentur, qui in eccleſia legebantur, ſpeciatim tamen Ieſu Sirachidae libro nomen hocce haeſit, qui ideo & hodie *eccleſiaſticus* vocari ſolet.

Ad rem ipſam quod attinet, ſi vetus teſtamentum ſpectes, non alios pro canonicis agnoſcimus libros, quam quos eccleſia iudaica olim pro genuinis habuit, quiue in canone Ebraeorum exſtant; reliquos autem omnes, qui his addi ſolent, vt, librum Iudithae, ſapientiae, Tobiae, Sirachidae, Baruchi, primum & ſecundum Maccabaeorum, item fragmenta quaedam Eſtherae & Danielis, hymnum trium puerorum, orationem Aſariae & Manaſſis, multo magis tertium & quartum Eſrae, & tertium Maccabaeorum, pro apocryphis, hoc eſt, non canonicis, habemus. Idque eam praecipue ob rationem, quod in hiſce libris plurima occurrant, quae cum veritate, aliisque diuinae inſpirationis criteriis aperte pugnant.

Digitized by Google

pugnant. Hoc, eundo per ſingulos, exemplis demonſtrare poſſemus, niſi inſtituti ratio hoc prohiberet, & ab aliis iam, praecipue IO. RAYNOLDO, in *cenſura librorum apocryphorum veteris teſtamenti*, hoc factum eſſet abunde. Vt vnicum ſaltem, & quidem ὡς ἐν παρόδῳ commemorem, librum quidem *ſapientiae*, ob multa praeclare & eleganter dicta, lectu digniſſimum lubens fateor. Pro canonico tamen, ſeu diuinitus inſpirato, eum minime habendum, facile intelliget, qui paullo adcuratius eum perlegerit. Et ad auctorem quidem eius quod attinet, etſi non deſint, qui eum Salomoni tribuant, hoc tamen perperam fieri, luculenter tum ab aliis oſtenſum eſt, tum & a me ipſo quoque, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. II.* ad *per. II. ſect. IV. §. 37. p. 647*, item ad *ſect. 7. ſ. 17. p. 1191. ſeq.* Poteſtque id vel inde euinci, quod *cap. XV, 14.* aperte indicatur, Iudaeos a gentibus fuiſſe ſubiugatos; quod certe in tempora Salomonis minime quadrat. Commemorantur enim ibi οἱ ἐχθροὶ τοῦ λαοῦ (τοῦ θεοῦ) δυναστεύοντες, *hoſtes populi* (Dei) *qui illum opprimunt.* Cumque nihiloſecius auctor ſe pro rege Salomone venditet, a fictionis parum decorae imputatione abſolui nequit; cuiusmodi quid profecto ſcriptori θεοπνεύστῳ non conuenit. Dictio porro phalerata, & rhetorum floſculis ad nauſeam vsque exornata, vti a ſtili, quo ſcriptores ſacri vtuntur, ſimplicitate ac maieſtate longiſſime abeſt, ita animum non tam de veritate ſollicitum, quam eloquentiae, etſi fucatae & pictae, laudem quaerentem, arguit: quod eiusmodi eſt, vt a more, & indole, & adfectu ſcriptorum θεοπνεύστων plane abhorreat. Iſtudque ſtudium, rhetorum more cuncta exaggerandi, auctorem eo vsque abripuit, vt veritatem quoque hiſtoricam corrumperet ac deprauaret. Documento eſſe poteſt tenebrarum aegyptiacarum deſcriptio, quae *cap. XVII, 2. & ſeqq.* exſtat. *Cum enim*, inquit, *iniuſtis certum deliberatumque eſſet, populum ſanctum opprimere, vinculis tenebrarum irretiti, & compedibus longiſſimae noctis implicati, tamquam exſules ſub tectis coram aeterna prouidentia iacuerunt. Cumque putarent, peccata ſua latere, & obſcuro obliuionis velamine tegi poſſe, horribiliter diſſipati ſunt, & ſpectris conterriti. Ac ne angulus quidem, in quo erant, poterat eos metu liberare, ſed ſonitus circumfuſus incutiebat eis pauorem, & terribiles laruae occurrebant, quarum conſpectu cohorreſcebant.* Nihil dicam de ampullis verborum, quas facile hic obſeruare licet, ſed huius ſaltem mentionem iniicio, de ſpectris, laruisque horribilibus, ſonitibusque, terrorem Aegyptiis incutientibus, nihil plane commemorare Moſen. Nec eſt quod dicas, auctorem talia forte per traditionem accepiſſe. Nimis enim manifeſtum eſt, eum rhetorum more hic agere, & omnia congerere, vt tenebras iſtas, ceu terribiles nobis ſiſtat. Non aliunde itaque ἰνδάλματα & φάσματα, quam ex ingenii nimis luxuriantis fecunditate, arceſſenda ſunt; etſi ceteroquin inde recte concludatur, doctrinam de ſpectris eo tempore, quo auctor vixit, inter Iudaeos non fuiſſe incognitam. Nec praetermittendum, quod *cap. VIII, 20.* dicit: ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. *cum bonus fuerim, in corpus impollutum intraui.* Non enim ſine ratione nonnullis obſeruatum eſt, haud obſcure auctorem ſi non μετεμψύχωσιν, certe προύπαρξιν animarum inſinuare: ſane, quo pacto cum intima illa corruptione, quae per naturalem generationem ad omnes propagatur, ſeu peccato originali, haecce auctoris verba conciliari queant, videre nequeo. Lubens concedo, Pythagoram non fuiſſe primum doctrinae de μετεμψυχώσει auctorem, ſed eam ab Aegyptiis accepiſſe; nec nego, eam apud varias orientis gentes, ipſos etiam Iudaeos, receptam; inde vero, quod veritati conſentanea ſit, nondum ſequitur. Iudaei enim,

enim, qui hanc ſententiam admiſiſſe dicuntur, eam non a maioribus ſuis, ſed aliis accepere gentibus; adeoque reliquis erroribus ſuis, quibus veram doctrinam contaminarunt, admiſcuerunt. Sed plura non addo; cum exemplo ſaltem quodam demonſtrare animus fuerit, qua ratione canonica libri cuiusdam auctoritas ſit diiudicanda.

Eccleſiae quousque hic in cenſum veniat teſtimonium, ex iis, quae ad theſin praecedentem copioſe diſputauimus, patet. Hoc, ſi probe teneatur, recte eodem, ad noſtram de apocryphis libris ſententiam tuendam, vtemur. Etenim ad vetus teſtamentum quod attinet, poſitum eſt extra omnem controuerſiam, veterem eccleſiam iudaicam non alios libros & pro genuinis, & pro canonicis agnouiſſe, quam qui in Ebraeorum canone exſtant, quosue & nos pro canonicis habemus. Nec in primitiua eccleſia chriſtiana alios pro canonicis habitos, MELITONIS pariter ac ORIGENIS teſtimonio ſupra iam comprobauimus. Liceat tamen hic addere; in eo inter MELITONEM & ORIGENEM diſcrimen aliquod intercedere, quod ille libellum *Eſther* omittat, quem hic diſerte nominat. Interim vterque in numero librorum, quod ſint XXII, conuenit, cum MELITO libellum *Ruth* ſeparet a libro iudicum, quem cum eo coniungit ORIGENES; qui & libros Maccabaeorum extra canonem eſſe, diſerte addit. In canone vltimo concilii Laodiceni itidem viginti duo libri canonici veteris teſtamenti numerantur, interque eos liber *Eſther: Ieremiae* autem, praeter *lamentationes*, adiunguntur liber *Baruch*, & *epiſtola Ieremiae*. Et hac ratione etiam CYRILLVS, *catecheſi IV. p. 61.* ATHANASIVS, in *fragmento epiſtolae feſtalis, tom. II. oper. p. 39.* & auctor *ſynopſeos*, quae ATHANASIO tribuitur, libros veteris teſtamenti recenſent, niſi quod librum *Eſtherae* ex canonicorum numero omittant: librum quoque *ſapientiae, eccleſiaſticum; Iudithae* porro atque *Tobiae*, itemque *Maccabaeorum*, extra canonem eſſe, diſerte pronuntiant. Ex ſequentis aetatis doctoribus nonnulli MELITONEM, alii ORIGENEM ſequuntur: quos inter, cum tantum ratione libri Eſther diſſenſus intercedat, hunc non adeo magni momenti eſſe, quilibet facile intelliget. Fatentur itaque etiam doctiſſimi inter Romanenſes viri, veteris eccleſiae, qua vetus teſtamentum, canonem eumdem fuiſſe cum canone Iudaeorum; adeoque & nobis, quod eamdem ſententiam ſequamur, vitio vertere nequeunt; cum, ſi eccleſiae hic aliqua eſt auctoritas, longe maior veteris erit, quam recentioris; quamquam huius reuera hic nulla ſit; conf. LVD. EL. DV PIN, *diſſert. praeliminari ſuper biblia, tom. I. l. 1. c. 1. §. 4. p. 8.*

De nouo teſtamento cum nulla fere hodie ſit controuerſia, non eſt, vt plura addamus. Dubitatum ſane olim fuit, de altera epiſtola Petri, de poſterioribus duabus Ioannis, deque epiſtola Iacobi & Iudae; porro & de epiſtola ad Ebraeos, cumprimis autem de apocalypſi Ioannis. Hinc & aliquando nonnulli ex hisce in antiquis librorum ſacrorum, quas ſupra exhibuimus, recenſionibus, omittuntur. Vitioque adeo & quibusdam noſtrae eccleſiae doctoribus verti non debuit, quod & ii in illis pro canonicis recipiendis aliquando haeſitauerint. Poſtquam autem cuncta adcuratiori ſtudio diſcuſſa, & explorata ſunt, nullum temere, cur recipi non debeant, ſupereſſe poteſt dubium. Valde autem vero eſt ſimile, Marcionitarum haereſin occaſionem hisce dubitationibus, quae quondam tertii & quarti ſaeculi doctorum mentes occuparunt, dediſſe. Ex TERTVLLIANI enim, *aduerſus Marcionitas* libris, itemque ex EPIPHANIO, *haereſi XLII.* conſtat, Marcionem, & qui eum ſequuti ſunt, praeter paucos alios, non agnouiſſe *epiſtolam Pauli ad Ebraeos, epiſtolas catholicas,*

licas, & *apocalypſin Ioannis.* Quae quidem haereſis, cum ſaeculo ſecundo longe lateque diffuſa eſſet, pluribus occidentalis pariter ac orientalis eccleſiae doctoribus, velut neceſſitas quaedam; de horum librorum, quos ab apoſtolis ſcriptos Marcionitae negabant, auctoritate diſputandi, eſt impoſita. Cumque, vt credere par eſt, non omnes aeque validis argumentis contra Marcionitas pugnarent, fieri vtique potuit, & reuera etiam factum eſt, vt ſaeculo tertio nonnulli ex orthodoxis eccleſiae doctoribus de horum librorum & auctoribus, & auctoritate dubitarent. Quae tamen dubitationes eo minus eorum labefactare auctoritatem poterunt, quod alii rurſus, hisque antiquiores, quorumue adeo teſtimonio plus omnino hic tribuendum, eamdem confirmarent. Nullus ex omnibus iſtis libris fuit, de quo diutius & pertinacius diſputatum, quam *Ioannea apocalypſis*: interim quatuor inſignes ſaeculi ſecundi doctores ipſemet producit EVSEBIVS, qui librum huncce & θεόπνευστον, & a Ioanne ipſo ſcriptum, adeoque canonicum eſſe agnouerunt; Iuſtinum martyrem, Irenaeum, Apollonium, atque Theophilum Antiochenum; *hiſt. eccleſ. l. 4. c. 18, & 24. l. 5. c. 8, & 18.* Quibus cum & plures alii acceſſerunt, tertii quartiue ſaeculi dubitationes non adeo magnum hic trahere momentum, palam eſt. Certe TERTVLLIANVS ita hac de re loquitur, inde haud difficulter vt colligas, communi fere eccleſiae conſenſu ſaeculo ſecundo receptam fuiſſe apocalypſin. *Habemus*, inquit, *Ioannis alumnas eccleſias. Nam etſi apocalypſin eius Marcion reſpuit, ordo tamen epiſcoporum ad originem recenſitus, in Ioannem ſtabit auctorem, lib. IV. contra Marcion. c. 5.* Vbi recte nonnulli monent, non ORIGENEM, ſed *originem* legendum, vt ſenſus ſit: ab omnibus epiſcopis, quotquot fuerant inde a TERTVLLIANI tempore, vsque ad primam *originem*, Ioannem pro apocalypſeos auctore habitum. Pari ratione de epiſtola ad Ebraeos cenſendum. Quae de ea ORIGENIS fuerit ſententia, ſupra expoſuimus, ex EVSEBII *hiſt. eccleſ. l. 6. c. 25.* Cum tamen ipſe ORIGENES ſubiiciat: οὐ γὰρ εἰκῆ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς παύλου αὐτὴν παραδεδώκασι· *non enim praeter rationem priſci viri eam Pauli eſſe tradiderunt*; fuiſſe inde ante eius tempora, liquet, qui non dubitarent, a Paulo hanc epiſtolam ſcriptam, diuinaeque adeo eſſe auctoritatis. Et idem de reliquis quoque libris demonſtrari poſſet, de quorum auctoritate dubitatum fuit, ſi diutius hiſce immorari fas eſſet. Id potius addimus, non ſine ratione quibusdam obſeruatum eſſe, ex iſtis quorumdam dubitationibus colligi non poſſe, hosce libros eo tempore ab eccleſia non fuiſſe receptos, aut in canonem relatos; id enim eos non negaſſe, ſed dubitaſſe ſaltem, an iure in canonem relati fuerint. Quae dubitatio eo minorem adhuc, ad labefactandam librorum iſtorum auctoritatem, vim habet, quo imbecilliores ſunt, quibus ad eam inducti fuerunt: rationes; quod oſtendere pronum eſſet, niſi iam ab aliis hoc factum ſcirem. Legenda, quae adcurate hac de re obſeruat IO. ENS, in *bibliotheca ſacra, ſiue de librorum noui teſtamenti canone, c. 12. diſt. 3. p. 384. ſeq.* vbi rationes, quibus inducti veteres ſunt, ad auctoritatem horum librorum in dubium vocandam, ordine recenſet, & ſub examen reuocat; quemadmodum & *c. 6. diſt. 3. p. 174. ſeq.* haud perfunctorie oſtendit, dubitationes quorumdam tertii quartiue ſaeculi doctorum non obſtare, quo minus eccleſia iſtius aetatis, libros hosce pro canonicis habuerit.

§. XXXIII. Ex eadem etiam auctoritate ſcripturae ſacrae diuina, ceteriſque adfectionibus, antea commemoratis, ſequitur, ſcripturam

 ſacram

ſacram genuinum in theologia eſſe principium cognoſcendi ; ſimulque vnicam fidei & vitae noſtrae regulam atque normam. Si quid enim omnibus hiſce requiſitis non gaudet, id nec pro cognoſcendi principio, nec pro genuina fidei & vitae regula haberi poteſt. Vnde maximopere falluntur, qui aliud cognoſcendi principium praeter ſcripturam ſacram, quae ſola merito hocce ſibi vindicat, comminiſcuntur. *

* Quod per *cognoſcendi principium* nihil aliud, quam vltimam cognitionis noſtrae, in rebus ad ſalutem ſpectantibus, intelligamus cauſſam, nemini obſcurum eſſe poteſt. Manifeſtum quoque eſt, quod eiusmodi principium debeat eſſe certum, euidens, per ſe notum, atque ſufficiens ad ea omnia demonſtranda, quae inde deduci debent. Quodſi ex hisce principii requiſitis vel vnicum deſit, non amplius principii premerebitur nomen; cum, quae certo ad ſalutem conſequendam cognoſcere debeamus, inde deduci nequeant. Vt ergo, quae diximus, rite confirmemus, duo paucis demonſtranda ſunt: ſcripturam ſacram in rebus ad ſalutem ſpectantibus omnibus hisce gaudere requiſitis; praeter ſcripturam ſacram autem nihil omnino nominari poſſe, cui iſta principii requiſita conueniant. Atque ſcripturam quidem ſacram non tantum veram eſſe, ſeu ea vbique tradere, quae veritati ſunt conſentanea ; ſed & certam, ſeu ea id facere ratione, vt nefas, immo ſtolidum plane ſit, vel minimam de iis, quae tradit, animo fouere dubitationem, ex ipſa eius diuina inſpiratione, quam antea adſtruximus, fluit. Non minus etiam antea euictum, eam in iis, quae ad vitam & fidem pertinent, claram eſſe atque perſpicuam. Poteſt etiam per ſe nota dici, dum fides diuina, qua diuina eius auctoritas creditur, ex ſpiritus ſancti teſtimonio per ipſam ſcripturam, legitimamque eius tractationem, in nobis producitur: inter argumenta etiam, quae fidem humanam progignunt, praecipua & pleraque, ex ipſa ſcripturae ſacrae, qua res ipſas in ea propoſitas, qua ſtilum etiam atque loquendi modum, natura ac indole depromuntur. Eam denique ſufficientem eſſe, ſeu omnia ea, quae cognitu ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, continere, itidem ex iis, quae copioſe ſupra hac de re diſputauimus, abunde liquet.

Hinc & in ipſa ſcriptura ſacra ad eam ablegamur, quoties de vera ad vitam atque ſalutem via quaeſtio eſt. *Scripturam* nos *ſcrutari* ipſe ſeruator iubet, cum non ſine ratione Iudaei exiſtimauerint, ſe *in ea vitam aeternam inuenire*, ſiquidem & *illa de Chriſto teſtetur*, *Ioan. V, 39.* de Chriſto, inquam, qui ſolus eſt *via* ad ſalutem, *veritas, & vita*, *Ioan. XIV, 6.* Pari ratione & Paulus Timotheum laudat, ab ineunte aetate ſacras quod didiciſſet litteras, quippe quae poſſint eum σοφίσαι, *erudire ad ſalutem per fidem in Chriſtum Ieſum*, *2. Tim. III, 15.* Fontem ergo vnicum, ſeu principium oſtendit, ex quo cuncta, quae ad ſalutem creditu ſunt neceſſaria, ſint haurienda. Idque porro confirmat, dum ſcripturam *vtilem* eſſe, ideoque ea omnia continere dicit, quae faciant ad διδασκαλίαν, ad ἔλεγχον, ad ἐπανόρθωσιν, ad παιδείαν ἐν δικαιοσύνῃ, *vt homo Dei perfectus ſit, ad omne opus bonum rite praeparatus; v. 16, 17.* conf. *Eſ. VIII, 20. 2. Cor. IV, 6, 2. Petr. I, 19.*

Atque haec cum ita ſe habeant, non poſſunt non magnopere falli, qui aliud cognoſcendi in rebus theologicis principium, adeoque & aliam ad ſalutem viam, quam ſcripturam ſacram, eligunt. Quos inter primo loco nobis notandi ſunt, qui ipſam *rationem* eousque euehunt, in tantum ea abutentes, in quantum plus, quam par erat, illi tribuunt. Quod vt eo rectius conſtet,

Digitized by Google

conſtet, id praecipue obſeruandum, duplicem vocis huius eſſe ſignificationem, quae quidem hic in cenſum veniat. Aut enim ipſe intellectus hominis hoc nomine denotatur, cum facultatibus ſuis ac operationibus; aut axiomata quaedam, ſeu propoſitiones vniuerſales, & ita euidentes, vt de illarum nemo dubitare queat veritate; quae & *principia* vocari ſolent. Idem hoc eſt, ac quod alii dicunt, rationem vel *ſubiectiue* ſpectari poſſe, vel *obiectiue.* Priori itaque modo ſi vox iſta accipiatur, ſimulque, prout re ipſa in hominibus poſt lapſum eſt, conſideretur, in rebus naturalibus, quo nomine & morales pariter ac ciuiles comprehendimus, rationem, etſi imbecillitatibus ac infirmitatibus variis laboret, facileque a recto aberret tramite, non omni tamen vi veritatem cognoſcendi deſtitutam, lubentes fatemur. Quotidiana enim hoc omnes condocet experientia. In rebus autem diuinis, quae πνευματικῶς diiudicandae ſunt, ratio ſibi relicta, caeca eſt, *2. Cor. IV, 4.* obſcurata, tenebriſque inuoluta, *Epheſ. IV, 18. V, 8.* adeo, vt homo ψυχικὸς nihil eorum, quae ſunt ſpiritus Dei, percipere valeat, *1. Cor. II, 14.* Quin immo, cum eiusmodi hominum intellectus prauarum cupiditatum obnoxius ſit dominio, non poteſt non, quod ſpiritus ſanctus de conſilio Dei, homines ad ſalutem perducendi, docet, reiicere, damnare, repudiare, adeo vt mera ſtultitia illi videatur, *1. Cor. II, 14.* Tantum itaque abeſt, vt ratio hoc modo accepta principium cognoſcendi ſit in theologicis, vt eam potius coercendam, atque captiuandam ipſae doceant diuinae litterae; conf. *Rom. VI I, 6, 7. 2. Cor. X, 5.* coll. *Rom. XVI, 26. Coloſſ. II, 8.* Interim vſum rationis, hoc etiam modo acceptae, organicum, nemo ſanae mentis reiecerit; cum ratio, quantumuis caeca & corrupta, maneat tamen ratio, qua homo cognoſcit, iudicat, ratiocinatur; cuius & in omnibus, quae cognoſci poſſunt & debent, ita & in theologicis vſus eſt; ſiquidem ſine ratione, ſeu intellectu, eiusque facultatibus, nihil omnino ſciri & cognoſci poteſt. Quodſi ergo corrigatur, emendetur, lumineque diuino perfundatur, recte etiam, quae ſunt ſpiritus Dei, cognoſcit ac diiudicat; quod fidei, adeoque & ipſius ſalutis primum eſt initium. Si porro per *rationem* intelligantur principia rationis, primo quidem diſpiciendum, an reuera etiam hocce nomen tueantur. Subinde enim contingit, praeſertim in iis, quae ad vitae praxin pertinent, vt homines certas vitae regulas, prauis eorum cupiditatibus reſpondentes, forment, quas perperam pro principiis rationis venditant. Principia vere talia aut *formalia* ſunt, vt in ſcholis loqui ſolent, aut *materialia.* Priora, cum ad formam modumque rite argumentandi ſpectent, non poſſunt non, vt in aliis ſcientiis, ita & in theologia quotidie vſurpari. Nulla enim ſine illis probatio, nulla demonſtratio rite procederet. Sed cum obiectum, in quo principia illa vim ſuam exſerant, aliunde accedere debeat, manifeſtum eſt, quod & iſta, cum de principio cognoſcendi, hoc eſt, tali quaeritur, in quo omnes concluſiones contineantur, in cenſum non veniant. Materialia principia pro partium, quae philoſophiam conſtituunt, varietate, varia ſunt, aliaque ad theologiam naturalem, ad phyſicam alia, alia denique ad philoſophiam practicam pertinent. Ex quibus cum prima hic maxime locum inueniant, de omnibus tamen obſeruandum, quod ſuis circumſcribantur limitibus, quos excedere nequeunt. Formantur enim iſta principia ex ideis claris & perſpicuis, quas rerum conſideratio nobis ſuppeditat. Vbi ergo obiectum intellectus vim ſuperat, nullae exſiſtunt ideae, ex quibus principia progignantur. Huiusmodi autem plurima ſunt ex iis, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria. De modo enim reconciliandi homi-

Digitized by Google

homines lapſos cum Deo, & dogmatibus connexis, Chriſto θεανθρώπῳ, myſterioque trinitatis, ratio nihil cognoſcit. Sunt haec, vt reliqua myſteria, longiſſime ſupra eius ſphaeram poſita. Cum tamen ad ſalutem ſint neceſſaria, manifeſtum eſt, rationem non omnia cognoſcere, quae ad huncce finem conſequendum pertinent; eiusque principia, licet in ſuo genere ſint veriſſima, non tamen eousque pertingere, quousque nos theologia ducit; adeoque principii cognoſcendi vicem in rebus theologicis ſuſtinere non poſſe. Id vero dum negamus, non omnem prorſus rationis vſum reiicimus, vt ex hactenus dictis patet; quod & copioſius B. MVSAEVS noſter oſtendit, *de vſu principiorum rationis &c. l. 2. c. 2. p. 204. ſeq.* Iungenda & quae dixi in *inſtitution. theol. mor. part. I. cap. I. ſect. 2. §. 21. ſeq. p. 68. ſeq.*

Audiendi porro nec illi ſunt, qui in rebus ad fidem ac vitam ſpectantibus, ad revelationes, immediate a Deo profectas, recurrunt. Enimuero, reuelationes iſtae aut *particulares* ſunt, quae quibusdam ſaltem obtingunt hominibus, aut *vniuerſales*, quarum omnes ac ſinguli participes fieri poſſunt. Particulares hic in cenſum non veniunt, cum principium cognoſcendi ita comparatum eſſe debeat, vt omnibus ac ſingulis hominibus via ad ſalutem conſequendam per illud oſtendatur. Si ergo non aliud principium cognoſcendi daretur, quam talis reuelatio, ſequeretur, non alios quoque homines, quam illos, quibus ea obtingeret, de ratione ad ſalutem perueniendi certos eſſe poſſe; quod plane abſonum foret. Praeterea, licet in veteri teſtamento, & circa initium noui, quibusdam eiusmodi reuelationes obtigerint, quae ad ſalutis viam, quam ſacrae litterae monſtrant, confirmandam, aut magis illuſtrandam & explicandam pertinent; poſt clauſum tamen noui teſtamenti canonem eiusmodi quid non amplius exſpectandum eſſe, luculenter, ni fallor, & rationibus firmiſſimis ſupra ad §. 8. huius capitis demonſtrauimus. Quod ſi vniuerſalem quis reuelationem intelligat, quae omnibus hominibus obtingat, aut obtingere queat, niſi impedimentum ipſi adferant, quorſum illi tendunt, qui *lumen* aliquod *internum*, omnibus inſitum, aut *verbum* aliquod, vel *adloquium internum*, ſtatuunt: tum quidem euincendum prius eſt, eiusmodi *lumen*, a dictamine conſcientiae diuerſum, aut *verbum internum* dari. Fruſtra vero iſtud adſeri, ſupra itidem ad *cap. I. §. 15.* euicimus. Repugnant praeterea ſcripturae effata, quae antea attulimus, quaeue ad ipſam ſcripturam nos ablegant. Cumque ſufficienter in ea omnia, quae ad fidem & vitam pertinent, contineantur, non eſt, vt a reuelatione, tot illuſionibus inſuper obnoxia, ea exſpectemus. Paucis: reuelationes iſtae aut idem continent, quod ſcriptura ſacra docet, aut diuerſum quid. Si illud ſit, iis opus non eſt, cum longe tutius ex ſcriptura iſta hauriantur, quam ex reuelatione quadam. Sin poſterius, vel hoc nomine ſtatim ceu ſpuriae reiiciendae ſunt; cum Paulus etiam *angelum, qui aliud euangelium praedicauerit, quam quod ipſe praedicauit*, quodue in ſcriptura ſacra nobis exhibetur, *anathema eſſe* iubeat; *Gal. I, 8.*

Sed & iſti a recto hic aberrant tramite, qui *traditiones*, quas vocant, & quidem ἀγράφους, pro cognoſcendi principio nobis obtrudunt, aut ſaltem ſcripturae ſacrae adiungunt, &, vt concilii Tridentini patribus loqui placuit, *pari pietatis adfectu ac reuerentia ſuſcipiendas ac venerandas* contendunt, *ſeſſ. IV. decret. I. p. m. 28.* Cum enim illi Tridentini doctores de traditionibus loquantur, *tum ad fidem, tum ad mores ſpectantibus*, iisque *vel oretenus a Chriſto, vel a ſpiritu ſancto dictatis, & continua ſucceſſione in eccleſia catholica conſeruatis*; oſtendere quoque debuiſſent, quaenam iſtae tradi-

traditiones ſint? vnde nobis conſtet, eas oretenus vel a Chriſto, vel a ſpiritu ſancto dictatas? qua ratione continua ſucceſſione in eccleſia aut propagatae ſint, aut propagari potuerint? cumque facile fieri queat, vt ſpuriae traditiones iis, quae pro genuinis venditantur, admiſceantur, quae ratio ſit, has ab illis diſcernendi? Haec autem omnia cum ita comparata ſint, vt nihil ſolidi ad ea reſponderi queat, ſimulq; euincant, traditiones non poſſe non longe eſſe incertiſſimas, magnopere deciperet ſe ipſum, qui eas pro cognoſcendi principio adſumere vellet. Quod enim BOSSVETVS, in *expoſitione Condomienſi*, *cap. 18.* dicit, eam traditionem apoſtolicam eſſe, cuius certa adſignari origo nequeat; plane ludicrum eſt. Multa enim mendacia, multiue circumferuntur errores, quorum nos plane origo latet. Nec adiungi traditiones ſcripturae ſacrae poſſunt, niſi hanc ſimul imperfectionis ac obſcuritatis arguere velis: quod, vt traditionum defenſores ſibi religioni non ducunt, ita ſimul, quam abiecte de ſcriptura ſacra ſentiant, ſignificant. Immo, dum ſcripturae ſacrae auctoritati, in gratiam traditionum, quantum poſſunt, detrahunt, nec tamen traditiones ſuas in tuto collocare queunt, nihil aliud agunt, quam vt ipſam religionis chriſtianae veritatem profanorum hominum ludibrio exponant. Recte id obſeruatum BAELIO, in *dictionario hiſt. crit. tom. II. p. 2223.* De PETRO enim NICOLLIO ibi verba facit, qui in quibuſdam libellis, gallico idiomate ſcriptis, id omni conatu agit, vt euincat, non poſſe quemquam ex ſcripturae ſacrae lectione certam ad ſalutem inuenire viam. At cum traditio profecto longe adhuc incertior ſit, quid aliud inde ſequitur, quam certam prorſus non dari ſalutem conſequendi rationem? Rectam hanc ad pyrrhoniſmum viam eſſe, non ſine fundamento, inde concludit BAELIVS. Noſtram porro ſententiam ſcripturae dicta, antea iam adlata, confirmant, quae ad ſolam nos ablegant ſcripturam: quae &, cum pleniſſime tradat, quae ad fidem vitamque ſcitu neceſſaria ſunt, ecquid opus eſt traditionibus? Cum nondum litteris conſignata eſſent, quae ad hominum faciunt ſalutem, traditionibus vtique, ore propagandis, locus erat; quas cur hodie in tanta ſcripturae ſacrae luce admittere debeamus, ne minima quidem adparet ratio. Cum autem apoſtoli, quae litteris conſignabant, viua etiam voce praedicarent; & vice verſa, quae viua voce praedicabant, etiam litteris conſignarent, recte Paulus Theſſalonicenſes adhortari potuit, vt tenerent παραδόσεις, *traditiones*, quas εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς edocti eſſent, *2. Theſſal. II, 15.* Et eiuſmodi quoque traditiones ἐγγράφους, ſiue, quibus ea confirmantur, quae iam in ſcriptura ſacra exſtant, veteris eccleſiae doctores intellexerunt, quando ſubinde ad eas prouocarunt; qua de re deinceps plura.

Vt de conſenſu doctorum veteris eccleſiae, quos *patres* vocant, deque *eccleſiae auctoritate* aliquid addamus, neceſſe non eſt, cum ex hactenus dictis haec quoque facile diiudicari queant. Eccleſia enim, ad cuius auctoritatem aliquando prouocare ſolent, non alia, quam viſibilis, ſeu externa intelligi poteſt. Haec autem, vti erroris periculo, vel experientia teſte, eſt obnoxia, ita in multas eccleſias particulares eſt diſperſa: quae vt dogmatibus opinionibusque nimium quantum ab ſe inuicem diſcrepant, ita non aliunde, quam ex ipſa ſcriptura ſacra, quaenam aut vera ſit, aut ad veritatem proxime accedat, diiudicamus. Verae enim eccleſiae non alios eſſe characteres, quam doctrinae ſacrae puritatem, & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem, ſuo loco demonſtrabitur. Vocatur equidem eccleſia *columna & ſtabilimentum veritatis, 1. Tim. III, 15.* ſed paſſiue, vt dudum viris doctis obſeruatum, hoc eſt, quod veritati caeleſti ceu baſi ſit ſuperſtructa,

ſtructa, vt Paulus ipſe hoc explicat, *Epheſ. II, 20.* Patrum vero, quos vocant, eorum praecipue, qui quinque ſaeculis prioribus vixerunt, auctoritas, eo minus pro cognoſcendi principio adſumi poteſt, quo certius eſt, eiusmodi conſenſum fruſtra in omnibus fidei capitibus iactitari, quoue apertius conſtat, nullum temere veteris eccleſiae eſſe doctorem, in quo non errores grauiſſimos notare liceat.

Ex eo vero, quod ſcriptura ſacra eſt cognoſcendi in rebus diuinis vnicum principium, ſequitur etiam, eam vnicam eſſe fidei atque vitae normam. Quod, qui ſerio credit, non ore tantum profiteri, ſed vita ipſa moribusque teſtari debet. Sunt namque plurimi, qui hac in re nobiscum plane ſe conſentire autumant, ſemperque in ore habent, ſcripturam vnicum eſſe cognoſcendi principium, vnicam fidei ac vitae regulam. At, ſi paullo adcuratius, quo pacto ipſimet vitam inſtituant, diſpicias, non ſcripturam, immo ſubinde ne rationem quidem rectam, ſed adfectus, prauasque cupiditates, exempla aliorum, conſuetudinem receptam, ceu vitae normam, regulamque eos ſequi, deprehendes. Quo ipſo ſatis declarant, ſe aut neſcire, quid dicant, credantue, aut minime ex animi ſententia loqui, quando ſcripturam ſe pro fidei vitaeque regula habere contendunt; turpiſſimaeque adeo hypocriſeos iure meritoque reos agi.

§. XXXIV. Sequitur hinc etiam, quod ad hancce normam ac regulam controuerſiae fidei exigi ac diiudicari debeant. Supremus nimirum eiusmodi controuerſiarum iudex eſt ipſe ſpiritus ſanctus, qui per ſcripturam ſacram nos verum a falſo diſcernere condocet. * Adplicatio autem ſententiae a iudice hoc pronuntiatae ad quaeſtionem ſpecialem, ab omnibus quidem chriſtianis, praecipue tamen ab eccleſiae doctoribus fieri poteſt, ac debet. **

* Spiritus enim ſanctus eſt, qui per ſcripturam ſacram loquitur, dum ipſemet eam inſpirauit; quiue adeo, accedente legitima adplicatione, homines de veritate convincit, reluctantes autem per internum conſcientiae teſtimonium redarguit, etſi plurimi eius vim impediant, efficiantque ipſimet, ne illud ſentiant. Hic nimirum eſt, qui *ἐλέγχει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, Io. XVI, 8.* quiue *nos ducit in omnem veritatem, v. 13.* Vnde & apoſtoli, in concilio Hieroſolymitano congregati, dicunt: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, act. XV, 28.* Iisdem itaque rationibus, & ſcripturae dictis, quibus antea probauimus, ſcripturam ſacram vnicum eſſe cognoſcendi principium, demonſtrari etiam poteſt, ſolum ſpiritum ſanctum, ſupremum eſſe in controverſiis theologicis iudicem. Luculenta cumprimis ſunt verba Eſaiae vatis, *c. VIII, 19, 20.* Reprehendit enim primo eos, qui pythonas atque hariolos conſulebant, tum verum in rebus dubiis iudicem deſignans; *nonne*, inquit, *populus Deum ſuum conſulturus eſt? pro viuentibus mortuos* (*conſulat?*) Tum & vocem iudicis, ſcripturam ſacram indicat: *legem & teſtimonium* (*conſulant*) *&c.* Intelligendum autem hoc eſt de rebus ad fidem ac vitam ſpectantibus. De verborum enim ſignificationibus, & aliis rebus friuolis ac inanibus, quoties theologi diſceptant, quod haud adeo infrequens eſt, iudicium ſpiritus ſancti exſpectare velle, abſonum non minus, quam impium eſt; aut, ſi omnino exſpectare velint, iampridem a Paulo apoſtolo ſententiam pronuntiatam ſciant: *Si quis diuerſam docet doctrinam, neque accedit ſermonibus*

Digitized by Google

nibus domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quae ſecundum pietatem eſt, doctrinae, is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quaeſtiones ac pugnas de verbis, ex quibus inuidia &c. 1. Tim. VI, 3. 4. De re autem, momentum aliquod trahente, & ad vitam recte inſtituendam, fidemque pertinente, ſi dubium aliquod ſuboriatur, tolli illud omnino poteſt, ſi modo adplicatio ſcripturae recte inſtituatur. Quod enim controverſiae theologicae in infinitum trahantur, & pars vtraque diſſentientium penes ſe ſtare veritatem pertendat, etſi alterutram errare neceſſe ſit; non ex defectu iudicis, aut ſententiae ab eo prolatae, ſed litigantium oritur pertinacia, qui prauis adfectibus, praeiudicatis opinionibus, aliisque cauſſis praepediti, veritatem aut non agnoſcunt, aut non admittunt, aut ſe victos fateri nolunt. Quae cum ita ſe habeant, viſibili quodam controuerſiarum iudice opus non eſſe, intelligitur. Et, cur diſputemus, num eodem opus ſit? cum nuſlibi terrarum eiusmodi detur, nec a Deo conſtitutus ſit. Talis enim, ſi intelligatur, qui ſcripturam ad quaeſtiones ſubortas adplicat, ſimul tamen, ſi non recte adplicet, erroris periculo eſt obnoxius, quilibet eccleſiae doctor, immo, quilibet chriſtianus, iudex vocari poterit. Sin talis, cui a Deo conceſſum ſit, adplicationem ita inſtituere, vt extra omne erroris ac deceptionis periculum conſtitutus ſit; demonſtrandum eſt, quisnam ille ſit, & quod a Deo ipſi eiusmodi quid ſit conceſſum. Num forte Romanus pontifex erit? At, vbinam exſtat infallibilitatis, qua gaudeat, priuilegium? Errauit Petrus ipſe, quem pro primo, fruſtra licet, Romanae eccleſiae venditant epiſcopo, *Galat. II, 11.* Errarunt plurimi ex Romanis epiſcopis, &, vel ipſis non diffitentibus Romanenſibus, in grauiſſimas prolapſi ſunt haereſes. Primorum etiam ſaeculorum eccleſia numquam credidit, Romanos praeſules extra erroris poſitos eſſe periculum; vt alibi ex inſtituto demonſtratur. Et qui nobis perſuadebunt, Romanum pontificem eſſe iudicem controuerſiarum, falli neſcium? cum in ipſa Romana eccleſia plurimi ſint, qui hoc diſerte negent; vti vel ex iis, quae noſtra aetate de bulla Clementis XI. *vnigenitus* diſputata ſunt, & adhuc diſputantur, abunde liquet.

** Cum quilibet *iuſtus ſua fide viuat, Habac. II, 4. Rom. I, 17.* certus etiam eſſe debet, vtrum veritatem teneat, ne pro Iunone nubem, pro theſauro carbones, amplectatur. At, qui certus eſſe poteſt ſine examine, ſine exploratione? praeſertim ſi quaeſtiones in vtramque agitentur partem. Hinc & ad omnes homines, ſalutis ſuae cupidos, ſpectat illud apoſtoli: *πάντα δοκιμάζετε, 1. Theſſal. V, 21.* & illud Ioannis: *ne cuiuis ſpiritui credite, ſed ſpiritus explorate, an ex Deo ſint? 1. ep. IV, 1.* immo, illud ſeruatoris: *cauete falſos prophetas, Matth. VII, 15.* Nec eſt, quod obuertas, non omnes, immo pauciſſimos, ad controuerſias, quae de fidei dogmatibus oriuntur, diiudicandas aptos eſſe; ſiquidem a nemine rite hoc fieri queat, niſi linguarum originalium, quibus ſacri ſcriptores vſi ſunt, hiſtoriarum inſuper, & antiquitatum, reliquarumue artium & ſcientiarum, ſine quibus legitima ſcripturae interpretatio non recte procedit, longe ſit peritiſſimus, adeoque exquiſita eruditione inſtructus: ea porro mentis qua intellectum, qua voluntatem diſpoſitione gaudeat, quae ad veritatem inueniendam, & inuentam amplectendam, eum aptum reddat. Quae quidem omnia cum raro admodum in eos etiam cadant, qui doctorum munere funguntur; multo minus a reliquis eſſe exſpectanda. Atque ſolent haec, & alia eiusmodi, Romanenſes nobis occinere, non perpendentes, quod traditionum, quas pro ſcriptura nobis obtrudunt, longe maior adhuc ſit difficultas. Eſt vero iterum monen-

Digitized by Google

monendum, ſermonem hic tantum eſſe de rebus magni momenti, iis ſcilicet, quas omnes, qui aeternae ſalutis compotes fieri volunt, ſcire credereque neceſſario oportet, minime autem de ſcholaſticorum nugis, aut aliis rebus inanibus, de quibus ſubinde theologi altercari ſolent. De illis autem, cum ſcriptura ſacra nos erudiat ita, vt quilibet ſana mente praeditus, & fundamenta ſacrae doctrinae tenens, ſcripturamque in verſione, ſenſum eius recte exprimente, legens, eas & intelligere, & adeo, quae de iis in quaeſtionem veniunt, quousque veritati conſentanea ſint, diiudicare queat: quemlibet etiam, qui ita comparatus eſt, etſi earum rerum, quae hominem eruditum faciunt, expers ſit, ad hoc idoneum eſſe, dubitari nequit. Interim non negamus, eccleſiae doctorum praecipua quadam ratione eſſe, vt, quae in controuerſiam veniunt, ad ſcripturam ſacram, ceu vnicam fidei ac vitae regulam ac normam exigant ac diiudicent; quemadmodum & prae reliquis ad hoc idonei cenſentur. Cum enim paſtores ſint, qui *gregem Chriſti paſcere*, hoc eſt, ſalutari doctrina imbuere debeant; *1. Petr. V, 2. actor. XX, 28.* luposque ab eodem arcere; *Ioan. X, 12.* diiudicare vtique adcurate debent, quaenam doctrina aut ceu vera accipienda, aut ceu falſa & erronea repudianda ſit; conf. *Mal. II, 7.* Eo magis nimirum hoc ab iis requiritur, quod non tantum ſui ipſius, vt reliqui, ſed totius quoque eccleſiae, cui praeſunt, curam gerere debeant. Recte itaque etiam faciunt, ſi aliquando, poſtulante id eccleſiae neceſſitate, plures in vnum coeant, collatisque ſymbolis, animoque per preces rite praeparato, in veritatem inquirant, vti in concilio Hieroſolymitano factum, *actor. XV, 2. ſeq.* Facilius, cum plurium coniungitur perſpicacia, inuenitur veritas; maiorque precum, ſi ſocientur, vis eſt atque efficacia, iuxta promiſſionem ſeruatoris, *Matth. XVIII, 19.* Simul tamen negandum non eſt, ſi eiusmodi congregationes non ita, vt par eſt, inſtituantur, prauisque potius adfectibus, quam veritatis inquiſitioni concedatur locus, eas ad veritatis potius oppreſſionem, quam manifeſtationem valere: quod plurimorum conciliorum exempla teſtantur. Nec, quae illis tribuitur, quaeſtionum, de quibus diſceptatur, deciſio ita intelligenda, ac ſi illorum ſtandum cadendumue ſit auctoritate; cum non magis vniuerſi extra omne erroris periculum conſtituti ſint, quam ſinguli; ſed tum demum admittenda, ſi per eam conuincamur, eos ſcripturam ſacram & recte interpretatos, & rite ad quaeſtionem, de qua dubitatum, eamdem adplicaſſe. Vnde ſimul, quis in hacce diiudicatione obſeruandus ſit modus, intelligitur. Quaeſtionis ante omnia ſtatus rite formandus; rationes, quae ad eam aut adfirmandam, aut negandam valent, probe ponderandae; locorum ſcripturae, in quibus de iſto dogmate agitur, diligenter eruendus eſt ſenſus; & tum denique ſumma, qua fieri poteſt, circumſpectione adplicatio ad quaeſtionem propoſitam inſtituenda. Praeter eccleſiae doctores & alios, qui eccleſiae membra ſunt, ad eiusmodi diiudicationem concurrere, itidem vel Hieroſolymitani concilii exemplo conſtat, *actor. XV, 2. ſq.* Sed hac de re alibi.

§. XXXV. In omnium enim hominum vſum, citra ſtatus aut conditionis diſcrimen, Deus veram ad ſalutem viam primum reuelauit, & deinceps litteris etiam conſignari voluit. Ab omnibus itaque etiam ſcripturam ſacram, ſi modo queant, legi voluit, quilibet inde, quae ſibi vſui eſſent, vt capere poſſet. Hinc &, ſi terminis in ſchola receptis

vti

vti velis, *finem cui* ſcripturae ſacrae, omnes homines eſſe, recte dicitur. *

* Omnibus itaque hominibus, citra ſtatus eccleſiaſtici aut ſaecularis diſcrimen, conceſſa eſt ſcripturae ſacrae lectio, immo, ſi poſſint, etiam iniuncta. Etſi enim etiam viua voce inſtrui queant, de via perueniendi ad ſalutem, & illi praeſertim, qui litteras legere nequeunt, ita inſtruendi ſint; longe tamen rectius ſibi conſulunt, qui ipſum fontem adeunt, ex quo doctrina ſalutis, quam doctores proponunt, hauritur. Praeterquam vero, quod nulla ratio adferri queat, cur nonnulli homines ab hocce fonte arcendi ſint; (quas enim Romanenſes comminiſcuntur, plane friuolae ſunt) ipſe finis ſcripturae, quem *cuius* in ſcholis vocant, vt omnes admittantur, poſtulat. Is enim cum ſit, vt homines per fidem in Chriſtum aeternam ſalutem conſequantur, *Ioan. XX, 31.* ſequitur, omnes ſine diſcrimine ad ſcripturae lectionem admittendos, cum Deus neminem ab illo fine arceat, ſed potius velit, *vt omnes homines ſalui fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant*, *1. Tim. II, 4.* Vt ergo abſonum foret, ſi quis contenderet, ſolis eccleſiaſtici ſtatus hominibus ſalutem a Deo deſtinatam, ita non minus abſurdum eſt, adſerere, iis ſolis ſcripturae aut conceſſam aut demandatam eſſe lectionem. Accedit, quod apoſtoli integris eccleſiis, omnibusque earum membris ſcripſerint; *Rom. I, 7. Gal. II, 2. Epheſ. I, 1. Phil. I, 1. 1. Petr. I, 1. 2. Petr. I, 1.* facta quoque epiſcoporum ac diaconorum peculiari mentione, *Phil. I, 1.* Nec ab iis tantum eccleſiis, quibus ſcripſerunt, ſed ab aliis etiam, quae ſcripſerunt, legi voluerunt; *1. Cor. I, 2. 2. Cor. I, 1. 1. Theſſal. V, 27. Coloſſ. IV, 16.* Quod, quin eadem ratione de reliquis quoque libris ſacris intelligendum ſit, eos ſcilicet in vſum totius eccleſiae ſcriptos, nullum plane eſt dubium, & vel ex *Rom. XV, 4.* recte colligitur. Praeterea Deus ipſe non eccleſiae tantum miniſtris, aut doctoribus, ſed omnibus hominibus paſſim ſcripturae lectionem commendat, immo praecipit. Sic Iſraelitae omnes, verba legis diligenter ſecum voluere ac conſiderare, filiis tradere, ac memoriae cauſſa ſcribere iubentur, *Deut. VI, 7, 8.* quod ſine ipſa legis lectione fieri commode non poterat, & perinde etiam erat, ac ſi ipſam legem, ſeu ſcripturam legere iuberentur. Debebat etiam certis temporibus lex moſaica coram toto populo iſraelitico recitari, *Deut. V, 11.* Perinde autem iterum eſt, ſiue quis verba ſcripturae ab alio recitata audiat, ſiue ipſemet ea legat. Pari ratione & ſanctiſſimus rex Dauid adſiduam verbi diuini meditationem, adeoque & lectionem omnibus commendat, *pſalm. I, 2.* conf. & *Eſaiae XXXIV, 16.* Ad omnes quoque homines, ſine ſtatus ac ordinis diſcrimine, illud ſeruatoris: ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *Ioan. V, 39.* ſpectat. Non Phariſaeos enim ſaltem, aut Iudaeorum principes, vel ſacerdotes eum adloquutum, ex *verſ. 10, 15, 16, 18.* liquet, vbi generatim Iudaeorum iniicitur mentio. Cauſſa quoque huius effati, caecitas ſcilicet, in rebus ad ſalutem aeternam ſpectantibus, fideique defectus, ad omnes promiſcue Iudaeos, qui Chriſto repugnabant, pertinebat, *v. 37, 40. ſeq.* Vnde & ad eosdem mandatum de ſcrutanda ſcriptura ſpectabat. Quodſi etiam vel maxime verbum ἐρευνᾶτε in *indicandi modo*, vt nonnulli volunt, accipias, noſtrae tamen hoc non obſtat ſententiae. Adprobat enim ſimul ſeruator hocce ſcripturae ſcrutinium, dum dicit, eam de ſe teſtari, adeoque viam ad ſalutem monſtrare, quam omnes in ea quaerere debeant. Interim rectius, ni fallor, ſentiunt, qui verbum hocce in *imperandi modo* capiunt, cum verbo ſequenti δοκεῖτε, in indicandi modo poſito, pronomen ὑμεῖς praemittatur, haud dubie, vt

 ſigni-

ſignificetur, in alio modo praecedens *ἐρευνᾶτε* capiendum eſſe. Ceterum, quo pacto quod Chriſtus Iudaeis dixit, apoſtoli etiam chriſtianis inculcauerint, vel ex *Ephes. VI, 17. Coloſſ. III, 16.* itemque *2. Petr. I, 19.* liquet. Noſtra vero inde vlterius confirmari ſententia poteſt, quod quorumuis chriſtianorum ſit, explorare, & rite diiudicare doctrinam quamlibet, quae proponitur, vti iam ad *theſin praecedentem* dictum, & ex *Matth. VII, 15, 16. 1. Theſſ. V, 21.* & *1. Ioan. IV, 1.* demonſtratum eſt. Hoc autem ſine ſcripturae fieri nequit ſcrutinio. Quo nomine & Beroenſes laudantur, *actor. XVII, 11.* quod ſermonem a Paulo praedicatum omni alacritate recipientes, an, quae apoſtolus dixerat, ita ſe haberent, quotidie ſcrutati fuerint ſcripturas. Quo ipſo & neceſſitas eiusmodi examinis & diiudicationis, ac modus etiam, quod ad ſcripturam ſacram, ceu vnicam fidei ac vitae regulam, inſtitui debeat, indicatur.

§. XXXVI. Vtile itaque non tantum, ſed & prorſus neceſſarium eſt, exſtare verſiones ſcripturae ſacrae, vt illi, qui linguarum originalium rudes ſunt, inde haurire queant, quae ad fidem vitamque, ex ſupremi Numinis praeſcripto inſtituendam, conducunt. * Nec enim quidquam obſtat, quo minus verſio quaedam conficiatur, quae ſaltem in iis, quae ad ſalutem ſcitu credituque ſunt neceſſaria, textui originali adcurate reſpondeat. **

* Sequitur hoc ſua ſponte ex iis, quae ad §. *praeced.* monuimus. Si enim ſcripturae ſacrae lectio omnibus ſalutis ſuae cupidis non tantum conceſſa, ſed omnino iniuncta & demandata eſt; pauciſſimi autem linguarum originalium ſint periti, nihil aliud ſupereſt, quam vt in linguam cuique genti vernaculam, transferatur. Finem enim qui ſerio cupit, eum quoque media velle manifeſtum eſt. Praeterea, cum prophetae & apoſtoli, immo ſeruator ipſe, ea lingua, quam omnes intelligebant, dum viua voce verbum diuinum propoſuerunt, vſi ſunt; aequum ſane eſt, vt, cum idem verbum litteris conſignatum aliis quoque gentibus proponendum eſt, ea id fiat lingua, quae cuilibet genti propria eſt, quamve omnes intelligant. Et quis hac de re dubitet, cum ipſe gentium doctor Paulus ex inſtituto doceat, vtendum eſſe in ſacris lingua vernacula, cum ex lingua, quam non intelligunt, nullum auditores capere queant fructum. Quod cur aliter in verbo diuino, prout in ſcriptura ſacra exſtat, ſe habere debeat, nullam profecto rationem video. Non minus enim, prout litteris ſacris comprehenſum eſt, & in iis legitur, quam prout ex iis deſumtum, viua voce aliis adnuntiatur, ad omnes omnino pertinere homines, antea iam demonſtrauimus. Idem etiam ex dono linguarum, apoſtolis diuinitus conceſſo, *actor. II, 3, 4.* liquet. Non enim alium id in finem factum, quam vt quaelibet gens in lingua ſibi propria verbum diuinum audire & intelligere poſſet; ſi vero audire, cur non & legere? Patet porro hoc & inde, quod ſcriptores noui teſtamenti, etſi ipſimet Ebraei, lingua tamen graeca, & in euangeliis condendis, & in epiſtolis vſi ſunt, eo quod iſto tempore haec longe communior, & non in Graecia modo, ſed & alibi vſitata eſſet. Licet enim forte apud quasdam eccleſias, ad quas epiſtolas ſuas ſcripſerunt, alia quaedam lingua, quam graeca, vernacula eſſet; graeca tamen nihiloſecius vſi ſunt, & quod ibidem locorum haec non minus quam vernacula intelligeretur, & ceteroquin communior eſſet. Rem omnem denique conficiunt verſiones ſcripturae ſacrae, iam olim factae; cumprimis graeca illa veteris teſtamenti, quam vulgo

vulgo LXX. interpretum vocare ſolent. Tantum enim abeſt, vt apoſtoli hocce inſtitutum improbauerint, vt potius ipſimet ſubinde hacce vſi ſint verſione, palam hoc ipſo profitentes, non eſſe nefas, verſiones conficere in illorum gratiam, qui linguas originales non intelligunt. Plura hac de re dabit, qui ex inſtituto & erudite hocce argumentum pertractauit, B. KORTHOLTVS, *de lectione bibliorum in linguis vulgo cognitis, deque ſacris publicis, idiomate populari peragendis.*

** Vt verſio quaedam conficiatur, quae textui originali adcurate vbique reſpondeat, & non tantum ſignificationem ac ſenſum, ſed vim etiam exprimat, ea quidem ratione, vt vernaculae quoque linguae proprietas & elegantia ſeruetur, ſimulque plana cuncta ſint, atque perſpicua, non tam facile eſt, ac forte plurimi ſibi perſuadent. Ipſa enim inter alia obſtat linguarum diuerſitas, cum haud raro lingua vocibus quibusdam, aut loquendi formulis gaudeat, quibus quae exacte prorſus reſpondeant, in aliis linguis non inueniuntur. Nihil tamen obſtat, quo minus verſio quaedam conficiatur, quae ſaltem in iis, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſenſum ſcripturae ſacrae exprimat. Hoc, exemplo variarum, quae exſtant, verſionum ad oculum demonſtrari poſſet. Speciatim & de verſione germanica B. LVTHERI noſtri quaedam moneri poſſent: ſed ſunt haec alterius loci. Legenda, quae, praeter alios quam plurimos, B. IO. HENR. MAIVS hac de re docet, in *vindiciis verſionis D. Lutheri ab iniqua cenſura Richardi Simonis*, quae inter *diſſertationes* eius *ſelectiores de ſcriptura ſacra* quarta eſt, *p. 105. ſeq.*

§. XXXVII. Si, quae in ſcriptura ſacra quaerenda ſint, ſcire cupias, primo quidem ponenda loco erunt omnia ea, quae ſcitu credituque ad ſalutem ſunt neceſſaria, tum vero & reliqua omnia, in quorum commemoratione ſcriptura ſacra verſatur. Atque hinc quidem, quodnam *obiectum* ſcripturae tum *primarium*, tum *ſecundarium* ſit, intelligere licet. *

* *Obiectum* nimirum *primarium* ſunt omnia, quae ad fidem ac vitam recte inſtituendam, adeoque ad aeternam ſalutem conſequendam, ſcitu credituque ſunt neceſſaria. Perinde eſt, quod alii dicunt, obiectum primarium eſſe *credenda* & *agenda;* modo haec a ſe inuicem non ſeparentur, ſed rite coniungantur. Reliqua omnia, in quorum commemoratione ſcriptura ſacra verſatur, *obiectum ſecundarium* conſtituunt; quorſum & plurimae circumſtantiae hiſtoricae pertinent. Neque hoc ita capiendum, ac ſi iſta, quae ad ſecundarium obiectum ſpectant, omni prorſus deſtituantur vſu. Licet enim directe ad credenda aut agenda referri nequeant, ſemper tamen aliquid continent, quod indirecte eo ſpectet, vtilitatemque ſimul praebeat longe maximam. Nec ſine ſingulari Numinis conſilio factum, vt hinc inde circumſtantiae quaedam hiſtoricae commemorentur, quae hominibus imperitis, & humanae ſapientiae perſuaſione turgidis, non magni momenti videntur; aut indignae etiam, quae in ſcriptura ſacra legantur. Saepiſſime enim inde condiſcimus, quae fidei, vitaeque ſanctae in actibus externis, & iis, ad quos ceteroquin homines vix attendunt, ſit ratio, aut, quo pacto in rebus minimis, loci etiam ac temporis, aliisque circumſtantiis, maxima diuinae prouidentiae, ſapientiaeque deprehendere liceat documenta. Solet alio intuitu obiectum ſcripturae in *legem* & *euangelium* diſpeſci: qua de re ſuo loco ex inſtituto agetur.

Digitized by Google

§. XXXVIII. *Finem* autem ſcripturae ſacrae, quem vocare ſolent, *cuius*, eumque *vltimum*, eſſe aeternam ſalutem; *intermedium* autem, fidem in Chriſtum, non temere quis dubitauerit. *

* Diſerte hoc teſtatur Ioannes: *haec ſcripta ſunt, vt credatis, Ieſum eſſe Chriſtum, filium Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius, cap. XX, 31.* Quibus verbis & vltimum finem, vitam aeternam ſcilicet, & intermedium, fidem in Chriſtum, indicat. Etſi autem ſpeciatim de miraculis a Chriſto perpetratis, eorumque multitudine verba faciat, rectiſſime tamen de vniuerſa ſcriptura haec capiuntur, quippe cuius centrum & ſumma eſt, Chriſtus hominum ſeruator. *De hoc* enim *teſtantur omnes prophetae* (multo magis noui teſtamenti ſcriptores) *eum eſſe, per cuius nomen peccatorum veniam conſequantur, quicumque in eum credant, actor. X, 43.* conf. & *actor. III, 24.* Finem autem huncce vtrumque, & vltimum, & intermedium, recte dixeris *primarium;* cui & *ſecundarium*, intuitu illorum, qui doctorum in eccleſia munere funguntur, aut eodem fungi cupiunt, recte adiunxeris. Hi enim per legitimam ac diligentem ſcripturae tractationem id conſequuntur, vt illo munere rite aliquando fungi, adeoque *& ſe ipſos, & auditores ſeruare* queant, *1. Tim. IV, 16.* Ideoque & idem gentium doctor omnem ſcripturam θεόπνευστον *vtilem* eſſe dicit *ad doctrinam, ad reprehenſionem, ad correctionem, ad iuſtitiae diſciplinam*, vt ἄνθρωπος θεοῦ *homo Dei*, Deo ſpeciali quadam ratione conſecratus, ἄρτιος *perfectus ſit*, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν *ad omne opus bonum comparatus; 2. Tim. III, 17.* vbi, quin per ἔργον ἀγαθὸν, ea opera intelligat, quae ſpeciatim ab eccleſiae miniſtris requiruntur, non videtur dubitandum, etſi neutiquam excludenda ſint, quae eccleſiae miniſtris cum quibusuis chriſtianis ſunt communia; conf. & *Rom. XV, 4.* Hic ergo cum ſcripturae finis ſit, vt non alium quoque in eius lectione ac tractatione nobis conſtitutum habeamus, res ipſa poſtulat. Haud leuiter itaque ſcriptura abutuntur, qui eum ſaltem in finem eam legunt, vt eruditionis laudem conſequantur, ne rerum diuinarum videantur imperiti; parum memores iſtius apoſtoli moniti: *cognitio inflat, caritas aliis prodeſt. Quodſi quis ſcire ſibi aliquid videtur, nihil dum nouit, vt quidem noſci debet, 1. Cor. VIII, 2.* & iſtius ſeruatoris: *ſi haec noſtis, felices eſtis, ſi ea praeſtatis, Ioan. XIII, 17.* Nec minori in culpa verſantur, qui, vt ſermones ſacros ad populum facere poſſint, hinc & ad huius vitae commoda obtinenda, ſcripturam legunt; exiſtimantes, πορισμὸν eſſe τὴν εὐσέβειαν; cuiusmodi homines diligenter euitandos, Paulus docet, *1. Tim. VI, 5.* Haec, & quae alia ſunt eiusdem generis, qui animo conſtituta habent, dum ad ſacrae ſcripturae tractationem accedunt, non tantum vero fructu, quem inde referre poterant, ſe ipſos priuant, ſed grauiſſimo etiam peccato, ob foediſſimum verbi diuini abuſum, ſe obſtringunt. Neſcio enim, an temere grauius crimen ſit, quam cum illud, quod Deus in medium ſalutis nobis conceſſit, in ambitionis, auaritiae, aut aliarum cupiditatum prauarum inſtrumentum conuertitur.

§. XXXIX. Diuerſimode equidem & haecce, quam hactenus propoſuimus, de ſcriptura ſacra doctrina, omni tempore impugnata fuit. Ne quid enim de illis dicam, qui omnes reuelationes diuinas, adeoque & ſcripturam ſacram plane reiiciunt, aut rationem non minus, quam ſcripturam ſacram,

ſacram, viam ad ſalutem monſtrare credunt; * fuerunt quam plurimi, qui reuelationes quaſdam diuinas perperam iactitarent, ſcripturae auctoritati tantum detrahentes, quantum illis, vana ſpecie deluſi, in rebus fidei quoque tribuebant. ** Alii rurſus aut rationis imperio, *** aut eccleſiae auctoritati ſcripturam ſacram ſubiiciendo, traditioneſque ei adiungendo, quoſdam homines ab eius lectione arcendo, hinc & perfectionem eius ac ſufficientiam in dubium vocando, * eamdem reuera loco ſuo mouent. Quorum quidem errorum fontes, in intima humanae mentis corruptione inuenire, haud difficile fuerit. **

* Prius athei faciunt, poſterius naturaliſtae. Conferenda, quae iam ad §. *LIII. cap. praeced.* diximus. Atque haec prima claſſis eſt eorum, qui in hocce capite in diverſa abeunt. Id nimirum eiuſmodi homines, aut, qui, aliud prae ſe ferentes, in illorum caſtris militant, omni niſu agunt, vt ſcripturae θεοπνευστίαν, diuinamque auctoritatem in dubium vocent, & quacumque poſſunt, ratione efficiant, vt non alio, quam quilibet liber humanus, loco habeatur. Hunc in finem numquam non varios errores, contradictiones, & alia eiuſmodi, quae cum diuina inſpiratione conſiſtere nequeunt, in ea ſe deprehendere ſibi videntur. Qua in re BENEDICTVM DE SPINOZA, atque HOBBESIVM, reliquis impietatis praeripuiſſe palmam, conſtat; quamquam & praeadamitarum conditor, PEYRERIVS, haud vltimum in hocce ordine locum teneat. Ex ipſis gentilibus autem exemplum hiſce praeiuit PORPHYRIVS. Ex operis enim, quod contra chriſtianos ſcripſit, fragmentis, quae hinc inde apud EVSEBIVM, HIERONYMVM, alioſque occurrunt, colligere licet, id eum praecipue egiſſe, vt ſcripturae ſacrae auctoritatem labefactaret, penituſque ſubuerteret. Iungenda &, quae dixi in *theſibus, de atheiſmo & ſuperſtitione cap. 3.* ad §. *7. p. 303. ſeq.*

** Non tam de impoſtoribus nobis nunc ſermo eſt, qui reuelationes ad alios decipiendos fingebant, quam de iis, qui reuera ſibi aliquid reuelari credebant, ſiue naturali quodam ἐνθουσιασμῷ, ac imaginationis exorbitantia agerentur in transvorſum, ſiue infernalis genii quaedam ſubeſſet illuſio. Et inter gentiles quidem iam antiquiſſimis temporibus fuiſſe, qui reuelationibus res futuras, aut alia occulta hominibus innoteſcere crederent; tot diuinationum genera, apud eos vſitata, ſatis teſtantur. Hiſce vero ſpirituum malignorum ſubinde interceſſiſſe operationes, vel illorum exemplo, qui dicebantur בעלי־אוב itemque ידענים, liquet. Ex inſtituto id a me euictum, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. II. ſect. I. §. 36. p. 782.* Cumprimis & oraculorum, quorum vt antiquiſſimus, ita frequentiſſimus olim, apud Graecos maxime, vſus fuit, id exemplo patet. Etſi enim non deſint, qui in iis cuncta ſacerdotum fallacia & impoſtura peracta contendant; quaedam tamen eorum reſponſa ita comparata fuiſſe, vt humani intellectus vim multum ſuperarent, nec aliunde, quam a daemonum quadam reuelatione proficiſci poſſent, exempla quam luculentiſſime teſtantur. Dictum & hac de re *l. c. p. 788, 789.* Mitto nunc ſybillarum vaticinia, adparitiones deorum, ſeu daemonum potius, & alia hiſce ſimilia, quibus ad ethnicismum promouendum infernalis genius callide olim vſus eſt. Cumque Moſes, vir diuinus, aut potius ipſe Deus videret, fore, vt inter Iſraelitas homines exſiſterent, qui eius-

modi

modi reuelationum obtentu ſe pro prophetis venditarent, ne fidem iis temere adhiberent, ſed in deprehenſos potius grauiſſime animaduerterent, ſerio eos admonuit, *Deut. XIII, 1. XVIII, 20.* Et exſtitiſſe tales, euentus docuit, grauiſſimaeque verorum prophetarum querelae teſtantur. conf. *Ierem. II, 8. XIV, 14. XXIII, 21. XXVII, 15. Ezech. XIII, 2. Mich. III, 5.* Inſigne cumprimis multorum prophetarum, maligni cuiusdam ſpiritus illuſione deceptorum, exemplum exſtat *1. reg. XXII, 6. ſeq.* Nec ſequenti aetate in hac gente eiusmodi homines prorſus defuiſſe, vt credamus, par eſt; etſi illi, quos FL. IOSEPHVS *antiquit. iudaic. l. 20. c. 6.* commemorat, impoſtoribus potius, qui aliis fucum facere voluerunt, ſint adnumerandi. Apoſtolorum tempore Simon ille magus occurrit, qui Samaritanorum iudicio non tam propheta, quam amplius quid fuit; *οὗτός ἐστιν*, inquiebant, *ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη*, *hic eſt virtus Dei magna*, *actor. VIII, 10.* Nec dubium, quin iſta dogmatum portenta, quae paſſim apud veteres occurrunt, ſub reuelationum diuinarum ſpecie protulerit: quibus vt fidem adhiberent, artibus ſuis magicis, quarum & Lucas *l. c. v. 9.* mentionem facit, efficere potuit. Referenda huc etiam, quae idem diuinus ſcriptor de Elyma narrat, *cap. XIII, 6-11.* & de puella, ſpiritum pythonis habente, *cap. XVI, 16-18.*

Fuiſſe vero etiam deinceps inter ipſos chriſtianos, qui reuelationes diuinas prae ſe ferrent, ſequentium temporum annales nos condocent. Seculo enim ſecundo Montanus, nouae ſectae, quae longe lateque diſſeminata eſt, conditor floruit, quem viſionum ac prophetiarum iactantia, auctoritatem quamdam ſibi conciliaſſe, qua haud pauci in errorem inducti ſint, EVSEBIVS nos condocet. Auctor namque eſt, eo tempore, quo Montanus, & Alcibiades, & Theodotus, in Phrygia primum opinione hominum tamquam prophetae celebrari coepiſſent, plurimos putaſſe, reuera Montanum prophetiae dono inſtructum, cum praeſertim multa diuinae gratiae miracula eo tempore adhuc in eccleſiis fieri ſolerent, *hiſt. eccleſ. l. 5. c. 3.* Vanam autem fuiſſe Montani, & adſeclarum eius iactantiam, oſtendit auctor quidam antiquus apud EVSEBIVM, *l. 5. c. 16.* & Miltiades apud eumdem, *c. 17.* & Apollonius, *c. 18.* Fuerunt tamen, qui Montanum defenderent, eiusque reuelationes pro diuinis habendas cenſerent, quod & nonnulli ex recentioribus fecerunt: certe GVRTLERVS, cum Montani, eiusque adſeclarum accuſationem *grauem* vocaſſet, ſubiicit: *quam neque refellam, neque praeſtabo, ſed in medio relinquo &c. theol. proph. c. 25. p. 442.* RIGALTIVS quoque, ea, quae de Montano, eiusque adſeclis, antiqui illi ſcriptores referunt, tam plena eſſe declamatoriae vanitatis, in ſua *ad Tertullianum praefatione* pronuntiat, vt aegre fidem mereantur: iudicium hocce non improbante ITTIGIO, *de haereſiarch. ſaec. I. & II. ſect. II. c. 13. §. 18. p. 240.* Sequuntur Meſſaliani, qui ad Conſtantii, Valentiniani, & Valentis tempora referuntur. Dicti & enthuſiaſtae ſunt, *δαίμονός τινος ἐνέργειαν εἰσδεχόμενοι, καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίαν ταύτην ὑπολαμβάνοντες*, *propterea quod daemonis cuiusdam vim & operationem recipiant, quam ſpiritus ſancti praeſentiam eſſe putant;* vt THEODORETVS loquitur, *hiſt. eccleſ. l. 4. c. 11.* Atque addit idem porro, quod *ſomno ſe dedentes, ſomniorum imagines diuinum adflatum adpellitent.* Vnde reuelationes, viſionesque eos prae ſe tuliſſe, conſtat. Inter capita doctrinae, quae ex libris illorum collecta, IO. DAMASCENVS, *de haereſibus tom. I. oper. p. m. 95.* ex edit. LE QVIEN exhibet, hoc quoque exſtat: *ὅτι τοῖς εὐχομένοις δύναται φανεροῦσθαι ὁ σωτὴρ ἐν φωτί*, *poſſe his, qui orant, adparere ſeruatorem in luce.* Copioſe equidem de eadem haereſi

haereſi EPIPHANIVS agit, *haer. 80.* & ex eo AVGVSTINVS, *de haeres. c. 57.* ſed, vt reuelationum ac viſionum, quas iactitauerint, nullam mentionem faciant. Quod ſi vera ſint, quae iidem auctores de flagitiis, moribusque impuris eorumdem hominum tradunt, vix credas, eos ſanae mentis fuiſſe, ſi nihiloſecius reuelationes iſtas, viſionesque, diuinas fuiſſe, ſibi perſuadere potuerunt. Cum ſequenti aetate per ignorantiam ac ſuperſtitionem, Romanorumque praeſulum tyrannidem, eccleſia, praeſertim in occidente, oppreſſa iaceret, haereticorum facile impedita ſunt molimina: nec tamen defuerunt, qui reuelationes viſionesque oſtentarent, ipſius Romanae eccleſiae calculo adprobandas. Immo, cum doctrina de purgatorio, deque ſacrificio miſſae, & alia his ſimilia, iam introducta eſſent, & vero nec ſcripturae ſacrae teſtimonio, nec doctorum veteris puriorisque eccleſiae auctoritate, talia firmari poſſent, commode illis accidebat, vt viſiones, raptus, ſomnia, & id genus alia, quibus rudis plebecula facile capitur & circumducitur, in ſubſidium vocare poſſent. Legi merentur, quae in compendio hac de re diſſerit SPANHEMIVS, *hiſt. eccles. N. T. ſaec. VII. p. 1178.*

Sequuta tandem eccleſiae, opere B. LVTHERI, emendatione, cum hinc inde maior & ſentiendi, & animi ſenſa proferendi libertas aut concederetur, aut a quibusdam adriperetur, longe plurimi quoque exſtiterunt, qui inſpirationes a Deo immediate profectas, reuelationesque iactitarent: quas tamen non magis, quam eas, quae hactenus a nobis commemoratae ſunt, diuinas fuiſſe, mox intellectum eſt; cum aut noua dogmata, vel alia, ſcripturae ſacrae minime conſentanea, in iis proferrentur, aut, cum futura praedicerent, ipſo refellerentur euentu. Anabaptiſtas, quos vocant, haud vltimum in his tenere locum, conſtat, quos deinceps & alii magno inſequuti ſunt numero. Diſputatum hinc ſubinde & inter noſtrates fuit, quid de eiusmodi viſionibus, ſeu reuelationibus, quae hodie quibusdam obtingere videntur, cenſendum ſit? Non omnes enim promiſcue improbandas, IAC. FABRICIVS, Pomeraniae theologus haud incelebris, in *probatione viſionum*, itemque in *inuicta viſionum probatione*, aliisque ſcriptis, lingua germanica editis adſeruit, ſuffragantibus ei & aliis, eamdemque cauſſam tuentibus. Nimirum non in rebus ad vitam ac fidem ſpectantibus, ſed iis, quae ad fata eccleſiae, regnorum, ac rerum publicarum, & quae eiusdem commatis ſunt, pertinent, non omnes plane reuelationes reiiciendas, ſed falſas a veris caute diſcernendas eſſe contendit: qua de re quid cenſendum ſit, ſupra iam expoſuimus. Renouatum idem certamen fuit, cum Aſſeburgia virgo, nobili genere orta, ob eiusmodi viſiones hinc inde celebraretur; & noſtra rurſus aetate, cum nonnulli ex Cebennenſibus montibus in Angliam, hinc in Germaniam delati, itidem diuinas inſpirationes, cum vehementiori corporum agitatione coniunctas, prae ſe ferrent. Haec autem omnia fuſius edisſerere, aut ſcripta hac occaſione edita enumerare, noſtri non fert inſtituti ratio. Id ſaltem euincere voluimus, nunquam non exſtitiſſe, qui reuelationes venditarent; quarum etſi quaedam diuinae eſſe potuerint, plurimas tamen fuiſſe falſas, &, ſi ad fidei inſuper dogmata ſpectabant, ita comparatas, vt ſcripturae ſacrae canonicam non potuerint non labefactare auctoritatem.

*** Tertia haecce claſſis eſt illorum, qui a recto hic aberrant tramite. Nimirum, etſi ſcripturam non tantum admittant, ſed & eam ceu vnicum cognoſcendi principium ſe ſequi profiteantur, & hoc ipſo a naturaliſtis diuerſi eſſe videantur; dum tamen ſcripturam non niſi iuxta rationis ductum interpretantur, nihil aliud admit-

tentes, quam quod ratio capere poteſt; facile intelligitur, primum, praecipuumque cognoſcendi principium apud eos, non ſcripturam eſſe, ſed rationem, adeoque non longe admodum a naturaliſtis eos diſcedere. Socinianos, Arminianosque, & alios eiusdem generis homines, in hancce referendos claſſem, nemo dubitat. Pelagianos, eosque omnes, qui naturae viribus, adeoque & rationi, plus quam decet, tribuunt, hisce praeiuiſſe exemplum, in confeſſo eſt. Referendi autem huc & illi ſunt, qui diuinam ſcripturae ſacrae auctoritatem non aliunde, quam ex ratione adſtrui poſſe exiſtimant; de quibus ad §. 17. huius capitis diximus.

* Quarta haecce claſſis eſt eorum, qui hic a veritate diuortium faciunt. Romanae eccleſiae hic nos innuere defenſores, nemo non intelligit; quorum nonnulli eousque progrediuntur, vt ſcripturam ſacram omnem auctoritatem ab eccleſia accipere, contendant, adeo, vt authentica non eſſet, niſi eccleſia talem eſſe iuſſiſſet; alii autem, qui paullo ſapientiores moderatioresque eſſe volunt, intuitu noſtri ſaltem ſcripturae auctoritatem ab eccleſia dependere cenſent, vt non alunde, quam ex eccleſiae teſtimonio, illa nobis innoteſcat. Atque ſolent hi ſemper AVGVSTINI *lib. contra epiſtolam Manichaei, quam vocant, fundamenti, tom. 8. oper. p. m. m.* effatum: *ego vero euangelio non crederem, niſi me eccleſiae catholicae commoueret auctoritas*, in ore habere; quod tamen non ita intelligendum, ac ſi fides diuina de ſcripturae auctoritate canonica ex eccleſiae teſtimonio oriretur, ſed quod occaſionem ſaltem eccleſiae teſtimonium dediſſet, vt per ipſius ſcripturae lectionem fides diuina incenderetur. Poteſt enim vtique aliquando hoc contingere, vt per eccleſiae teſtimonium ſcriptura nobis primum innoteſcat, quamvis interdum & absque tali teſtimonio,* hoc euenire queat: quemadmodum & eccleſiae teſtimonio, inter argumenta fidem humanam progignentia, ſuum non denegamus locum, vti ſupra iam monuimus; inde autem minime ſequitur, ex iſto eccleſiae teſtimonio fidem de ſcripturae auctoritate diuinam progigni. Negari interim nequit, veteris eccleſiae doctores, dum eccleſiae auctoritate haereticos compeſcere voluerunt, interdum ita loquutos, vt plus, quam decet, ei tribuere viderentur; quae Romanenſes eo auidius arripiunt, quo firmius in eccleſiae auctoritate, ad errores ſuos propagandos, ſe inuenire praeſidium ſibi videntur. Eumdemque in finem & traditionibus tantum tribuunt, cum facile videant, ſcripturae ſacrae teſtimoniis doceri & probari non poſſe, quae tamen ab omnibus ceu vera recipi volunt. Recte B. MART. CHEMNITIVS noſter: *Et vere eſt* (Romanenſium de traditionibus ſententia) *Pandorae pyxis, cuius operculo omne genus corruptelarum, abuſuum, & ſuperſtitionum in eccleſia inuectum fuit. Quid enim non licebit fingere, admiſſo ſemel hoc poſtulato, non opus eſſe documentis & probationibus ex ſcriptura?* in *exam. concil. Trid. part. I. loc. 2. p. m. 88.* Et eadem, qua prior ille de eccleſiae auctoritate, hicce quoque de traditionibus error, ratione & enatus eſt, & incrementum cepit. Traditionum enim, ſed voce longe aliter accepta, vt deinceps docebimus, cum frequentiſſima apud veteris eccleſiae doctores fieret mentio, plurimumque hi illis tribuerent, ad quaelibet ſuperſtitionum ac errorum genera ſenſim enata, hoc traxerunt Romanenſes; huncce illis, qui ſcripturae ſacrae teſtimoniis eos oppugnabant, obiicientes clypeum. Cumque per ſummam iſtam ignorantiam atque barbariem, quae poſt ſaeculum quintum orbem chriſtianum fere vniuerſum, occidentalem maxime eccleſiam inuaſit, ſcripturae ſacrae non tantum paſſim negligeretur lectio, ſed a pauciſſimis etiam inſtitui poſſet, eo quod plurimi ex ſacri etiam ordinis viris litterarum plane rudes eſſent; tantum

tum

Digitized by Google

tum abeſt, vt Romanae eccleſiae praeſulibus & defenſoribus hoc diſpliceret, vt potius iſtud quoque ad ſuperſtitionem, qua irretitos homines teneri illorum plurimum intererat, tuendam, errorumque varia genera conſeruanda, peropportunum illis accideret. Hinc, luce noua bonarum litterarum exorta, cum omnibus facilior aditus ad ſcripturae ſacrae intelligentiam panderetur, e re tamen ſua Romanenſes eſſe crediderunt, laicos, quos vocant, ab eius lectione arcere, eamque ſolis clericis conceſſam, contendere. Qua in re quam friuolis vtantur rationibus, quam ineptis & infirmis ad noſtratium argumenta reſponſionibus, vel ex NIC. LE MAIRE *ſanctuario profanis occluſo, ſiue de ſacrorum bibliorum prohibitione, in lingua vulgari ſeu vernacula, tractatu*, intelligere licet. Cordatioribus equidem, ſapientioribusque in ipſa eccleſia Romana, praeſertim in Gallia, haec valde improbatur ſententia, quippe qui agnoſcunt, & palam profitentur, omnibus, ſine ſtatus eccleſiaſtici & ſaecularis diſcrimine, ſacrae ſcripturae lectionem eſſe concedendam. Diſerte, & plane ex rei veritate pronuntiauit QVESNELLIVS: *Vtile & neceſſarium eſt, omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi, ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria ſacrae ſcripturae:* & iterum: *Lectio ſcripturae ſacrae eſt pro omnibus.* Sed cum haecce, ſimiliaque aſſerta Romanus pontifex Clemens XI. ceu falſa & haeretica damnauerit in bulla *vnigenitus, num. 79. ſeq.* non erramus, dum potiori Romanae eccleſiae parti ſententiam de lectione ſcripturae ſacrae laicis non concedenda, tribuimus. Quamdiu autem haec omnia rata, firmaque apud eos manent, non poſſunt non & reliqua, ad canonicam ſacrae ſcripturae auctoritatem imminuendam ac labefactandam ſpectantia, obſcuram eam eſſe, atque intellectu difficilem, ambiguamque, nec perfectam, quippe quae non omnia, quae ſcitu credituque neceſſaria ſunt, tradat, & quae alia ſunt eiuſdem generis, inde conſequi. In quibus exaggerandis quorumdam in Romana eccleſia zelus intempeſtiuus eousque proceſſit, vt talia proferrent, quae ab impietate & blaſphemia prope abſunt, modeſtioribus ideo merito improbata. Quae cum nota ſatis ſint, iis non immoramur.

** Qui enim ſcripturam plane reiiciunt, aut, quae ratio docet, ad ſalutem ſufficere arbitrantur, aut eius imperio ſcripturam ſubiiciunt, non aliam ob cauſſam in iſta praecipitia ruunt, quam quod naturae viribus, rationique adeo ipſi plus tribuant, quam tribuere debebant. Tanti ad veram ſapientiam intereſt, intimam naturae noſtrae corruptionem omniumque mentis facultatum deprauationem, ex lapſu primorum parentum in nos deriuatam, recte cognitam ac perſpectam habere. Ex imaginationis contra exorbitantia, adfectuumque fallacia, adeoque eodem naturae corruptae fonte, accedente tamen ſubinde infernalis genii fraude, illorum oritur error, qui falſis viſionibus, reuelationibus, ſomniis, ſe ipſos aliosque decipiunt. Qui autem eccleſiae ſaltem auctoritatem traditionesque crepant, & adeo, quae inde fluunt, aliis obtrudere adlaborant, hoc ipſo produnt, nihil aliud ſibi conſtitutum eſſe, quam imperium illud, quod ſacri ordinis viri in eccleſia Romana ſibi vindicant, quacumque poſſunt, ratione fulcire, hominesque plebeios in caeco continere obſequio; aut, ſe ipſos mentem praeiudicio auctoritatis ita impeditam habere, vt in luce meridiana caecutiat.

§. XL. Nec tantum hiſce erroribus ita inundatus orbis chriſtianus fuit, vt non eſſent, qui iisdem ſe opponerent, & rectiora ſequerentur.

Vt enim eos taceam, qui generatim reuelationis diuinae, hinc & ſcripturae ſacrae ad ſalutem neceſſitatem adſeruerunt, * numquam non exſtiterunt, qui ſolam ſcripturam pro vnica fidei ac vitae regula, vnicoque adeo cognoſcendi principio haberent; ** quemadmodum & in ipſis conciliis non alia decidendi controuerſias norma, quam ſcriptura ſacra, obſeruata fuit: *** vnde ſimul, quae veteris eccleſiae de iudice controuerſiarum fuerit ſententia, patet. * Diuinam porro ſcripturae ſacrae auctoritatem, ex inſpiratione Dei profectam, vetus eccleſia nobiscum agnouit, nec vmquam facultatem, eamdem libro cuidam dandi, ſibi vindicauit: immo & non alios, quam nos recipimus, libros, pro canonicis habuit. ** Traditiones alias, quam quae in ſcriptura exſtant, nec admiſit, nec aliter, quam par erat, ipſis vſa eſt: *** omnibus quoque, ſine ſtatus eccleſiaſtici, aut ſaecularis diſcrimine, aditum ad ſcripturae ſacrae lectionem conceſſit: quem in finem & iam tum in alias linguas translata eſt, vt ab illis etiam, qui originalium linguarum rudes erant, legi poſſet. * Denique etiam, quod & ex dictis fluit, tum perſpicuitatem, tum ſufficientiam ſcripturae ſacrae nobiscum agnouit. **

* De quibus ſupra dictum, ad *cap. praeced. §. 53.*

** Hoc ipſo autem, dum ſolam ſcripturam ſacram, vtpote a Deo ipſo profectam, ceu vnicam fidei ac vitae normam receperunt, ſimul; rationi id ſe minime tribuere, profeſſi ſunt. Veteris eccleſiae iſraeliticae hanc fuiſſe ſententiam, ſatis liquet; a qua deinceps Iudaei, maxime vero Phariſaei in eo diſceſſerunt, quod ſcripturae patrum traditiones adiungerent, easdemque ſcripturae non aequipararent modo, ſed praeferrent, verum ſcripturae ſenſum ſimul hoc ipſo corrumpentes; quo nomine non ſemel a ſeruatore ſunt reprehenſi. Interim eodem morbo Iudaei, qui ſerio gentis ſuae placita ſequuntur, adhuc hodie laborant.

Reuelationum, quae inter gentiles circumferebantur, oraculorum praeſertim, vanitatem plerique ipſorum gentilium perſpectam habuerunt; tantum abeſt vt aut a Iudaeis, aut chriſtianis, pro veris atque genuinis potuerint admitti. Chryſippum totum volumen Apollinis oraculis impleuiſſe, CICERO auctor eſt, *partim falſis, partim caſu veris, vt fit in omni oratione ſaepiſſime; partim flexiloquis & obſcuris, vt interpres egeat interprete, & ſors ipſa ad ſortem referenda ſit; partim ambiguis, & quae ad dialecticam referenda ſint; &c. lib. 2. de diuinat. c. 56. p. m. 1275.* Ipſe quoque PORPHYRIVS, gentilium ceteroquin ſuperſtitionis acerrimus defenſor, qui & *de philoſophia ex oraculis petita*, librum ſcripſit, oracula, vatesque ſaepe mentiri fatetur. Locum eius exhibet EVSEBIVS, *praepar. euangel. l. 6. c. 5.* qui & *libro 5.* aliquot capitibus oraculorum gentilium vanitatem oſtendit, quod & iam ante eum ORIGENES fecit, *l. 7. contra Celſum p. m. 333,* ex edit. SPENCERI. Ex chriſtianis vero neminem fuiſſe, qui iſta oracula pro diuinis haberet, vt moneamus, neceſſe non eſt. De ſibyllarum autem, quas vocant, effatis, ſiue oraculis, non aeque idem dici poteſt; cum inter veteris eccle-

ſiae

ſiae doctores fuerint, qui eorum auctoritate ad confirmandam religionem chriſtianam vterentur. Primum, qui hoc fecerit, Iuſtinum martyrem fuiſſe, GALLAEVS obſeruat, quem deinceps Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, auctor *conſtitutionum apoſtolicarum*, Lactantius, Conſtantinus magnus imperator, Euſebius, Optatus, Hieronymns, Auguſtinus, aliique caeco impetu fuerint ſequuti, *diſſert. de ſibyllis, earumque oraculis, c. 15. p. 314.* Et ſane, ſi ea, quae ab hiſce paſſim adferuntur, reuera a ſibyllis, aut, ſi vna ſtatuatur, ſibylla quadam fuiſſent profecta, vitio illis verti non potuiſſet, diuinam quamdam quod in illis agnouerint reuelationem. De Chriſto enim, aliiſque verae doctrinae capitibus, ita quandoque loquuntur, vt diuini, qui apud Ebraeos fuere vates, nec rectius, nec luculentius, de iis loqui potuerint. At vel hoc ipſum ita comparatum eſt, vt rem omnem valde ſuſpectam reddat; cumque & aliae rationes accedant, probanda omnino illorum ſententia, qui oracula, in quibus talia exſtant, ab aliis conficta, temereque a veteris eccleſiae doctoribus, criticae artis non ſatis peritis, nimiſque auide cuncta, quae gentilibus opponi poterant, amplectentibus, arrepta fuiſſe contendunt. Quare nec illis ſuffragari poſſum, qui, cum reliqua omnia reiiciant, ea tamen, quae a patribus allegantur, ſincera & genuina eſſe exiſtimant; quos inter praeter alios & NIC. LE NOVRRY eſt, in *adparatu ad bibliothecam max. vet. patrum, tom. I. lib. I. diſſert. 12. c. 3. p. 239. ſeq.* Praeterquam enim quod aliis exemplis conſtet, patres facillime in eiuſmodi rebus decipi poſſe; plurimae obſtant rationes, quo minus credendum ſit, incertis obſcuriſque inter gentiles hominibus reuelationes diuinitus obtigiſſe, quae claritate ac euidentia eas, quas in ſacro codice habemus, ſi non ſuperant, certe adaequant. Addenda his, quae GALLAEVS in medium adfert, vt ex inſtituto euincat, ſibyllas diuinitus non fuiſſe inſpiratas, *l. c. c. 22. p. 503. ſeq.* Omnium rectiſſime hinc ſe expediunt, qui oracula iſta ſibyllina in certas claſſes diſtribuunt, vt de ſingulis eo rectius pronuntiari queat, qua de re legenda, quae BEVEREGIVS diſſerit, in *codice canonum eccleſ. primit. vindicato, l. 1. c. 14. p. 135. ſeq.*

Circa initium eccleſiae chriſtianae, ea praeſertim aetate, qua apoſtoli adhuc in viuis erant, prophetiae dono quoſdam inſtructos fuiſſe conſtat. Idque ſequenti ſecundo, tertioue ſaeculo non plane deſiit, ſi antiquis eccleſiae doctoribus habenda fides eſt. Adfirmat ſane hoc IVSTINVS martyr, in *dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. m. 308.* quem locum & EVSEBIVS adfert, *H. E. l. 4. c. 18.* porro eccleſiae in Galliis, in epiſtola ad eccleſias Aſiae Phrygiaeque, apud eumdem EVSEBIVM, *l. 5. c. 3.* MILTIADES itidem apud EVSEBIVM, *l. 5. c. 18.* ORIGENES, *lib. 1. adu. Celſum, p. 34, 35.* CYPRIANVS, de ſe ipſo *epiſt. 11.* Reſque nota eſt de GREGORIO thaumaturgo, quam copioſius exponit GREGORIVS Nyſſenus, in *orat. de vita Gregorii thaumaturgi*, & BASILIVS magnus, in *libr. de ſpiritu ſancto, c. 29. tom. 2. opp. p. m. 359.* Immo nec deſunt ex iiſdem veteris eccleſiae doctoribus, qui Ioelis vaticinium *cap. III, 1, 2.* de donis extraordinariis intellectum, ad quaeuis noui teſtamenti tempora referunt. Atque horum quidem omnium ſi ita capiatur ſententia, quod in rebus ad fidem ac vitam non ſpectantibus, ſed aliis, Deus, quandocumque illi viſum fuerit, hominibus quaedam reuelare queat, nobis neutiquam aduerſatur. Sin ita, quod poſt clauſum noui teſtamenti canonem, in iis quoque, quibus fides ac vita hominum dirigitur, reuelatio eiuſmodi locum habeat, minime eſt admittenda. Qua quidem ratione, cum ea, quae de GREGORIO thaumaturgo commemorantur, comparata

 ſint,

ſint, quippe cui in viſione fidei quaedam confeſſio tradita dicitur, non ſine ratione viris longe doctiſſimis dubium ſubortum eſt, an ſatis tuto hisce, quae de veterum quorumdam reuelationibus narrantur, fides adhibeatur. Declamatorium certe plerorumque veteris eccleſiae doctorum ſtilum obſtare, quo minus ſemper veritas hiſtorica inde elici queat. Legenda, quae hac de re monet WITSIVS, *miſcell. ſacr. p. 1. lib. 1. c. 24. p. 364. ſeq.* Illud interim longe eſt certiſſimum veteris eccleſiae doctores non aliam fidei vitaeque regulam agnouiſſe, quam ſcripturam ſacram. Legat ſaltem, qui hac de re dubitat, illorum ſcripta, ſtatimque videbit, id eos vnice agere, vt ex ſcriptura tum Iudaeos, tum haereticos quosuis, erroris conuincant. Idem ſubinde effatis diſertiſſimis tradunt. Omnium inſtar ſit IRENAEVS: *Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtrae cognouimus, quam per eos, per quos euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc praeconiauerunt, poſtea vero per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt*, FVNDAMENTVM ET COLVMNAM *fidei noſtrae futurum; lib. 3. cap. 1.* Idem hoc eſt, quod & nos adſerimus, ſcripturam ſacram eſſe *fundamentum & columnam* fidei noſtrae. Alibi idem IRENAEVS ſcripturam ſacram *regulam veritatis* adpellitat: *Nos autem, vnum & ſolum verum Deum doctorem ſequentes, & regulam veritatis habentes eius ſermones, de iisdem ſemper eadem dicimus omnes, l. 4. c. 69.* Pari ratione HIERONYMVS *adu. Heluid. tom. IV. opp. p. m. 141.* ſacras litteras vocat *veritatis fontem*; & CHRYSOSTOMVS *hom. 13. in 2. Cor. cap. VI. tom. V. in nou. teſtam. p. m. 638.* docet, quod ſcriptura ſit ἀκλίντων γνώμων καὶ κανών. Praeclare AVGVSTINVS: *Adferamus ad examen non ſtateras doloſas, vbi adpendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro, dicentes, hoc graue, hoc leue eſt, ſed adferamus diuinam ſtateram de ſcripturis ſanctis, libr. 2. contra Donatiſtas, cap. 6. tom. IX. opp. p. m. 68.* His & longe plura aliorum veteris eccleſiae doctorum addere poſſemus teſtimonia, niſi iam pridem ea collegiſſet B. CHEMNITIVS noſter, in *exam. concil. Trident. part. I. loc. I. ſect. V. p. 58.* Non equidem negamus, tum IRENAEVM, tum alios veteris eccleſiae doctores, ſcripturae ſacrae ſubinde adiungere traditiones. At, quo ſenſu hoc faciant, deinceps dicemus. Qui poſtea patres exceperunt doctores, praeſertim ſcholaſtici, cum in magna rerum diuinarum ignorantia verſarentur, patrum quidem praecipue auctoritate ac teſtimoniis vſi ſunt, vnde iſti *ſententiarum collectores* exſtiterunt. Tantum vero abeſt, vt ſcripturae auctoritati hoc ipſo detractum quidquam voluerint, vt vel ideo patribus fidem adhibendam cenſuerint, quod eos ſcripturae ſacrae ſenſum quam rectiſſime tenere arbitrarentur. Nec ab iſta prius diſceſſum eſt ſententia, quam cum ad errores, qui ſenſim irrepſerant, defendendos, traditionibus, ſimilibusque ſubſidiis ſibi opus eſſe, nonnulli intelligerent.

*** Argumentum hoc eſt longe luculentiſſimum, ex quo veteris eccleſiae ſententia de vera fidei ac vitae norma conſtet. Iuuat autem ipſam conciliorum, praeſertim vniuerſalium hiſtoriam perluſtrare, vt conuincamur, non aliam decidendi controuerſias, de fide ac vita ſubortas, normam adhibitam fuiſſe, quam ſcripturam ſacram. Memoratu prorſus digna ſunt Conſtantini magni imperatoris verba, in oratione, qua concilii Nicaeni patres adloquutus eſt, illisque concordiae ſtudium commendauit, ſimulque, quam in quaeſtionibus, de quibus diſceptabatur, diiudicandis, ſequi normam deberent, ſignificauit: εὐαγγελικαὶ καὶ ἀποστολικαὶ βίβλοι, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα, σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν, ἐκπαιδεύουσι, *euangelici & apoſtolici libri, & antiquorum prophe-*

prophetarum libri, plane inſtruunt nos, quid de rebus diuinis ſentiendum ſit; apud THEODORETVM, *hiſt. eccleſ. l. 1. c. 7.* Addenda his, quae de concilio Chalcedonenſi refert EVAGRIVS, *hiſt. eccleſ. l. 2. c. 18.* Legimus equidem, ſubinde in rebus ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus, ad canones conciliorum priorum prouocatum fuiſſe; in iis etiam, quae ad fidem pertinent, Nicaeni concilii ſymbolum in ſequentibus, velut fundamenti loco poſitum; ſed doctorum quoque eccleſiae, quorum magna orthodoxiae fama fuit, ac celebritas, auctoritatem quandoque in cenſum veniſſe; at non alia ratione, quam quod crederent, in hiſce omnibus nihil, quod ſcripturae non conueniret, aut ex ea ſumtum non eſſet, contineri. Vltimum deciſionis fundamentum aliunde, quam ex ſcriptura ſacra petitum eſſe, nullo comprobari poteſt exemplo. Obſeruatum quoque nonnullis eſt, eamdem ob cauſſam olim in conciliis oecumenicis, librum euangelia complectentem in medio poſitum fuiſſe; quem morem in priuatis etiam de religione diſputationibus obſeruatum AVGVSTINVS teſtatur, *epiſt. 163.* ſiue, ſecundum recentiorem diſpoſitionem *44. tom. II. oper. p. m. 81.*

* Vt enim non aliam fidei ac vitae agnouerunt normam, quam ſcripturam ſacram, ita non alium quoque, quam ſpiritum ſanctum, agnoſcere potuerunt iudicem, qui per ſcripturam ſacram homines ad ſalutem erudit. Adplicationem autem ſententiae in ſcriptura ſacra prolatae, non ab vno quodam homine, qui ſupremus eccleſiae iudex eſſet, ſed ab omnibus, ad hoc idoneis, praeſertim epiſcopis ac doctoribus, aliisque piis hominibus, in vnum rite congregatis, fieri debere, eos cenſuiſſe, vel tot concilia olim inſtituta nos condocere poſſunt. Ecquem enim in finem iſta congregaſſent, ſi ab vno quodam, eoque vniuerſali epiſcopo, controuerſiarum exortarum poſtulare potuiſſent deciſionem? Nec ſane admitti eiusmodi externus controuerſiarum iudex poteſt, niſi idem ſimul infallibilis, ac extra omne erroris periculum conſtitutus, ſtatuatur. Vbinam vero gentium eiusmodi iudex eſt? Num Romanus hoc ſibi vindicabit pontifex? At, praeterquam quod euidentiſſimis documentis probari queat, veterem eccleſiam numquam credidiſſe, Romanum epiſcopum extra erroris periculum conſtitutum fuiſſe, exemplis etiam quam plurimis conſtat, Romanos praeſules in errores grauiſſimos, haereſesque, ab vniuerſa eccleſia damnatas, prolapſos eſſe. Qui ex annalium eccleſiaſticorum monumentis haec in compendio demonſtrata legere cupit, adeat IO. LA PLACETTE *obſeruationes hiſtorico-eccleſiaſticas, quibus eruitur veteris eccleſiae ſenſus circa Romani pontificis poteſtatem, in definiendis fidei rebus.* Etſi vero deinceps Romani praeſules ſupremum hocce in rebus fidei iudicium ſibi adſerere conati ſint, numquam tamen non fuerunt, qui ſtrenue hiſce auſibus ſe opponerent; non modo ex eorum numero, qui illorum adſeclis haeretici vocantur, ſed ex iis ipſis, qui in reliquis Romanae eccleſiae placita ſequuntur. Cuius rei vel Gallia teſtis eſt, pro eccleſiae ſuae libertate tam ſtrenue pugnans: teſtis eſt, cuius cauſſa tantum per aliquot annos ſtrepitum excitauit, QVESNELLIVS, qui, de pontificis bulla, qua plurima ipſius dogmata damnantur, verba faciens, *nec enim,* inquit, *ſine peculiari prouidentiae nutu & conſilio contigit, vt, quo tempore Romana curia neruos omnes contendebat, ad erigendum altius* SVAE INFALLIBILITATIS *idolum, mittendosque ſub iugum Galliae epiſcopos, ardentiſſimi eius adſertores, laqueum illi, imprudentes & neſcii, parauerint, in quem praecipiti & caeco impetu ſe ipſa induit, ſicque vniuerſo orbi demonſtrauit euidenter tam illuſtri exemplo, ſe vitio humanae infirmitatis* ERRARE, ET FALLI POSSE, *immo* TOTIES

TIES ERRASSE ET DECEPTAM ESSE, *quot damnauit excerptas e meo libro propoſitiones*; in *expoſtulatione ac proteſtatione &c. p. 60.* Non ergo vitio nobis vertant Romanenſes, quod doctrinam de pontifice, ſupremo controuerſiarum iudice, pro conſtanti eccleſiae dogmate non habeamus.

** Cauſſa nimirum, cur veteres ſcripturam ſacram pro vnica fidei ac vitae regula haberent, non alia fuit, quam quod eam per inſpirationem a Deo profectam crederent. Hinc ATHENAGORAS, *nos eorum*, inquit, *quae ſentimus & credimus, teſtes habemus prophetas*, οἱ πνεύματι ἐνθέῳ ἐκπεφωνήκασι καὶ περὶ τοῦ θεοῦ, καὶ περὶ τῶν τοῦ θεοῦ, *qui ſpiritu diuinitatis pleno pronuntiarunt tum de Deo, tum de rebus diuinis*; & iterum: *dicatis & vos etiam, qui vt ingenio, ita & notabili erga verum Deum pietate ceteris praeſtatis, quam ſit abſurdum*, παραλιπόντας πιστεύειν τῷ παρὰ τοῦ θεοῦ πνεύματι, ὡς ὄργανα κεκινηκότι τὰ τῶν προφητῶν στόματα, προσέχειν δόξαις ἀνθρωπίναις, *ſi quis ſpiritui diuino, qui prophetarum ora velut inſtrumenta ſua mouit, adhibere fidem nolens, obtemperet opinionibus humanis*; *apolog. pro chriſtian. p. m. 65.* Pari ratione & IVSTINVS martyr; de prophetis verba faciens, dicit, quod fuerint *beati, iuſti, Dei amantes, Deoque ipſi cari homines*, θείῳ πνεύματι λαλήσαντες, *diuini ſpiritus adflatu loquentes*, ex quorum ſcriptis ea condiſcere liceat, quae nobis ſalutem adferre queant; in *dialogo cum Tryphone, p. m. 224.* Plurima eiusdem generis his addere poſſem: ſed de CYPRIANO ſaltem obſeruare iuuat, admodum illi frequens eſſe, vt ſcriptorum ſacrorum, tamquam diuinitus inſpiratorum, mentionem faciat. Sic in libro *de opere & eleemoſynis, p. 137. oper.* edit. Amſtaelod. quae anno 1700. prodiit; *loquitur*, inquit, *in ſcripturis ſpiritus ſanctus & dicit: eleemoſynis & fide delicta purgantur*; & *p. 139.* iterum: *loquitur per Salomonem ſpiritus ſanctus & dicit &c.* & paucis interiectis: *beatus apoſtolus Paulus, dominicae inſpirationis plenus &c.* & in libro *de bono patientiae, p. 145.* Pauli iterum mentionem faciens: *beatus apoſtolus Paulus, plenus ſpiritu ſancto, & vocandis, formandisque gentibus miſſus &c.* In eo itaque, cum omnes conſentirent, libros ſacros per inſpirationem a Deo ipſo profectos eſſe, non potuerunt non ex hac origine canonicam illorum deriuare auctoritatem. Idque inde porro confirmatur, quod in agnoſcenda horum librorum auctoritate, nuſpiam nos ad teſtimonium eccleſiae ablegent, ſed ad ipſam ſcripturam ſacram, quippe quam luculentos diuinae ſuae originis characteres continere, agnoſcunt atque docent. Diſertis IVSTINI martyris, THEOPHILI Antiocheni, ORIGENIS, CHRYSOSTOMI, AVGVSTINI, aliorumque, hoc comprobare teſtimoniis poſſem, ſed vnicum ſufficiat TATIANI, *orat. ad Graecos, p. m. 102.* ex edit. WORTHI, in quo & nonnullos ex hisce characteribus enumerat: *Et, cum diligenter circumſpicerem, in libros quosdam barbaros* (ita ſacri codicis libri vocabantur Graecis) *incidere mihi contigit, antiquiores multo, quam Graecorum philoſophia, ſi ſpectes aetatem, & auguſtiores, ſi illorum errores. His ego fidem adhibui* διὰ τὸ τῶν λέξεων τὸ ἄτυφον, καὶ τῶν εἰπόντων τὸ ἀνεπιτήδευτον, καὶ τῆς τοῦ παντὸς ποιήσεως τὸ εὐκατάληπτον, καὶ τῶν μελλόντων τὸ προγνωστικὸν, καὶ τῶν παραγγελμάτων τὸ ἐξαίσιον, καὶ τῶν ὅλων τὸ μοναρχικὸν, *ob ſtili humilitatem, auctorum ſimplicitatem, enarrationem creationis vniuerſi captu facilem, futurorum praedictionem, praeceptorum excellentiam, & quod omnia vni Deo ſubiecta ſtatuerent.* Haec, ſimiliaque, quae & apud alios paſſim occurrunt, veram ac genuinam rationem, methodumque, diuinam ſcripturae auctoritatem cognoſcendi, nobis pandunt, ſimulque oſtendunt, quam longe veteris eccleſiae doctores ab iſtorum ſententia abfuerint, qui non aliunde, quam ex eccleſiae teſtimonio

Digitized by Google

teſtimonio hoc innoteſcere, perſuadere nobis volunt. Nec alio loco eccleſiae teſtimonium veteres habuiſſe, quam illud habendum ſupra docuimus, variis itidem teſtimoniis comprobari poſſet; cumprimis AVGVSTINI; ſed haec iam B. MART. CHEMNITIVS noſter exhibuit, in *exam. concilii Tridentini, part. I. loc. I. ſect. VI. p. m. 72.* Eadem quoque illorum, qui deinceps patrum preſſere veſtigia, de his omnibus fuit ſententia, donec tandem ſequiori aetate, ad noua quaedam dogmata, ritusque ſuperſtitioſos tuendos, ſcripturam eccleſiae ſubiicere auctoritati commodum viſum eſſet; at eo euentu, vt per plurima eorum, qui a Romana eccleſia diſceſſerunt, ſcripta, veritas magis eniteſceret. Non alios autem, quam quos hodie recipimus, libros, veteres pro canonicis habuiſſe, illorum, qui horum catalogum texuerunt, MELITONIS apud EVSEBIVM, *hiſt. eccleſ. l. 4. c. 26.* ORIGENIS, GREGORII Nazianzeni, AMPHILOCHII, ATHANASII, RVFFINI, PHILASTRII Brixienſis, HIERONYMI, AVGVSTINI, CASSIODORI, IVNILII, LEONTII Byzantini, ISIDORI Hiſpalenſis, RABANI MAVRI teſtimoniis comprobari poſſet. Sed haec nota ſatis ſunt, refertque ea praeter alios in compendio IO. ENS, in *bibliotheca ſacra ſiue diatribe, de librorum noui teſtamenti canone, c. 6. p. 135. ſeq.* De nonnullis equidem noui teſtamenti libris dubitatum olim fuit, num ab illis auctoribus ſint conſcripti, quibus tribuuntur; indeque factum, vt in quibusdam catalogis antea memoratis non compareant. Id vero noſtrae non obſtare ſententiae, iam ſupra ad *ſ. 31.* luculenter, ni fallor, euicimus. Prima autem, vt a vera illa, atque recepta veterum ſententia diſcederetur, occaſio haec fuit, quod *canonis* voce, in ſignificatione latiori accepta, ſucceſſu temporis etiam quidam libri eccleſiaſtici comprehenderentur; vti itidem iam ad *ſ. 31.* nobis eſt obſeruatum. Hinc enim non tantum plurimi in errorem inducti, ſed cum deinceps e re eccleſiae Romanae eſſe videretur, quidquid ſemel vſu receptum eſſet, retinere, atque acriter defendere, vt ſuperſtitionis ac ignorantiae fundamenta ſarta tecta manerent, auide hoc arreptum, vt eccleſiaſtici quidam libri cum canonicis, ac diuinitus inſpiratis, vno eodemque loco haberentur. Quae ſi recte expendantur, quo iure Romana eccleſia libros quosdam pro canonicis habeat, quos nos inter apocryphos referimus, facile patebit.

*** Frequens vtique traditionum apud veteres mentio, immo & ſubinde honorifica elogia. Sed cum varia vocis huius ſit ſignificatio, vt ab aliis iam eſt expoſitum, nihil minus, quam eiusmodi traditiones, quales Romana eccleſia nobis obtrudere conatur, intelligi, facili ratione demonſtrari poteſt. Omnia, quae hac de re dici poſſunt, adferre, noſtri non patitur inſtituti ratio. Vnico ſaltem rem omnem declarare iuuabit exemplo. Praeclare nimirum admodum de traditione ſentire videtur IRENAEVS. *Traditionem apoſtolorum*, inquit, *in toto mundo manifeſtatam, in omni eccleſia adeſt reſpicere, omnibus, qui vera velint audire, l. 3. c. 3.* Et iterum: *Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile eſt ab eccleſia ſumere; cum apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſſime in eam contulerint omnia, quae ſint veritatis, vti omnis, quicumque velit, ſumat ex ea potum vitae; ibid. c. 4.* Quibus quidem, ſimilibusque locis, mirifice ſe iactitat operum Irenaei editor, MASSVETVS, in *diſſertationibus praeuiis in Irenaei libros, diſſ. 3. art. 3. fol. 113.* vt traditionibus ſuis inde auctoritatem conciliet. Sed cum ſupra iam teſtimoniis luculentiſſimis comprobatum ſit, non aliam IRENAEVM fidei atque vitae regulam agnoſcere, quam ſcripturam ſacram, fruſtra eumdem in ſuas pertrahere partes adnituntur Romanenſes.

nenſes. Nec ſibi ipſi, aut nobis, in locis antea recitatis, repugnat. Res enim illi erat cum haereticis, qui, cum ex ſcriptura valide refutarentur, ſcripturam ipſam impugnabant, immo non omnes eius partes, easdemque nec integras recipientes, ex ſola ſcriptura veritatem doceri poſſe negabant, niſi traditiones ſimul, viua voce ab apoſtolis propagatae, adhiberentur. Iſtorum ergo hominum petulantiam vt compeſceret tum IRENAEVS, tum TERTVLLIANVS, ad traditiones equidem prouocabant, ab apoſtolis profectas, ſed eas, quibus idem confirmabatur, quod in ſcriptura ſacra exſtabat. Quod eo rectius facere poterant, quod eo tempore, ab apoſtolorum aetate non multum remoto, doctrinae veritas, fideique ſinceritas, adhuc in eccleſia florebat. Neutiquam itaq; per traditiones eiusmodi quid, quod a doctrina ſcripturae diuerſum, aut ei omnino repugnat, intelligebant, ſed vnam eamdemque doctrinam, quae & in ſcriptura continebatur, & viua ſimul voce propagata ab apoſtolis erat. Manifeſtum ſatis hoc eſt ex iis, quae IRENAEVS *l. 3. c. 3.* diſſerit. Immo & apud EVSEBIVM ſermones Polycarpi, eiusque doctrinam ab apoſtolis acceptam, aliaque commemorans, dicit; πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, *omnia ſacris ſcripturis conſona fuiſſe; hiſt. eccleſ. l. 5. c. 20.* Nec apud veteris ſaltem eccleſiae doctores, ſed in ipſa ſcriptura ſacra traditionis vox ita accipitur, vt ea, quae in ſcriptis virorum ſacrorum continentur, & viua ſimul voce propagabantur, denotet; conf. *1. Cor. XI, 23. 2. Theſſ. II, 15.* Ex eo tamen, quod negandum non eſt, quod veteres quidam traditiones haereticis ſano & orthodoxo ſenſu opponerent, factum eſt, vt nonnulli generatim traditionibus ad conuincendos haereticos ſibi opus eſſe crederent. Nimirum, cum haeretici non minus ſcriptura pugnarent, quam orthodoxi, dictisque, quae hi adſerebant, longe alium ſenſum tribuerent; tutiſſimam, compendioſiſſimamque viam nonnulli arbitrati ſunt, ſi ſcripturae traditiones iungerent. Huc ſpectant, quae hac de re diſſerit VINCENTIVS Lerinenſis, *commonit. cap. 3. p. m. 211.* edit. GE. CALIXTI. Sed huc minime deueniendum erat: cum per regulas hermeneuticas ſcripturae ſenſus ita erui queat, vt veritatem contra quosuis diſſentientes defendere, atque in tuto collocare, pronum ſit. Praeter praecipuam illam, vox *traditio* & alias ſignificationes apud ſcriptores eccleſiaſticos habet, quae tamen non magis, quam illa, diſſentientium cauſſam iuuant. Hi namque, vt recte B. MART. CHEMNITIVS noſter pronuntiat, *ſophiſtice, ſine diſcrimine, talia teſtimonia* (veterum) *commiſcent, & ex vna, quod dicitur, fidelia omnes traditiones dealbant, vt praetextu & ſpecie antiquitatis fucum faciant &c.* in *exam. concil. Trident. part. I. loc. 2. p. 88.* Atque hinc, quaenam doctrinae de traditionibus fuerint fata, vtcumq; intelligere licet. Addatur B. KORTHOLTI erudita diſſertatio, de *traditionibus non ſcriptis*, quae inter *diſquiſitiones* eius *anti-Baronianas* ſeptima eſt, *p. 152. ſeq.*

* Si quis, olim in gente iudaica, aut tempore Chriſti etiam atque apoſtolorum, non omnibus promiſcue licitum fuiſſe, legere ſcripturam ſacram, contendat, eum aut imperitiſſimum, aut impudentiſſimum omnium mortalium eſſe oportet. Et ſane, cum ipſe ſeruator lingua, non eruditis modo, ſed plebeiis omnibus nota, quae ad ſalutem erant neceſſaria, adnuntiauerit; idemque cum fecerint apoſtoli; nulla, ne probabilis quidem adſerri ratio poteſt, cur non eadem, ſcriptis conſignata, legere liceat, quae ex ore Chriſti atque apoſtolorum quibusuis percipere fas erat. Ea quoque, quae apoſtolos ſequuta eſt, aetate, idem adhuc in vſu fuiſſe, vel ex IVSTINI martyris teſtimonio condiſcimus; *apol. I. pro chriſtianis, p. m. 131.* edit. GRABII.

Καὶ

Digitized by Google

Καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ, inquit, *πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποςόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ. ſolis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in vrbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conuentus ſit: & commentaria apoſtolorum, aut ſcripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.* Cum eiusmodi conuentum IVSTINVS commemoret, ad quem *omnes*, *qui vel in vrbibus, vel in agris degebant*, confluxerint, neceſſe eſt, lectionem quoque lingua, quae ab omnibus intelligi potuerit, fuiſſe inſtitutam. Idque inde porro patet, quod addit: lectore quieſcente *τὸν προεστῶτα*, *praeſidentem*, orationem habere, qua populum inſtruat, & *ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortetur.* Quodſi populus non intellexiſſet, quae lecta fuerunt, quo pacto ad tam pulchrarum rerum eum cohortari potuiſſet imitationem? Et ipſe tandem hoc non potuit negare NIC. LE MAIRE, etſi ceteroquin omnes ingenii vires intendat, vt rebus euidentiſſimis caliginem obfundat, in *ſanctuario profanis occluſo, part. II. c. 4. p. 117.* Fatetur enim, ipſis pueris etiam olim ſacrarum litterarum conceſſam fuiſſe lectionem. *Et ſanctus Ephraem*, inquit, *inter elogia, quae Abrahamo pangit, praedicat hoc etiam, quod adhuc puer adplicauerit ſe ſtudio ſcripturae. Origenes, & Emiſſenus in tenera aetate familiares ſibi reddebant ſcripturas. Et haec conſuetudo non poterat non eſſe laudatiſſima, cum apoſtolus ipſe eam adprobet in Timotheo, & cum conducat ad praeparationem ingenii, ad adquirendam cognitionem, & amorem rerum ſacrarum, vti notat ſanctus Cyrillus.* Quid itaque ad hoc reſpondet? *Verum euenit*, inquit, *vt haec licentia tranſiret a pueris ad nutrices & matres, adeoque ſcriptura etiam veteris teſtamenti fieret tam familiaris, vt nemini non fas eſſe videretur, ingerere ſe eius lectioni & citationi. Hoc autem contigiſſe ex abuſu, & contra ſenſum eccleſiae, teſtantur ſancti Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, &c. qui ſe tali licentiae oppoſuerunt, oſtenderunt pericula & damna, aperteque docuerunt, nefas eſſe quibusuis, implicare ſe huic abyſſo obſcuritatis & tenebrarum, &c.* Mirum omnino, iuxta auctorem iſtum, ſenſum eccleſiae Baſilio, Hieronymo, reliquis, rectius perſpectum fuiſſe, quam ipſi Paulo apoſtolo. Sed fruſtra etiam ad iſtos eccleſiae doctores prouocat. Etſi enim moneant, caute ac circumſpecte in ſacrarum litterarum lectione verſandum eſſe; quod nec nos abnuimus; etſi etiam doceant, in rebus obſcuris ac difficilioribus interpretem quemdam, ac doctorem eccleſiae conſulendum eſſe; inde tamen minime ſequitur, quod plebeios, feminas, ac pueros plane a ſcripturae lectione arcuerint, aut eam ſolis clericis conceſſam arbitrati fuerint. Immo HIERONYMVS ſubinde feminas chriſtianas, ad quas ſcribebat, diligenter ad ſcripturae ſacrae lectionem adhortatur. *Semper in manibus tuis ſit diuina lectio*, ſcribebat ad Saluinam, *ep. 85. tom. IV. opp. p. 668.* edit. MARTIANAEI. Sic & Furiae ſuadet, vt mutet affectum, quo ferebatur ad habenda ornamenta, in amorem verbi diuini, vultque, illam numquam indoctam miſcere, niſi aliquem verſum e pſalmis didicerit, *ep. XLVII. p. 558.* &, quae reliqua ſunt eiusdem generis, ipſi quoque LE MAIRE commemorata, *l. c. part. II. c. 4. §. 5. p. 126.* Vt autem ea eludat, dicit, ſuaſiſſe Hieronymum ſcripturae lectionem feminis, quarum virtutem habuerit perſpectam, *quarumue ſpiritum iudicauerit fortem ſatis, ac firmum, qui nihil vacillet occurſu difficultatum &c.* Quod quidem oppido vanum eſt, atque friuolum. Certe admittat itaque neceſſe eſt, non omnes promiſcue laicos a lectione ſcripturae arcendos, ſed eos tantum, quorum virtus

Digitized by Google

perſpecta non eſt, quorumue ſpiritus non ſatis fortis ac firmus eſt, quo minus occurſu difficultatum vacillet. Quis autem hac de re iudicabit? HIERONYMO iungimus adhuc CHRYSOSTOMVM, cuius homilia *IX. in epiſtolam ad Coloſſ.* quae exſtat *tom. VI. oper. in nouo teſtam. p. m. 223.* tota digna eſt, quae hac de re legatur. Inter alia, ἀκούσατε, inquit, παρακαλῶ, πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς· εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε, τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια, διδασκάλους διηνεκεῖς. *Audite quaeſo vos omnes, quibus curae ſunt, quae ad hanc vitam pertinent, & parate vobis libros, medicamenta animae; ſi nullos alios vultis, nouum quidem certe teſtamentum vobis parate, apoſtolorum actus, euangelia, magiſtros perpetuos.* Immo, eousque progreditur, vt diſerte dicat, hoc eſſe omnium malorum cauſſam, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφὰς, *neſcire ſcripturas.* Eleganter porro addit: *Absque armis imus ad bellum, & quomodo oportet eſſe ſaluos? Praeclare nobiscum agitur, ſi cum his ſalui ſimus, tantum abeſt, vt absque his ſalui eſſe poſſimus.* Quae ad haec, ſimiliaque veterum loca, ſecus ſentientes excipiunt, tam ieiuna, tamque friuola ſunt, vt ea & recitare pigeat.

Haud perfunctorie porro obſeruandum, veterem eccleſiam non tantum ſacra ea lingua, quae a quibusuis intelligi poſſet, adminiſtraſſe, graeca apud Graecos, latina apud Latinos, ſed in eadem lingua ſcripturam legendam omnibus propoſuiſſe; ſiue ex parte a ſcriptoribus ſacris ea conſcripta eſſet, vti nouum teſtamentum graece ſcriptum eſſe conſtat, ſiue uniuerſa in eam translata eſſet, vti de lingua latina notum eſt. Et neſcio ſane, quid BELLARMINVS cardinalis ſibi velit, quando ſcribit: *Habemus igitur, in vniuerſa Chriſti eccleſia id ſemper eſſe ſeruatum, vt ſacrae ſcripturae graeca tantum, & latina lingua publice legerentur, tametſi eae linguae maternae ac vulgares non eſſent; lib. 2. de verbo Dei, c. 15.* Exiſtimat nimirum, primis ſaltem quadringentis annis, quibus eccleſia maxime floruit, non lectas fuiſſe ſcripturas lingua vulgari; plane, ac ſi eo tempore iis in locis, vbi eccleſiae longe florentiſſimae fuerunt, in Aſia pariter ac Europa, lingua graeca & latina non fuerint maternae ac vulgares. Nec obiici poteſt, quod etiam in Africa, Gallia, Germania, Britannia, eo tempore eccleſiae fuerint, in quibus ſacra ſcriptura lingua latina lecta, & ſacra quoque eadem lingua adminiſtrata fuerint. Etſi enim hi populi linguam ſibi propriam atque vernaculam haberent, latinae tamen ſimul linguae vſus ita apud eos inualuerat, vt non minus quam vernacula ab omnibus etiam plebeiis intelligeretur. Quodſi etiam aliquando conſultum fuiſſet, in lingua cuiuis genti vernacula ſacram ſcripturam omnibus proponere, aut ſacra adminiſtrare, non aliam ob cauſſam hoc intermiſſum fuit, quam quod deeſſent, qui illarum linguarum ita periti eſſent, vt hoc facere poſſent. Ceterum, cum ſucceſſu temporis per gentium etiam barbararum incurſionem, aliasque ob cauſſas, graeca cumprimis & latina lingua immutaretur, & in diuerſas dialectos abiret, alicubi etiam plane abrogaretur, nec ſtatim eſſent, qui ſcripturam in linguas iſtas nuper exortas conuerterent, aut ſacra iisdem adminiſtrare auderent; fieri aliter non poterat, quam vt plurimis in locis ea lingua & ſcriptura legeretur, & ſacra adminiſtrarentur, quae poſteris ignota erat, maioribus tamen illorum, aut iis, qui easdem olim regiones incoluerant, longe fuerat notiſſima. Id enimuero cum inter mala atque incommoda iſtorum temporum referendum ſit, ſtolidum foret, regulam inde exſculpere, quam & nos ſequi debeamus. Sed in aliis quoque linguis, apud eas ſcilicet gentes, quae linguae graecae atque latinae ignarae erant, ſcripturam ſacram lectam fuiſſe, variae

variae verſiones, praeter graecam, qua vetus teſtamentum, &, qua vtrumque, latinam, confectae iam olim, abunde teſtantur. Varias autem ſuo iam tempore ſacri codicis exſtitiſſe verſiones, diſerte adſerit HIERONYMVS: *Praetermitto eos codices, quos a Luciano & Heſychio nuncupatos, paucorum hominum peruerſa adſerit contentio; quibus vtique nec in veteri inſtrumento, poſt ſeptuaginta interpretes, emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendaſſe: cum* MVLTARVM GENTIVM LINGVIS SCRIPTVRA ANTE TRANSLATA, *doceat falſa eſſe, quae addita ſunt*; *praef. in quatuor euangelia ad Damaſum, tom. I. oper. p. 1426.* edit. IO. MARTIANAEI. Confirmat idem AVGVSTINVS, ex linguarum confuſione & varietate factum eſſe docens, *vt etiam ſcriptura diuina, ab vna lingua profecta, qua opportune potuit per orbem terrarum diſſeminari, per* VARIAS INTERPRETVM LINGVAS LONGE LATEQVE DIFFVSA *innoteſceret gentibus ad ſalutem; de doctrina chriſtiana, l. 2. c. 5.* quod & alibi repetit. Luculentum autem cumprimis, adeoque minime nobis praetermittendum eſt THEODORETI teſtimonium: *ἡ Ἑβραίων φωνὴ οὐ μόνον εἰς τὴν Ἑλλήνων μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν Ῥωμαίων καὶ Αἰγυπτίων καὶ Περσῶν καὶ Ἰνδῶν καὶ Ἀρμενίων καὶ Σκυθῶν καὶ Σαυροματῶν, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, εἰς πάσας τὰς γλώττας, αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ.* *Et ebraica lingua* (h. e. libri veteris teſtamenti, lingua ebraica ſcripti) *non in Graecorum modo linguam verſa eſt, ſed etiam in Romanorum & Aegyptiorum, Perſarumque & Indorum, & Armeniorum & Scytharum, ac Sarmatarum, atque, vt paucis comprehendam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes vtuntur; de curandis Graecorum adfectionibus, l. 5. tom. IV. oper. p. m. 555.* Et ne quis cauilletur, loqui THEODORETVM de veteris ſaltem teſtamenti libris, (quamquam & hoc ad noſtrum inſtitutum ſufficiat) de apoſtolorum ſcriptis idem adfirmat, *l. c. l. 8. p. m. 592.* Poſſem hiſce & IO. CHRYSOSTOMI adhuc teſtimonium addere, niſi hoc ſupervacaneum eſſe exiſtimarem. Ipſae enim verſiones, quae hinc inde ſpeciatim memorantur, rem extra omnem dubitationem ponunt. Ne quid enim de verſione ſyriaca dicam, quam ab apoſtolorum aetate non multum remotam viri docti cenſent, Vlphilam, Gothorum epiſcopum, ſcripturas diuinas in gothicam convertiſſe linguam, adfirmat SOCRATES, *l. 4. hiſt. eccleſ. c. 33.* & SOZOMENVS, *l. 6. c. 37.* eumque iam tum Conſtantii aetate epiſcopali dignitate fulſiſſe, idem SOCRATES auctor eſt, *l. 2. c. 41.* HIERONYMVM porro ſcripturam ſacram in linguam dalmaticam, IO. CHRYSOSTOMVM in armenicam transtuliſſe, nonnulli adfirmant, non repugnantibus doctis inter Romanenſes viris. Sic porro Ioannes, archiepiſcopus Hiſpalenſis, ſaeculo VIIII. in linguam arabicam, & eodem ſaeculo Alfredus, Anglo-Saxonum rex, pſalterium in ſaxonicam, Methodius in ſlauonicam, ſaeculo XIII. in italicam Iacobus de Voragine, & ſaeculo XIV. Nicolaus Oresmius in gallicam, ſcripturam ſacram conuertiſſe perhibentur. Quam vero ignorantia primum introduxit conſuetudinem, vt ſacra latino ſermone adminiſtrarentur, hominesque plebeii a ſcripturae ſacrae, deficientibus verſionibus, quas intelligere poterant, lectione remouerentur, & ſuperſtitio auxit, eam tandem Romanorum praeſulum tyrannis confirmauit; cum viderent, VValdenſes primum, tum Huſſitas, tandem & eos, quos beati Lutheri emendatio eccleſiae excitauit, ſcripturae ſacrae luce clariſſima ad diſpellendas errorum ac ſuperſtitionum tenebras, quae eccleſiae incumbebant, vti. Sed ab eo etiam tempore eo plures exſtitere, qui hiſce auſibus ſe opponerent, ſcripturaeque lectionem omnibus concedendam contenderent, eo quidem cum ſucceſſu, vt

hodie, quotquot in Romana eccleſia ſapientiores cordatioresque ſunt, ringente licet, & indignante Romano praeſule, vt ſupra iam obſeruauimus, eidem ſententiae ſubſcribant.

** Qui ſcripturam mox non ſufficientem ad omnia eſſe clamitant, mox obſcuritatis aut ambiguitatis arguunt, non aliam hoc ob cauſſam faciunt, quam quod aliud cognoſcendi principium, ſeu fidei ac vitae regulam, aut in eius locum ſubſtituere, aut ei adiungere adnituntur. Haec itaque cum inter ſe connexa ſint, atque coniuncta, quid vetus eccleſia & de ſufficientia, & de perſpicuitate ſcripturae ſacrae ſenſerit, quaeue & huius doctrinae fata ad noſtra vsque tempora fuerint, ex hactenus dictis facile colligitur. Recte autem, atque praeclare IRENAEVS pronuntiauit, non orthodoxorum, ſed haereticorum eſſe, ſcripturam ipſam arguere, eamque vt parum ſufficientem, aut obſcuram vel ambiguam traducere. *Cum enim*, inquit, *ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem conuertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia varie ſint dictae, & quia non poſſit ex his inueniri veritas ab his, qui neſciant traditionem, l. 3. c. 2. p. m. 199.* edit. GRABII. Et conſtantem quidem veteris eccleſiae hanc fuiſſe ſententiam, ſcripturam ſacram ceu vnicam fidei ac vitae regulam omnia, quae ad ſalutem neceſſaria ſunt, tradere, IGNATII, POLYCARPI, IVSTINI, IRENAEI, TERTVLLIANI, CYPRIANI, ATHANASII, aliorumque, immo & ipſorum, qui patres ſequuti ſunt, ſcholaſticorum teſtimoniis comprobare poſſem, ſi hiſce immorari fas eſſet. Idem & de perſpicuitate cenſendum, eo nimirum ſenſu, quo ſupra eamdem ſcripturae adſeruimus. Hac enim ratione eam minime obſcuram, ſed perſpicuam & euidentem eſſe, agnoſcunt IRENAEVS, TERTVLLIANVS, CLEMENS Alexandrinus, EPIPHANIVS, CHRYSOSTOMVS, & tantum non omnes, priusquam Romanae eccleſiae conſultum videretur, ſcripturam deprimere, vt traditionibus locum faceret. Vt autem deinceps fuere plurimi, qui veritatem hoc quoque in capite adſererent, ita eorum, quae inde ad noſtram vsque aetatem ſequuta ſunt, certaminum, pertexere hiſtoriam, noſtri non permittit inſtituti ratio.

§. XLI. Nec defuerunt etiam, qui operam nauarent, vt codex ſacer integer ac intemeratus ad nos perueniret, illorumque ſe opponerent auſibus, qui eumdem corrumpere ac interpolare, vel etiam ſcripta ſpuria pro genuinis nobis obtrudere ſibi religioni non ducebant. Qua in re, vt prouidam ſimul Numinis curam pia mente veneremur, par eſt. * Interpretatio equidem ſcripturae non vna ſemper eademque ratione fuit comparata, cum initio ſenſus litteralis nulla fere haberetur ratio, plerisque ad allegorias prolapſis, adeo, vt tenebras potius ſcripturae obfundere, quam lucem adferre viderentur. Diuini tamen Numinis munere contigit, vt tandem vera & genuina illam interpretandi ratio felici ſucceſſu reſtitueretur, etſi non omnes eamdem, vt decet, ſequantur. **

* Fieri potuiſſe, vt non tantum per temporum iniuriam, hominumque incuriam, ſed & per haereticorum malitiam ſcriptura ſacra in quibusdam codicibus corrumperetur, ſupra iam ad §. 27. docuimus. ORIGENEM quoque pariter ac HIERONYMVM ibidem laudauimus, quorum ille *comment. in Matth. fol. 381.* hic autem *praefat.*

Digitized by Google

praefat. in quatuor euangelia, faſſus eſt, codices quoſdam fuiſſe corruptos. Iudaeos equidem ab imputatione ſacri codicis data opera corrupti, recte abſolui, non aeque haereticos, ibidem obſeruauimus. Et ſane diſerte praeter alios hoc fatetur ORIGENES. Cum enim Celſus obieciſſet, *quosdam fidelium, quaſi per temulentiam, permittere ſibi quiduis in mutanda ſcriptura euangelica tribus modis, quatuorne aut pluribus, vt ſic retractata poſſint negare, quoties arguuntur;* reſpondet, a nemine, quantum ipſe ſciat, mutatum euangelium, praeterquam a Marcionis & Valentini, & fortaſſe Lucani (Luciani) diſcipulis: *τοῦτο δὲ λεγόμενον οὐ τοῦ λόγου ἐςὶν ἔγκλημα, ἀλλὰ τῶν τολμησάντων ῥαδιουργῆσαι τὰ ἐυαγγέλια, quod crimen non eſt euangelii, ſed eorum, qui id auſi ſunt deprauare temere; l. 2. contra Celſum, p. m. 77.* Atque ad Marcionem quidem quod attinet, idem confirmat IRENAEVS, eum ad ſua vsque tempora ſolum fuiſſe adſerens, *qui manifeſte auſus eſt circumcidere ſcripturam, l. 1. c. 29.* Loca a Marcione corrupta ſpeciatim indicat EPIPHANIVS, *haereſ. XLII. p. 312.* Paullo diſtinctius, in quo Marcionis corruptio conſtiterit, ediſſerit MILLIVS, in *proleg. N. T. n. 306. ſeq.* qui tamen, quod ORIGENES de Valentinianis dicit, non tam de textus, quam doctrinae deprauatione, & quod de Lucaniſtis idem adſerit, de librorum apocryphorum confictione intelligendum contendit; inuito quidem, vt ego exiſtimo, ORIGENE. Sed plura de haereticis, qui ſacrum codicem corrupiſſe dicuntur, dabit, quem ſupra iam laudauimus, BARTH. GERMON, *de veteribus haereticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus, l. l. part. I. p. 18. ſeq.* cui tamen iungendus PETRVS COVSTANT, in *vindiciis veterum codicum confirmatis, part. II. p. 515. ſeq.*

Fuiſſe itidem, praeſertim circa initium noui teſtamenti, quam plurimos, qui confictis, ſuppoſititiisque ſcriptis alios decipere ſibi religioni non duxerint, nemo ignorat, niſi qui hoſpitem plane ex veterum monumentis retulit animum. Et Gnoſticos quidem quamplurimos libros ſuppoſititios habuiſſe, auctor eſt EPIPHANIVS, *haereſi 26. §. 8. p. m. 88.* Res ipſa quoque hoc teſtatur, cum ex ſpuriis eiusmodi ſcriptis quaedam integra, nonnullorum autem fragmenta, ad nos etiam peruenerint, in quibus colligendis magnam diligentiam demonſtrauit FABRICIVS, in *codice apocrypho N. T. collecto, caſtigato &c.* Nonnulla etiam exhibet GRABIVS, in *ſpicilegio patrum & haereticorum ſaeculi poſt Chriſtum natum I, II, & III &c.* Conferenda & de hiſce ITTIGII *differt. de pſeudepigraphis Chriſti, virginis Mariae, & apoſtolorum*, quae prima eſt in *heptade diſſertationum &c.* quae in *appendice* exſtat *diſſertationis de haereſiarchis:* itemque IO. ANDR. SCHMIDII *pſeudo-nouum teſtamentum.* Quaedam & huc ſpectantia attingit RIVETVS, in *critico ſacro, l. 1. c. 1. ſq. p. 96. ſeq.* itemque ROB. COCVS, in *cenſura quorumdam ſcriptorum, quae ſub nominibus ſanctorum, & veterum auctorum a pontificiis citari ſolent.* Quantum autem vtrimque, tum ex ſacri codicis corruptione, tum ex illorum, qui ſpurios libros pro genuinis orbi chriſtiano obtrudere non dubitarunt, auſibus, periculum ſcripturae ſacrae, diuinaeque adeo veritati enatum ſit, nemo non intelligit.

Prouida nihiloſecius diuini Numinis obſtitit cura, quo minus genuina, eaque integra & minime corrupta ſcriptura ſacra priuaremur. Et ad ebraeum quidem, ſeu veteris teſtamenti codicem quod attinet, maſoretharum ſtudium ſingulare hic obſtitiſſe, quo minus is corrumperetur, ſupra iam ad §. 26. obſeruauimus. Quantumvis autem ſumma illorum eſſet diligentia, euitari tamen non potuit, quin in codicibus manuſcriptis magna hinc inde exſtaret diſcrepantia, variaeque lectiones animaduer-

maduerterentur. Quod non tantum exemplo codicis Hilleliani, ſed vel maxime ex labore iſto, quo ſaeculo vndecimo duo celebres ebraeae gentis doctores, R. BEN ASCHER, Tiberienſis, & R. BEN NAPHTALI, Babylonius, in conferendis codicibus, variisque lectionibus notandis ac diiudicandis, defuncti ſunt, patet. Vt autem variantes iſtae ebraei codicis lectiones non adeo magni fuere momenti, quod de codice Hilleliano ipſe fatetur SIMON, *hiſt. crit. V. T. l. 1. c. 22. p. 124*, ita vel ipſa virorum iſtorum induſtria obſtitit, quo minus generalis quaedam in omnes codices deprauatio irrepere poſſet. Neque tantum hinc inde praeſtantiſſimi quidam, ſummoque ſtudio deſcripti codices conſeruati ſunt, ſed inuenta etiam deinceps, non ſine Numinis munere arte typographica, exſtiterunt viri docti, qui omne in id contulerunt ſtudium, vt codex ebraeus quam adcuratiſſime ederetur, incorruptusque ita ac intemeratus propagaretur; conf. IACOBI LE LONG *bibliotheca ſacra, ſiue ſyllabus omnium ſcripturae ſacrae editionum ac verſionum, c. 2. p. 64. ſeq.* Inter veteris eccleſiae chriſtianae doctores itidem fuere, qui in conferendis variis codicibus, lectionibusque variantibus diiudicandis, operam ſtudiumque ſuum collocarent, quamvis pauci. Pleriſque enim ebraei, aut etiam graeci ſermonis, artisque criticae ignorantia, aliaeque cauſſae obſtiterunt, quo minus in hocce ſtudiorum ſe dare genus aut poſſent, aut vellent; praeſertim cum eius neceſſitatem, prout par erat, non intelligerent. Immo patres ad coniecturas ſaepe confugiſſe, & pro lubitu textum contra manuſcriptorum codicum auctoritatem vitiaſſe, nec in locorum ſcripturae recenſione eam, quam res ipſa poſtulat, ἀκρίβειαν adhibuiſſe, viris doctis iam pridem obſeruatum eſt; conf. IO. CROIVS, in *obſeruat. ſacris & hiſtoricis in nouum foedus, c. 16. ſeq.* ORIGENI neceſſitatem, veram lectionem, collatis variis codicibus, eruendi, perſpectam fuiſſe, tetrapla eius, hexapla, atque octapla teſtantur, in quibus circa verſionem LXX interpretum diligentiam ſingularem adhibuit; conf. HVETIVS, in *Origenianis, lib. 3. cap. 2. ſect. 4. p. 255. ſeq.* HIERONYMVS itidem in commentariis ſuis haud raro diuerſas lectiones textus ebraei notat, & hinc ſubinde rationem reddit, cur in locis variis a LXX interpretibus, aliisque diſſentiat. Sed a reliquis, qui patrum nomine veniunt, eiusmodi quid non ſperandum fuit. Interim prouida Numinis cura contigit, vt in media iſta barbarie, ſummaque diuinarum, humanarumque rerum ignorantia, praeſtantiſſimi tamen tum veteris, tum noui quoque teſtamenti codices manuſcripti conſeruarentur, & ad nos propagarentur. Recenſere hosce, noſtri non fert inſtituti ratio. Legendi, qui de codicibus manuſcriptis noui teſtamenti ex inſtituto egerunt, SIMON, *hiſt. crit. textus N. T. c. 29. ſeq.* & MAIVS, in *repetito examine hiſtoriae criticae N. T. Simonis, c. 30.* cumprimis PFAFFIVS, in *diſſert. critica, de genuinis librorum N. T. lectionibus, c. 3. & 4. p. 52. ſeq.* Reſtituta autem bonarum litterarum luce, ſimulque typographica arte inuenta, excitati hinc inde viri doctiſſimi ſunt, qui in codicibus manuſcriptis conferendis, variantibus lectionibus colligendis, ac ponderandis, textuque graeco emendate edendo, ſtudium operamque collocarunt; quos inter LAVR. VALLA, ac ERASMVS Roterodamenſis, tum & ROB. ac HENR. STEPHANI, principem praecipuumque tenuere locum. Hos deinceps & alii magno numero inſequuti ſunt, at non omnes aeque caute ac circumſpecte. Dum enim nonnulli variantium lectionum numerum ſine modo, ſineque ratione auxerunt, tantum abeſt, vt ſacri codicis & auctoritati, & integritati conſuluerint, vt potius in maximum eam adduxerint diſcrimen. Sed hac de re iam ſupra dictum eſt.

eſt. Auctores eos, qui variantes noui teſtamenti lectiones collegerunt, recenſet MILLIVS, in *prolegom. noui teſtam.* vbi & de ſtatu ſacri textus noui teſtamenti per omnia ſaecula agit; *num. 240. ſeq. p. 28. ſq.* auctor, qui nouum teſtamentum graecum anno 1711. edidit, in *prolegom. p. 17. ſeq.* itemque PFAFFIVS, in *diſſert. crit. de genuinis librorum N. T. lectionibus, c. 6.* conf. & FABRICIVS, *biblioth. graec. l. 4. c. 5. p. 181. ſeq.*

Atque hunc in modum vt ſacri codicis conſeruata eſt integritas, atque impeditum, quo minus vniuerſalis quaedam corruptio irreperet, ita & illorum auſibus, qui ſpuriis & ſuppoſititiis ſcriptis aliis fucum facere voluerunt, tempeſtiue obuiam itum fuit. Non defuiſſe hic ſibi veteris eccleſiae doctores, exempla illorum teſtantur, qui genuinorum ſeu canonicorum librorum catalogos nobis reliquerunt, quorum antea recitauimus nomina. Iungenda etiam, quae ad §. 31. & 32. huius capitis diximus. Impetus etiam iſte eiusmodi hominum poſt priora eccleſiae chriſtianae ſaecula mox deſiit; magnoque conſenſu & conſtantia in mediis etiam barbariei ac ignorantiae tenebris, illi tantum recepti & propagati libri ſunt, quos vetus eccleſia probauerat. Fuerunt equidem deinceps, in Romana praeſertim eccleſia, qui ſpuria quaedam ſcripta pro genuinis defenderent, vt epiſtolam Chriſti ad Abgarum, canones apoſtolorum, liturgiam Petri, Iacobi, & quae alia ſunt eiusdem generis, eo quod in quibusdam errorum ſuorum ſe inuenire praeſidium ſibi viderentur. Sed hi, aliique, nihil aliud effecerunt, quam vt palam criticae artis, quae ſpuria a genuinis rite diſcernere docet, ſe plane rudes atque ignaros oſtenderent.

** Cum non eadem omnium de ſenſu ſcripturae ſacrae, num vnus, an multiplex ſit, ſpeciatim autem de myſtico ſeu allegorico, rationeque hunc in modum ſcripturam interpretandi, ſit ſententia, vt ſupra iam ad §. 25. docuimus; a prima origine rem repetemus, & quae huius quoque doctrinae fata fuerint, paucis demonſtrabimus. Apud gentes quasdam, praeſertim Aegyptios, ſymbolicam docendi rationem olim vſitatam fuiſſe, conſtat, atque vel ex CLEMENTE Alexandrino notum eſt, *lib. 5. ſtrom. p. 556.* pluribusque id confirmat HVETIVS, *de origin. fabul. Romanenſ. p. 9. ſeq.* Cumque ſapientiae ſtudium non profunda aut exquiſita cauſſarum, rerumve occultarum inueſtigatione, ſed eorum ſaltem, quae cognitu haud adeo difficilia erant, maximamque partem ad vitam recte inſtituendam pertinebant, inculcatione apud eas abſolueretur, dignitatem quamdam praeceptis ſuis conciliare, diſcipulorumque ad attentionem excitare animos hac ratione voluerunt. Hinc vero vſu obtinuit, vt ſcripta quoque aliorum eadem ratione interpretarentur, vt res ſcilicet deſcriptas aliarum rerum eſſe ſymbola vellent; praeſertim, quando credebant, ſcripti cuiusdam, cuius quaedam erat celebritas, aliter ſibi non conſtare auctoritatem. Ex quo quidem fonte etiam poetarum gentilium fluxere interpretationes allegoricae: de quibus, vt plura dicamus, inſtituti ratio prohibet. Conferendus auctor libri, *Moſes vindicatus, cap. 6. p. 112. ſeq.*

Eamdem itaque interpretandi rationem ad ſcripturam ſacram transferebant Iudaei, haud malo quidem, vt credere par eſt, conſilio; ſed vt eo ampliorem omnes ex illius lectione fructum caperent, & ſimul eius inde dignitas maieſtasque augeretur. Atque de Eſſenis hoc diſerte tradit PHILO: ἐντυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασι, φιλοσοφοῦσι, τὴν πάτριον σοφίαν ἀλληγοροῦντες, ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζουσι φύσεως ἀποκεκρυμμένης, ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης. *Verſantes enim ſacra volumina, dant operam philoſophiae, per manus acceptae a maioribus, ſcrutando eius allegorias, quoniam ſub*

apertis verbis latere credunt ſecreta naturae, coniecturis explicanda probabilibus. Addit porro, habere eos priſcorum commentarios, οἱ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον, *qui huius ſectae auctores multa monumenta reliquerunt de allegoriis eiusmodi, ad quorum imitationem poſteri ſe adcommodent; de vita contemplat. p. m. 893.* Apud reliquos Iudaeos eamdem itidem rationem ſcripturam interpretandi inualuiſſe, exempla quamplurima, in ſcriptis eorum obuia, teſtantur. Et quis eſt, qui illorum מדרשים *myſticas allegoricasque* neſciat *expoſitiones?* LIGHTFOOTVS hac de re verba faciens, *ad myſticas*, inquit, *& allegoricas tales ſcripturae explicationes, ſi modo explicationes vocare liceat, neſcio qua faſcinatione ita addicti erant, vt nihil fere iis in pretio magis, quam vt aures ad talia prurientes, vel titillarent, vel ſcaberent; hor. ebr. in euang. Luc. tom. II. oper. p. 521.* Speciatim & apud kabbaliſtas myſticis eiusmodi & allegoricis explicationibus nihil frequentius. Immo fuerunt, qui ſibi aliisque perſuaſum cuperent, Moſen ſenſum myſticum a Deo accepiſſe in monte Sinai, & cum LXX ſenioribus communicaſſe, per quos deinceps, vt & alios, qui illos exceperint, fuerit propagatus: conf. IO. PICVS, Mirandulae Concordiaeque comes, in *apologia pro concluſionibus ſuis, p. m. 81.* Ipſam etiam kabbalam nonnulli definiunt per theologiam ſymbolicam, in qua non modo litterae & nomina, ſed & res ipſae ſunt ſigna rerum. Factum hinc etiam, vt nonnulli gentis ebraeae doctores multiplicem ſcripturae ſenſum tribuerent, adſererentque, legi eſſe שבעים פנים *ſeptuaginta facies;* quod tamen alii ita capiunt, vt vnicum, eumque litteralem ſenſum fundamenti loco ponant. Legenda, quae hanc in rem adfert HOTTINGERVS, in *theſ. philolog. l. 1. c. 2. ſect. 7. p. 234.* Non enim omnes Iudaei ſenſu allegorico ita delectantur, vt litteralem negligant; immo in hocce eruendo plurimi vel maxime ſtudium induſtriamque ſuam collocant. Et karaitae quidem litterali tantum inhaerent, reiecta myſticorum iſtorum ſenſuum varietate; conf. quae dixi in *hiſtoria eccleſ. V. T. tom. II. p. 1211.*

Tranſiit hinc in eccleſiam quoque chriſtianam myſtica illa atque allegorica ſcripturam interpretandi ratio; eoque facilius recepta, quod plurimum πρὸς τὴν οἰκοδομὴν facere videretur. Celebratur cumprimis hoc nomine, ſed male quoque apud nonnullos audit, ORIGENES; quem & aliquando modum hac in re exceſſiſſe, negari nequit. Num a Platonicis, an aliunde hoc acceperit, alibi ex inſtituto diſceptatur. Neque tamen hoc ita capiendum, ac ſi litteralem ſenſum plane aut reiecerit, aut neglexerit. Quin immo de eo ſubinde ſollicitus eſt, allegoricum tamen in pluribus locis admittens, in multis vtrumque. Copioſius mentem meam de eo expoſui, in *diſſert. de allegoriis Origenis*, quae exſtat in *parergis hiſtorico-theologicis, p. 143.* Origenis exemplum plerique deinceps eccleſiae doctores ſequuti ſunt, adeo vt haec interpretandi ſcripturam ratio, quo facilior eſt, ſi modo qualecumque ingenium non deſit, eo etiam fieret frequentior. Nec tamen litteralem ſenſum prorſus repudiarunt; quinimmo, qui ſapientiores fuerunt, eum cum myſtico cenſuerunt eſſe coniungendum. Huc pertinent ea, quae GREGORIVS Nazianzenus, *orat. 42. p. m. 684.* edit. quae Coloniae anno 1690. prodiit, hac de re diſſerit, vbi media quadam ſe inceſſurum via profitetur, quamuis itidem, more ſaeculi iſtius, de litteralis ſenſus inveſtigatione paullo abiectius ſentire videatur. Extrema enim, quae euitaturus ſit, deſignans, alterum ἰουδαϊκὸν πῶς καὶ ταπεινόν, *iudaicum quodammodo, & abiectum*, alterum ὀνειροκριτικὸν *ineptum, & ſomniorum coniectore dignum* adpellitat. Pari ratione

& AV-

& AVGVSTINVS vtrumque ſenſum, & litteralem, quem hiſtoricum vocat, & myſticum, coniungendum eſſe docet, adſerens: *non eſſe illis conſentiendum, qui ſolam hiſtoriam recipiunt, ſine allegorica ſignificatione, nec illis, qui ſolas figuras defendunt, repudiata hiſtorica veritate; de ciuitate Dei, l. 15. c. 27.* Interim iam ea aetate vſitatum fuiſſe, vt myſtici ſenſus diuerſae ſpecies conſtituerentur, ex HIERONYMO diſcimus. Etenim in *epiſtola ad Hedibiam*, quae *tomo IV. oper.* eius ex edit. MARTIANAEI exſtat, *triplex*, inquit, *in corde noſtro deſcriptio, & regula ſcripturarum eſt. Prima, vt intelligamus eas iuxta hiſtoriam, ſecunda, iuxta tropologiam, tertia, iuxta intelligentiam ſpiritualem. In hiſtoria eorum, quae ſcripta ſunt, ordo ſeruatur. In tropologia, de littera ad maiora conſurgimus, & quidquid in priori populo corporaliter factum eſt, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animae noſtrae emolumenta conuertimus. In ſpirituali* θεωρίᾳ *ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, & caeleſtibus diſputamus, vt praeſentis vitae meditatio vmbra futurae beatitudinis ſit; p. 186.* Diuerſam vero, quae eo tempore in vſu fuit, ſcripturam interpretandi rationem AVGVSTINVS nos condocet. In libro namque imperfecto *de geneſi ad litteram*, qui exſtat *tom. III. oper.* edit. quae Antwerpiae 1700. prodiit, *quatuor*, inquit, *modi traduntur a quibusdam ſcripturarum tractatoribus legis exponendae, quorum vocabula enuntiari graece poſſunt, latine autem definiri & explicari; ſecundum hiſtoriam, ſecundum allegoriam, ſecundum analogiam, ſecundum aetiologiam. Hiſtoria eſt, cum ſiue diuinitus, ſiue humanitus res geſta commemoratur. Allegoria, cum figurate dicta intelliguntur. Analogia, cum veteris & noui teſtamentorum congruentia demonſtratur. Aetiologia, cum dictorum factorumque cauſſae redduntur; c. 2. p. 72.* Quo denſior autem, quae deinceps orbi incubuit, fuit ignorantiae, & inſcitiae caligo, eo minus, qui ad ſcripturam ſacram accedebant, ad ſenſum litteralem eruendum erant idonei, eoque ſimul ad allegoricam ſeu myſticam interpretationem ineptiores. Eo ipſo tamen etiam exſtiterunt tempore, qui naeuos iſtos animaduerterent, atque reprehenderent. HVGO namque DE S. VICTORE, qui ſaeculo duodecimo floruit, triplicem ipſemet ſcripturae interpretationem fecit, hiſtoricam, allegoricam, & anagogicam: recte tamen monuit, non vbique triplicem huncce ſenſum quaerendum eſſe, vt ſingula hiſtoriam, allegoriam, & tropologiam ſimul continere credantur: quinimmo reprehendit eos, qui allegoriarum doctores ſe iactitant, & ipſam adhuc primam litterae ſignificationem ignorant; *praenot. de ſcript. tom. I. oper. c. 3. 4. & 5.* Cuiusmodi allegoricae interpretationes, quibus ea aetate eccleſia perſonuit, fuerint, ex eiusdem HVG. DE S. VICTORE libro, *de allegoriis veteris ac noui teſtamenti*, intelligere licet.

Cum autem, pulſis ignorantiae & barbariei tenebris, noua litterarum lux exorta eſſet, plurimique exſiſterent, qui graecae atque ebraeae linguae ſtudium, cum arte critica, excolerent, mox rectior quoque ſcripturam interpretandi ratio innotuit; qua & plurimi vſi ſunt, licet ob praeiudicatas, quae ſubinde mentem occupant, opiniones, aliasque cauſſas, non aeque feliciter omnes. Nec myſtica reiecta fuit plane ſcripturae interpretatio, immo, quae inde oritur de multiplici ſcripturae ſenſu ſententia, a Romanenſibus eo auidius arrepta, acriusque defenſa fuit, quo facilius illis videbatur, inde ſcripturam obſcuritatis, ambiguitatisque arguere; quod vnice in votis habebant, vt locum facerent traditionibus. Sed hisce fortiter feliciterque obuiam a noſtratibus itum: quorum, licet aeque ac reformatae eccleſiae doctorum, de ſenſu myſtico non vna eademque ſit ſententia,

tentia, nihil tamen eos docere, quod cum Romanenſium errore conueniat, aut illi patrocinetur, ex iis patet, quae ad §. 25. copioſe hac de re diſputauimus. Vt autem nonnulli in ſcripturae explicatione criticis philologicisque obſeruationibus vltra, quam par erat, indulſerunt, ea quidem ratione, vt, quod caput rei eſt, negligerent, nec vllum inde, in iis quae ad fidem aut vitam pertinent, fructum referrent, ita exſtiterunt rurſus alii, qui in alterum extremum procurrentes, ſe totos in myſticas explicationes, quae ad fidei vitaeque rationem plus commodi adferre illis videbantur, darent; cumque cautiones allegoricae interpretationis, ſupra allegatas, negligerent, παράδοξα varia, immo interdum ἄτοπα illis admiſcerent: quo nomine IAC. BÖHMIVS, VAL. WEIGELIVS, aliique paſſim reprehenduntur. De THOMA BVRNETIO, atque HERM. DEVSINGIO, allegoricae interpretationi plus, quam decet, tribuentibus, iam ſupra ad §. 25. diximus; vbi & illos notauimus, qui vbique typos quaerunt, eosque vt inueniant, ingenio ſuo nimis indulgent. Quae IO. COCCEIO, eiusque ſectatoribus hac in re obiecta ſint, conſtat, alibique hoc ediſſeritur copioſius.

§. XLII. Ex dictis, quae noſtri hic ſint officii, intelligere licet: inſigne ſcilicet Dei, quod per ſcripturam ſacram nobis exhibuit, vt grato agnoſcamus animo beneficium; eadem etiam vt rite vtamur, ſummo ſtudio illam perſcrutando, *Io. V, 39.* immo maximam vitae huius felicitatem in eius meditatione ponendo; *pſ. I, 2.* eamdem porro re ipſa & in quotidiana fidei ac vitae praxi, ceu vnicam fidei ac vitae normam ſequamur, * *pſ. CXIX, 105.* ea, qua decet, veneratione ſuſcipiamus; *1. Theſſ. II, 13.* nec cognitione ſaltem contenti ſimus, ſed ad vitam recte inſtituendam cuncta referamus, verboque veritatis morem gerere adnitamur, *Rom. VI, 17. Iac. I, 25. Luc. VIII, 15.* Impedimenta denique, quae obſtant, quo minus eius fructum percipiamus, ſedulo remoueamus, *Luc. XIV, 17.*

* Conferenda omnino, quae ſupra ad §. 33. diximus.

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE LIBER SECVNDVS.

DOCTRINAM DE DEO, ET RELIQVA QVAE AD FINEM THEOLOGIAE SPECTANT EXHIBENS.

LIBRI SECVNDI

CAPVT PRIMVM

DE DEO TVM QVA ESSENTIAM ET ATTRIBVTA TVM QVA PERSONAS SPECTATO.

Σύνοψις.

SVmmum illud hominum bonum, quod eos beatos reddere poteſt, eſt Deus ipſe, §. I.

Hac voce quid denotetur, §. II.

Nomina, quibus in ſcriptura ſacra Deus deſignatur, & quidem ebraica, §. III.

item graeca, §. IV.

Deum exſiſtere, probat non tantum reuelatio, ſed & ratio: quinimmo omnium animis a Deo ipſo hoc eſt inſitum, §. V.

Argumentis etiam variis demonſtrari poteſt, §. VI.

Quid fides hic rationi ſuperaddat? §. VII.

Quid Deus ſit, non quidem plene & perfecte, aliqua tamen ratione cognoſcere poſſumus, §. VIII.

Summatim deſcribitur, §. IX.

De attributis diuinis generatim quaedam monentur, §. X.

In certas claſſes diſtribuuntur, §. XI.

Prima eorum eſt, quae Deo cum rebus quibusuis, quae exſiſtunt, ſpeciatim ſpiritibus, ſunt communia, §. XII.

Quo pertinent, vnitas, §. XIII.

bonitas, §. XIV.

veritas, §. XV.

Quae cum ſpiritibus Deo communia ſunt, vel phyſica ſunt, vel moralia, §. XVI.

Ad priorem ordinem refertur ſimplicitas, §. XVII.

immutabilitas ac immortalitas, §. XVIII.

vita, §. XIX.

operationes vitales, ſpeciatim intellectus, cui propria eſt ſcientia, §. XX.

Obiectum ſcientiae diuinae tam late patet, vt recte dicatur omniſcientia, §. XXI.

Pertinent huc etiam futura contingentia, ſpeciatim ea, quae poſita certa conditione, futura ſunt, §. XXII.

Modus ſcientiae diuinae quinam ſit? §. XXIII.

Monita quaedam hic obſeruanda; & quo pacto cuncta ad vſum vitae referenda? §. XXIV.

Digitized by Google

Ad intellectum etiam pertinet ſapientia diuina, §. XXV.

Voluntas quoque Deo recte tribuitur, §. XXVI.

Libertas voluntatis diuinae adſeritur, §. XXVII.

Quo pacto haecce libertas ſeſe exſerat? §. XXVIII.

Pro obiectorum diuerſitate voluntas diuina diuerſas ſortitur denominationes, §. XXIX.

Deus, quae vult, etiam efficere poteſt; vnde omnipotentia, §. XXX.

Actus voluntatis diuinae, quibus aliquid futurum ſecum conſtituit, vocantur decreta; de quibus generatim quaedam monentur, §. XXXI.

Motus voluntatis, adfectus vocantur: qui, an recte, & quo ſenſu Deo tribuantur? §. XXXII.

An, & quo ſenſu Deo virtutes, ſeu attributa moralia tribui queant? §. XXXIII.

Summa omnium virtutum, quae Deo tribuuntur, amor eſt, §. XXXIV.

ſcilicet, quo ſe ipſum, & res a ſe creatas, iuſto ordine amat, §. XXXV.

Ex amore, quo ſe ipſum Deus amat, fluit eius ſanctitas, §. XXXVI.

ex ſanctitate, iuſtitia, §. XXXVII.

itemque veracitas, XXXVIII.

Amoris, quo res a ſe creatas, ſpeciatim homines, proſequitur, excellentia, vim intellectus humani ſuperat; diuerſimode etiam, pro diuerſa ad hominum ſtatum relatione, vocatur, §. XXXIX.

Altera claſſis attributorum eſt, quibus a rebus creatis diſtinguitur omnibus, quaeue ex independentia fluunt: quorſum ſpectat infinitas, §. XL.

immenſitas, & omnipraeſentia, §. XLI.

itemque aeternitas, §. XLII.

Ex attributis diuinis iunctim ſumtis ſumma Dei reſultat beatitudo atque gloria, §. XLIII.

Ex ſcriptura praeterea conſtat, verum Deum eſſe patrem, filium, & ſpiritum ſanctum; id quod ratio ignorat, §. XLIV.

Quod myſterium nec in veteri teſtamento ignotum fuit, §. XLV.

Euidentius adhuc in nouo propoſitum, vt ex dictis patet, quae diſerte patris, filii, & ſpiritus ſancti, ceu vnius Dei, mentionem faciunt, §. XLVI.

Ad ſpecialem demonſtrationem rite inſtituendam, tria proponuntur capita, §. XLVII.

Patrem a filio, filium a patre, ab vtroque ſpiritum ſanctum, realiter differre, probatur, §. XLVIII.

Non tantum patrem, ſed & filium, itemque ſpiritum ſanctum, verum aeternumque eſſe Deum, §. XLIX.

Nec tamen tres eſſe Deos, ſed vnum Deum, §. L.

Ad myſterium hocce rite & adcurate exprimendum, recte adhibentur & retinentur termini in eccleſia recepti, eſſentia, ac perſona, §. LI.

Ad diſcrimen, quod inter perſonas diuinas intercedit, explicandum, obſeruare iuuat, actus, proprietates, & notiones perſonales, §. LII.

Errorum, qui in hoc capite, qua doctrinam de Numinis exſiſtentia, eſſentia, & attributis, occurrunt, fontes, §. LIII.

item, qua doctrinam de trinitate perſonarum, §. LIV.

Verae doctrinae in hocce capite conſeruatio & propagatio, §. LV.

Officiorum noſtrorum quae hic ſit ratio, §. LVI.

§. I.

VT a fine theologiae * ordiamur, Deus ipſe, qua eſſentiam & attributa, qua perſonas, ** nobis conſiderandus venit. Cum enim is ſolus ſummum hominis bonum ſit, *** cuius poſſeſſio, ſeu fruitio, vti loqui

loqui ſolent, aliquem beatum reddere poteſt; eum vt cognitum prius habeamus, par eſt, quam de felicitate, a communione cum eo ſperanda,* certi fieri queamus.

* Finem huncce *obiectiuum* vocare ſolent, quemadmodum ipſa beatitudo *formalis finis* nomine venit.

** Haec enim ad plenam Dei cognitionem requiruntur, de quibus adeo in hocce capite exponetur. Cum vero Deus ſemetipſum etiam in operibus naturae manifeſtauerit, de hiſce capite ſequenti dicetur.

*** Hoc ipſa ratio omnes, ſi modo recte mentem aduertere velint, condocet. Si quis enim, quid *bonum,* praeſertim relate ſpectatum, ſit? conſideret, omniumque bonorum, quae illi ſe offerunt, inſtituta comparatione, quid ad ſummum bonum requiratur, rite colligat; ſtatim deprehendet, nihil eſſe in hocce vniuerſo, in quod ſummi boni notio quadret, quodue reuera illum beatum reddere queat, praeter ſolum Deum. Copioſius hoc ediſſerui in *elem. philoſ. pract. part. I. c. 4. §. 20. ſeq.* Pauciſſimi equidem mortalium, ſi vitae praxin ſpectes, Deum pro ſummo bono ſe habere teſtantur: ſed id inde prouenit, quod prauorum potius adfectuum, quam rectae rationis, aut ſcripturae ductum, in ſummo bono eligendo, amplectantur. Sunt &, qui contendunt, gentilium philoſophos in eo fere conſenſiſſe, non aliud, quam Deum, ſummum bonum eſſe: ſed quid hac de re cenſendum, iam expoſui in *inſtit. theol. mor. part. I. c. I. ſect. IV. §. 85.* Scriptura vero id quam luculentiſſime confirmat. Non aliam enim ob cauſſam Deum *ex toto corde, toto animo, tota mente diligere iubemur, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37.* quam, quoniam is ſummum hominum bonum eſt. Summum enim bonum ſummum requirit amorem. Diſerte idem profitetur vir ſanctiſſimus Aſaphus: *Quis mihi eſt in caelo? & tecum nolo* (quemquam) *in terra. Defecerat caro mea, & cor meum: robur* autem *cordis mei, & pars mea, eſt Deus in ſaeculum, pſ. LXXIII, 25, 26.* Pari ratione Ieremias: *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exſpectabo eum. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animae quaerenti illum, Thren. III, 24, 25.* conf. & *Gen. XV, 1.* & *pſ. XVIII, 2.*

* Hoc *cap. III.* huius libri, ex inſtituto demonſtrabitur.

§. II. Deum autem quando dicimus, intelligimus eo nomine ens infinite perfectum, quod ceterorum omnium, extra ſe, auctor, & dominus ſit. Haec enim communis illa notio eſt, quam omnes homines, quisque ſua lingua, exprimunt, quotiescumque de Deo loquuntur. * Vnde ſua ſponte ſequitur, Dei nomine, ſi proprie accipiatur, non tam dignitatem, aut potentiam, quam ipſam eius naturam ac eſſentiam ſignificari. **

* Quod enim AVGVSTINVS de voce latina, *Deus*, dicit: *Omnes latinae linguae ſocios, cum aures eorum ſonus iſte tetigerit, mouet ad cogitandum excellentiſſimam quamdam, immortalemque naturam; de doctrina chriſt. l. 1. c. 6.* id non ſine ratione de omnibus vocibus, quibus quaelibet gens ſua lingua Deum exprimit, intelligitur. Errant ſane ſaepiſſime homines in adplicatione, vocemque de rebus, quibus nihil minus, quam haecce notio conuenit, vſurpant: id tamen non obſtat, quo minus ea in ſe ſpectata, omnibus vna eademque ſit.

** Prima, praecipuaque, adeoque & maxime propria vocis huius ſignificatio eſt, qua ipſam naturam & eſſentiam veri Dei,

ſeu

ſeu entis infiniti ac ſumme potentis denotat. Idque & apoſtolus confirmat, quando τοῖς λεγομένοις θεοῖς, hoc eſt, improprie ſic dictis diis, vnum, eumque verum, proprie ſic dictum Deum, opponit, *1. Cor. VIII, 5.* Quos enim hic λεγομένους θεοὺς dicit, eos *Gal. IV, 8.* τοὺς μὴ φύσει ὄντας θεοὺς adpellitat. Poteſtatem equidem quamdam, dignitatemque haecce vox connotat, ſed ſummam, infinitam, independentem, quae illi tantum, qui natura verus Deus eſt, conuenit. Quo ſenſu LACTANTIVS, *ſi Deus*, inquit, *eſt nomen ſummae poteſtatis, incorruptibilis eſſe debet, perfectus, impaſſibilis, nulli rei ſubiectus &c. inſtitut. diuin. l. 1. c. 3.* De alia itaque quadam dignitate, poteſtateque ſi vſurpetur, improprie eam ſumi, manifeſtum eſt: qua quidem ratione angelis atque magiſtratibus in ſcriptura ſacra quandoque tribuitur. Exempla ſuppeditat GLASSIVS, *rhetor. ſacr. tract. 1. c. 10. p. 214. ſeq.* Nec obſtat noſtrae ſententiae, quod tum in ebraea, tum in aliis linguis, nomina Dei occurrant, quae a verbis aut vocibus, fortitudinem, poteſtatem, dignitatem, aut ſimile quid ſignificantibus, deſcendunt. Praeterquam enim, quod iſtae vocum origines ſubinde admodum incertae ſint, non ſemper ex origine, ſed ex vſu potius, de vera & genuina ſignificatione pronuntiandum eſſe, dudum criticorum filii monuerunt.

§. III. Nomina, quibus in ſcriptura ſacra Deus deſignatur, vel graeca ſunt, vel ebraica: atque haec quidem, cum iterum varia ſint, * duo tamen cumprimis eminent, & prae reliquis obſeruatu digna ſunt, יהוה & אלהים: quorum illud, eſſentiam independentem denotans, Deo ita proprium eſt, vt nulli rei creatae in ſcriptura ſacra tribuatur, aut tribui queat; ** hoc vero ob pluralis numeri terminationem, perſonarum quoque in vna eſſentia pluralitatem inſinuat. ***

* Scilicet אל, אלהים, & in ſingulari אלה, יהוה, יה, אהיה, אדון ſiue אדני, & denique שדי. Hiſce HIERONYMVS, in *epiſtola ad Marcellam, tom. II. oper. p. m. 705.* edit. MARTIANAEI, adhuc addit nomina אליון & צבאות, decem adeo nomina Dei ebraea conſtituens; conſentientes, qua numerum, ſecum habens kabbaliſtas Ebraeorum, etſi aliter ea recenſeant. Sed vocem צבאות, quae *exercitus* ſignificat, inter nomina diuina referri non poſſe, manifeſtum eſt, cum nuſpiam ſola & abſolute poſita, Deo tribuatur, ſed ſemper, praecedente alio aliquo nomine diuino, e. g. יהוה אלהי צבאות, *dominus Deus exercituum.* Conſentientem tamen HIERONYMVS ſecum habuit ORIGENEM, & quoſdam ex antiquis ebraeae gentis doctoribus. Nomen quoque אליון *excelſus, altus, altiſſimus,* inter epitheta Dei rectius, quam nomina eius, refertur. Solent nonnulli HIERONYMI ſententiam ita referre, ac ſi pro אלוה inter nomina diuina retulerit אלהי, indeque eum reprehendunt, quia אלהי ipſum illud nomen אלהים eſt, in ſtatu regiminis poſitum. Sed id quidem HIERONYMO in mentem non venit, ortusque inde error eſt, quod litteris latinis ſcripſerit ELOE, cum dicere vellet *eloah*, aeque ac *Noah* interdum & *Noe* efferri ſolet. Conferenda, quae MARTIANAEVS ad *Hieronymi l. c.* adnotauit. Ceterum ex iis, quae antea recenſuimus, nominibus diuinis, quaedam ab eſſentia diuina, quaedam ab effectu, & attributis, deſumta eſſe, res ipſa docet, & pluribus exponit BVXTORFIVS, in *diſſert. de nominibus Dei ebraicis,* quae inter *diſſertationes* eius *philologico-theologicas* quinta eſt, *p. 247. ſeq.*

** Vt cuncta, quae hic dicenda ſunt, eo rectius

Digitized by Google

rectius ſibi conſtent, primo de origine & ſignificatione vocis יהוה quaedam ſunt monenda. Id poſitum extra controuerſiam, magno quoque conſenſu idem fatentibus Iudaeorum pariter ac chriſtianorum doctoribus, nomen hoc deriuandum a verbo הוה, quod plane cum verbo היה conuenit, atque *eſſe* ſignificat. Vt adeo יהוה eum denotet, qui eſt *ὁ ὢν ens*, ſcilicet a ſe ipſo; ſeu, qui ſuam eſſentiam ac exſiſtentiam alii non debeat, quin potius vtramque per ſe neceſſario habeat, ſimulque adeo cauſſa eorum omnium ſit, quae ſunt, ſiue exſiſtunt. Sunt equidem nonnulli, ex eorum quidem numero, qui in Socini caſtris militant, aut non procul inde diſcedunt, qui vocem יהוה non tam nomen, quam verbum eſſe, nec ipſam eſſentiam diuinam, quam conſtantiam Dei in ſeruando promiſſo, Iſraelitarum maioribus olim dato, ſignificare contendunt. Nihil quippe aliud illud eſſe, quam tertiam perſonam futuri in kal, vt אהיה, *Ex. III, 14.* primam, legendumque ac pronuntiandum *Iebeueh* vel *Iibeueh*. Huc nimirum redeunt, quae hac de re tradunt CRELLIVS, *de Deo & eius attributis, c. 11. p. m. 27.* & EPISCOPIVS, *inſt. theol. l. 3. c. 2.* Nec procul hinc diſcedit CLERICVS. Etſi enim non dubitet, quin vox יהוה recte ab היה deriuetur, ſuſpicatur tamen, *Deum vocabulum* יהוה *ſibi ſumſiſſe, non quod ſua natura ſit, adeoque aeternitate gaudeat, ſed quod efficiat, vt res ſint, quaſi eſſet futurum biphil* יַהְיֶה*, aut piel* יְהַיֶּה*, faciet vt ſit*, quippe quae ſignificatio plurimis ſcripturae locis conueniat. Graece non ineleganter dici poſſe exiſtimat *γενεσιουργὸν*, *exſiſtentiae effectorem*, qua voce CLEMENS Alexandrinus, aliique patres vſi ſint, *ὃς τὴν γένεσιν πάντων ἐργάζεται*, ad *Exod. VI, 3. p. 27.* Immo, antea iam obſeruauerat, PHILONEM, & pleroſque patres graecos, ex Platonica philoſophia nomen hoc Dei interpretatos eſſe, cum viderent, a LXX. interpretibus participio verbi *εἰμὶ* conuerſum eſſe *ὁ ὢν*; ad *c. II. Exod. v. 15. p. 17.* Praecipuum, quo CRELLIVS pariter ac EPISCOPIVS ſententiam ſuam confirmant, argumentum deſumtum eſt ex *Exod. VI, 3.* vbi Deus dicit: *Ego ſum Iehouah; patefactus ſum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo, quaſi Deus omnipotens; at nomine meo Iehouah illis non innotui, & foedus cum iis pepigi &c.* Hinc enim CRELLIVS colligit: ideo Deum ſe adpellare Iehouah, vel potius *Iibeueh*, aut *Iebeueh*, id eſt, *erit*, quia id praeſtiturus ſit Iſraelitis, quod ipſorum patribus olim promiſerat; vnde futurum ſit, vt experimento ipſo cognoſcant, eum eſſe *Iebeueh* ſeu *erit*, id quod patres ipſorum nondum, praeſertim plene, fuerint experti; *l. c. p. 28.* CLERICVS itidem varia adfert ſcripturae loca, quibus vox Iehouah per ſummam Numinis potentiam explicari videatur: vt, *Ex. VII, 5. Tum ſcient Aegyptii, me eſſe Iebouam, cum in Aegyptum manum meam exſeruero*, & *c. VIII, 22. Diſtinguam eo die Goſenitidem, vbi eſt populus meus, vt me Iebovam in media tua terra eſſe intelligas &c.*

Haec vero omnia ita comparata ſunt, vt facili negotio dilui queant. Sine omni enim ratione vox Iehouah pro verbo temporis futuri habetur, cum vſus, & conſtruendi cum aliis verbis ratio arguat, illam omnino indolem nominis habere. Neque temere vox יהוה confundenda cum voce אהיה, quamuis & haec indolem atque naturam nominis adſumſerit, cum eadem, qua nomina ſolent, ratione conſtruatur; ſic e. g. dicitur, אהיה שלחני, *Ebieh miſit me.* Ad ſignificationem quod attinet, cur hic ab origine ac deriuatione diſcedendum ſit, nullam plane cauſſam video. Conſentiunt omnes, vocem hanc deſcendere a verbo הוה; conſentiunt, hoc verbum ſignificare *eſſe, exſiſtere*; idque, ſi de eſſentia & exſiſtentia independenti, aeterna, neceſſaria, intelligatur, nihil aptius, nihil concinnius, nihil, quo magis a reliquis rebus Deus diſtinguatur, de eo dici poteſt. Cur ergo vox haec ſignificationem iſtam non habeat? Hoc ipſo autem, dum vox יהוה ens per ſe & neceſſa-

neceſſario exſiſtens denotat, reliquas ſimul Numinis perfectiones, quae ſua ſponte ex iſto conceptu fluunt, includit. Vnde mirum non eſt, quod pro argumenti, de quo ſcriptores ſacri loquuntur, diuerſitate, diverſas quoque σχέσεις ſeu relationes admittat: ex quibus tamen praecipua eius, primariaque minime diiudicanda eſt ſignificatio. Non itaque nobis obſtat, quod *Ex. VI, 3.* dicitur, Deum patriarchis ante Moſen ſe manifeſtaſſe, nomine שדי *omnipotentis, nomine autem Iehouah illis non innotuiſſe.* Lubens concedo, id intelligendum eſſe ratione certi effectus, liberationis ſcilicet populi Iſraelitici ex Aegypto, ſecundum quem nomen יהוה patribus incognitum fuit. Sed quid inde? Si ille, qui per ſe & independenter exſiſtentiam ac eſſentiam ſuam habet, indeque יהוה dicitur, ſummam ſuam potentiam, aut ſi velis, conſtantiam in ſeruandis promiſſis, hac ratione demonſtrauit; num inde ſequitur, quod ob iſtam aut conſtantiam, aut potentiam ſummam, magis hoc nomine veniat, quam ob exſiſtentiam, aut eſſentiam independentem, quae reliquas perfectiones includit? Et ita etiam patet, quid ad loca a viro clariſſimo, CLERICO prolata, reſpondendum ſit. Ille, qui eſt יהוה, ſeu ens per ſe ac neceſſario exſiſtens, etiam eſt ſumma potentia praeditus, ad quam ideo, quia יהוה eſt, merito prouocare potuit; vt inde minime ſequatur, primam hanc, praecipuamque vocis iſtius eſſe ſignificationem. Dum autem dicimus, in prima hac, & genuina vocis huius notione, omnes ſimul Dei perfectiones includi; hoc vel maxime etiam de libertate eſt intelligendum, ſeu, quod Deus ſit ens longe liberrimum. Libertate enim ſi careret, ens eſſet imperfectiſſimum. Vnde patet, quam inepte pariter ac impudenter TOLANDVS, vt Moſen diuinum virum in pantheiſtarum, quos alias Spinoziſtas vocant, numerum referat, in ipſo hocce nomine ſanctiſſimo יהוה impietatis ſuae aliquod praeſidium quaerat; in *originib. iudaic. p. 157.* Quam hominis iſtius inſaniam iam ex inſtituto caſtigaui, in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam.* ad *per. II. ſect. 1. §. 3. p. 507.*

Veteris eccleſiae pariter, ac praeſtantiſſimi gentis ebraeae doctores, eamdem nobiſcum propugnant ſententiam, quando exſiſtentiam Deo ita propriam eſſe contendunt, vt hoc ipſo a rebus creatis vel maxime diſtinguatur, & κατ' ἐξοχὴν *ens* dici mereatur. Cuiusmodi etiam apud veteres quosdam philoſophos, Platonem maxime atque eius ſectatores, occurrere, negari nequit. Immo EVSEBIVS comparationem quamdam in hac re inter doctrinam Moſis, atque Platonis inſtituit, lectuque omnino digna ſunt, quae tum ex Platone, tum ex Numenio adfert, *praepar. euang. l. 11. c. 9. ſq.* Ipſe quoque PLVTARCHVS in libro, *de* εἶ *apud Delphos* inſcripto, multa de eodem argumento pulcherrime diſſerit, interque alia vocabulum εἶ quod ſignificat *tu es*, adprime Deo, ac ſoli conuenire, contendit; locum maxime illuſtrem ex eo itidem referente EVSEBIO, *l. c.* Iungenda, quae hac de re congeſſit DIONYSIVS PETAVIVS, *de theol. dogmatib. l. 1. c. 6. p. 51. ſq.* Nec tamen inde colligi poteſt, veteris eccleſiae chriſtianae doctores eam ſententiam a Platonicis accepiſſe. Cum enim ipſimet ad Moſen prouocent, immo EVSEBIVS *l. c.* diſerte comparationem inter Moſen & Platonem inſtituat, quid cauſſae ſit, non video, cur a Platone magis, quam ipſo Moſe hoc didicerint. Fuerunt rurſus alii, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, tum ex philoſophis, tum ex veteris eccleſiae doctoribus, qui nomina, *eſſentia*, οὐσία, multoque magis *ſubſtantia*, Deo proprie conuenire negarent, adeoque Deum non tam *ens*, quam *ſuperens*, vt nonnulli loquuntur, vocandum contenderent. Loca illorum itidem, quem iam laudauimus, DION. PETAVIVS *l. c. p. 54. ſeq.* exhibet. Conciliari tamen hi facile cum prioribus, ni fallor, poſſunt; cum hi eiusmodi eſſentiam

tiam; quae rebus creatis tantum conuenit, animo conciperent, Deumque adeo iis omnibus longe excellentiorem eſſe, ſignificare vellent; illi eſſentiam longe perfectiſſimam, & per ſe, ac neceſſario exſiſtentem, intelligerent, quae vtique ſoli Deo, neutiquam rebus creatis, conuenit. Legenda quae hac de re diſſerit IAC. THOMASIVS, in *ſchediasm. hiſt. de definit. philoſ. quod ſit γνῶσις τῶν ὄντων, p. 11. ſeq.*

Vera itaque nominis huius expoſita ſignificatione, haud difficulter intelligitur, illud Deo ita proprium eſſe, vt nulli rei creatae tribui queat. Deo autem, quando proprium aliquod nomen tribuimus, non ita hoc eſt intelligendum, ac ſi eo modo Deo conveniat, quo hominibus, quorum vnus ab alio ita diſtinguitur. Eoque pertinent, quae eleganter hac de re diſſerit IVSTINVS martyr, in *cohortat. ad Graecos, p. 86. ſeq.* edit. HVTCHINI. Eiusmodi enim nomen intelligitur, quo eſſentia eius, a rebus creatis omnibus diſtincta, ſignificatur. Vnde ſimul patet, id Deo ita proprium eſſe, vt nulli rei creatae tribui queat. Rem enim increatam dicere, quae nec neceſſario exſiſtat, nec eſſentiam aut exſiſtentiam per ſe, ſed ab alio habeat, apertam inuoluit contradictionem. Nec vlli rei creatae in ſcriptura ſacra vmquam hoc tribuitur, ſed tantum ſoli, veroque Deo. Angelus enim ille, in cuius medio illud nomen Dei eſt, *Exod. XXIII, 21.* quiue ſubinde in ſcriptura ſacra יהוה vocatur, non creatus aliquis, ſed increatus ille eſt, qui patribus ſaepe adparuit; ipſe Dei aeternus filius. Aliis autem rebus cum tribui videtur, vt arae, *Exod. XVII, 15.* aut vrbi Hieroſolymae, *Ezech. XLVIII, 35.* non hicce ſenſus eſt, quod ara aut vrbs Hieroſolyma ſit ipſe Iehouah, ſed quod arae nomen datum, quo Iſraelitae profitebantur, Iehovam eſſe vexillum ſuum, itemque, Iehovam habitare Hieroſolymis, ſeu vrbi huic ſingulari gratiae ſuae praeſentia adeſſe. Hinc & Deus ipſe ita hoc ſibi tribuit, vt diſerte neget, hoc vlli rei creatae conuenire. *Ego*, inquit, *ſum* יהוה, *illud eſt nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, Eſ. XLII, 8.* conf. & *Hoſ. XII, 6.* it. *pſ. LXXXIII, 19.* Quod idem nomen, omnibus etiam notis ac characteribus nominis proprii gaudeat, grammatici doctores obſeruare ſolent. Suntque ex Ebraeorum magiſtris quidam ſapientiores, quam illi ex chriſtianis, vt videri volunt, qui illud tam praefracte, vt cauſſae ſuae inſeruiant, negant. Solent namque adſerere, illud Deo המיוחד proprium ita eſſe, vt in eius ſocietatem nulla rerum creatarum veniat.

Quantumuis autem magna veneratione nomen hocce merito proſequamur, cauendum tamen, ne in ineptam proiabamur cum Iudaeis ſuperſtitionem, qui nomen hocce per litteras, quibus ſcribitur, efferre, ſibi religioni ducunt. Videtur haecce conſuetudo poſt captiuitatem babylonicam inualuiſſe, cum in libris, hocce circiter tempore ſcriptis, nullum huius nominis occurrat veſtigium. Idque etiam de ſuo non minus tempore, quam ſuperioribus aetatibus PHILO nos condocet, laminam auream quatuor inſculptas habuiſſe litteras, referens, nominis, ὃ μόνοις ὦτα καὶ γλῶτταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις θέμις ἀκούειν καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ τὸ παράπαν οὐδαμοῦ, *quod ſolis, qui ſapientia aures & linguam purgatas habent, fas eſt, audire & dicere in ſacris, nemini vero prorſus alii, vllo in loco; l. 3. de vita Moſis, p. m. 670.* Ex quo eius teſtimonio etiam diſcimus, in ſanctuario tantum olim id efferre fas fuiſſe; quod & alii Iudaeorum magiſtri confirmant, adſerentes, quotidianam nominis huius prolationem reuocatam primum fuiſſe in ſanctuarium, & in benedictionis formula tantum a ſacerdotibus adhibitam, vsque ad Simonis iuſti obitum. ſiquidem ab eo tempore, ſi hiſce auctoribus credendum, ne in ipſo quidem ſanctuario amplius pronuntiatum per proprias litteras

ras fuerit. Non malo id equidem propoſito, ſed ex ſingulari erga nomen hocce veneratione, & ad abuſum eius euitandum, factum, lubens crediderim: interim, vt aliis quamplurimis, ita hocce etiam exemplo patet, quam facile in ſuperſtitionem turpiſſimam degenerent, quae optimo, innocentiſſimoque conſilio fuere conſtituta. Cum autem pro voce יהוה ſubſtituere ſolerent vocem אדנה, quod & hodie Iudaeis, iisque qui cum illis faciunt, ſollemne eſt, factum inde nonnulli exiſtimant, vt LXX. interpretes, aliique Iudaei, qui graeco idiomate ſcripſerunt, vocem hancce per κύριος redderent; quam conſuetudinem ipſi etiam euangeliſtae & apoſtoli ſequuti ſunt. Fieri tamen hoc etiam potuit, quod meliorem vocem, qua nomen יהוה exprimerent, non inuenirent. Neque inepte profecto hoc factum eſt. Etſi enim vox κύριος vim & ſignificationem vocis יהוה non exhauriat; eidem tamen vtcumque reſpondet, ſi κύριος ille κατ᾽ ἐξοχὴν talis, qui iure creationis, & quod omnibus rebus creatis eſſentiam ac exſiſtentiam largitus eſt, omnium eſt dominus, intelligatur. A Iudaeis haud dubio veteris eccleſiae chriſtianae doctores hoc acceperunt, vt hocce nomen ineffabile eſſe crederent. Subinde enim illis ἄῤῥητον, itemque ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, ἀνεκφώνητον, audit, vt apud HIERONYMVM, *epiſt. ad Marcellam, tom. 2. oper. p. m. 705.* THEODORETVM, *qu. 15. in Ex.* ORIGENEM, *homil. 14. in Num.* GREGORIVM Nazianzenum, *orat. 4. de theol.* legere licet. Quodſi autem exiſtimauerint, ἀνεκφώνητον hocce nomen eſſe, quod nefas aut prohibitum ſit, per litteras proprias illud pronuntiare, eiusdem plane cum Iudaeis ſuperſtitionis rei ſunt.

Potuit tamen ſimul hoc ſenſu ab iis ita vocari, quod propriis ſuis amplius vocalibus exprimi nequeat, ſed alienis, ac adeo per aliud nomen, ſcilicet אדני efferatur. Sunt enim non tantum Ebraeorum magiſtri, ſed ex chriſtianis quoque plurimi in hac ſententia, eam, quae hodie obtinet, vocis huius pronuntiationem minus genuinam eſſe. Idque inde praecipue probant, quod puncta, quae hodie illi ſubſcripta leguntur, ſint nominis אדני, vel quando praecedit aut ſequitur אדני, vocis אלהים. Vnamquamque autem vocem ſecundum vocales illi proprias pronuntiari debere; quae ſi non conſtent, non poſſe quoque vocem iſtam proferri. Accedere, quod ſcriptores graeci, qui nominis huius mentionem faciunt, longe aliter id efferant, ac hodie efferri ſolet. DIODORVS namque Siculus, Moſen legum ſuarum auctorem dixiſſe ait, τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεὸν, *l. 1. p. 48.* Nec multum inde diſcedit SANCHVNIATHON, aut eius potius interpres PHILO Byblius apud EVSEBIVM, *praepar. euang. l. 1. c. 9.* quippe qui Ierombalem vocat ſacerdotem Θεοῦ τοῦ Ἰευὼ, *Dei Ieuo.* Vnde nonnulli colligunt, nomen hocce olim *Iahavoh* vel *Iahuoh* pronuntiatum fuiſſe. Et ſane, ſi vera ſit illorum ſententia, qui exiſtimant, puncta vocalia poſt captiuitatem babylonicam, eoque adeo tempore, quo Iudaei a vera pronuntiatione nominis Iehouah abſtinebant, ſacro codici addita eſſe; dubio careret, puncta nominis Iehouah deſumta eſſe a nomine אדני. Illud vero, cum nondum extra omnem dubitationem poſitum ſit, magnisque ea ſententia laboret difficultatibus, non temere hoc admitti poteſt. Quodſi autem ſtatuatur, puncta vocalia iam ante captiuitatem babylonicam textui ſacro adpoſita fuiſſe, vix eſt, quod dubitemus, quae hodie voci יהוה ſubſcribuntur, genuina eſſe. Quis enim credat, Iudaeos auſos fuiſſe, infinitis in locis ſacrum codicem corrumpere, ac aliena puncta voci יהוה ſubdere? Idemque porro ſuadent nomina propria, ex voce *Iehouah* compoſita, vt *Iehonathan, Iehoſchaphat, Ieboiada:* quippe in quibus nominis iſtius, ſimulque punctorum, quibus iam tum pronuntiatum fuit, occurrere veſtigia, negari nequit. Puncta vero eius vocalia quod reſpon-

ſpondeant punctis אדני, id enimuero caſu contingere potuit: vt adeo nondum extra omnem controuerſiam poſitum ſit, quod ſecus ſentientes tam firmiter ſibi perſuadent, puncta haecce a voce אדני deſumta eſſe. Graecorum ſcriptorum hic non adeo in cenſum venit auctoritas, cum vel LXX interpretum exemplo conſtet, quantopere nomina propria Ebraeorum detorquere, & quam ſaepe ſonum plane peregrinum illis adfingere ſoleant. Copioſius & ex inſtituto hoc argumentum tractarunt eruditiſſimi viri, DRVSIVS, AMAMA, CAPPELLVS, BVXTORFIVS, ALTINGIVS, itemque FVLLERVS, GATAKERVS, LEVSDENIVS, quorum diſſertationes ſub titulo: *decas exercitationum philologicarum, de vera pronuntiatione nominis Iehovah*, vno faſciculo edidit HADRIANVS RELANDVS; & ex quibus quinque priores puncta nominis Iehouah genuina eſſe negant, reliqui adfirmant.

Ceterum, vt vnicum adhuc addam, eiusdem cum nomine יהוה dignitatis non ſine ratione eſſe creditur nomen יה *Iah*. Etſi enim illorum locum non inueniat ſententia, qui illud a nomine ה יה deriuant; quod & praeſtantiſſimi ebraeae gentis doctorum faciunt, apud BVXTORFIVM, *de nominibus diuinis*, §. 34. (quamquam, qui in hac ſententia verſantur, nec ipſi de modo iſtius deriuationis inter ſe conueniant) eiusdem tamen merito ſignificationis cum nomine יהוה eſſe cenſetur, quia ab eadem radice deſcendit. Hinc & auctor *quaeſt. & reſponſ. ad orthodoxos*, quae inter opera IVSTINI martyris exſtant, *quaeſt. 50. p. m. 421.* vocem *Hallelu-iah* ita interpretatur: ὑμνήσατε μελῳδοῦντες τὸ ὄν, *laudibus celebrate, canentes ens, ſeu, quod exiſtit*, hoc eſt, Deum.

*** De origine ac deriuatione vocis אלהים adeo inter ſe diſſentiunt viri eruditi, vt nonnulli in ea inuenienda omnem fruſtra collocari operam, exiſtiment. Hodie tamen plurimis, iisque praeſtantiſſimis viris, illorum maxime ſe probat ſententia, qui a radice, in lingua arabica ſuperſtite אלה quae *colere, ſeruire, adorare* ſignificat, nomen hocce deriuandum cenſent: conf. POCOCKIVS, in *notis miſcellaneis ad portam Moſis, c. 3. p. 34.* & HOTTINGERVS. in *hiſtoriae creationis examine theologico-philol. quaeſt. 10. p. 19* Nec obiici huic ſententiae poteſt, quod hac ratione vocis huius origo ex lingua arabica deriuetur, quod nonnulli parum conuenien eſſe exiſtimant: cum ſaltem ex verbi huius apud Arabes vſu colligatur, apud Ebraeos id itidem olim in vſu fuiſſe, eamdemque habuiſſe ſignificationem. Nec reiicienda tamen temere ſententia R. ABEN-ESRAE, vocem אלהים pro primitiua habentis: certe eam non improbandam, etiam B. SEB. SCHMIDIVS cenſuit, in *diſſ. de antiquiſſima fide Moſaica circa myſterium trinitatis*, quae in *faſciculo diſputationum* eius *theologico-philologicarum* prima eſt, *p. 16.* Ceterum Ebraeorum, ipſius etiam, quem antea laudauimus, ABEN-ESRAE eſt ſententia, nomen אלהים proprie *iudices* ſignificare; hinc vero per metaphoram transferri ad Deum & angelos, quam tamen ipſemet R. ISAAC ABARBANEL, *comment. in geneſ. fol. 5. col. 3. ſq.* grauiſſimis rationibus refellit; quarum nonnullas in compendio refert BVXTORFIVS, in *diſſ. de nominibus Dei ebraicis*, §. 40. Neque tamen firmiora ſunt, quae ipſemet ABARBANEL adfert, vt euincat, vocem אלהים praecipue & proprie ſignificare *auctorem effectoremque rerum omnipotentem*. Nec etiam, cum vox אלהים ſiue אלוה a verbo apud Arabes ſuperſtite, quod idem eſt ac *colere, ſeruire, adorare*, deriuatur, quoduis σέβασμα denotat, vti perperam nonnulli ſibi perſuadent, ſed illud ipſum, quod καθ' ἐξοχήν, & praecipua quadam ratione cultu atque adoratione dignum eſt, quod de ſolo Deo dici poteſt; *Deut. VI, 4. Matth. IV, 10. Marc. XII, 29.* Proprie itaque & πρώτως vox אלהים ſoli Deo conuenit, de rebus autem creatis non niſi improprie & δευτέρως vſurpatur. Moſes certe, in primo decalogi prae-

cepto dicere non potuiſſet: *Non erit tibi* אלהים, *Deus alius coram me*, ſi quisquam praeter Iehouam eſſet, qui proprie אלהים vocaretur. Senſus namque eſt, ſolus Iehovah eſt vnus Deus, proprie ſcilicet & κατ' ἐξοχὴν ſic dictus. Hinc & *Deut. IV, 35.* dicitur: יהוה הוא האלהים, *Iehouah eſt ille elohim, non eſt alius praeter eum.* Ipſum etiam ex Iudaeis hoc agnoſcere ISAACVM ABARBANELEM, aliis iam obſeruatum eſt: conf. HOTTINGERVS, in *hiſt. creat. exam. q. 11. p. 20.* & IO. HENR. MAIVS, in *diſſ. ſac. loc. 2. §. 28. p. 135.*

Praecipuum autem, quod de voce hacce adhuc obſeruandum, hoc eſt, quod plerumque in plurali numero adhibeatur, rarius in ſingulari, quo neutiquam deſtituitur. Id vero quamnam ob cauſſam fiat, acriter inter ſe diſceptare viri docti ſolent. Sunt enim, qui perſonarum in eſſentia diuina pluralitatem iſto multitudinis numero haud obſcure ſignificari exiſtimant; idque eo magis, quod nulla ceteroquin probabilis adferri ratio queat, cur vox haecce tam conſtanter in multitudinis numero adhibeatur. Quam tamen ſententiam non Iudai modo, ac Socini adſeclae, ſed alii quoque, qui ceteroquin perſonarum in vna eſſentia trinitatem admittunt, acriter impugnant: ſed ſine ratione. Pluralitatem enim quamdam in eſſentia diuina hac voce ſignificari, nimis manifeſtum eſt; quam vero aliam, quam perſonarum? Singulari nimirum numero non deſtituitur: cum a voce אלוה, quae, vti diximus, itidem ſubinde in ſcriptura ſacra occurrit, rite deriuetur. Quae autem in multitudinis numero adhibentur voces, nec ſingulari deſtituuntur, non poſſunt non pluralitatem quamdam, niſi forte enallage numeri ſubſit, ſignificare. Nec aliter, ſiue ſtatum regiminis, ſiue ſuffixa ei addita ſpectes, quam reliqua pluralis numeri nomina adhiberi ſolet. Accedit, quod verba pariter atque adiectiua pluralis numeri voci huic in ſcriptura ſacra paſſim adiiciantur: vt *Gen. I, 26. XX, 13. XXXV, 7. 2. Sam. VII, 23. Ioſ. XXIV, 19. Ier. X, 10.* Vt adeo plane fallantur, qui terminatione quidem, non autem ſignificatione nomen hocce plurale eſſe contendunt. Licet enim alia pluralis numeri nomina, quae ſingularia ſunt ſignificatione, occurrant; vt בתולים *virginitas*, זקנים *ſenectus*, נעורים *pueritia* &c. eorum tamen longe alia, quam vocis אלהים eſt ratio, cum & ſingulari numero deſtituantur, nec eadem ratione cum aliis vocibus coniungantur. Nec illud nobis obſtat, quod vox אלהים frequentius cum ſingulari numero conſtruatur. Inde enim, quod ſingularis quoque numeri habeat ſignificationem, inferre non licet, cum alia eius rei ratio praeſto ſit. Perſonarum enim non minus pluralitas, quam eſſentiae diuinae vnitas efficit, vt mox cum ſingulari, mox cum plurali numero conſtruatur. Non equidem adſero, ſolum nominis huius numerum pluralem, ad perſonarum diuinarum pluralitatem euincendam ſufficere; multo minus, trinitatem perſonarum ex eo confici poſſe: ſed cum aliunde etiam hocce myſterium conſtet, magnum inde ad pluralitatem perſonarum adſerendam accedere robur, contendo: praeſertim, cum nulla alia iſtius rei adferri ratio queat. Non enim eſt, quod voces ארונים & בעלים nos moreantur, quae cum verbo ſingulari itidem de vno vſurpantur, *Ex. XXI, 4, 6, 8, 36.* ac ſi vox אלהים non minus, ac iſtae, honoris tantum & dignitatis ergo, multitudinis numero efferatur. Numquam enim iſtae voces cum aliis ita coniunguntur, vt aut verbum, aut adiectiuum, aut adfixum pluralis numeri illis reſpondeat. Praeterea, ſi vel maxime voces ארונים & בעלים honoris cauſſa in plurali numero adhibeantur, non tamen de voce אלהים idem dici poteſt, quippe quae *dominii* aut *imperii* ſignificatione non gaudet, eodemque adeo loco, cum vocibus eiusmodi quid innuentibus, haberi nequit. Quamquam nec iſtud, quod adfertur, voces ארונים & בעלים honoris cauſa in plurali nume-

numero adhiberi, poſitum ſit extra controverſiam. Recte namque B. SEB. SCHMIDIO noſtro obſeruatum, eamdem vocum iſtarum eſſe rationem, ac nominis אלהים, vt de vno homine dicantur per tropum, a diuinis nominibus formatum, adeoque Deo vni quondam propter perſonarum pluralitatem in plurali attributae, perque metaphoram ad homines, qui Dei vices gerunt, translatae, ſuum retineant pluralem numerum, quem in diuinis habeant; in *diſſ.* antea laudata, *p. 20.* & in *collegio biblico V. T. loc. 3. p. 113. ſeq.* Quodſi autem vox אלהים honoris cauſſa in plurali numero vſurparetur, par vtique fuiſſet, vt ſemper ita adhiberetur. Cum vero etiam ſubinde in ſingulari numero vox אלוה occurrat, longe aliam ſubeſſe cauſſam neceſſe eſt, cur aliquando in ſingulari, aliquando in plurali, & quidem ſaepius, adhibeatur.

Singulare quid equidem, ceteris non perſpectum, ſibi inueniſſe viſus eſt CLERICVS. Ebraeam enim linguam non aliam eſſe exiſtimat, quam qua Cananaei olim vſi ſunt: qui cum idololatrae eſſent, pluraque adeo numina colerent, vocem quoque in multitudinis numero adhibuiſſe, quam retinuerint Ebraei, ita tamen, vt voci plurali ſingularem tribuerent ſignificationem, prout dogma de vno Deo ſummo requirebat. *Hinc*, inquit, *mirum non eſt, ſi huic voci ſingulare verbum iunxerint, cum ad ſenſum magis quam ad numerum vocis attenderent, & quandoque, ratione numeri habita, plurale verbum addiderint;* in *comment. ad Gen. I, 1.* Quam ſuam ſententiam fuſius ediſſerit in *diſſ. de lingua ebr.* commentario in geneſin praemiſſa, *§. 5.* Verum primo adſumit hic vir doctus, quod nondum eſt extra omnem controuerſiam poſitum, linguam cananaeam plane eſſe eamdem cum ebraea. Etſi enim haec ſententia quosdam magni nominis viros nacta ſit defenſores, non tamen deſunt rationes grauiſſimae, quae ei opponi queant. Dixi hac de re in *hiſt. eccl. V. T. t. 1. ad per. 1. ſect. 2. §. 9. p. 216.* Quis vero etiam credat, Moſen, cui nihil prius, nihilque antiquius eſt, quam quauis data occaſione Iſraelitarum animos ab idololatria abducere, dare hoc linguae idololatrarum voluiſſe, vt eodem plane, ac illi, modo de Deo loqueretur? Immo, planiſſima haec fuiſſet via, Iſraelitarum animis πολυθεότητος perſuaſionem iniicere: ad quam potius declinandam, pluralis numeri nomen, ad verum Deum deſignandum, quouis modo debuiſſet reiicere, niſi vſus perpetuus, & a prima humani generis origine receptus, ſimulque ratio ſublimior obſtitiſſet. Abſonum denique prorſus, & ab omni ratione alienum fuiſſet, ſi vocem, quae apud Cananaeos non tantum terminatione, ſed & ſignificatione pluralis numeri erat, ad vnum Deum ſignificandum adhibere voluiſſet. Dum enim Cananaei, aeque ac reliqui ethnici, deorum nomina in multitudinis adhibebant numero, πολυθεότητα ſuam diſerte profitebantur. Nec enim vllo exemplo probari poteſt, pluralis numeri nomine vnum eumdemque verum eos deſignaſſe Deum. Et quae demum Moſen ad hoc adegiſſet neceſſitas? cum ſingularis numeri nomen non deeſſet, quo vnicum verumque Deum exprimeret. Sed ex inſtituto iam hancce CLERICI ſententiam confutauit vir doctiſſimus SAL. DEYLINGIVS, *obſeru. ſac. part. 2. obſ. 2. p. 8. ſeq.* Vbi & alia, de voce אלהים diligenter collecta, legere licet. Illud adhuc ſcrupulum mouere poſſet, quod vox אלהים de vnica quandoque perſona adhibeatur: quod, licet quidam ex noſtratibus admittere nolint, alii tamen recte ex *pſalm. XLV, 7, 8.* aliisque locis comprobant. Nec ſignificationi pluralitatis perſonarum hac ratione quidquam derogatur, cum hoc ſaltem ſignificetur, eſſentiam diuinam omnibus perſonis ita communem eſſe, vt quaelibet ſine eius multiplicatione inde recte denominetur. Sed haec, aliaque praeſtantiſſimi eccleſiae noſtrae theologi, SEB. SCHMIDIVS, & MAIVS, *locis antea citatis*, dudum iam confecerunt.

§. IV. Graeca nomina Dei ſunt θεὸς & κύριος, quorum illud non tam ex origine, quam vſu aeſtimatum, itidem naturae, non dignitatis, nomen eſt, proprieque acceptum, ipſam Dei eſſentiam denotat: * hoc autem auctoritatem equidem & potentiam, quae dominorum ac imperantium eſt, ſignificat; a ſeptuaginta tamen interpretibus, & horum exemplo, ſcriptoribus noui teſtamenti, ad nomen ebraeum יהוה exprimendum, adhibetur. * *

* Quod ſupra ad §. 2. de latina voce Deus ex AVGVSTINO, *de doctrina chriſtiana, l. 1. c. 6.* monuimus, id, ut de graeca voce θεὸς itidem intelligamus, ratio ſuadet. Antiquiſſimorum enim Graecorum animis notionem quamdam de ente aliquo ſupremo, rerum omnium, quae in hocce mundo continentur, cauſſa, haeſiſſe, ecquis eſt, qui dubitet? Vocem ergo aliquam iis etiam fuiſſe, neceſſe eſt, qua hancce notionem expreſſerint: quae haud dubio alia non fuit, quam nomen θεὸς. Quantumuis enim deinceps, cum ſuperſtitio & idololatria incrementum cepiſſet, in adplicatione valde aberrauerint, ex perpetuo tamen huius vocis vſu patet, ſimul eos aliquid, quod ſoli vero Deo conuenit, innuere voluiſſe. Vt enim ipſa vnius, ſummique Dei idea, ita & nominis, quo ea innuitur, ſignificatio, nulla ratione prorſus ex animis mortalium euelli potuit. Non itaque abnuo, voce θεὸς deinceps veteres generatim id, quod praeſtat, aut eximium eſt, aut naturam humana praeſtantiorem, indicare voluiſſe: quod vt probet, valde operoſus eſt CLERICVS, *tom. 1. part. 2. ſect. 1. c. 3. artis criticae, p. 257. ſq.* Sed hanc ipſam ſignificationem ſecundariam a primaria, quae & genuina, propriaque eſt, deſcendere, non eſt quod dubitemus. Cum enim ens ſummum, adeoque omnium praeſtantiſſimum, primum ea denotarent, eamdem deinceps ad alia, quae cum ente hocce praeſtantiſſimo perfectiſſimoque conuenientiam habere illis videbantur, transtulerunt. Primariae autem iſtius propriaeque ſignificationis, qua ens ſupremum, quod rerum omnium cauſſa eſt, denotat, veſtigia apud philoſophos, Platonicos maxime, remanſerunt, qui ea voce non aliter fere, quam chriſtiani, a myſterio trinitatis, quod his ſolis perſpectum eſt, quodque, de vero Deo loquentes, ſimul connotare ſolent, ſi diſcedas, vſi ſunt: vt vel ex iis, quae MAXIMVS TYRIVS, *diſſ. I. quid ſit Deus ſecundum Platonem? p. 3. ſq.* prorſus egregie diſſerit, patet. Nec eſt, quod originem, ſeu deriuationem vocis θεὸς nobis opponas. Praeterquam enim, quod in ea auctores non conſentiant, dum alii eam ἀπὸ τοῦ θέειν, a *currendo*, eo quod Deus omnia penetret, foueat, conſeruet; alii ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, a *ſpectando*, quod omnia intueatur; alii ἀπὸ τοῦ θεῖν, a *ponendo*, quod omnia ordinet & diſponat, deriuant; alii autem, & forte omnium rectiſſime, nomen hocce primitiuum eſſe contendunt; conſtat, genuinam vocum ſignificationem non tam ex origine ac deriuatione, quam ex vſu aeſtimandam eſſe. Ceterum, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, quod CLEMENS Alexandrinus, ORIGENES, EPIPHANIVS, PHILONEM Iudaeum ſequuti, adſerunt, ſi cum articulo dicatur, ὁ θεὸς, verum Deum ſignificari, ſecus autem ſe rem habere, ſi abſque articulo ponatur θεὸς, id quidem falſum eſſe, nec veterum ſcriptorum graecorum exemplis comprobari poſſe, viri docti dudum obſeruarunt; conf. STOLBERGII *diſſ. de λόγῳ & νῷ Platonico*, tractatui eius *de ſoloeciſmis & barbariſmis graecae noui foederis dictioni falſo tributis*, adiecta, *c. 3. §. 2. p. 216.*

** Quaenam cauſſa ſit, cur LXX. interpretes vocem יהוה per κύριος reddiderint, iam ad *§. praeced.* diximus.

§. V. Cre-

§. V. Credenti autem in Deum ante omnia neceſſarium eſt, certa animi perſuaſione tenere, ens eiusmodi perfectiſſimum, quod Deum vocamus, exſiſtere: πιϛεῦσαι γὰρ δεῖ προσερχόμενον τῷ Θεῷ, ὅτι ἐϛί, *Ebr. XI, 6.* Idque ipſa quidem natura omnes euidentiſſime docet, reuelatio autem ſiue ſcriptura, vlterius confirmat. Et ad naturam quidem quod attinet, hanc exſiſtentiae ſuae cognitionem creator rerum omnium humanae menti tam alte infixit, vt, qui data velut opera ſibi ipſi vim non inferunt, non poſſint non veritati huic, quam primum eam intelligunt, adſenſum praebere. * Quod & quilibet ex eorum, quae in ſe ipſo experitur, facilique negotio deprehendere poteſt, conſideratione cognoſcit; ** quamuis & mirabilis ille gentium omnium, in veritate haecce admittenda, conſenſus idem comprobet. *** Suffragatur & ſcriptura ſacra, notitiam hancce omnium hominum cordibus inſcriptam docens, *Rom. II, 15.*

* Hancce Dei notitiam, *innatam*, ſeu *ingenitam*, vel etiam *inſitam* vocare ſolent. Non ineleganter EVSEBIVS dixit, αὐτοδιδάκτους ἐννοίας, μᾶλλον δὲ θεοδιδάκτους, *notiones, quarum ſibi quisque magiſter eſt, aut potius, quarum quisque Deum magiſtrum habet; praeparat. euang. l. 2. c. 5.* Quod tamen non ita capiendum, ac ſi actu omnium hominum animis haecce notio ineſſet. Sequeretur enim, neminem mortalium reperiri, aut repertum vmquam eſſe, qui Deum eſſe ignoraret: immo, ſequeretur, ipſis infantibus hanc notitiam actu ineſſe; quod tamen experientiae repugnat, & ſcripturae, teſtanti, *ipſos non noſſe diſcrimem inter dextram & ſiniſtram ſuam, Ion. IV, 11.* Negari etiam nequit, inſitam hanc notitiam per inſtitutionis defectum, aut alias ob cauſſas, ita impediri poſſe, ne ſe exſerat, aut ſi etiam ſe exſerat, per malitiam ſupprimi poſſe, & quodammodo ſuffocari, renitente tamen ſemper, & reluctante animo, vt atheorum exemplo conſtat. Haec itaque cum ſecum perpenderent praeſtantiſſimi noſtrae eccleſiae theologi, notitiam hancce inſitam in *potentia propinqua*, propoſitionibus, quibus Deum eſſe, eumque eſſe ens omnium perfectiſſimum, rerum quoque omnium cauſſam, colendum porro, ſummoque honore proſequendum, adſeritur, adſentiendi; conſiſtere docuere. Ita & B. MVSAEVS noſter, *introd. in theologiam c. 2. §. 19.* Et ſane, cum notitia aut de actu, aut de potentia ſaltem intelligi queat, & vero omnes inter ſe conſentiant, eam actu in omnium hominum animis non exiſtere, relinquitur, de potentia, non tamen qualicumque, aut remota, ſed propinqua, hoc capiendum eſſe. Nec reuera diſſentiunt, ſed idem potius dicunt, qui eam notitiam in *diſpoſitione quadam, aut habitu analogice ſic dicto*, conſiſtere adſerunt: vt eidem, quem laudauimus, B. MVSAEO recte obſeruatum, *l. c. §. 11. n. 5. p. 54.* Ne quis autem potentiam illam propinquam nimis tenuiter interpretaretur, amplius aliquid addendum cenſui, coniunctam ſcilicet eam eſſe cum inclinatione quadam & propenſione validiſſima, efficaciſſimaque, quae ſtatim ſeſe exſerit, ac homines eiusmodi propoſitiones audiunt, intelligunt, & ſecum recte expendunt; in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. c. 5.* ad *§. 1. p. 361.* Idque etiam eſt, quod Paulus apoſtolus nos condocet, quando ethnicos, legem ſcriptam non habentes, φύσει *natura*, quae legis ſunt, facere, dicit, *Rom. II, 14.* Quae enim

enim per modum potentiae, itemque propenſionis atque inclinationis nobis inſunt, recte natura ineſſe dicuntur. Idque & ſibi vult, quando opus legis in cordibus gentilium γραπτὸν, *ſcriptum*, hoc eſt, inſitum, vt potentiae omnes & inclinationes naturales merito inſitae & congenitae dicuntur, adſerit, *v. 15.* Ex *Rom. I, 19, 20.* nihil contra hanc ſententiam colligi poteſt, cum apoſtolus ibi non de inſita, ſed de adquiſita Dei notitia loquatur.

Facile autem ex dictis etiam intelligitur, diuerſam eſſe noſtram ſententiam a ſententia CARTESII, ex idea Dei nobis innata exſiſtentiam eius probare adnitentis. Quod, quo pacto faciat, ex *principior.* eius *philoſophic. part. I. §. 13.* item *18. ſeq.* neque non ex *meditationum* eius *de philoſophia prima*, *medit. 3.* aliisque ſcriptis, quibus aduerſariorum ſuorum obiectiones diluere conatus eſt, notum eſt. Duo nimirum CARTESIVS argumenta ab *idea Dei*, ad probandam eius exſiſtentiam, petit, alterum *a priori*, alterum *a poſteriori.* Hoc, ſiue argumentum a poſteriori, huc redit: mentem ideam Dei non habere a ſe ipſa, ſed a cauſſa, quae formaliter poſſideat omnes perfectiones, quas idea contineat obiectiue, hoc eſt, quae reuera ea habeat, quae idea iſta tantum repraeſentat. Illud autem, ſeu argumentum a priori, ita ſe habet: quidquid ad rem, cuius ideam in mente habeo, pertinere, clare & diſtincte percipio, id ad rem iſtam reuera pertinet; exſiſtentiam autem, ad rem infinitam & ſumme perfectam, Deum ſcilicet, cuius ideam in mente habeo, pertinere, clare & diſtincte percipio; ergo ad rem infinitam & ſumme perfectam, Deum ſcilicet, cuius ideam in mente habeo, pertinet exſiſtentia. Vtrumque autem argumentum, quidquid etiam dicant Carteſii adſeclae, fallere, atque ſophisma aliquod inuoluere, haud difficulter deprehenditur. Ad prius enim quod attinet, per ideam nihil aliud intelligi poteſt, quam actus mentis, quo obiectum aliquod exhibetur, atque repraeſentatur. Vnde ſua ſponte ſequitur, licet obiectum res infinita & ſumme perfecta ſit, tamen ipſam ideam finitam eſſe, atque imperfectam: infinitum enim obiectum ab intellectu finito non niſi imperfecte & inadaequate concipi poteſt. Nihil itaque obſtat, quo minus mens noſtra ideam rei infinitae ac ſumme perfectae a ſe ipſa, per fictionem ſcilicet quamdam, dum omnium rerum, quas nouit, perfectiones eminentiſſima quadam ratione in vnum aliquod ens confert, habeat; nec neceſſe profecto eſt, vt cauſſa quaedam infinitae potentiae ac perfectionis ad eam producendam requiratur, cum eadem ratione, qua reliquae ideae finitae producuntur, & haec produci queat. Nec rectius poſterius argumentum procedit. Etſi enim ideam rei cuiusdam perfectiſſimae mente concipere nequeam, niſi ſimul neceſſariam illi tribuam exſiſtentiam; inde tamen nondum ſequitur, ens eiusmodi perfectisſimum reuera exſiſtere. Certe, ſi exſiſtit, neceſſario exſiſtit: idque ex iſta idea recte colligitur. Quod vero exſiſtat, aliis adhuc comprobandum eſt rationibus. Sed hiſce immorari non licet, cum alii iam ex inſtituto hocce negotium confecerint, & quidem, vt noſtrates taceam, admodum luculenter HVETIVS, in *cenſura philoſophiae Carteſianae, c. 4. p. 58. ſeq.* itemque WERENFELSIVS, in *iudicio de argumento Carteſii pro exſiſtentia Dei*, *petito ab eius idea;* neque non in *iudicii* iſtius *vindiciis part. II. diſſertationum* eius *varii argumenti, p. 28. ſeq.* Sed ipſe quoque iam hac de re dixi in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. ad c. 5. §. 1. p. 369. ſeq.*

** Euidentiſſima haecce eſt ratio, qua quisque de notitia Dei inſita certus fieri poteſt. Nec amplius quid requiritur, quam vt aliquis ſincere & ſerio ad ſe attendat, & quae in ſe ipſo deprehendit, animaduer-

maduertat. Quae enim tum ipſemet in ſe ſentit, & experitur, ita illum conuincere poſſunt, vt nullus dubitationi amplius relinquatur locus. Res autem ipſa docet, & ex antea dictis etiam conſtat, nos non de illis loqui, qui rationis vſu deſtituuntur, ſed de hominibus, qui eo pollent, & adeo ad hocce mentis ſuae examen rite inſtituendum idonei ſunt: itemque de illis, qui veritati non reſiſtunt, aut huncce naturae inſtinctum data opera non ſuffocant, aut ſupprimunt. Id enim aliquando contingere, atheorum exempla docent. Ad quos quidem compeſcendos ac coercendos tum aliis argumentis opus erit. Fruſtra quippe hominem ad notitiam Dei inſitam ablegaueris, qui eam data opera ſupprimit, idque vnice agit, vt eius vim impediat. Eo namque hoc maxime comparatum eſt argumentum, vt quilibet in ſe ipſo, ſi modo ſincere ſerioque ſecum agere velit, quam certiſſime euidentiſſimeque de hacce veritate conuinci queat. Quantumvis autem profani homines reluctentur, & ſibi ipſi velut vim inferant, numquam tamen impedient, vt non vel inuiti conſcientiae, ſententiam contra illos pronuntiantis, dictamen ſentiant. Ex inſita enim hacce Dei notitia, accedente etiam adquiſita, conſcientiae hocce dictamen oritur, quo homines legem diuinam migrantes, ſe ipſos mox accuſant, aut omnino damnant, mox autem, quae innocentiae πρόφασιν praebere poſſunt, conquirentes, excuſare iterum, vel abſoluere adnituntur, teſte ipſomet apoſtolo, *Rom. II, 15.* conf. & quae ſupra *c. 1. §. 14.* diximus.

*** Nullam namque fuiſſe vmquam gentem, tam barbaram atque immanem, quae non Numen aliquod admiſerit, illudque colendum cenſuerit, etiam ethnici ſcriptores agnouerunt. Eleganter namque obſeruat PLVTARCHVS, ſi quis terrarum orbem perluſtret, cum vrbes inuenturum, muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, gymnaſiis etiam & theatris deſtitutas: *vrbem vero templis, diisque carentem, quae precibus, iureiurando, oraculo non vtatur, non bonorum cauſſa ſacrificet, non mala ſacris auertere nitatur*, neminem vidiſſe vmquam; *adu. Colotem, tom. II. oper. p. 1125.* Pari ratione MAXIMVS TYRIVS, cum varias admodum de rebus variis hominum eſſe opiniones dixiſſet, addit: ἐν τοσούτῳ δὴ πολέμῳ καὶ στάσει καὶ διαφωνίᾳ, ἕνα ἴδοις ἂν ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφωνον νόμον καὶ λόγον, ὅτι θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ, θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες θεῷ. ταῦτα δὲ ὁ ἕλλην λέγει, καὶ ὁ βάρβαρος λέγει, καὶ ὁ ἠπειρώτης, καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς, καὶ ὁ ἄσοφος. κᾂν ἐπὶ τοῦ ὠκεανοῦ ἔλθῃς τὰς ἠιόνας, κἀκεῖ θεοὶ, τοῖς μὲν ἀνίσχοντες ἀγχοῦ μάλα, τοῖς δὲ καταδυόμενοι. *In hac tanta pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges vbique terrarum atque opiniones conuenire videbis: Deum eſſe vnum, regem omnium & patrem. Huic multos additos eſſe Deos alios* (ſpiritus creatos ſeu angelos) *qui ſupremi illius filii ſint, & quaſi in imperio collegae. In eo Graecus cum barbaro, mediterraneus cum inſulano, ſapiens conſentit cum ſtulto. Vt, ſi vsque vel extrema oceani littora proceſſeris, hic quoque deos inuenturus ſis, qui non procul ab aliis oriuntur, ab aliis occidunt.* Paucis hinc interiectis, ita porro pergit: *Quodſi ab omni aeuo duo aut tres exſtiterunt tam abiecti homines, vt ſine Deo & ſine vllo ſenſu oberrarent: quorum neque lucem certam oculi, neque certum ſonitum aures admitterent, animo vero, ac praeſtantiori ſui parte mutili eſſent: irrationale, ſterile, atque inutile hominum genus, vt ſi leonem ſine ſtomacho, bouem ſine cornibus, auem ſine alis dicas; ex his nihilominus hominibus aliquid de diuina natura intelliges. Nam & inuiti hoc ſciunt, & inuiti dicunt; manent enim ſemper reliquiae quaedam, quamuis cum Leucippo ſentias, & bonum illi demas &c. differt. I. ſeu, quid ſit Deus ſecundum Platonem, p. m. 6.*

Bb 2 Cotta

Cotta equidem *multas ſe arbitrari*, dicit, *eſſe gentes, ſic immanitate efferatas, vt apud eas nulla ſuſpicio deorum ſit;* apud CICERONEM *de nat. deor. l. 1. c. 23.* Praeterquam vero, quod nullam eiusmodi gentem nominet, ipſe quoque ei repugnat CICERO, tum *l. c. c. 16.* tum alibi, tam alte omnium cordibus ſenſum diuinitatis inſidere adſerens, vt falſum multi Deum colere maluerint, quam nullum. Solent ſane tum a veteribus, tum a recentioribus exempla gentium athearum proferri, ſed ſine firmo ſatis hoc fieri fundamento, a IO. LVD. FABRICIO, theologo Heidelbergenſi, in *apologetico pro genere humano, contra calumniam atheismi*, aliisque demonſtratum eſt, quos iam laudaui in *theſibus de atheismo & ſuperſtitione*, ad *c. 5. §. 1. p. 364.* Quae BAELIVS excogitauit, aut conquiſiuit, vt integras gentes atheismo infectas fuiſſe demonſtraret, *eodem* idemtidem iam *loco* diſcuſſi. Sumamus itaque, quod fruſtra negatum hactenus, & nulla ratione negari poteſt, nullam omnino extitiſſe vmquam, aut exſtare gentem, quae non Deum, etſi ſubinde ſub conceptu valde erroneo, admiſerit, atque coluerit: ſua ſponte tum inde ſequetur, a Deo ipſo hanc notitiam illis inſitam, atque omnium cordibus inſcriptam fuiſſe. Cum enim moribus, inſtitutis, legibus, ritibus, maximopere gentes a ſe inuicem differant; in eo tamen, quod Numen aliquod ſit, idque cultu debito proſequendum eſſe, omnes conueniant; non alia profecto eius rei cauſſa adferri, aut excogitari poteſt. Ab educatione enim, aut alio quodam inſtituto humano, hicce conſenſus deriuari nequit. Experientia enim conſtat, educationem non obſtare, quo minus liberi in plurimis rebus diuerſas admodum a parentum placitis opiniones ſectentur, & hae opiniones aeque ac mores & vitae inſtituta varia ita tandem inualeſcant, vt integrae gentes a maiorum ſuorum placitis, moribusque, & inſtitutis, toto, quod aiunt, differant caelo. Non magis dici poteſt, a regibus principibusque, aut qui imperantium functi ſunt munere, opinionem hancce de Deo, eiusque cultu, introductam primum, ac deinceps conſeruatam ac propagatam fuiſſe, vt populum in obſequio continerent. Nullo enim exemplo comprobari poteſt, tum demum religionem, generatim ſpectatam, introductam fuiſſe, cum respublica quaedam conderetur. Quandocumque enim homines ad ciuitatem quamdam conſtituendam coiuerunt, ſemper opinionem de Deo, eiusque cultu, ſecum attulerunt. Non abnuo, rerum dominos religione, ad imperium ſibi firmandum, abuſos: inde autem colligere non licet, eos primum religionem aut inueniſſe, aut introduxiſſe. Sed fuſius haec iam explicaui *l. c. p. 366. ſeq.* Atque haec quidem nobis diſſerenda fuerunt, quod non tantum athei, ſed & alii quidam, notitiam Dei inſitam, vti nec alia principia innata, admittere nolint, quos inter & LOCKIVS eſt, *de intellectu humano, l. 1. c. 2. & 3.* cuius tamen rationibus a me ſatisfactum in *inſtit. theol. moralis, part. II. ſect. 2. c. 5.*

* Verba apoſtoli luculentiſſime id, quod cupimus, comprobant. Gentes enim, quae legem (ſcriptam, qualem Moſes Ebraeis tradiderat) non habebant, *φύσει τὰ τοῦ νόμου* facere dicit, *v. 14.* hoc eſt, naturae quodam ductu, impulſu, inſtinctu, vrgeri & ad veritatem legis diuinae agnoſcendam, & ad actiones ſuas eidem conformandas: adeoque, etſi legem (ſcriptam, qualis Moſis erat) non habeant, *ſibi ipſi legem eſſe*, ſeu ex ſe ipſis eam petere poſſe, cum ex Moſis tabulis hoc facere nequeant. Confirmat hoc porro, dum addit, eas oſtendere *τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, opus legis ſcriptum in cordibus illorum, v. 15.* Hoc ipſo nimirum, dum ſe componere ad legem adnituntur,

idque

idque officii ſui eſſe, ipſa natura duce intelligunt, oſtendunt ſeu demonſtrant, *opus legis*, ſeu ea, quae lex praecipit, ita comparata eſſe, vt non aliunde ea acceperint, ſed ipſis illorum animis inſita ea ſint ac implantata, ea ſcilicet, qua antea diximus, ratione. Qua de re ſi quis dubitare velit, hunc apoſtolus ad ipſum conſcientiae dictamen ablegat: quippe quod ex notitia iſta Dei, vt ſupra diximus, fluit, hinc & de ea teſtatur. Cum enim animus mali conſcius hominem, qui legem violauit, redarguat, poenamque promeruiſſe dictitet, vnde porro cogitationum, factum hoc aut excuſantium, aut condemnantium, quoddam velut certamen oritur; non aliunde hoc, quam ex inſita hacce, omniumque cordibus inſcripta legum diuinarum notitia, prouenire poteſt. Sed apoſtolus, dicis, loquitur de notitia legum, quid hoc ad notitiam inſitam Dei? Immo vel maxime, cum lex cogitari nequeat, ſine legislatore. Diuinas ergo qui admittit leges, de Deo ipſo dubitare nequit. Et quae ceteroquin ratio eſſet, vt cogitationes ſe inuicem excuſarent, aut accuſarent, niſi conſcientia dictitaret, Deum eſſe, qui, vt haſce leges dediſſet, ita eumdem; cum non minus iuſtus & potens, quam bonus ſit, non poſſe non mortalium grauiter punire peccata, recte autem facta praemiis remunerari.

§ VI. Accedunt & alia argumenta, Dei exſiſtentiam extra omnem ponentia dubitationem; * quorum nonnulla quidem a conceptibus rerum omnium communibus & vniuerſalibus, ** alia ab ordine, amplitudine, ſtructura, pulcritudine huius vniuerſi, rerumque omnium, quae in eo conſpiciuntur, cumprimis autem a partium omnium, quibus ſingulae res huius vniuerſi conſtant, ad certum finem directione; hominum itidem, qua totum genus humanum, qua ſingula indiuidua ſpectatorum, origine; *** alia denique a rerum publicarum, immo ipſarum gentium ac populorum; ſcientiarum porro ac artium ortu, * deſumi poſſunt. Methodum vero hancce ex rerum creatarum conſideratione cognoſcendi creatorem, ſcriptura ſacra itidem calculo ſuo comprobat, *Iob. XII, 7, 8, 9. pſalm. XIX, 2, 3, 4, 5. Rom. I, 20.* **

* Loquimur nunc de notitia Dei, quam *adquiſitam* vocare ſolent; quae, cum vel *rudior* ſit, a parentum ſcilicet, aut praeceptorum inſtitutione, vel traditione profecta, vel *exquiſitior*, per iuſtas ratiocinationes comparata; hanc, non illam, hic in cenſum venire, nemo non intelligit.

** Prima eſt haecce claſſis argumentorum, quibus Numinis exſiſtentia demonſtrari ſolet, quaeue *metaphyſica* vocari poſſunt. Pertinent huc ea, quae a motus origine, & dependentia rerum a ſuis cauſſis, itemque a rerum creatarum contingentia, deſumuntur, & quae alia ſunt eiusdem generis. Hinc enim primum aliquem motorem, primamque cauſſam, a qua reliqua omnia dependeant, & ens aliquod neceſſario exſiſtens, hoc eſt, Deum dari, luculentiſſime euincitur. Copioſius haec edifferi, circa nonnulla etiam quaedam moneri poſſent; id autem cum a me iam factum ſit in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 5.* ad §. *3. p. 373. ſeq.* quae ibi dicta ſunt, hic repetere nolo. Ex recentioribus in hocce argumentorum genere admodum adcurate verſatus eſt CLARCKIVS, in *demonſtratione exſiſtentiae & attributorum Dei, aduerſus Hobbeſium & Spinozam: potiſſimum*, cuius ſummam itidem *l. c. p. 378. ſeq.* exhibui.

 *** Altera

*** Altera haecce claſſis eſt argumentorum, quibus Numinis exſiſtentia demonſtratur, quaeue recte *phyſica* dicuntur. In ea primo loco ſe offert conſpectus totius huius vniuerſi, ſiue ipſum mundi ſyſtema; cuius ſi ſpectemus & *amplitudinem*, & in innumerabili corporum numero, *ordinem*, aptiſſimamque *diſpoſitionem*, omnium praeterea ac ſingulorum ad certos vſus fineſque *directionem*; non poſſumus non ſtatim conuinci, ab eo haec omnia profecta eſſe, cuius ſumma & infinita non minus potentia eſt, quam ſapientia. Idemque etiam intelligetur, ſi quis ſpeciatim ſolem, lunam, ceteraque corpora caeleſtia, eorumdemque motum, & in motu ordinem, conſtantiam, harmoniam, omniumque ad certos fines & effectus conſpirationem, attentiori perluſtrare animo operae pretium duxerit. Non minus vero & telluris noſtrae conſideratio euidentiſſime ſapientiam, potentiamque creatoris demonſtrat. Ita enim in omnibus eam adaptatam inſtructamque eſſe deprehendimus, vt commodius pro tot hominibus & animantibus, quae alere & ſuſtentare debebat, habitaculum nullo modo excogitari queat; &, ne quid incolarum eius, hominum praecipue, neceſſitati deeſſet, ingentibus abundat theſauris, quos quotidie, non ſine ſtupore illorum, qui cuncta iuſta lance ponderant, profert. Ipſa praeterea animantia, vt multitudine innumera ſunt, ita corpora, qua omnes ſingulaſque partes, aptiſſime inſtructa habent, prout loci, in quo degere debebant, alimenti, quo nutrienda erant, conſeruationiſque, qua integram ſpeciem, qua ſingula indiuidua, ratio poſtulabat. Cumprimis vero ipſa hominis conſideratio argumenta nobis luculentiſſima ſuppeditat, quibus & potentia & ſapientia creatoris quam euidentiſſime demonſtretur. Corporis enim, ſingulorumque membrorum eam ſtructuram, diſpoſitionem, proportionem deprehendimus, vt nihil aptius, nihil concinnius, nihil aut ad vſum, quem quodlibet membrum praeſtare debet, aut ad finem, ob quem hominem conditum ex naturae eius contemplatione facile condiſcimus, adcommodatius cogitari queat. Idem vero etiam vel maxime ex animae humanae, viriumque, quibus pollet, plane ſtupendarum contemplatione intelligitur. Ea vero, cum etiam omnis materiae expers ſit, intelligendique & volendi facultate praedita, magniſque adeo prae reliquis rebus creatis perfectionibus gaudeat, haec omnia Deo, cui, quidquid habet, tamquam rerum omnium cauſſae, acceptum refert, modo longe eminentiſſimo conuenire, recte colligitur. Nec hominum hic praetermittenda origo; tum ipſius humani generis, tum ſingulorum indiuiduorum intuitu ſpectata. Vtraque enim ita comparata eſt, vt, niſi creatoris rerum omnium potentia, ſapientiaque admittatur, de neutra dici aliquid poſſit, quod non abſonum ſit, & plane ineptiſſimum. Atque haec quidem, ſi iunctim ſumantur, argumenta, euidentiſſime nos condocent I) fieri plane non potuiſſe, vt haec omnia caſu fortuito exſiſterent: caſus enim fortuitus cum ordine conſtantiſſimo, ſummaeque ſapientiae effectibus conſiſtere nequit? II) dari itaque neceſſario ens aliquod ſumma potentia pariter ac ſapientia praeditum, quod haec omnia ita conſtituerit, ordinauerit, diſpoſuerit: III) ſumma iſta autem & potentia, & ſapientia, cum ſummam perfectionem arguat, non poſſe non hocce ens intellectu, voluntate, ſummaque adeo agendi libertate eſſe praeditum; quod IV) vel inde etiam eluceſcat, quod ipſimet homines in mente ſua praeter intellectum, & voluntatem, agendi quoque libertatem deprehendant: quae omnia in eo, qui rerum omnium cauſſa eſt, vt iam antea dictum, modo quodam longe eminentiſſimo exſiſtere neceſſe eſt. Vnde tandem V) ſequitur, ens

hocce

Digitized by Google

hocce longe perfectiſſimum, liberrimumque, non poſſe ipſum mundum, infinitis quippe imperfectionibus, praeſertim ſi materiam ſpectes, laborantem, ſed ab eo plane diuerſum eſſe. Quae generatim diximus, ſpecialiori quadam ratione diduci poſſent; quod cum inſtituti ratio non permittat, conferre iuuabit vberiorem horum explicationem, quam dedi in *theſib. de atheiſmo & ſuperſt. c. 5. §. 4. ſeq. p. 380. ſeq.* Plura quoque qui deſiderat, eum PARKERI *de Deo & prouidentia diuina diſputationes;* IO. RAII *exſiſtentiam ac ſapientiam Dei, manifeſtatam in creaturis;* FRANC. DE SALIGNAC DE LA MOTHE-FENELON, *de exſiſtentia Dei*; & alios eiusdem generis ſcriptores, adire oportet.

* Tertia haecce claſſis eſt, eorum ſcilicet argumentorum, quae *hiſtorica* dici poſſunt. Ex monumentis enim hiſtoricorum longe certiſſimis, regnorum, rerumque publicarum, ipſarum itidem gentium atque populorum, artium praeterea & ſcientiarum, eorum denique omnium, quae ad vitae huius vſum aut commoda inuenta ſunt, & excogitata, origines atque incrementa conſtant; ita quidem, vt, quae ethnici ſcriptores de hiſce omnibus litteris conſignata reliquerunt, ſi ſummam rei ſpectes, prorſus conſentiant cum iis, quae memoriae prodidit diuinus ſcriptor Moſes. Sua ſponte autem hinc ſequitur, non tantum initium habuiſſe huncce mundum, nec vllo modo aeternum dici poſſe, ſed eo etiam circiter tempore, eadem ratione, initium habuiſſe, qua Moſes hoc nos condocuit. Singula huius argumenti membra quo pacto ex hiſtoricorum monumentis demonſtrari queant, in compendio oſtendi, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 5.* ad *§. 9. p. 442. ſeq.* Ex inſtituto autem illud tractat IAQVELOTIVS, in *diſſertationibus de exſiſtentia Dei.*

** Verba Iobi primo in loco rem admodum ἐμφατικῶς exprimunt: *Enimuero roga, age, pecudes, & docebunt te, & alites caeli, & indicabunt tibi &c. Quis non nouit per omnia haec, quod manus Dei fecerit hoc?* Etenim dum velut ad colloquium cum rebus creatis nos ablegat, ex earum attenta conſideratione, Deum eſſe, cui omnia & originem & conſeruationem ſuam debeant, intelligi poſſe, ſignificat. Sed non minus egregia ſunt verba *Pſal. XIX, 2. ſeq. caeli enarrant gloriam Dei*, amplitudine, pulcritudine, & concinna diſpoſitione ſua, de maieſtate, potentia, & ſapientia creatoris teſtantur: *& opus manuum eius indicat expanſum:* ſeu expanſum, cum rebus creatis omnibus, quae in eo ſunt, ipſisque meteoris, aperte ſatis indicat, hoc vniuerſum non caſu fortuito exſtitiſſe, ſed *opus* eſſe *manuum eius*, hoc eſt, a Deo conditum. *Dies ad diem eructat dictum, & nox ad noctem oſtendit ſcientiam;* mirabilis illa, ſimulque tam ſalutaris rebus creatis, noctis ac diei; lucis & tenebrarum viciſſitudo, tam luculenter itidem creatoris ſapientiam comprobat, vt nullus dies, nulla nox ſit, quae non aliquid de Deo dicat, & ſequenti argumentum laudis diuinae ſuppeditet. *Non eſt ſermo, & non ſunt verba, vbi non auditur vox eorum?* quantumuis enim ſermone, linguisque inter ſe populi differant, nec barbarum intelligat Graecus, caeli tamen ſermo ab omnibus totius orbis gentibus facile intelligitur, quemadmodum & ad omnes penetrat; cum nulla gens tam ſtupida, omnique ingenio deſtituta ſit, quae non ex caeli, ceterarumque rerum creatarum conſideratione creatorem cognoſcere queat. Quod vlterius confirmat diuinus ſcriptor, addens: *in totam terram exiuit linea eorum;* talem caelorum inſtitutionem eſſe docens, qualis praeceptorum eſſe ſolet, qui pueros docent litteras, figuras nimirum elementorum iis delineando. Ita corpora caeleſtia radiis, ſplendore, motu ſuo, lineas velut ducunt, ex quarum coniunctione inter ſe velut ſapien-

ſapientiae liber exſurgat. Vnde non multum hinc abit Graecorum φθόγγος, quo Paulus vtitur, *Rom. X, 18.* quod, vt nonnulli obſeruant, non tantum *ſonum*, ſed & *litteram*, denotat. Hiſce adhuc Pauli apoſtoli teſtimonium longe luculentiſſimum addere iuuat, *Rom. I, 20.* Oſtenſurus enim, quo pacto τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ gentilibus manifeſtatum ſit, *inuiſibilia*, inquit, *ipſius, a creatione mundi, rebus factis animaduerſa conſpiciuntur, eius tum aeterna potentia, tum diuinitas.* Id nimirum, quod de Deo manifeſtatum ſit, vocat τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, *inuiſibilia eius.* Cum enim Deus ſit ſpiritus, omniſque adeo materiae expers, corporis quidem oculis nihil eorum, quibus ſumma eius perfectio abſoluitur, conſpici poteſt. Inter omnes autem perfectiones ſpeciatim *potentiam* eius, qua ſolo nutu cuncta, quae vult, efficere poteſt, & *aeternitatem*, quae potentiae eius tribui non poſſet, niſi ipſi eſſentiae quoque conueniret, commemorat, cum hiſce characteribus a rebus omnibus vel maxime diſtinguatur. Iunctim vero reliqua omnia voce θειότης complectitur. Haec itaque cum ſint ἀόρατα, corporiſque oculis conſpici nequeant, νοούμενα καθορᾶται, *mente perſpiciuntur*, non minus profecto certe & euidenter, quam ſi quis corporis oculis ea intueretur, & quidem, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, *a conditu mundi*, hoc eſt, vt nonnulli volunt, ſtatim ab eo tempore, quo mundus, & in eo homines fuerunt; quamquam alii, & quidem rectius, hoc de argumento, ſeu medio cognitionis capiunt, cum & alias non adeo inſolens ſit, vt ἀπὸ idem ſit, ac *ex*, vt *Matth. VII, 16.* vt adeo ſenſus ſit *ex creatione mundi*, hoc eſt, vt ipſemet apoſtolus ſtatim explicat, τοῖς ποιήμασι, *ex operibus*, ſcilicet *creationis*, ſeu rerum creatarum diligenti & adcurata conſideratione, τὰ ἀόρατα Dei, oculis mentis cognoſci atque intelligi poſſe. FAVSTI SOCINI ineptiſſimam, & ſcopo apoſtoli e diametro repugnantem horum verborum detorſionem, qua per *aeternam Dei diuinitatem* id, quod nos Deus perpetuo facere vult; per *aeternam potentiam*, promiſſiones, quae numquam intercident, intelligit, omniaque ſummo ſtudio peruertit, ne quis naturalem Dei notitiam ex hocce apoſtoli effato colligere poſſit, praeter alios caſtigauit PEARSONIVS, in *expoſ. ſymb. apoſtol. art. 1. p. 31.*

§. VII. Quae natura & ratio de exſiſtentia Dei docet, ea fides ceu certiſſima, & extra omnem dubitationem poſita, adſumit, ſimulque efficit, vt adcuratiori ſtudio ad ea attendamus, iuxta illud apoſtoli: πίστει νοοῦμεν *Ebr. XI, 3.* * Nititur tamen inſuper Dei ipſius, ſe ipſum per verbum, hinc & per gratiae diuinae opera varia, quae reuera percipiunt, in animis credentium efficaciſſime manifeſtantis, teſtimonio. ** Ne dicam, quod ex lumine reuelationis longe clarius, *** quam ex lumine rationis, quid Deus ſit, innoteſcat.

* Ad naturalem enim notitiam quin aliquid ex fide accedat, dubitari nulla ratione poteſt. Huc autem primo loco illud pertinet, quod, cum naturalis illa notitia vt plurimum frigeat, langueatque, per fidem ea magis excitetur. Homines enim ſibi relicti, non niſi fere inuiti, & reluctante animo de Deo cogitant, cum ab eo ſibi metuant potius, quam vt bona quaedam polliceantur, niſi forte ſaltem ſciendi & cuncta perſcrutandi ſtudio eo perueniant. Lumen vero reuelationis cum longe alia ratione Deum exhibeat, non poſſunt quoque non alio animo in conſideratione Dei verſari, qui vera fide illud amplectuntur.

** Primo itaque ipſum ſcripturae teſtimonium hic in cenſum venit. Qui enim intime perſuaſus eſt, ſcripturam a Deo ipſo eſſe

eſſe profectam, is nulla ratione, quin Deus exſiſtat, dubitare poteſt. Ipſum enim Deum in ſcriptura loquentem audit, eiusque vocem, vt filius vocem patris, agnoſcit. Deinde ſecum expendens, quae in conuerſione, (loquimur namque de homine vera fide praedito) illuminatione, voluntatis ad quaeuis bona flexione, expertus eſt, & in quotidiana renouatione reuera experitur, non poteſt non ex iſta gratiae diuinae intima perceptione ita perſuaderi, vt ſtolidiſſimus mortalium eſſet, ſi vel minimae dubitationi locum relinquere vellet. Et hac ratione opera diuina in regno gratiae non minus luculenter Numinis exſiſtentiam confirmant, quam opera Dei in regno naturae: licet illa non aeque ab omnibus percipiantur ac agnoſcantur, quam haec. Certe, quae ipſi experimur, & ſentimus, omnem dubitationem prorſus excludunt. Iungenda, quae hanc in rem diſſerui, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione cap. 4. §. 2. pag. 316. ſeq.*

*** Immo & rectius. Non dicam, quod plerique gentilium, etiam philoſophorum, conceptus plane peruerſos, quin & ineptos, & impios de Deo ſibi formauerint, cum hoc ipſi rationis lumini tribui nequeat. Hoc enim ſi recte vti voluiſſent, iſtos facile euitare potuiſſent errores. Interim CLEMENS Alexandrinus gentiles etiam hoc nomine atheiſmi arguit, quod τὸν μὲν ὄντως ὄντα θεὸν ἠγνοήκασι, *eum, qui eſt vere Deus, ignorauerint; admonit. ad gent. p. 14.* Quodſi quis itaque rectae rationis ductum ſequatur, Deum equidem cognoſcet, prout eum lumen rationis ſiſtit, hoc eſt, vt ens ſumme perfectum, adeoque vnicum. Lumen vero reuelationis docet, Deum ita vnum eſſe in eſſentia, vt trinus ſimul ſit in perſonis: quod adeo ad genuinum Dei conceptum requiritur. Id vero eſt, quod ratio ignorat.

§. VIII. Etſi porro Deus lucem inhabitet inacceſſam, *1. Tim. VI, 16.* nemoque τὰ βάθη τοῦ θεοῦ ſcrutari queat, quam ſpiritus Dei; *1. Cor. II, 10, 11.* hinc & nemo mortalium, quid Deus ſit, mente ſua perſpicue & plene comprehendere valeat: * cum tamen ex operibus τὰ ἀόρατα illius, hoc eſt, diuinae perfectiones, eluceſcant, *Rom. I, 20.* quas & luculentius lumen reuelationis pandit; ex harum conſideratione vtcumque imaginem quamdam entis iſtius perfectiſſimi, noſtraeque vim mentis infinitum in modum ſuperantis, efformare nobis licet. **

* Hoc eſt, quod vulgo dici ſolet, Deum eſſe incomprehenſibilem. Quod non ita intelligendum, ac ſi Deus nullo plane modo cognoſci poſſit, ſed quod ipſam eius eſſentiam perſpectam minime habeamus: quidquid autem de attributis & perfectionibus eius cognoſcimus, id itidem valde imperfectum ſit, cum intellectus finitus, quod infinitum eſt, perfecte & plene comprehendere nequeat. Quo ſenſu & IO. DAMASCENVS: ὅτι μὲν οὖν ἐστι θεὸς δῆλον. τί δέ ἐστι κατ᾽ οὐσίαν καὶ φύσιν, ἀκατάληπτον τοῦτο παντελῶς, καὶ ἄγνωστον. *Quod itaque ſit Deus, liquido conſtat: quid autem ſecundum eſſentiam & naturam ſit, nullo prorſus modo comprehendi, vel etiam cognoſci poteſt; lib. I. de orthodoxa fide, cap. 4. pag. 127.*

** Quidquid enim de Deo cognoſcimus, ſi ab operibus eius diſcedas, illud in eo conſiſtit, vt, aut quidquid perfectionis in rebus creatis deprehendimus, illi modo quodam eminentiſſimo conuenire, intelligamus, aut, quidquid imperfectionem inuoluit, ab eo remoueamus. Adeoque cuncta eo redeunt, vt ex attributorum eius conſide-

conſideratione, eum vt ens longe perfectiſſimum, cuius tamen perfectiones plene mens noſtra adſequi nequeat, nobis ſiſtamus.

§. IX. Summatim ergo ſi complecti velimus, quae perfectionum ſeu attributorum diuinorum conſideratio nobis ſuppeditat, dici poteſt, quod Deus ſit *ſpiritus independens.* * Ea enim, quae cum rebus creatis, ſpeciatim ſpiritibus, ceu praeſtantiſſimis rerum creatarum omnium, ei ſunt communia, ſed ita, vt modo longe eminentiori ei conueniant, voce *ſpiritus*; ** reliqua autem, quae eum infinitis modis rebus creatis ſuperiorem demonſtrant, voce *independens* comprehenduntur. ***

* Cum enim ipſam Dei eſſentiam, vt antea diximus, non cognoſcamus, ea quoque, in ſe ſpectata, deſcribi, aut definiri nequit. Nihil ergo aliud ſupereſt, quam vt perfectiones eius, prout a nobis cognoſci poſſunt, ſummatim concipiamus, vel exprimamus, quod nec breuius, nec concinnius fieri poteſt, quam ſi dicamus, quod ſit *ſpiritus independens.* Ita enim, quidquid in rebus creatis perfectionis eſt, illi tribuimus, & quidquid imperfectionem quamdam inuoluit, ab eo remouemus.

** Cum ſpiritus ſit ſubſtantia, manifeſtum, quod iſta voce ea omnia, quae rebus creatis quibuslibet, eodem nomine venientibus, communia ſunt, comprehendantur. Hinc & Deo, ſed modo eminentiſſimo, tribuuntur. Quae autem rebus corporeis propria ſunt, hic in cenſum non veniunt, ſiquidem cum iis, quae ſpirituum ſunt, comparata, non poſſunt non pro maximis imperfectionibus haberi. Quae autem ſpiritibus propria ſunt, recte quidem Deo tribuuntur, ſed per eminentiam quamdam, vt quae his etiam adhaerent imperfectiones, a Deo longiſſime remoueantur. Recte itaque ad huncce ſcopum noſtrum adhibemus vocem *ſpiritus*; idque eo lubentius, quod praeeuntem nobis habeamus ſcripturam ſacram. Πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Deus eſt ſpiritus*, ipſe ſeruator ait, *Io. IV, 24.* conf. & *2. Cor. III, 17.*

*** Cum Deus *independens* dicitur, ſenſus eſt, quod nullam ſui cauſſam agnoſcat. Idem ergo eſt, ac quod alii dicunt, eum *eſſe a ſe*; quod non *poſitiue*, ſed *negatiue* intelligendum eſſe, monere ſuperuacaneum foret, niſi eſſent, qui nodum in ſcirpo quandoque quaerunt. Atque hoc & ſcriptura, modo loquendi ſimpliciſſimo, innuit, quando Deum κατ' ἐξοχὴν *primum* vocat; *Eſ. XLI, 4. XLIV, 6. XLVIII, 12.* Qui enim omnium rerum primus eſt, non poteſt ſui quamdam habere cauſſam: cum omnis cauſſa prior ſit effectu. Idem vero ex ipſo nomine יהוה, quo ens per ſe & independenter exſiſtens denotatur, fluit: quorſum ea pertinent, quae ſupra hac de re diſputauimus. Ceterum, quando Deus *a ſe* eſſe dicitur, id quidem eo, quo diximus, ſenſu de omnibus trinitatis perſonis eſt intelligendum: longe alio autem modo filius a patre per aeternam generationem, & a patre ac filio per proceſſionem, ſpiritus ſanctus eſſe dicitur. Qua de re deinceps.

§. X. Vt ergo, quae diximus, eo rectius intelligantur, ipſarum perfectionum, ſeu attributorum diuinorum euolutio neceſſaria eſt. Quae vt recte procedat, obſeruandum, quod & res ipſa docet, attributa haecce * non re ipſa, ſed noſtro ſaltem concipiendi modo, tum

ab ſe

ab ſe inuicem, tum ab ipſa eſſentia diuina differre. ** Secus enim qui ſentit, Deum quemdam compoſitum, multisque adeo imperfectionibus obnoxium, ſibi finget. *** Obſeruandum quoque, in eorum conſideratione ita verſandum, ne, quae ratio capere nequit, negemus, aut vocemus in dubium, falſasque adeo animo concipiamus notiones; quin potius ſcripturam cum ratione rite coniungamus, * &, vtriusque ductum ſequentes, ad harmoniam omnium attributorum rite attendamus; ** cuncta denique ad fidei ac vitae praxin referamus, ne in otioſam ac inutilem ſpeculationem tota haec abeat tractatio. ***

* De perfectionibus, ſeu attributis loquimur, quae ex ipſius eſſentiae diuinae conſideratione, noſtro concipiendi modo fluunt. Proprietates itaque, quas vocant, itemque notiones perſonales, quibus ſingulae trinitatis perſonae a ſe inuicem diſtinguuntur, huc non pertinere, manifeſtum eſt. Graeci theologi haec attributa vocant ἐννοίας & νοήματα, *conceptus mentis; ἐπιβολὰς, incurſus in animum intelligibilis rei; τὰ ἐπιθεωρούμενα τῇ οὐσίᾳ, quae in eſſentia velut diſtincta contemplamur.*

** Intelligendum hoc de attributis diuinis in ſe conſideratis. Obiecta enim, atque effectus ſi ſpectes, inter hos reale diſcrimen intercedere, negari nequit. Fuerunt autem, qui in vtrumque extremum hic procurrerent. Nonnulli enim attributa ne cogitatione quidem ac intelligentia a ſe inuicem, aut ab eſſentia diuina differre arbitrati ſunt: quod multo magis de proprietatibus ac notionibus perſonalibus adſeruerunt. In Aetio atque Eunomio, Arianae ſectae defenſoribus, hicce error notari ſolet: facileque intelligitur, quorſum hoc ſpectauerit; ſcilicet, vt eo fortius perſonarum in vna eſſentia diuina pluralitatem impugnarent. Alii contra re ipſa, tum a ſe inuicem, tum ab eſſentia diuina, attributa differre contendunt: cuius erroris GILBERTVS PORRETANVS, epiſcopus Pictauienſis, & quidam ex ſcholaſticorum grege, poſtulantur; qui & Palamitis tribuitur; in quem & recentiori aetate SOCINI adſeclae ingreſſi ſunt, non aliam ob cauſſam, quam quod facilius ratione ſe hoc capere exiſtiment, quam ſi reale inter attributa diſcrimen negetur, & nihil niſi Deus in Deo ſtatuatur. Legenda, quae hanc in rem ex antiquitate eccleſiaſtica diſſerit PETAVIVS, *dogm. theolog. l. 1. c. 8. p. 60. ſeq.*

*** Si enim reuera ab eſſentia diuina diſtinguuntur, adeoque diuerſa ſunt attributa, ſequetur, ea eſſe accidentia, Deumque adeo compoſitum eſſe ex ſubiecto & accidentibus. Accedit, quod accidentia in ſubiecto potentiam quamdam ea recipiendi, hinc & paſſiuam, ſimul etiam mutationem quamdam inferant: adeoque Deo, ceu enti perfectiſſimo, & de quo eiusmodi quid cogitare non licet, tribui nequeant. Confirmabitur hoc vlterius, cum de ſimplicitate & immutabilitate Dei dicemus.

* Etſi enim ratio euidentiſſime doceat, nihil, niſi quod perfectiſſimum ſit, de Deo cogitari poſſe, adeoque omnia attributa, quae ſummam & infinitam perfectionem arguunt, recte ei tribui: ſunt tamen quaedam, quae rationis vim ſuperant. Ex eo igitur, quod v. g. omnipraeſentiam, ſecundum veram eius ac genuinam notionem, mente mea capere nequeam, inferre non licet, Deum quoque non eſſe omnipraeſentem. Sufficit enim, quod ipſa ratio doceat, Deum omnipraeſentem eſſe, etſi perfecte, quo pacto Deus ſecundum veram & genuinam vocis iſtius notionem, omnipraeſens ſit, non capiat. Eo fortius au-

tem vt erroribus omnibus, ad quos proni admodum ſunt mortales, obuiam eatur, rationi vtique iungenda eſt ſcriptura, quae non tantum, quae illa recte tradit, confirmat, ſed eiusmodi etiam notiones de hisce omnibus animo formare nos docet, quae cum perfectione diuina prorſus conueniant.

** Vix eſt, qui ad hoc attendat, cum tamen obſeruatu longe ſit digniſſimum. Harmonia autem haecce attributorum diuinorum in eo conſiſtit, quod omnia rite inter ſe comparanda ſint, ne vni tantum tribuatur, vt alterum tollatur, vel euertatur. Sic de miſericordia diuina ita cenſendum, ne quidquam detrahatur iuſtitiae, & vice verſa, de iuſtitia, ne quidquam detrahatur miſericordiae. De bonitate & potentia Numinis ita cogitandum, vt ſummae quoque ſapientiae laus illi integra maneat; & haec ita conſideranda, vt potentiae & bonitati eius nihil decedat. Et ita in reliquis ſe res habet. Tum vero vel maxime ad hancce harmoniam attendendum, cum ex attributis diuinis argumenta petuntur, ad alia caeleſtis doctrinae capita ſtabilienda.

**** Quod adeo & deinceps in ſingulorum attributorum conſideratione obſeruabimus.

§. XI. Solent vulgo attributa Dei in *negatiua* & *poſitiua* diuidi.* Cum autem negatiua non ſint vnius generis, ſiquidem quaedam conuenientiam quamdam cum rebus creatis inferant, & imperfectionem ſaltem remoueant, ** alia autem eiusmodi quid connotent, quo plane a rebus creatis Deus diſtinguatur; *** rectius nos incedemus, ſi & ea, quae poſitiua vocantur, * & negatiua prioris ordinis, ex conceptu *ſpiritus*, negatiua autem poſterioris ordinis, ex conceptu *independentiae* deriuemus. **

* Ad negatiua referuntur, *vnitas*, *ſimplicitas*, *immutabilitas*, *infinitas*, *immenſitas*. Non tantum enim quae vi vocis, ſed &, quae vi ſignificationis negatiua ſunt, intelliguntur. Ad poſitiua autem: *vita*, *ſcientia*, *ſapientia*, *ſanctitas*, *iuſtitia*, *veracitas &c.* Sed longe accuratius attributorum diuinorum inſtitui partitionem poſſe, ex dicendis patebit.

** e. g. *vnitas*, *ſimplicitas*, *immutabilitas &c.*

*** e. g. *infinitas*, *immenſitas*, *aeternitas &c.*

* e. g. *vita*, *ſcientia*, *ſapientia &c.*

** Duas ergo attributorum diuinorum conſtituimus claſſes: quarum vna ea, quae ex notione *ſpiritus*; altera ea, quae ex notione *independentiae* fluunt, continet. Quae ad primam claſſem pertinent, itidem non ſunt vnius generis. Quaedam enim Deo cum rebus quibusuis, quae exſiſtunt, ſunt communia, quaedam tantum cum ſpiritibus. Prioris ordinis ſunt *vnitas*, *bonitas*, *veritas*; quae autem poſterioris ſunt, in duo iterum genera abeunt; quorum alterum *phyſica*, alterum *moralia* continet. Phyſica ſunt: *ſimplicitas*, *immutabilitas*, ac *immortalitas*, itemque *vita*, quae per intellectum ac voluntatem ceu operationes vitales, ſe maxime prodit. Moralium autem nomine omnes virtutes veniunt, quae Deo ἀνθρωποπαθῶς tribui ſolent, quaeue ſummatim in amore continentur. Ad ſecundam denique claſſem, eorum ſcilicet, quae ex notione independentiae fluunt, merito referuntur, *infinitas*, *immenſitas*, ac *omnipraeſentia*, itemque *aeternitas*. Atque huncce in ſequentibus obſeruabimus ordinem.

§. XII.

§. XII. Nimirum, cum quaedam attributa, non tantum ſpiritibus ſed & rebus omnibus, quae exſiſtunt, ſint communia; & ea Deo eminentiſſima quadam ratione, cum remotione omnium imperfectionum conuenire, non eſt, quod dubitemus. Vt ergo de quouis ente dici ſolet, quod ſit *vnum, verum* & *bonum;** (ne quid de ipſa exſiſtentia dicam) ita multo magis de Deo haec omnia καθ᾽ ἐξοχὴν dicenda eſſe, nemo non intelligit.

* Ex metaphyſicorum ſcholis haec ſatis nota ſunt; vt ſuparuacaneum foret, fuſius ea explicare.

§. XIII. Eminet inter huius ordinis attributa *vnitas.* Cum enim quodlibet ens vnum ſit, eo quidem ſenſu, quod in plura alia eiusdem naturae entia diuidi nequeat; Deus inſuper ita vnus, vel potius vnicus eſt, vt plures nullo modo eſſe queant. Neque *ſpecifice* ſaltem, ſed *numerice*, vti loqui ſolent, vnus eſt, * cum nihil aliud in hocce vniuerſo, cui nomen hoc tribui queat, reperiatur. Idque vel ipſum Dei nomen nos condocet; cum, qui plures vno Deo ſtatuit, reuera perinde agat, ac ſi nullum admittat. ** Idem & ſcriptura confirmat, *Deut. VI, 4. Eſ. XLIV, 6. 1. Cor. VIII, 6. Epheſ. IV, 6. 1. Tim. II, 5.* *** Quae quidem eo nos adducere debent, vt πολυθεότητα, adeoque &, quae numquam fere non cum ea coniuncta eſt, idololatriam, tum craſſam, tum ſubtiliorem, immo ſubtiliſſimam, fugiamus.

* Si enim ſpecifice ſaltem vnus eſſet, nihil obſtaret, quo minus plura eſſent indiuidua, quae eodem nomine venirent, quod plane abſonum foret. Ioannis Philoponi, Deum intuitu perſonarum diuinitatis ſpecifice vnum dicentis, errorem, ſuo loco profligabimus.

** Ipſa entis perfectiſſimi notio, quae in idea Dei, quam primum vocem hanc audimus, ſe nobis offert, pluralitati Deorum ita repugnat, vt haec ſine manifeſta adſeri nequeat contradictione. Si enim vno plures eſſent, aut aequales inter ſe eſſent, aut inaequales. Si inaequales, ille, qui altero eſſet inferior, non poſſet pro ente independente, atque perfectiſſimo, hoc eſt, Deo haberi. Sin aequales, nullus plane Deus eſſet, cum vnus alteri obſtaret; vnde ſequeretur, neutrum entis omnium perfectiſſimi nomen mereri. Eſtque hoc etiam ex rationis lumine adeo manifeſtum, vt plerique, ſaltem ſapientiores gentilium, vnum ſaltem Deum admiſerint. Id iam ex inſtituto demonſtrauit LACTANTIVS, *inſtit. diuin. l. 1. c. 6. p. m. 40. ſeq.* vbi inter alia illud MERCVRII adducit: ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται. ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. *Deus vnus eſt; & quia vnus, nomine non indiget: eſt enim, qui exſiſtit, anonymus.* Ex recentioribus multa huc ſpectantia collegit PFANNERVS, in *ſyſt. theol. gentilis purioris, cap. 2. §. 9. p. 51. ſeq.* itemque HVETIVS, in *quaeſtion. Alnetanis, lib. 2. cap. 2. §. 13. pag. 107. ſeq.* Non tamen omnia ſine diſcrimine, aut grano ſalis, quae hi auctores congerunt, accipienda. Nec enim ſufficit, vnum adſerere Deum, ſed ſimul eum a mundo, ſeu rebus creatis, rite diſtinguere oportet: qua in re plurimos veterum philoſophorum a recto aberraſſe tramite, ſaltem ita quandoque loquutos, vt non multum a SPINOZAE abeſſent impietate, aliunde conſtat. Id tamen liquet, eos agnouiſſe, pluralitatem deorum plane

Digitized by Google

abſonam eſſe. Nec ſane, vt recte AVGVSTINVS obſeruat, gentes vsque adeo ad falſos deos delapſi ſunt, vt opinionem amitterent vnius veri Dei, ex quo eſt omnis, qualiscumque natura; *contra Fauſtum Manich. lib. 20. cap. 19.* Quin, ſi recte rem omnem aeſtimemus, non minus illa de Deo vno, quam de exſiſtentia eius euidens eſt notitia; cum nemo poſſit vllam de vero Deo ſibi notionem formare, quin ſtatim inde ſequatur, vnum ſaltem eſſe Deum: quod contra GROTIVM obſeruandum, ſecus hic ſentientem, *lib. 2. de iure belli & pacis, c. 20. §. 45, 47.* Quando autem philoſophi, ac ſapientiores Graecorum ſubinde & deorum mentionem faciebant, hoc ita intelligendum, quod vnico illi, veroque & ſupremo Deo, genios, ſeu ſpiritus creatos, animasque heroum adiunxerint, vt tamen veri Dei notio, vnico illi, atque ſupremo tantum tribueretur. Quorſum MAXIMI TYRII ſupra iam nobis laudata faciunt verba, quibus omnes vbique terrarum leges ac opiniones, in eo conuenire, docet, ὅτι θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατήρ, *Deum eſſe vnum, regem omnium, atque patrem,* huic autem *multos additos eſſe Deos alios, qui ſupremi illius filii ſint, & quaſi in imperio collegae, diſſert. 1. p. m. 7.* Quo pacto veteris eccleſiae doctores, in demonſtranda, contra gentiles, vnitate Dei, verſari ſoleant, vel ex LACTANTIO intelligere licet; *l. c. c. 3. ſeq.* itemque ex ATHENAGORA, in *apologia pro chriſtianis, pag. 66. ſeq.*

*** Ἐμφατικῶς, & cum ſingulari animi excitatione, *Deut. VI, 4.* dicitur: *audi Iſrael, dominus Deus noſter, dominus vnus eſt.* Nec minus rotunde in reliquis dictis idem effertur. Addenda vero & ea, quibus negatur, quod praeter eum alius Deus detur; vt *Deut. IV, 35. Eſ. XLIV, 6.* De illa autem hoc intelligendum vnitate, quae perſonarum non excludat pluralitatem, alia rurſus ſcripturae edicta longe luculentiſſima euincunt: vt ſuo loco oſtendetur. Fruſtra itaque Iudaei, omnesque antitrinitarii, dicta antea adlata, cumprimis illud *Deut. VI, 4.* nobis opponunt. Legenda, quae de vltimo hocce erudite commentatur MAIVS, in *diſſertationib. ſacris, loc. II. pag. 99. ſeq.*

* Etſi idololatra, hoc eſt, qui aliud quid pro Deo habet, quod Deus non ſit, non ſtatim plures deos ſtatuat, vix tamen fieri poteſt, vt polytheismum euitet, ſiue pluribus idolis ſimul diuinitatem tribuat, ſiue vero Deo idolum aliquod adiungat, vt in ſubtiliori, & ſubtiliſſima idololatria fieri ſolet. Atque hoc ſenſu recte vnitati Numinis idololatria quoque opponitur. Quae polytheismi & craſſioris idololatriae tum apud gentiles, omnia fere rerum creatarum genera, vt idola, colentes; tum apud eos, qui honorem, ſoli Deo debitum, hominibus etiam ſanctis angelisque tribuunt, ratio ſit, aliunde ſatis conſtat. Atque hi quidem, licet ore vnum Deum profiteantur, re ipſa plures ſe admittere teſtantur. Quem enim aliquis vt Deum colit, cultu ſiue interno, ſiue externo, illum pro Deo habet. Vnde etiam, quid de ſubtiliori idololatria cenſendum ſit, patet, quando quis in rebus creatis, opibus, ſeu diuitiis, aut aliis hominibus, ſpem ſuam atque fiduciam collocat. Hinc, auaritiam idololatriam eſſe, Paulus pronuntiat, *Coloſſ. III, 5.* & ſeruator vero Deo eum ſeruire poſſe negat, qui mammonae ſeruire cupit, *Matth. VI, 24.* conf. *1. Tim. VI, 17.* In eum vero, qui in hominibus fiduciam collocat, maledictionis fulmen vibrat Ieremias vates, *c. XVII, 5.* Subtiliſſimae idololatriae illi rei ſunt, qui per philautiam prauam ſibi ipſis ea tribuunt, quae vero Deo tribuere debebant: cui non aliter, quam per veram noſtri abnegationem obuiam ire poſſumus, quam adeo ipſe ſeruator tam ſtudioſe nobis commendat; *Matth. X, 37. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. XIV, 26.* Hi ergo

omnes

Digitized by Google

omnes non tantum aliquid pro Deo colunt, quod Deus non eſt; ſed dum ſimul in verum Deum ſe credere profitentur, reuera pluros Deos admittunt. Quae quidem omnia vt diligenter euitemus, noſtri eſſe officii, facile intelligimus. Quin immo, ſi vnum, eumque verum Deum eſſe credimus, ad eum quoque vnice omnia noſtra referamus, *1. Cor. VIII, 6.* ei ſoli ſeruiamus, cultumque illi debitum exhibeamus, *Deut. VI, 13, X, 20. Matth. IV, 10.* eumque ſolum ſuper omnia amemus, quod & ipſe Moſes cum praecepto, de vno Deo credendo, ſtatim coniungit; *Deut. VI, 5.* in eo denique ſolo omnem fiduciam noſtram collocemus, *pſalm. LXII, 9. prouerb. III, 5. Eſ. XXVI, 4.*

§. XIV. Pari quoque ratione Deus modo eminentiſſimo *bonus* eſt, idque tum *abſolute*, & in ſe, dum omnia ea, quae enti perfectiſſimo conueniunt, in eo deprehendere licet: *Luc. XVIII, 19.* * tum *relatiue*, & quoad nos, dum in eo, ceu ſummo noſtro bono, omnia, quae nos beatos reddere poſſunt, inuenimus, *pſ. LXXIII, 25, 26.* ** ne quid nunc de eo dicam, quod ab eo, ceu cauſſa efficiente, omnia, quae bona ſunt, proficiſcantur, *Gen. I, 31. Iac. I, 17. 1. Cor. IV, 7 act. XVII, 25. ſeq.* *** Quae quidem omnia, vt Deum ſummo amore & veneratione proſequamur, nos commouere debent. *

* In eo quidem nonnulli bonitatis metaphyſicae, abſolute ſpectatae, notionem conſtituunt, vt bonum dicatur, in quo omnia, quae rei alicuius eſſentiae conueniunt, deprehendere licet. Atque hoc etiam ſenſu de rebus creatis omnibus dicitur, quod fuerint *valde bonae, Gen. I, 31.* dum vnaquaeque eſſentiam atque naturam ſibi conuenientem habebat. Nec reuera diſſentiunt, qui bonitatis, hoc modo ſpectatae, notionem, in ipſa eſſentiae, qua res quaelibet gaudet, praeſtantia, pulchritudine, atque excellentia, conſtituunt. Deum autem hoc modo ſumme bonum, ſeu optimum dicendum, res ipſa docet. Immo, in eminentiori bonitatis huius ſignificatione, ſolus Deus bonus dici poteſt; *Luc. XVIII, 19.* Cum bonitate hoc modo ſpectata, *perfectionem* conuenire, nonnulli exiſtimant: quod admitti poteſt, ſi in ſtrictiori ſignificatione vox *perfectio* accipiatur; ceteroquin enim omnium attributorum complexum denotat, quando Deum ens omnium perfectiſſimum dicimus. Deum autem hoc ſenſu bonum eſſe, probatione non indiget. Quod enim ſuo modo rebus quibuslibet, in quibus defectus non eſt, conuenit, id modo longe eminentiſſimo Deo conuenire, negari nequit. Ipſos etiam gentiles ſummam iſtam Numinis bonitatem agnouiſſe, vel ex CLEANTHIS Stoici verſibus elegantiſſimis conſtat, quos CLEMENS Alexandrinus recitat, *ſtromat. l. 5. pag. 715.* edit. POTTERI.

** Bonum relatiue ſpectatum eſt, quod conſeruare rem alteram, aut perfectiorem reddere, aptum eſt: cuiusmodi quidem bona, cum intuitu hominum varia ſint, nullum tamen eſt, quod eum perfecte beatum, & felicem reddere poteſt, quam Deus. Vnde & ſummam hominis beatitatem in vnione ac communione cum Deo conſiſtere, ſuo loco docebimus. Conferenda quoque, quae ad §. *I.* huius capitis, iam diximus.

*** Quod nonnulli addunt, eum etiam bonum eſſe in genere cauſſae exemplaris, eo quod perfectiſſimum omnium virtutum exemplum nobis exhibeat, huc non pertinet. Interim conf. *Matth. V, 48.*

* Bonitatis

* Bonitatis ſcilicet abſolute ſpectatae conſideratio, admirationem, venerationemque in nobis excitabit; relatiue autem, amorem: cum ea, quae ad noſtram beatitudinem faciunt, vel maxime amare ſoleamus; conf. *pſ. XVIII, 2, 3.* A Deo autem, quod omnia bona accipiamus, ad gratum quauis ratione demonſtrandum animum nos obſtringet.

§. XV. Et ita quoque Deus *verus* eſt, *ὁ ἀληθινὸς, 1. Io. V, 20.* eſſentia Deo debita gaudens: * ſubinde in ſcriptura ſacra *diis falſis, τοῖς λεγομένοις θεοῖς, 1. Cor. VIII, 5.* opponendus. ** Quo ipſo & nos admonemur, vt tales reuera ſimus, quales videri cupimus, omnemque fucum & fictionem ſedulo fugiamus, *** cum & in Chriſto ſit *ἀλήθεια, Eph. IV, 21.* conf. & *apocal. XXII, 15.*

* Hanc namque veritatis metaphyſicae, de qua hic nobis ſermo eſt, notionem conſtituere ſolent. Eodem redit, quod alii dicunt, veritatem (metaphyſicam) eſſe, qua quid reuera id eſt, quod eſſe dicitur. Qua quidem ratione, vt quodlibet ens reuera exſiſtens, verum eſt, ita multo magis, & eminentiſſimo quidem modo, Deum verum dicendum, ſua ſponte intelligitur. Immo Platonici, vt Deum ſolum ens, ſolumque bonum, ita & ſolum verum dicendum eſſe, cenſebant, reliqua autem omnia vmbras ſaltem, & imitamenta veritatis eſſe. Quorſum iſta MERCVRII pertinent, quem triſmegiſtum vocant: *Vniuerſa, o Tati, ſupra terram, non ipſa veritas ſunt, ſed veritatis imitationes, & vmbrae, & ne hoc quidem omnia, ſed perpauca. Cetera plane, o Tati, ipſum mendacium & error ſunt, & phantaſiae velut ſimulacra quaedam.* Qua de re cum multa eiuſdem generis attuliſſet, quaeſitus tandem MERCVRIVS de prima veritate, reſpondit: eam eſſe, *vnum & ſolum illum, qui non eſt ex materia, qui corpore non continetur, ſine colore, ſine figura, mutationi & alterationi nulli obnoxium lib. de veritate,* qui eſt *XVII. p. 248.* ex edit. PATRICII. Quae tamen cum grano quodam ſalis accipienda ſunt. Scriptura autem ſacra non tantum *loco citato*, ſed & alias ſubinde de veritate Dei loquitur; idque adeo, quod diximus, confirmat. Namque & *Ierem. X, 10.* Deus ſimpliciter אמת, *veritas*, dicitur, & *2. chron. XV, 3.* Deus audit אלהי אמת, *Deus veritatis*, ſeu *Deus verus.* Sic & *Ioan. XVII, 3.* Chriſtus patrem vocat τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν, *qui ſolus verus Deus eſt.* Et Paulus conuerſionem ab idolis factam eſſe docet, δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, *vt ſeruirent Deo viuenti & vero, 1. Theſſal. I, 9.* conf. & *apoc. III, 7, 14, VI, 10.*

** Hinc & idola dicuntur *res nihili*, אלילים, ſeu *non entia*; cum אליל *nihilum, rem nihili*, ſignificet; quia reuera id non ſunt, quod eſſe videntur.

*** Veritati enim omne id, quod non tale eſt, quale eſſe videtur, opponitur; cuiusmodi eſt quaeuis fictio, ſimulatio, hypocriſis. Adeoque & verus chriſtianus non eſt, qui ſaltem talis videtur, quemadmodum nec vera cognitio, aut vera fides, aut vera virtus dici poteſt, niſi & cognitio, & fides, & virtus reuera talis ſit, qualis eſſe debebat. Qui ergo ſapit, hoc vel maxime ſibi datum credit, ne inani ſpecie aut vmbra, aut ſe ipſum, aut alios quoque homines fallat.

§. XVI. Quae ſpeciatim cum ſpiritibus Deo communia ſunt, in duas iterum claſſes recte diuiſeris: quarum altera quae continet, *phyſica*, altera *moralia*, dici poſſunt. * Ad priorem, ſimplicitatem, ac immu-

immutabilitatem, &, quae hinc ſequitur, immortalitatem, immo vitam ipſam, intellectumque adeo & voluntatem referre licet.

* Iuxta ordinem, quem ſupra iam ad §. 11. deſignauimus.

§. XVII. Spiritibus ſcilicet, vtpote omnis materiae expertibus, recte *ſimplicitas* quaedam tribuitur; ſed longe eminentiori modo Deo ipſi, quippe in quem nulla compoſitionis ſpecies, quocumque etiam nomine veniat, cadit. * Summa hoc Numinis perfectio omnes condocet, cum nulla omnino ſine imperfectione cogitari compoſitio queat. ** Idque etiam ſcriptura confirmat, dum eum ita nobis ſiſtit, vt aliter, quam de ente puriſſimo, & ab omni compoſitione remoto, de eo vel cogitare nefas ſit; conf. *Exod. III, 14.* *** Idque & nobis documento eſſe debet, vt, quidquid vitae morumque ſimplicitati repugnat, ſedulo fugiamus. *

* Spiritibus generatim, ſpeciatim vero & creatis, ſimplicitas tribuitur, quia materiae expertes ſunt, adeoque ex materia & forma non ſunt compoſiti, hinc & multo minus ex partibus integrantibus. Eminentiori autem longe modo Deus ſimplex dicitur, ſiquidem nec ea compoſitio, quae eſt ex eſſentia & ſubſiſtentia, realiter diſtinctis, itemq; ex ſubiecto & accidenti, neque non ex potentia & actu, in eum cadit. Paucis: omnis compoſitio realis merito a Deo remouetur: quamuis & in compoſitione rationis caute procedendum, nonnulli moneant; ne quid, quod Deo indignum ſit, illi tribuamus.

** Quo magis enim aliquid eſt compoſitum, eo etiam eſt imperfectius. Hinc ſpiritus merito perfectiores cenſentur corporibus, quia minus ſunt compoſiti, ſeu ſimpliciores. Ergo, quod perfectiſſimum eſſe debet, omnis etiam compoſitionis expers, ſeu ſimpliciſſimum ſit, neceſſe eſt. Ex inductione praeterea comprobari poteſt, nullum dari compoſitionis realis genus, quod non imperfectionem quamdam inuoluat. Eo grauius itaque errant, qui non tantum accidentia in Deo admittunt, ſed craſſiorem omnino compoſitionem; eum aut corporeum fingentes, aut humanam omnino illi tribuentes figuram. Satis quoque inepte gentilium quidam philoſophi, Deum pro mundi anima habentes, partem omnino totius vniuerſi faciebant: quorum nonnulli inſuper eum aut ignem, aut aerem ſubtilem eſſe, credebant; vt alibi iam nobis obſeruatum. Omnium vero abſurdiſſime nonnulli, quos deinceps SPINOZA ſequutus eſt, totum hocce vniuerſum pro Deo habebant, per manifeſtam contradictionem, ipſam ſimul materiam, idque adeo, quod maxime compoſitum, hinc & longe imperfectiſſimum eſt, voce, quae ens omnium perfectiſſimum denotat, deſignantes. Sed horum eo tandem abire placita, vt reuera Deum eſſe negent, voceque hac aliis tantum fucum faciant, notum ſatis eſt. Interim vel inde liquet, quanto ſtudio ſumma Dei nobis adſerenda ſit ſimplicitas.

*** *Cum ſacrae litterae*, inquit FAVSTVS SOCINVS, *nusquam, quod ſciamus, Dei eſſentiam ſimpliciſſimam eſſe teſtentur, & de Deo, praeter id, quod in ſacris litteris expreſſum eſt, quidquam adſerere, periculi plenum cenſeri debeat, quam maxime poſſumus, & ab iſta, & ab eiusmodi aliis enuntiationibus abſtinemus, quamuis alioquin & veriſſimae, & certiſſimae eſſe videantur; in defenſione animaduerſion. in adſertiones theologicas collegii Poſnanienſis &c. t. 2. op. p. m. 635.* Verum, ſi veriſſima, certiſſimaque haec eſt adſertio, non debet in dubium vocari, ſi vel maxime vox *ſimplicitas* in ſcriptura ſacra de Deo non adhibeatur. Sufficit, quod res ipſa,

Digitized by Google

tum ex ratione, tum ex ſcriptura, euidenter conſtet. Et ſane, dum Deus de ſe ipſo dicit, אהיה אשר אהיה, *ero, qui ero*, eſſentiam κατ᾽ ἐξοχὴν talem, hoc eſt, per ſe ſubſiſtentem, independentem, perfectiſſimam adeo & ſimpliciſſimam, ſibi tribuit. Immo, & ex ipſo nomine יהוה hoc fluere, ſua ſponte intelliget, qui ſecum expenderit, quae ſupra de eo diſputauimus. Nec praetermittendum, quod nonnullis obſervatum, Deum in ſcriptura ſacra non ſolum viuum, ſeu viuentem, ſed & ipſam vitam, non lucidum, ſed ipſam lucem, ad omnem compoſitionem ab eo remouendam, vocari. Solent ceteroquin diuinae trinitatis hoſtes ſimplicitatem Dei vel maxime vrgere, vtpote quae pluralitatem perſonarum non admittat. Verum id quoque perperam. Pluralitatem enim perſonarum, quando in vna eſſentia admittimus, non ea id facimus ratione, vt compoſitum quid, ab eſſentia diuina diuerſum, inde reſultet; adeoque ſimplicitati Dei non magis hoc obſtat, quam eius vnitati.

* Hoc ſi probe expendamus, & vita ipſa exprimere adnitamur, non inanis aut ſterilis erit diuinae ſimplicitatis conſideratio. Non ſine ratione Paulus gloriatur, quod ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ θεοῦ, *cum ſimplicitate & ſinceritate Dei verſatus ſit, 2. Cor. I, 12.* vtramque autem virtutem ſcriptura paſſim commendat; conf. *1. Cor. V, 8.*

§. XVIII. Sed nec mutationi, ſi ipſam eſſentiam ſpectes, obnoxius eſt ſpiritus; multo autem minus Deus, * quippe cuius ſummae perfectioni omnis, etiam qua accidentia, ** qua locum; *** qua voluntatem atque propoſitum, mutatio repugnat. Idque & ſcriptura confirmat, *Rom. I, 23. 1. Tim. I, 17. cap. VI, 16.* ** item *Iac. I, 17.* *** *Ier. XXIII, 24.* * *Num. XXIII, 19.* ** Eo autem hoc pertinet, vt mundi huius, eorumque omnium, quae extra Deum ſunt, vanitatem, inſtabilitatemque ſerio nobiſcum perpendamus, *1. Cor. VII, 31.* *** De immortalitate Dei vt ſpeciatim dicamus, neceſſe non eſt: ſequitur enim haec ſua ſponte ex immutabilitate. * Cumque & ſpiritibus recte tribuatur, longe eminentiori modo Deo eam conuenire, dubitari nequit; qui & ideo *ſolus habere immortalitatem* dicitur, *1. Tim. VI, 16.*

* Ex ſumma itaque, perfectiſſimaque Dei ſimplicitate fluit eius immutabilitas, qua eſſentiam. Quod enim ea ratione ſimplex eſt, illud deſtrui aut corrumpi nulla ratione poteſt, nec, qua incrementum aut decrementum, vel alio quocumque modo, mutationem admittit.

** Hoc itidem ex ſumma Dei ſimplicitate fluit. Cum enim, Deum ex ſubiecto & accidenti compoſitum non eſſe, antea demonſtratum ſit, adeoque nec accidentia in eum cadant; ſequitur, quod nec mutatio qua accidentia, in eo locum inueniant.

*** Vt ex vno loco in alium illi transeundum ſit. Fluit hoc ex immenſitate Dei, de qua deinceps; adeoque hic ideo ſaltem commemoratur, vt immutabilitas Dei eo rectius explicetur. Quando autem Deo motus localis in ſcriptura ſacra tribuitur, hoc per ἀνθρωποπάθειαν fieri, manifeſtum eſt.

* Patebit hoc ex iis, quae deinceps de voluntate diuina dicentur. Quando autem de Deo dicitur, quod eum rei alicuius poeniteat, vt *Gen. VI, 6.* hoc itidem fit κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν.

** Ex hiſce locis patet, Deum, qua eſſentiam, eſſe immutabilem.

*** Mutationem accidentium in eum non cadere, hinc intelligitur.

* De immenſitate Dei propheta loquitur, adeoque docet, mutationem loci illi tribui non poſſe.

** Vo-

** Voluntatem Dei immutabilem eſſe, hic innuitur. Nec obſtat, quod voluntatem diuinam aliam faciamus antecedentem, conſequentem aliam, vti deinceps dicetur. Id enim obiecti ſaltem mutationem indicat, ex qua nulla in ipſa voluntate diuina ſequitur mutatio.

*** Hinc vero & excitabimur, vt, ſpretis caducis, terreſtribus, humanis, ea quae firma, caeleſtia, diuina, mutationi non obnoxia ſunt, conſequi ſtudeamus. Haec eſt κληρονομία iſta ἄφθαρτος, καὶ ἀμίαντος, καὶ ἀμάραντος, quam in caelo nobis ſeruari, Petrus docet, *1. epiſt. I, 4.*

* Immo, eſt ipſa immutabilitas, qua eſſentiam ſpectata. Eſſentia enim rei cuiusdam per mortem & corruptionem deſtruitur, & immutatur.

§. XIX. Vita variis equidem rebus, cumprimis & ſpiritibus, ſed diuerſa admodum ratione, tribuitur. * Generatim autem conſiderata, vel principium operationum vitalium, vel operationes vitales ipſas denotat. Vtroque modo de Deo recte dicitur, ſed ita, vt operationes vitales de ipſo principio teſtentur; ** idque iterum eminentiſſima quadam ratione, cum ipſe fons ſit omnis vitae, res autem creatae vitam non a ſe ipſis, ſed tantum a Deo habeant; conf. *Ioan. V, 26.* *** Hinc & paſſim in ſcriptura ſacra Deo vita tribuitur. *Gen. XVI, 14. Ioſ. III, 10. pſal. XLII, 3. pſal. LXXXIV, 3. Eſ. XXXVII, 4. actor. XIV, 15.* * Hoc vero tum demum nobis proderit, ſi Deum reuera vt viuum agnoſcamus, ab eoque ſolo, ceu fonte, omnem vitam, naturalem pariter ac ſpiritualem exſpectemus, ** *actor. XVII, 28. pſal. XXXVI, 10. Ioan. I, 4.*

* Alia enim eſt vita rerum vegetabilium, alia animalium, tum brutorum, tum hominum, alia denique ſpirituum. Atque horum quidem vita, quae & *intellectualis* dicitur, vt longe nobiliſſima eſt, ita & hic etiam in cenſum vnice venit, meritoque inter attributa, quae Deo cum ſpiritibus communia ſunt, refertur.

*** Quod principium ab ipſa natura & eſſentia diuina minime diuerſum eſt: quemadmodum & operationes vitales noſtro ſaltem concipiendi modo, tum a ſe inuicem, tum ab ipſo principio, ſeu eſſentia diuina, hoc modo conſiderata, diſtinguuntur.

*** Dicitur enim ibi: *quemadmodum pater vitam habet ἐν ἑαυτῷ, in ſe ipſo, ita etiam dedit filio vitam habere ἐν ἑαυτῷ, in ſe ipſo:* quod alii quidem ita explicant, quod Deus vitam non habeat ab alio; alii, quod vitae fontem in ſe contineat, faciatque ſcaturire vitam inſtar fontis; alii denique, quod ſuamet natura ac eſſentia vitam habeat, ſeu, quod ipſius eſſentia ipſa vita ſit, modo longe eminentiſſimo. Quae tamen explicationes rite inter ſe coniungi poſſunt, cum & in Deum quam optime quadrent, & nulla alteram euertat.

* Plerumque in hiſce ſcripturae locis Deus ἐμφατικῶς *viuus*, ſeu *viuens* dicitur, in oppoſitione ad idola, quae vel hoc nomine indigna erant, quae pro Deo colerentur, quod omni vita deſtituebantur; conf. *pſal. CXV, 4. pſalm. CXXXV, 15.*

** Naturalem quidem ab eo habemus omnes; ſpiritualem conſequuntur, qui ex aqua & ſpiritu regenerantur, *Ioan. III, 5. 6.* Qui autem non conuertuntur, fideique expertes manent, mortui ſunt in peccatis, *Ephes. II, 1.* abalienati a vita, quae ex Deo eſt, *Epheſ. IV, 18.*

§. XX. Operationes vitales ſpirituum ex *intellectu* illorum atque *voluntate* maxime agnoſcuntur. Atque intellectui quidem propria eſt *co-*

cognitio ſiue *ſcientia*, * quae adeo & Deo recte tribui poteſt, & in ſcriptura ſacra ſaepiſſime tribuitur. Caueamus autem, ne, diuinum intellectum ex noſtro modulo aeſtimantes, ea de illo cogitemus, quae cum ſumma eius perfectione e diametro pugnant. ** Maximum namque inter hominis & Dei ſcientiam, qua obiectum, qua modum, intercedit diſcrimen.

* Intellectus nimirum per modum *actus primi*, ſcientia autem per modum *actus ſecundi*, vti in ſcholis loquuntur, concipi ſolet.

** Hoc ſi omnes diligenter obſeruarent, multae quaeſtiones, quae tantis animorum motibus agitantur, ſua ſponte ceſſarent.

§. XXI. Et ad obiectum quidem quod attinet, tam late illud patet, vt nullis circumſcribi limitibus queat; hinc & recte *omniſcientia* dicitur. Nimirum Deus ab omni aeternitate non tantum ſe ipſum, ſed res quoque omnes extra ſe, omnesque actiones, & ſuas, & alienas, adcurate, ſecundum cuiusque rei aut actionis naturam, & indolem cognoſcit: hinc & non tantum quae exſiſtunt, aut exſtitura ſunt, quaeue adeo decreuit; * ſed & quae eſſe poſſunt, ** eadem ratione cognoſcit. Nec enim ſumma diuinae ſcientiae perfectio permittit, vt eidem quidquam, quamtumuis exiguum videatur, detrahamus: *** qua in re rationi itidem ſuffragatur ſcriptura; conf. *Iob. XXVIII, 24. cap. XLII, 2. pſalm. CXXXIX, 1. ſeq. proverb. XV, 3. actor. XV, 18. 1. Ioan. III, 20.* *

* Solet haec ſcientia Dei vocari *libera*, quia liberum aliquod Dei decretum circa res iſtas producendas, aut permittendas, praeſupponit. Nihil enim vmquam exſiſtit, aut exſtitit, aut reuera exſtiturum eſt, ſine Numinis voluntate, adeoque & quodam eius decreto. Cumque tam clare & diſtincte ea omnia cognoſcat, ac cognoſcere ſolemus, quae coram intuemur, ac oculis noſtris videmus, hinc & *ſcientia viſionis* dicitur.

** Ea ſcientia Dei, qua res quasuis poſſibiles, vt tales, cognoſcit, vocatur *naturalis* ſeu *neceſſaria*. Vt enim id, quod poſſibile eſt, non poteſt non tale eſſe, ita & Deus non poteſt non res poſſibiles, vt tales cognoſcere: quamuis & ſe ipſum eadem ratione cognoſcat. Vocatur etiam ſcientia *ſimplicis intelligentiae*, quia nullum decretum diuinae voluntatis antecedit.

*** Vix eſſe, qui hoc inficiari audeant, AVGVSTINVS innuit. Cum enim dixiſſet, multos propterea mala facere, quod putent, ſe non videri a Deo, addit: *Et difficile eſt quidem, vt eum credant videre non poſſe, ſed putant, nolle; ſerm. 69. tom. 5. oper. p. m. 266.* Diſputat tamen contra eiusmodi homines, qui omniſcientiam diuinam in dubium vocant, AMBROSIVS, *de officiis, l. 1. c. 14.* Immo fuerunt ex ipſo ſcholaſticorum grege, qui omniſcientiam diuinam non *euidenter*, ſed tantum *probabiliter* ex ratione probari poſſe contenderent. Quibus nonnulli ex ethnicis longe fuerunt ſapientiores. Notum enim, vt alia taceam, eſt illud THALETIS Mileſii, qui, interrogatus, *lateretne homo male agens deos?* reſpondit: *ne cogitans quidem.* Et ſane, cum nulla in Deum imperfectio cadat, ipſa ratio euidenter docet, nihil omnino eſſe, aut cogitari poſſe, quod ipſius ſcientiam fugiat, quae & ideo recte *omniſcientia* dicitur.

* Diſerte enim hiſce in locis dicitur, quod *fines mundi intueatur, & omnia, quae ſub caelo ſunt, reſpiciat;* quod *non prohibeatur*

(ſeu

(ſeu abſcondita ſit) *ab eo cogitatio*; quod *cogitationes hominum a longe*, hoc eſt, ab aeterno, *intelligat*; quod *oculi domini in omnibus locis intueantur & probos & improbos*; quod *nota ſint ei ab aeterno omnia opera eius*; immo, quod *omnia ſciat*; vnde & eleganter *1. Sam. II, 3.* אל דעות, *Deus ſcientiarum*, vocatur. Hinc & Paulus βάθος πλούτου καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως, *profunditatem diuitiarum & ſapientiae & cognitionis*, illi tribuit, *Rom. XI, 33.* & alibi. *non vllam rem creatam non manifeſtam eſſe, in conſpectu eius*, pronuntiat, quin potius omnia γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, *Ebr. IV, 13.* Vbi vulgatus quidem interpres vocem τετραχηλισμένα vertit: *aperta*; rectius autem BEZA: *intime patentia*; cum ad victimas mactatas & excoriatas, quarum intima patebant viſcera, reſpiciatur.

§. XXII. Speciatim & futura quaeuis Deus certo nouit: non tantum, quae a neceſſario cauſſarum nexu pendent, * ſed & quae a libere agentium voluntate, ſe ipſam determinatura, originem ducunt, quaeue *contingentia* vocari ſolent. ** Haec namque ſi non cognoſceret, ſcientia eius non poſſet dici perfecta. *** Idque inſuper tot praedictiones rerum futurarum, earumque contingentium, quibus & adcurate euentus reſpondit, teſtantur. * Accedunt & aperta ſcripturae teſtimonia; *Geneſ. XVII, 17-19. Deut. XXXI, 16, 20. pſalm. CXXXIX, 2. 4.* Immo & hocce maxime charactere Deus a diis falſis, gentiumque idolis diſtingui voluit; *Eſ. XLI, 22, 23. cap. XLII, 9. cap. XLIII, 12.*** Omnes itaque hominum angelorumque non tantum actiones, ſed cognitiones quoque atque decreta, in illis vnquam exſtitura, cum intime cognoſcat, ſequitur, ignotum illi eſſe non poſſe, quid homines, angelique, poſita certa quadam conditione, facturi fuiſſent; quam ſcientiam de *futuro conditionato*, itemque *mediam* vocare ſolent; quae & ſcripturae itidem nititur teſtimoniis; *** conf. *1. Sam. XXIII, 11. ſeq. Matth. XI, 21.*

* Quae interdum etiam ab hominibus cognoſci poſſunt, ſi cauſſa proxima illis cognita ſit, & effectus neceſſario ex cauſſa iſta fluat. Hinc & ſolis, lunaeque eclipſes adcurate a mathematicis praedicuntur.

** Iſtud vero, cum nec de homine, nec de ſpiritu vllo dici queat, hinc ſoli Deo eſt proprium. Haec autem rerum futurarum, maxime contingentium, cognitio, ſpeciatim *praeſcientia* vocari ſolet.

*** Eſſet enim aliquid, quod non cognoſceret: ergo non omnia cognoſceret, nec poſſet dici *omniſcius*. Accedit, ſi futura contingentia non cognoſceret, antequam fiunt, cum autem facta ſunt, ea cognoſceret, quod nemo negabit, tum Dei ſcientiam incrementum capere poſſe; ſiquidem, cum aliquod contingens euenit, aliquid cognoſceret, quod antea non cognouerat. Quod, vt manifeſtae imperfectionis documentum eſſet, ita etiam ſequeretur, ſcientiam diuinam mutationi eſſe obnoxiam.

* Rerum futurarum, earumdemque contingentium, praedictiones, etiam ethnici, eorumq; philoſophi plerique agnouerunt. Ex CICERONE *l. 1. de diuinatione, c. 2. p. m. 1246.* condiſcimus, reliquos philoſophorum omnes, praeter Xenophanem & Epicurum, vaticinia, ſeu praedictiones rerum futurarum credidiſſe, ita tamen, vt nonnulli omnia praedictionum genera, alii quaedam tantum admitterent. Inter eos vero, qui

praedictiones eiusmodi admittebant, nonnulli quidem earum cauſſam ad Deum, ſeu genios, vel daemones, referebant, vt Pythagorei ac Platonici; alii autem vim quamdam naturalem, futura praedicendi, hominibus inſitam adſerebant, vt Stoici, a quibus non procul diſcedebant peripatetici. Et eodem etiam ſe receperunt recentiores impietatis magiſtri, vt, cum non omnes rerum futurarum praedictiones negare poſſent, vim quamdam naturalem vaticinandi hominibus tribuerent. Enimuero, cum nullo modo concipi poſſit, quo pacto intellectus finitus ſine ſignis aliquid cognoſcere queat, futurorum autem contingentium nulla ſigna dentur, abſonam plane, longeque ineptiſſimam eorum eſſe ſententiam, manifeſtum eſt, qui aut homini, aut vlli ſpiritui creato, facultatem, futura contingentia praedicendi, ineſſe, contendunt. Sed poſitum in more eſt eiusmodi hominibus, vt abſurdiſſima quaeuis admittere, quam a recepta ſemel animi ſententia diſcedere malint. Sufficit interim, quod futurarum rerum praedictiones negare non audeant, quin potius hoc ipſo teſtentur, ſine ſumma impudentia ea negari non poſſe. Equidem, quae apud ethnicos exſtabant praedictiones, maximam partem ita comparatae erant, vt non ſine cauſſa eas Epicurus irrideret: ex eo tamen minime ſequitur, omnes generatim praedictiones irridendas, explodendasque eſſe. Certe, quae in ſcriptura ſacra exſtant, ita comparatae ſunt, vt nec ab iis, qui ſcripturae diuinam auctoritatem non agnoſcunt, negari, aut in dubium vocari queant. Prophetas enim, quorum vaticinia in illa exſtant, eo vixiſſe tempore, quo vixiſſe perhibentur, a nemine, niſi qui rationis vſum amiſit, negari poteſt. Iam vero, cum ex hiſtoriarum monumentis conſtet, horum vaticiniis interdum poſt ducentos, aut trecentos, aut plures adhuc annos, euentum reſpondiſſe, ecquis de praedictionis veritate dubitaret? Exemplis hoc comprobaui in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. c. 7. §. 4. p. 591. ſeq.* vbi & plura hac de re dixi. Qui autem ſcripturae diuinam auctoritatem admittunt, eo minus hac de re dubitare poſſunt, adeoque & futurarum rerum, & quidem contingentium, praeſcientiam recte Deo tribui, fateantur neceſſe eſt. Quod enim nonnulli hic excipiunt, Deum ea praedixiſſe, quae ipſemet efficere decreuit, vt adeo praeſcientia Dei ex decreto eius deriuetur, id vanum eſſe, ex mox dicendis patebit.

** Habuerunt equidem & ethnici ſua oracula, teraphim, pythonas, ex quibus futura, quae aut ſperabant, aut metuebant, ſe cognoſcere poſſe exiſtimabant. Praeterquam vero, quod multae hominum hic intercedebant fraudes & impoſturae, & reſponſa oraculorum plerumque vocibus ambiguis concepta erant, ſi quae etiam futura adnuntiabantur, quae intuitu hominum contingentia videri poterant, ea tamen non eiusmodi erant intuitu ſpirituum malorum, a quibus haecce reſponſa proficiſcebantur, quiue cauſſas latentes, ex quibus iſti euentus neceſſario proueniebant, perſpicere poterant, in quas penetrare, hominibus datum non eſt.

Quemadmodum autem, quae hactenus diximus, euidenter demonſtrant, praeſcientiam futurorum contingentium Deo denegari non poſſe; ita hocce maxime dubium obſtare videtur, an praedictio, adeoque & praeuiſio futurorum contingentium, cum libertate hominis conciliari queat? Quem vt euitent ſcopulum, quidam ad vnum, alii ad alterum extremum non ſine naufragii periculo, deflectunt. Nonnulli namque ex decretis Dei abſolutis cuncta, quae fiunt, deriuantes, Deum quidem futura praeuidere concedunt, ſed hoc ipſo ea contingentia eſſe negant, eo quod propter Numinis decretum non poſſint non fieri. Alii autem, vt hominum libertati conſulant, nec contingentia tollant, negant, Deum praeuide-

re res mere contingentes poſſe; adeoque & iuxta eosdem futurorum contingentium praedictio nulla erit. In hanc ſententiam, praeter alios, ingreſſus eſt vir quidam doctus, cuius hac de re exſtat meditatio, in *hiſtoria critica reipublicae litterariae*, quae gallice editur, *tom. 7. art. 4. p. 131. ſq.* Deum nimirum futura contingentia eatenus ſaltem praeuidere contendit, quatenus ex certis cauſſis cognoſci poſſunt. Cumque homines, rerum vſu pollentes, & inſigni prudentia inſtructi, multarum actionum euentus futuros praeuidere queant, Deum quidem, cuius cognitio multis modis perfectior ſit, quam hominum, longe plura hac ratione praeuidere poſſe, & quidem talia, in quibus ſagaciſſimi mortalium cauſſas, vt pote latentes, perſpicere nequeunt. Cui ſententiae, cum vaticinia ac praedictiones, quarum tot exempla ſcriptura ſacra ſuppeditat, prorſus repugnent, in eo totius eſt, vt oſtendat, ea ita comparata eſſe, vt Deus ex certis cauſſis, ea euentura, cognoſcere potuerit, quae euenerunt. Sed ipſa horum exemplorum conſideratio adcuratior vnumquemque ſtatim docebit, fruſtra haec omnia, & irrito conatu ab auctore proferri. Comparet aliquis vaticinium de fatis populi Iſraelitici in Aegypto, quod *Gen. XV, 13. 14.* exſtat, cum euentu *Exod. I. & II. ſq.* & faciat periculum, an eo tempore, quo Deus iſta Abrahamo praedixit, vel leuiſſimum indicium exſtiterit, ea euentura, quae Deus praedixit, & deinceps reuera euenerunt. Accedit praeterea, quod non tantum cauſſae variae, ſed libere etiam agentes, quaeue adeo & aliter agere potuiſſent, ad iſtum euentum producendum, conſpirauerint. Ex eiusmodi autem cauſſis aut nulla omnino, aut admodum incerta, & quae a coniectura parum abſit, euentus hauriri notitia poteſt.

Praeferenda itaque omnino illorum ſententia, qui futurorum contingentium praeſcientiam Deo vindicant, ſed ea ratione, vt humanae quoque voluntati ſua maneat libertas. Ex decretis enim diuinis cuncta deriuare velle, plane abſonum eſt. Etenim, vel ex humanae naturae conſideratione diſcimus, intellectum decreta, ceu actus voluntatis, praecedere, non ſequi debere. Dubito enim, an ſapientis viri elogium promereatur, qui primo aliquid ſe facturum decernit, & tum demum, poſtquam decreuit, cuiusmodi illud futurum ſit, conſiderat. Eadem porro ſententia in Deum non minus, quam homines, iniuria eſt. In Deum quidem, quod eum mali omnis, omniumq; peccatorum cauſſam atque auctorem facit. Si enim omnia, quaecumque fiunt, ex decreto quodam abſoluto Dei fiunt, etiam eamdem ob cauſſam mala quaeuis fieri, neceſſe eſt. In homines non minus iniuria eſt, quod omni eos libertate, in externis etiam atque ciuilibus, priuet; qua ſublata, nec legibus, nec praemiis, poenisque, amplius locus erit. Ad quae accedit, quod omni ſcripturae deſtituatur ſuffragio. Non minus tamen etiam certum eſt, iuxta ea, quae antea iam diſputauimus, contingentia quaelibet, quaeue libere ab hominibus fiunt, a Deo cognoſci, adeoque praeſciri, hinc & praedici poſſe. Nobis equidem, fateor, non conſtat, quo pacto hoc fieri queat: ſed iniquum plane eſſet, ex noſtri intellectus modulo, infinitam diuini intellectus perfectionem aeſtimare velle. Hoc nobis ſufficiat, quod praeviſio, ſeu praeſcientia, rebus ipſis nullam inferat neceſſitatem, cum vel humanae cognitionis exemplo conſtet, poſſe aliquid praeſciri, vt tamen inter praeſcientiam & effectum nullus intercedat nexus cauſſalis. Sunt equidem, qui contradictionem quamdam hic ſe inueniſſe ſibi videntur. Quod enim certo non eſt futurum, hoc etiam certo ſciri non poſſe, contendunt. Certo autem ſi futurum eſt, non erit contingens. Sed iamdudum obſeruatum eſt ab aliis, id, quod ratione cauſſae, prout libere agere, vel non agere poteſt, contingens, adeoque incertum & indeterminatum eſt, poſita hac vel illa

cauſſae

cauſſae actione, ceu certum & determinatum ſpectari, & eo modo ab intellectu infinito certo cognoſci poſſe. Nihil itaque obſtat, quo minus aliquid certo modo contingens, certo modo neceſſarium ſit: contingens ſcilicet, ſi ratione cauſſae, libertate agendi pollentis; neceſſarium, ſi hypothetice, poſita certa cauſſae actione, ſpectetur. Nec adeo a praeſcientia diuina, quod id, quod contingens eſt, vt certum ſpectari poteſt, oritur, ſed a conditione iſta, qua, poſita certa cauſſae actione, non poteſt non certus quoque effectus ſequi.

*** *Media* vocatur haec praeſcientia, quod medium velut locum inter *ſcientiam* Dei *naturalem* ſeu *ſimplicis intelligentiae*, & *liberam* ſeu *viſionis*, teneat. Quae enim obiectum huius praeſcientiae conſtituunt, nec vt mere poſſibilia, nec, vt abſolute futura, conſiderantur. Alias & *conditionata* vocari ſolet, rectius tamen *conditionatorum*, ſeu de *futuro conditionato* dicitur, quia conditio iſta non in intellectu diuino, ſed potius in obiecto huius praeſcientiae quaerenda. A reformatae eccleſiae doctoribus, aliisque, ſcientiae huius mediae inuentio vulgo Ieſuitis tribuitur, qui hac ratione erroribus ſuis, de liberi arbitrii viribus, patrocinari voluerint; ſpeciatim LVD. MOLINAE; quocum tamen de inuentionis gloria certauerit PET. FONSECA. In eamdem ſententiam ex ipſis Romanenſibus Dominicani ingrediuntur, quorum de hocce argumento cum Ieſuitis lites ſatis notae ſunt. AVGVSTINVS LE BLANC, vel potius, qui ſub hocce nomine latitat, IAC. HYACINTHVS SERRIVS, auctor eſt, MOLINAM, etſi demum an. 1588. noua euulgare dogmata auſus ſit, ſcientiam tamen mediam doctrinae ſuae caput & corpus, annis ante hac triginta, & mente concepiſſe, & ſub ſcientiae naturalis nomine propugnaſſe, vt ipſemet profeſſus ſit. Idem de FONSECA obſeruat, prodiiſſe quidem eius metaphyſicam, iisdem nouitatibus famoſam, anno 1596. eumdem tamen ſublimia iſta ſcientiae mediae myſteria, ſibi ab annis ſupra triginta reuelata gloriari, ſed non ea palam eructare auſum eſſe, donec a MOLINAE, SVAREZII, VASQVEZII, MENDOZAE, praeviis reuelationibus, auctoritatem accepiſſent; primum autem omnium, qui iſtam ſodalium ſuorum doctrinam, diuturna illa, tacitaque meditatione concoctam, vulgaverit, fuiſſe PRVDENTIVM DE MONTE MAIOR, qui anno 1581. iacta velut alea explorauerit, quam apud viros eruditos fortunam eſſet habitura; cui tamen ſtatim BANNESIVS, ex ordine praedicatorum, ſe oppoſuerit; *in hiſtoria congregat. de auxiliis diuinae gratiae, l. 1. c. 1. p. 5.* Licet autem MOLINA plerumque pro auctore huius inuenti habeatur, adeo vt, cum ſententia illa plurium calculo ex ordine Ieſuitarum adprobaretur, ab eius etiam nomine adpellitaretur; FONSECAM tamen, hanc ei gloriam inuidentem, grauiſſimam illi litem mouiſſe, idem SERRIVS nos condocet. Et huncce quidem FONSECAM auditoribus ſuis anno circiter 1560. Eborae hancce ſententiam tradidiſſe, porro refert; quos inter cum & MOLINA eſſet, ſuam ex eo feciſſe, primumque dediſſe in lucem; FONSECA quidem aegerrime, ſe iſto honore ſpoliatum, ferente, hinc & metaphyſicam ſuam edente, in qua rem, vti acta erat, expoſuerit; qui tamen impedire non potuerit, quo minus vbique fere, MOLINA pro inuenti iſtius auctore haberetur; *l. c. l. 1. c. 13. p. 88.* Pari ratione & GONETVS, de Fonseca dicit, *eum in domino gloriari, ſe primum in Deo quamdam de actibus liberis, ſub conditione futuris, excogitaſſe ſcientiam, quae media ſit inter ſcientiam Dei naturalem, & liberam; de ſcientia media diſp. 6. art. 2. n. 6.* Quae omnia, ſi rite inter ſe comparentur, patebit, FONSECAM primum fuiſſe, qui eiusmodi quid inuenerit, & viua voce docuerit: primum autem, qui in lucem eam proferre ſententiam auſus ſit, fuiſſe PRVDENTIVM DE MONTE MAIOR; quod tamen deinceps longe maiori adparatu ac ſtrepitu fecerit MOLINA,

qui

qui inde & noui inuenti gloriam retulerit. Acceſſerunt mox alia ex Ieſuitarum ordine,qui eamdem ſententiam propugnarunt; quos inter haud vltimus fuit SVAREZIVS: primus autem, qui in Germania doctrinae iſtius defenſionem ſuſcepit, ſi SERRIO credimus, fuit GREGORIVS DE VALENTIA, quippe qui in theſibus, Ingolſtadii 1584. euulgatis, eam propoſuerit; *hiſtor. congregat. &c. l. 1. c. 1. p. 7.* At, qui ex ordine Ieſuitarum hocce argumentum tractant, negant atque pernegant, hancce ſententiam a ſuis inuentam, aut vel MOLINAM,vel FONSECAM,vel alium quemcumque inuentionis gloriam ſibi tribuiſſe, quam potius a patribus, ipſo praeſertim Auguſtino, & acceperint, & ab iis ſe eam accepiſſe, ſemper profeſſi ſint. Ipſius MOLINAE, atque FONSECAE, aliorumque teſtimoniis hoc probare nititur THEODORVS ELEVTHERIVS, vel potius, qui ſub hoc nomine occultatur, LIVINVS DE MEYER, in *hiſtoria controuerſiarum de diuinae gratiae auxiliis &c. l. 2. c. 10. p. 117. ſeq.* Conferenda &, quae denuo idem auctor hac de re diſputat, in *hiſtoria controverſiarum de diuinae gratiae auxiliis &c. vindicata, l. 2. c. 4. p. 130.*

Et ſane, ſi vel maxime Ieſuitici ordinis doctores, voce *ſcientiae mediae* primum vſi ſint, eos tamen rem ipſam excogitaſſe, dici nequit; quippe quae ex ſcriptura ſacra, patrumque veteris eccleſiae teſtimoniis conſtat. Hoc tamen egerunt Ieſuitae, vt doctrina iſta, ſi in ſe ſpectetur, veriſſima, ad ſuos de voluntatis humanae in ſpiritualibus libertate, errores defendendos abuterentur. Atque hinc facile etiam intelligitur, quam ob cauſſam nonnulli ex noſtrae etiam eccleſiae doctoribus, hanc de ſcientia Dei media ſententiam improbare videantur, cum tamen alii eam admittant, atque propugnent. Qui enim improbant, abuſum ſaltem improbant; ſi quis ſcilicet ea, more Ieſuitis recepto, ad errores Pelagianos aut ſemi-pelagianos defendendos, vti velit: in ſano autem ſenſu, & legitimo vſu ſpectata, omnino probanda, atque admittenda eſt. Suadetque id ipſa omniſcientiae diuinae, quam antea demonſtravimus, notio. Si enim Deus omnia ſcit, eum illa quoque ſcire oportet, quae poſita certa conditione, futura ſunt. Haec enim, ſi neſcit, non vtique ſcit omnia. Futura praeterea haecce cum ita comparata ſint, vt nec pro mere poſſibilibus, nec pro abſolute futuris haberi queant, recte haec praeſcientia *media* dicitur, cum ex ſcientia libera pariter ac naturali aliquid trahat, & medium velut locum inter vtramque hac ratione teneat. Exempla denique, quae ipſa ſcriptura ſacra ſuppeditat, rem extra omnem dubitationem ponunt. Deus namque Dauidi diſerte praedixit, fore, vt incolae vrbis Keilah eum in manus Saulis traderent, ſi Saul eo veniret, ab iisque, vt Dauidem ſibi traderent, poſceret, *1. Sam. XXIII, 9. ſeq.* Quod quidem telum vt eludant, qui ſecus ſentiunt, Deum praeſentem animi conſtitutionem incolarum Keilah reſpexiſſe, contendunt. Vnde & ipſe PHIL. A LIMBORCH, etſi ceteroquin ſcientiam mediam admittat, non adeo magnum argumento huic ineſſe robur, exiſtimat, *theol. chriſt. l. 2. c. 9. §. 29.* At vero, cum Deus Dauidi praedicit, quid Keilenſes facturi fuiſſent, ſi Saul ad eos veniſſet; haec vero conditio, ſiue, quod Saul venturus eſſet, eo tempore Keilenſibus adhuc ignota erat, vnde & ipſimet adhuc nihil ſecum hac de re ſtatuerant; ſequitur, Deum ad animi conſtitutionem, quae in iis erat, non reſpexiſſe, nec reſpicere potuiſſe. Non minus luculentum eſt, immo, rem omnem conficit prorſus, alterum exemplum Tyriorum & Sidoniorum, de quibus Chriſtus dicit, ſi eiusmodi vidiſſent miracula, qualia vrbium Chorazin & Bethſaidae incolae viderunt, iam pridem in centonibus & puluere admiſſorum, quod

ſe poeniteret, criminum eos teſtaturos fuiſſe; *Matth. XI, 21.*

Atque eſt hoc eiuſmodi, vt, qui ſecus ſentiunt, quos inter praecipuum locum ex reformatae eccleſiae doctoribus illi tenent, quos *abſolutos* vocant, hic in omnem ſe vertant partem, nec quidquam, in quo conſiſtant, inueniant. Quod ne fruſtra dixiſſe videamur, vnum ex recentioribus, ANDALAM, hac de re audire iuuabit, qui in *ſumma theologiae ſupernaturalis, part. II. c. 7. §. 24. p. 109.* hac de re ita verba facit: *Quod vero attinet ad Matth. XI, 21. vt hic locus recte exponatur, neceſſario hic (quod & alibi, ſimili in caſu, ſemper eſt faciendum) attendere oportet ad* ἀναλογίαν *fidei, eique conuenienter locus eſt interpretandus. Ex ea certum eſt, Deum eſſe datorem, & cauſſam reſipiſcentiae & fidei ad ſalutem; nec illa media, ſiue virtutes ad eam efficiendam ſufficere poſſe; nec hominem quidquam habere, quod a Deo non accepit. Hinc ſequitur, a Chriſto doceri non potuiſſe, Tyrios & Sidonios ita adfectos & diſpoſitos fuiſſe, vt, ſi media ſalutis ipſis oblata, vel hae virtutes coram ipſis factae fuiſſent, ipſi reſipiſcentiam acturi fuiſſent; conf. Luc. XVI, 31. Hinc quidam, ſic & Turretinus, §. 16. hic ſtatuunt hyperbolen, vti alibi, de re ne quidem poſſibili; Matth. XIX, 24. Luc. XIX, 40. Saltem clare docetur, maiorem eſſe malitiam Iudaeorum ea Tyriorum, & Sidoniorum, quae impediat ipſorum reſipiſcentiam. Immo ſermo domini moraliter poteſt accipi, quali quis vteretur, cui res eſſet cum auditoribus, praeiudiciis & adfectibus admodum occaecatis, & contra veritatem valde obfirmatis; qui moraliter recte dicere poſſet, ſe adhibuiſſe ea argumenta, quae conuiciſſent idiotas, feros, & maxime rudes, iisdem vero prueiudiciis & adfectibus liberos. Nec eo ſermone negatur, vel excluditur, ſed includitur efficax Dei concurſus, & conuictio animi, per talia argumenta. Idem Chriſtus hic hoc modo ſignificare potuit; conf. Matth. XXI, 30, 31.* Satis hinc intelligitur, quam lubrica & infirma ſit, quae ad manifeſtiſſima ſeruatoris verba regeruntur. Etenim, ad analogiam fidei quod attinet, eam in locis ſcripturae obſcurioribus interpretandis vel maxime ſequendam eſſe, lubentes fatemur. Ex ea vero conſtare, *Deum eſſe datorem & cauſſam reſipiſcentiae & fidei ad ſalutem*, tum demum admittimus, ſi homini ſimul concedatur facultas, mediis gratiae recte aut perperam vtendi, Numinisque operationi, qua illum vult conuertere, reſiſtendi, aut ei relinquendi locum, *Matth. XXIII, 37.* Hinc enim ſequitur, recte omnino Chriſtum docuiſſe, Tyrios & Sidonios ita adfectos & diſpoſitos fuiſſe, vt, ſi media ſalutis iſtis oblata, & miracula eiuſmodi apud eos edita fuiſſent, qualia in vrbibus Chorazin & Bethſaida edita fuerunt, locum relicturi fuiſſent ſpiritus ſancti gratiae, & ita conuerti, & ad fidem, perque eam ad aeternam ſalutem perduci potuiſſent. Nulla itaque hic opus eſt hyperbole, quae & ſine manifeſta verborum Chriſti detorſione admitti nequit. Neque moraliter, vti auctor exiſtimat, ſermo domini accipi poteſt. Si quis enim, cui cum eiuſmodi auditoribus, quales auctor ponit, res eſt, diceret, *ſe adhibuiſſe ea argumenta, quae conuiciſſent idiotas, feros, & maxime rudes, iisdem vero praeiudiciis & adfectibus liberos*, neutiquam recte hoc diceret, ſi ſimul ſciret, cauſſam quamdam externam obſtare, quo minus conuinci poſſint. Etſi enim eo ſermone concurſus Dei generalis non excludatur, excluditur tamen omnino eiuſmodi concurſus ſpecialis, ſeu decretum potius abſolutum, quod plane obſtaret, quo minus auditores iſti, quidquid etiam agerent, aut in quamcumque ſe verterent partem, conuinci poſſent.

§. XXIII. A modo ſcientiae diuinae ſi omnem remoueamus imperfectio-

fectionem, fieri aliter nequit, quam vt vno, eodemque ſimpliciſſimo actu, omnia intueatur.* Cum enim homines per ideas aliquid cognoſcunt, id quidem neceſſe eſt, quoniam nulla alia ratio eſt, obiecta quam plurima, quae mens ipſa non attingit, illi vt praeſentia ſiſtendi: quibus adeo Deus, vtpote cui omnia intime praeſentia ſunt, non indiget.** Succeſſio porro idearum, vim mentis ſuis limitibus circumſcriptam, arguit, Deoque adeo plane eſt indigna: quod multo magis de idearum, tum in iudiciis, tum ratiociniis, comparatione dicendum.*** Patet vero hinc etiam, quando Deo cognitiones tribuuntur, illud improprie fieri, *pſalm. CXXXIX, 17. Eſ. LV, 8.** plane autem ἀκύρως loqui, qui Deum per ſubſtantiam cogitantem deſcribunt.**

* Et res quidem creatas, prouti ſunt extra eſſentiam diuinam, ſecundum cuiusque rei indolem atque naturam.

** Loquimur de ideis rerum actu exſiſtentium. His enim homines quidem, non autem Deus, indigent: cum Deus omnia, quae actu exſiſtunt, intuitiue cognoſcat. Quod autem ad res, nondum actu exſiſtentes, ſeu futuras, itemque praeteritas attinet, fieri aliter non poteſt, quam vt a Deo quoque per ideam cognoſcantur, quae tamen ab eſſentia diuina neutiquam re ipſa diſtinguitur. Platonicorum, per *ideas*, ſubſtantias quasdam aeternas, vniuerſales, & a ſingularibus ſeparatas, in quibus ab aeterno Deus res creatas cognouerit, immo, iuxta quas, ceu exempla, eas creauerit, intelligentium, errores, dudum profligarunt alii. Et ſane, ſubſtantias vniuerſales, & a ſingularibus ſeparatas, reuera exſiſtentes, fingere, plane eſt abſonum, cum notiones vniuerſales non aliter quam in intellectu aut diuino, aut humano, exſiſtant: ne dicam, quod hac ratione aliquid ab aeterno, praeter Deum, exſiſtens, admittendum ſit, quod inſuper impium eſt. Legenda, quae hac de re diſſerit KLOZIVS, in *theol. natur. diſp. 12. p. 703. ſeq.*

*** Non aliam enim ob cauſſam tum in iudiciis, tum in ratiociniis, ideas inter ſe comparamus, quam, vt ipſa natura duce, obſcurioribus ideis, ſiue iis, quae adeo clare & perſpicue non percipimus, lucem inde adfundamus. Id quod citra controuerſiam imperfectionis eſt argumentum.

* Homines enim ſine idearum ſucceſſione, earumdemque diuerſa comparatione, diuiſione itidem ac compoſitione, non cogitant; ne dicam, quod ipſae imaginationis operationes itidem cogitationum nomine veniant; quae omnia, cum magnae imperfectionis ſint argumentum, Deo nulla ratione tribui poſſunt.

** Videant itaque, quo pacto hinc ſe expediant, qui ex CARTESII ſchola, ſpiritum per ſubſtantiam cogitantem, aut omnino per cogitationem definiunt.

§. XXIV. Quodſi ſedulo perpendamus, quid Deum deceat, nihilque tam auguſtum eſſe, quod illi non conueniat, plura autem ipſimet ſcire non cupiamus, quam mentis noſtrae anguſtia patitur: facile ſcopulos, in quos incidunt, qui curioſe nimis de ſcientia Dei diſputant, euitabimus.* Maximum contra commodum percipiemus, ſi ſedulo expendamus, omnia non modo dicta & facta, ſed & cogitata noſtra, praeterita, praeſentia, & futura Deo cognita & perſpecta eſſe; *pſalm. CXXXIX, 2.*

Ebr. IV, 13. ſimulque inquiramus, an ita comparata ſint, vt illi placere queant. **

* Hoc ſi homines obſeruarent, multae eorum de ſcientia diuina concertationes, quae magnis ſubinde animorum motibus, ſed plerumque ſine omni fructu agitantur, ſua ſponte ceſſarent.

** Qui ſerio credit, Deum eſſe omniſcium, ad omnia etiam dicta, facta, cogitata ſua attendet, ne quid iis admittat, quo eum offendat. Efficaciſſimum itaque omniſcientia diuina, contra peccata quaeuis, cumprimis etiam contra hypocriſin, erit remedium. Quantumuis enim aliquis alios homines ſimulatione quadam fallere queat: Deum tamen hac ratione falli non poſſe, facile perſpicit, qui eum omniſcium eſſe credit.

§. XXV. Ad intellectum porro & *ſapientia* referri ſolet, quamuis ſine voluntatis ſanctitate recte ſibi non conſtet. * Vt autem ſapientiae eſt, bonum a malo diſcernere, illudque eligere & amplecti; ** ita & eminentiſſima quadam ratione Deo tribuitur, quoniam is ſemper, quod optimum eſt, eligit, idque adprobat, & vt eueniat, cuncta, modo quodam hominibus quidem non ſemper perſcrutabili, ſummae tamen eius perfectioni conuenienti dirigit; *Rom. XI, 33.* conf. & *Iob. XII, 13.* Hinc & *Rom. XVI, 27.* item *1. Tim. I, 17.* Deus *μόνος σοφὸς ſolus ſapiens*, dicitur. *** Hanc vero ſapientiam qui pie veneratur, diligenter ſcrutatur, eiusque imaginem, ad quam & ipſe conformetur, animo concipit, is vero & ipſe felix pariter ac ſapiens dicendus eſt. *

* Intellectus equidem eſt, bona a malis diſcernere: at bona eligere, ſerioque amplecti, & re ipſa malis praeferre, eius demum eſt, qui a vitiorum prauitate purgatam voluntatem habet. Accedit vero, quod praeiudicatae opiniones, a voluntatis vitiis ortae, eiusmodi caliginem intellectui quandoque obfundant, vt nec bona a malis, aut bona vera ab adparentibus, rite diſcernere queat. Sine voluntatis autem ſanctitate nullam eſſe ſapientiam, Iacobus etiam apoſtolus teſtatur: *Qui in vobis ſapiens eſt, & intelligens, oſtendit bonis moribus ſua opera, cum ſapientiae manſuetudine, cap. III, 13.* conf. & *v. 17.* & quae dixi in *inſtit. theol. moral. part. I. ſect. 2. §. 61.*

** Verum & genuinum hunc eſſe ſapientiae conceptum, alibi ex inſtituto oſtenditur; conf. *Eſ. VII, 15.* Eamdem notionem & Socratem ſapientiae tribuiſſe, teſtatur SENECA: *Socrates, qui totam philoſophiam reuocauit ad mores, & hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam, bona malaque diſtinguere, epiſt. 71. p. m. 263.*

*** Duplici ratione vox *ſapientiae* quando Deo tribuitur, in ſcriptura ſacra ſumitur; primo ὑποστατικῶς, pro perſona quadam diuina; deinde & pro attributo quodam Dei. Priori modo accepta, ipſum Dei filium, qui eiusdem cum patre eſt eſſentiae, denotat, qui per eminentiam quamdam hocce nomine venit, quia per eum ſapientia Dei in opere creationis pariter ac redemtionis vel maxime ſeſe manifeſtauit; tum &, quod omnis ſapientiae, quae in hominibus eſt, fons ipſe eſt, atque prima ſcaturigo: conf. *prou. VIII, 12. ſeq. ſap. VII, 25, 26.* collat. cum *Ebr. I, 3. Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. 1. Cor. I, 24, 30.* Nec de alia quadam ὑποστάσει, quae hunc in modum de ſapientia dicuntur, quam de filio Dei intelligi poſſunt; praeſertim cum tres tantum in eſſentia diuina ὑποστάσεις eſſe, ſcri-

ptura

ptura ſacra doceat: quibus tamen quartam addunt, qui vocem ſapientiae ὑποστατικῶς accipiunt, & nihiloſecius eam tum a filio, tum a reliquis diuinitatis perſonis diverſam faciunt. Nec veteris eccleſiae doctores, IVSTINVS martyr, *dial. cum Tryphone, p. 284.* AVGVSTINVS *l. 7. de trinit. c. 3.* aliique, cum de ſapientia hypoſtatica loquuntur, aliud quid, quam filium Dei intelligunt. Altera autem vocis huius ſignificatio, qua attributum aliquod diuinum denotat, ea eſt, quae hic in cenſum venit; & cuius exactam, ni fallor, & luculentam notionem tradidimus. Nec a nobis diſſentiunt, qui per ſapientiam, conſilium Dei intelligunt, quo cuncta ad bonum finem dirigit. Ex eo enim, quod Deus ſemper quod optimum eſt, eligit, & amplectitur, ſua ſponte conſequitur, quod omnia etiam ad bonum dirigat finem. Eminentiſſima autem ratione Deo ſapientiam tribui, res ipſa docet. Cum enim ſcientia, ſeu cognitio Dei infinitae ſit perfectionis, ſimulque ſumma eius ſanctitas; non poteſt non ſapientiae diuinae ſumma inde exſiſtere perfectio. Vnde & Paulus apoſtolus non tantum βάθος πλούτου tum γνώσεως, tum & σοφίας ſeu ſapientiae diuinae, deuota mente admiratur, *Rom. XI, 33.* ſed & ſtultitiam diuinam, ſeu id, quod hominibus, in rebus operibusque diuinis, ſtultum videtur, omnium hominum ſapientia multum praeſtare, docet, *1. Cor. I, 25.* Summam hancce, vimque omnem mentis humanae longiſſime ſuperantem ſapientiam Numinis, tum in opere creationis, itemque in prouidentia eius, qua omnium rerum motus, hominum ſpeciatim dicta, facta, cogitata, ſapientiſſime dirigit, maxime autem in opere redemtionis, conſpicere licet.

* Tum demum enim ſapientiam diuinam recte conſideramus, ſi & ipſi ſapientes reddamur. Diligens autem diuinae ſapientiae, & attenta meditatio, id efficiet; cum per eam ſumma erga optimum Numen veneratio in animis mortalium excitetur. Sapientiae enim tanta eſt praeſtantia, vt non poſſit non alios ad ſui amorem ac venerationem excitare. Deum autem qui ſerio veneratur, operam etiam dabit, ne vlla ratione eum offendat. Praeterea & eo haec meditatio pertinebit, vt diuinam ſapientiam, ceu exemplum, nobis proponamus, ad quod indies magis nos componamus, vt ita imago Dei, cuius haud vltima pars vera & diuina eſt ſapientia, rite in nobis reſtauretur.

§. XXVI. Altera operatio, qua vita ſpirituum ſe demonſtrat, facultas illa eſt, qua bonum aliquod adpetunt, malumque auerſantur; * quae cum & Deo tribuitur, id omne, quod quacumque ratione imperfectionem quamdam inuoluit, ſedulo eſt remouendum. ** Etenim haecce facultas, ſeu voluntas, in actu primo ſpectata, ipſa Dei eſſentia eſt. *** Actus autem ſecundus in effectu, ſeu re volita, conſpicitur, * vt in Deo ipſo nulla omnino mutatio, immo, ne minima quidem eius vmbra, concipienda ſit. Id enim ſummae illius perfectioni prorſus repugnaret.

* Illud bonum malumque intelligitur, quod eiusmodi intellectu puro, qui ſpirituum proprius eſt, cognoſcant. Ea itaque bona, malaue, quae imaginationem, aut ſenſus corporis mouent, hic in cenſum non veniunt.

** Hominibus enim, ſpiritibusque creatis contingere poteſt, vt ex ignorantia, aut errore, pro bono vero adparens eligant atque velint; itemque, vt aliquando aliquid velint, quod alio tempore nolint, voluntatemque adeo mutent. Haec, & alia eius-

dem generis, cum ſummae imperfectionis ſint indicia, procul a Deo ſunt remouenda.

*** Hoc enim ni eſſet, accidens aliquod, hinc & compoſitio, immo mutatio quaedam in ipſum Deum caderet.

* Hinc & pro obiectorum, ac effectuum diuerſitate, voluntas diuina diuerſas accipit denominationes, vt ſequenti *§. 29.* oſtendimus.

§. XXVII. In hominum angelorumque voluntate primo ſe offert libertas: * quae vt agentium, ratione praeditorum, vel maxime propria eſt, ** ita ad dignitatem illorum, atque ἐξοχὴν prae reliquis rebus creatis, praecipua quadam ratione pertinet. *** Eo magis itaque Deum ipſum, omni perfectionum genere gaudentem, longe eſſe liberrimum, patet: quod & eo minus a quoquam negari debet, quo planior ad ipſum atheiſmum via eſt, ſi Deus libertate ſua ſpolietur, & cum materia, omnium imperfectionum ſede, in vnum eumdemque redigatur ordinem. * Quod cum ratio euidentiſſime doceat, ** ſcriptura itidem confirmat, Deum, ceu liberrime agentem, vbique nobis ſiſtens *** idque etiam diſerte adſerens, *pſalm. CXXXV, 6. Dan. IV, 32. Matth. XI, 25, 26. Rom. IX, 18. Iac. I, 18.*

* Haec vero non tantum in abſentia impedimentorum, vt nonnulli volunt, ſed cumprimis etiam in indifferentia ad oppoſita conſiſtit. Paſſim hoc & a noſtratibus moneri ſolet: copioſe vero iuxta veteris eccleſiae doctorum placita, hoc argumentum tractat PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. I. l. 5. c. 2. p. 203. ſeq.* Et eo modo ſenſuque Deo etiam tribuitur libertas: & quidem tum *contradictionis*, quae vocatur, vt poſſit agere & non agere, tum *contrarietatis*, vt ex pluribus bonis hoc aut illud libere eligere queat. Sed vt malum eligat, aut id bono praeferat, fieri plane nequit, cum naturae diuinae hoc repugnaret; nec tam libertas eſſet, quam impotentia, ſummaque adeo imperfectio.

** Cum ratione coniunctam natura eſſe libertatem, recte oſtendit NEMESIVS, *de natura hominis, c. 41.* Nec enim quidquam ratio hominibus aut ſpiritibus prodeſſet, niſi libertate etiam gauderent, quae ratio bona eſſe dictitat, eligendi, fugiendi autem, ac auerſandi, quae mala, noxiaue iudicat.

*** Ea quidem ratione, vt eo imperfectior res quaelibet cenſeatur, quo longius a ratione pariter, ac libertate eſt remota; & vice verſa.

* Deum qui libertate ſpoliat, perinde agit, ac ſi diſerte Deum eſſe neget. Deus enim non libere, ſed neceſſario agens, non Deus, ſed machina quaedam, hoc eſt, quiduis potius, quam Deus eſt. Hinc & athei id maxime agere ſolent, vt omnem prorſus libertatem tollant, ita enim ſimul Deus tollitur. Documento SPINOZA eſſe poteſt, cuius inter alia hocce exſtat effatum: *In mente nulla eſt abſoluta, ſiue libera voluntas: ſed mens, ad hoc vel illud volendum, determinatur a cauſſa, quae etiam ab alia determinata eſt, & haec iterum ab alia, & ſic in infinitum;* in *ethica, ordine geometrico demonſtrata, part. 2. prop. 48. p. 65.* Immo, vt eo magis libertatem omnem tollat, eo vsque impudentiae progreditur, vt homini intelligendi pariter ac volendi facultatem deneget. In *ſcholio* namque ad propoſitionem antea memoratam, ita pergit: *Eodem hoc modo demonſtratur, in mente nullam dari facultatem abſolutam intelligendi, cupiendi, amandi, &c. Vnde ſequitur, has, & ſimiles facultates, vel prorſus fictitias, vel nihil eſſe, praeter entia metaphyſica,*

Digitized by Google

ſica, ſiue vniuerſalia, quae ex particularibus formare ſolemus; adeo, vt intellectus & voluntas ad hanc vel illam ideam, vel ad hanc aut illam volitionem, eodem modo ſeſe habeant, ac lapideitas ad hunc vel illum lapidem, vel vt homo ad Petrum & Paulum. Idem repetit in *epiſtola 2. ad Henricum Oldenburgium, p. 399.* Facile hinc intelligitur, quaenam ſpeciatim de libertate Dei eius ſit ſententia, de qua & luculentius adhuc *ep. 62. p. 584.* mentem ſuam explicat: *Ego eam rem liberam eſſe dico, quae ex ſola ſuae naturae neceſſitate exſiſtit, & agit, coactam autem, quae ab alio determinatur, ad exſiſtendum ac operandum certa ac determinata ratione, e. g. Deus, tametſi neceſſario, libere tamen exſiſtit, quia ex ſola naturae ſuae neceſſitate exſiſtit. Sic etiam Deus ſe, & abſolute omnia libere intelligit, quia ex ſola ipſius naturae neceſſitate ſequitur, vt omnia intelligat. Vides igitur, me libertatem non in libero decreto, ſed in libera neceſſitate, ponere.* Vt fucum incautis faceret impoſtor, libertatem tantum in abſentia coactionis ponit, eam vero, quae in indifferentia ad oppoſita conſiſtit, plane negat. Cum vero eiusmodi libertas reuera libertas non ſit, verbis, puerorum modo, ludit, ſimulque plane contradictoria profert, cum dicit: *rem liberam eſſe, quae ex ſola naturae ſuae neceſſitate exſiſtit & agit:* vnde & Deus liber erit, quia omnia neceſſario ſeu ex naturae ſuae neceſſitate, agit: item, libertatem in *libera* conſiſtere *neceſſitate.* Fuit praeterea quorumdam veterum philoſophorum hicce error, vt, dum Deum cum materia neceſſario vinculo colligarunt, omni eum priuarent libertate, & ita vel inuiti in atheismum ruerent. Recte id obſeruatum IAC. THOMASIO, qui, quatuor Graecorum ſectas praecipuas, Platonicam, Ariſtotelicam, Stoicam & Epicuraeam, inter ſe comparans, cum monuiſſet, conſentire in eo omnes ſectas, duo aeterna eſſe, Deum & materiam, quorum neutrum ſit alterius procreatrix cauſſa, porro addit: *Ac materiae quidem neceſſitatem maximam omnes aequaliter dabant: Deo libertatem tanto minorem quisque, quanto arctius eum materiae connecteret, aut immergeret profundius. Platoni maxime, ſed vt inter gentiles philoſopho, liber Deus. Credidit enim, mundum ex libero Dei cum materia congreſſu exſtitiſſe: cum Ariſtoteles contra, & Stoici (de Epicuro; cui mundus absque interuentu Dei ortus, hic ſilendum) illum ſiue congreſſum, ſiue nexum, neceſſarium, ipſique Deo ineuitabilem, ſtatuerent;* in *diſſert. de quatuor Graecor. ſectis praecipuis,* addita *exercitationi* eius *de exuſtione mundi Stoica, p. 29.* Atque haec ſunt myſteria iſta impietatis, quae in ethnica philoſophia, Ariſtotelica praeſertim, atque Stoica, latitant: in quae prolapſi non eſſent, ſi cogitaſſent, nullam plane Dei notionem eſſe, niſi ſumma illi ſimul vindicetur libertas. Accedunt & alia, quae illorum ſententiam, qui Deum indiſſolubili nexu cum materia coniungunt, aut, quod eodem redit, pro anima mundi habent, non tantum impietatis arguunt, ſed & penitus euertunt; a me iam expoſita in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. c. 6. §. 4. p. 475. ſeq.* Stoici praeterea & hoc nomine in libertatem Dei iniurii erant, ſimulque impietatem reliquis erroribus ſuis addebant, quod fatum aliquod ineuitabile ſtatuebant, cui non tantum homines, ſed & Deum ipſum ſubiiciebant; qua de re itidem a me *l. c. p. 480. ſq.* dictum. Haec vero omnia eum in finem adduximus, vt intelligeretur, quanti momenti ſit, libertatem Dei adſerere, atque, contra profanorum hominum inſultus, in tuto collocare.

** Cum antea iam obſeruatum ſit, quae intellectu praedita ſunt, ea non poſſe non voluntatis gaudere libertate; ſequitur, ſummam Dei eſſe libertatem, cum intellectu perfectiſſimo, idque modo longe eminentiſſimo, gaudeat. Et ſane, ſi voluntatis

libertate

Digitized by Google

libertate deſtitueretur, & interna quadam neceſſitate ad vnicum agendi modum determinatus eſſet, intellectus illi parum prodeſſet, nulla quoque illi tribui poſſet ſapientia, cum, qui neceſſario agit, quidquid agit, bonum fruſtra a malo diſcernit, vt illud eligat, hoc fugiat; quinimmo, nulla Dei prae lapide aut bruto eſſet praerogatiua, adeoque reuera nullus eſſet Deus. Omnia itaque argumenta, quae, Deum eſſe, probant, ſi rem recte aeſtimaueris, aut nihil probant, aut id ſimul probant, eum eſſe agens longe liberrimum. Luculentiſſime autem ex ipſa hominis conſideratione idem euincitur. Cum enim quilibet intime ſibi conſcius ſit, ſi modo rite ad ſe ipſum attendat, ſe libertate quadam gaudere, nec ad vnicum tantum agendi modum determinatum eſſe; ſequitur, eo magis eam Deo tribuendam, quo praeſtantior eius, excellentiorque, prae rebus creatis omnibus, eſt natura.

*** Deſcribitur enim Deus in ſcriptura ſacra, vt rex atque ſupremus legiſlator, *qui poſſit ſeruare & perdere, Iac. IV, 12.* quiue adeo hominibus leges dederit, quas, qui ſeruauerit, praemiis ſit adficiendus, vti puniendus contra, qui eas migrauerit; qui porro, cum hominum genus per primorum parentum lapſum in eum ſtatum veniſſet, vt legem ſeruare non poſſet, aliam ſalutis viam, per Chriſtum ſeruatorem, iis oſtenderit, ea quidem ratione, vt ad ſalutem elegerit, qui in fide in Chriſtum ad finem vsque perſeueraturi ſint, reliquos autem aeternis cruciatibus addixerit. Nonne autem haec omnia ridicula forent, ſi Deus libertate voluntatis deſtitueretur?

§. XXVIII. In iis equidem, quae ad Deum ipſum ſpectant, non poteſt non ea velle, quae ipſius ſummae perfectioni conueniunt; ſecus enim ſi res ſe haberet, non eſſet perfectiſſimus. * In reliquis autem, libertatis huius ea vis eſt, & efficacia, vt diuina voluntas ſe ipſam determinare queat, num agere hoc, an intermittere velit; vt vel ex ipſa mundi creatione patet. ** Nec obſtat, quod Deus cuncta certo quodam ordine agat. Vti enim huncce ordinem agendi ſapienter quidem, ſed tamen liberrime, ſibi ipſi conſtituit, ita eidem neutiquam ſe prorſus adligauit, vt numquam ab eodem diſcedere queat; id quod in regno naturae vel ex miraculis conſtat. ***

* Nihil itaque etiam, quod eius aut ſapientiae, aut ſanctitati, aut iuſtitiae repuguet, agere poteſt. Neque haec impotentia eſt, ſed ſumma potius perfectio. In hiſce enim, ſimilibusque loquutionibus, *τὸ non poſſe*, non libertatis defectum arguit, ſed aliquid ſaltem, quod cum ſumma perfectione conſiſtere nequit, remouetur, Eodemque ſenſu Paulus ἀδύνατον eſſe dicit, ψεύσασθαι θεὸν, *Ebr. VI, 18.*

** Nulla enim prorſus neceſſitate ad mundi creationem eſt adductus: adeoque & eum non creare potuit. Poſtquam autem creauit eum, ſimulque ſubſtantias ratione praeditas, libereque agentes, ei ineſſe voluit, non poteſt non erga eas ita ſe gerere, prout bonitati eius, ſapientiae, ac iuſtitiae hoc eſt conueniens.

*** Per miracula enim ordo naturae tollitur. Quodſi autem Deus ordinem naturae tollere poteſt, ſequitur, quod eidem non ſit alligatus, adeoque non neceſſitate quadam, ſed liberrime eum conſtituerit. Lucem haec capient ex iis, quae ad §. *30.* dicemus.

§. XXIX.

§. XXIX. Vnico porro, eoque ſimpliciſſimo actu, Deus vult omnia:* ſed cum pro obiectorum varietate diuerſimode haecce vis diuinae voluntatis ſeſe exſerat, diuerſas hinc ſortitur denominationes. Intelligere hinc licet, quo ſenſu voluntas diuina in *naturalem* & *liberam*, ** *efficacem* & *inefficacem*; *** & illa iterum in *abſolutam* & *conditionatam*, * in *abſolutam* & *ordinatam*, ** itemque in *antecedentem* & *conſequentem*, *** diſpeſci ſoleat. Quae vero ab aliis additur diſtinctio, in *voluntatem ſigni* & *beneplaciti*, vt Deo indigna, & cum eius ſanctitate pugnans, merito reiicitur. *

* Actuum enim in ipſa eſſentia diuina varietas, ſucceſſio, mutatio, maximam in eo denotaret imperfectionem. Pertinent huc, quae §. 26. diximus.

** *Naturalis* vocatur, qua Deus vult, quae non poteſt non velle; qua quidem ratione vult, quae ſummae ipſius perfectioni ſunt conuenientia: at, cum ea vult, quae etiam non velle poterat, *libera* dicitur, eaque in rebus creatis locum habet; iuxta ea, quae ad *§. praecedentem* obſeruauimus.

*** Duplici ratione voluntas Dei *efficax* dici poteſt: primo quidem, ſi id, quod Deus voluit, etiam reuera conſequatur; deinde, ſi effectus equidem non actu ſequatur, Deus tamen eum reuera voluerit, intenderitque. Cum enim Deus in operibus ſuis, praeſertim in hominibus, ad ſalutem aeternam perducendis, certum ſibi conſtituerit ordinem, fieri vtique poteſt, vt ſecundum huncce ordinem effectus non ſequatur actu, quem tamen reuera, ſerioque Deus voluit. Quare, ſi homo mediis a Deo praeſcriptis rite vtatur, nec ſpiritus ſancti operationi reſiſtat, & in fide perſeueret, ſeruabitur: idque ex voluntate Numinis; quae adeo priori ſenſu *efficax* dicetur, quia effectus conſequutus eſt. Non minus tamen voluntas Dei efficax dicenda erit, ſed poſteriori ſenſu, ſi quis mediis a Deo praeſcriptis non vtatur, aut ſpiritus ſancti operationi reſiſtat, adeoque ſpe ſalutis excidat. Etſi enim effectus ſequutus non ſit, Deus tamen ſerio eum intendit, defectusque, ex parte hominum profectus, non poteſt in ipſam Numinis voluntatem recidere, ac ſi illa parum efficax fuerit. Patet hinc, quo ſenſu voluntas Dei *inefficax* dici queat. Primo quidem, ſi Deo ſecundum ſe aliquid placeat, quod tamen efficere non intendit. Sic Chriſtus conſeruationem vitae, & declinationem mortis voluit, *Luc. XXII, 42.* vt tamen nihiloſecius in ſententia, mortem pro hominum genere ſubeundi, perſtaret. Deinde, ſi effectus, quem ſerio Deus intendit, culpa hominum non ſequatur. Quia tamen prior vocis huius acceptio eſt vſitatior, poſterior etiam facile in ſenſum incommodum abripi queat, non ſine ratione tutius nonnulli arbitrati ſunt, ab hac loquendi ratione abſtinere.

* Duplici itidem ratione voluntas Dei *abſoluta* dicitur, primo, prout *conditionatae*, deinde, prout *ordinatae* opponitur. Priori itaque modo voluntas Dei abſoluta erit, quando Deus abſque conditione adhuc implenda aliquid velle concipitur. Etenim, ſi conditio, prout iam impleta eſt, ſpectetur, nullam amplius habet vim, adeoque non conditionata erit voluntas, ſed abſoluta. Hinc & recte dicetur, Deum abſolute velle, vt, qui in fide ad finem vſque perſeuerarunt, ſeruentur, ſiquidem fides praeuiſa, vt iam impleta, ſpectetur. Quodſi vero vt implenda conſideretur, voluntas erit conditionata. Huc variae promiſſiones diuinae, de rebus maxime temporalibus, ſpectant; quippe quae non

non niſi cum certa conditione intelligendae ſunt. Sua ſponte autem ex dictis fluit, quod voluntas Dei conditionata non ſemper ad effectum deducatur: idque non ex impotentia Dei, ſed ex defectu conditionis.

** Sapientiae nimirum diuinae eſt conveniens, vt Deus tum in regno naturae, tum in regno gratiae, certum ordinem conſtituat, ſecundum quem omnia, quae fieri debent, eueniant: eumque libertati eius non aduerſari, ad §. *praeced.* iam docuimus; cum illi neutiquam ita adſtrictus ſit, vt ab eodem numquam diſcedere queat. Quodſi itaque Deus aliquid ſecundum ordinem a ſe conſtitutum velit, hominum e. g. ſalutem, ſi mediis gratiae, quae illis offeruntur, rite vtantur, nec ſpiritus ſancti operationi reſiſtant, voluntas eius vocatur *ordinata;* ſin aliquid, non obſeruato ordine a ſe praeſcripto, euenire velit, *abſoluta* dicitur; quae in miraculis vel maxime conſpicitur, de quibus deinceps. Nullum hinc etiam eſt dubium, quin homines voluntati Numinis ordinatae reſiſtere queant. Dum enim ipſi huncce ordinem reſpuunt, Deus quoque non vult, ea euenire, quae ceteroquin euentura fuiſſent, ſi ordinem a Deo praeſcriptum obſeruaſſent.

*** Contingere nimirum poteſt, vt Deus, intuitu alicuius cauſſae vel conditionis, hominibus, aut aliis rebus creatis aliquid conferre velit. Quodſi itaque voluntas Dei, absque iſta ad cauſſam quamdam vel conditionem relatione, conſideretur, vocatur *prima*, ſeu *antecedens;* cum iſta vero ſi ſpectetur relatione, *ſecunda* vel *conſequens* adpellitatur. Nulla inde in ipſa Dei voluntate diuerſitas; ſed pro diuerſo obiectorum ſtatu diuerſas ſaltem ſortitur denominationes. Multo magis abſonum foret, ſi quis temporis quamdam in voluntate diuina cogitare vellet diuerſitatem. Nihil praeterea obſtat, quo minus omnium obiectorum, in quibus eiusmodi ad cauſſam vel conditionem quamdam σχέσις locum habet, intuitu, voluntas Dei vt antecedens & conſequens concipiatur: etſi ſpeciatim, intuitu peccatorum, ob quae omnibus hominibus pereundum fuiſſet, niſi iis dediſſet ſeruatorem, voluntas eius antecedens dici ſoleat. Fundamento autem diuerſam hancce diuinae voluntatis denominationem non deſtitui, facile demonſtrari poteſt. Occurrunt enim in ſcriptura ſacra effata Numinis euidentiſſima, quibus diſerte profitetur, velle ſe omnium hominum ſalutem, *1. Tim. II, 4, 6.* nolle ſe, vt quisquam pereat, ſed vt omnes omnino conuertantur, & viuant, *Ezech. XVIII, 23. XXXIII, 11. 2. Petr. III, 9.* Rurſus alia occurrunt, quibus diſerte itidem Deus profitetur, velle ſe, vt illi ſeruentur, qui in Chriſtum credituri, & in fide iſta vsque ad finem perſeueraturi ſint, reliqui autem vt incredulitatis, peccatorumque ſuorum poenas luant aeternas; *Io. III, 16, 18. Marc. XVI, 16.* Haec itaque, quomodo inter ſe conciliaueris? niſi aliter voluntatem Dei concipias absque conditione, aliter, cum iſta conditione ſpectatam. Atque id quidem volumus, quando voluntatem Dei in *antecedentem* & *conſequentem* diſtinguimus. Idem & luculentiſſimo ſeruatoris effato, *Matth. XXIII, 37.* comprobari poteſt. Deum enim populi iudaici, quem ſummo amore proſequebatur, ſalutem ſerio voluiſſe, profitetur, quod voluntatis erat *antecedentis;* cum vero iſtum Numinis fauorem repellerent, vitamque emendare nollent, voluiſſe, vt iram ſuam atque indignationem experirentur; quod voluntatis erat *conſequentis.* Reformatae equidem, quam vocant, eccleſiae doctoribus, haec diuinae voluntatis, in antecedentem & conſequentem, diuiſio valde diſplicet; ex quibus, vt alios taceam, GVRTLERVS, *diſtributio*, inquit, *voluntatis in antecedentem & conſequentem, Arminianis, & quibusdam Lutheri diſcipulis vſitata, a ſcholaſticis*

laſticis propagata, a Ioanne Damaſceno inventa; inſtit. theol. c. 3. §. 105. p. 41. Quibus verbis haud dubio & nobis, & doctrinae huic inuidiam creare voluit. Ab eo itaque vt ordiamur, quod eam a IO. DAMASCENO inuentam dixit, id, ſi de voce intelligas, parum nobis nocet, modo ſimul admittatur, rem ipſam in ſcriptura ſacra exſtare. Quod cum ipſemet IO. DAMASCENVS adcurate doceat, eum hac de re audire, operae pretium erit: χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μετασχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, ὡς ἀγαθός. ἁμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι, ὡς δίκαιος. Λέγεται οὖν, τὸ μὲν πρῶτον, προηγούμενον θέλημα, καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν. τὸ δὲ δεύτερον ἑπόμενον θέλημα; καὶ παραχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας. καὶ αὕτη διττή, ἡ μὲν οἰκονομικὴ, καὶ παιδευτικὴ πρὸς σωτηρίαν. ἡ δὲ ἀπογνωστική, πρὸς τελείαν κόλασιν, ὡς εἰρήκαμεν. ταῦτα ἐπὶ τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν. τῶν δὲ ἐφ' ἡμῖν τὰ μὲν ἀγαθὰ προηγουμένως θέλει, καὶ εὐδοκεῖ, τὰ δὲ πονηρά, καὶ ὄντως κακὰ οὔτε προηγουμένως, οὔτε ἑπομένως θέλει. παραχωρεῖ δὲ τῷ αὐτεξουσίῳ. *Hoc itidem noſſe oportet, Deum primaria & antecedente voluntate velle, omnes ſaluos eſſe, & regni ſui compotes fieri. Non enim, vt nos puniret, condidit; ſed, quia bonus eſt, ad hoc, vt bonitatis ſuae participes eſſemus. Peccantes porro puniri vult, quia iuſtus eſt. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, cuius ipſe cauſſa ſit; ſecunda autem conſequens voluntas, & permiſſio, ex noſtra cauſſa ortum habens; eaque duplex: altera diſpenſatione quadam fit, & ad ſalutem erudit, altera a reprobatione proficiſcitur, ad abſolutam, vt diximus, poenam pertinens. Atque haec in illis, quae in noſtra poteſtate poſita non ſunt. Eorum vero, quae in nobis ſita ſunt, bona quidem primario Deus vult, & ſecundum beneplacitum, mala autem, quae reuera mala ſunt, neque primario, neque conſequenter vult, ſed libero arbitrio permittit; lib. 2. de orthodoxa fide, c. 29. p. 198.* ex edit. LEQVIEN. Neque tamen IO. DAMASCENVS aut primus, aut ſolus ex veteris eccleſiae doctoribus fuit, qui rem hancce, in ipſis ſacris litteris traditam, ea ratione extulit. Idem namque iam ante eum fecit IO. CHRYSOSTOMVS. Verba enim Pauli apoſtoli: *ſecundum propoſitum, ſeu beneplacitum voluntatis ſuae*, explicans, hunc in modum diſſerit: *Vbique beneplacitum eſt*, θέλημα προηγούμενον, *voluntas antecedens. Nam, eſt alia voluntas;* ἄλλο θέλημα πρῶτον, *ſcilicet voluntas primaria, vt, qui peccant, non pereant; itemque voluntas ſecunda*, θέλημα δεύτερον, *vt, qui malis addicti ſunt, tandem pereant. Non enim eos, neceſſitate compulſus punit, ſed ſuapte voluntate; homil. I. in epiſt. ad Epheſ. t. V. oper. in nouum teſtam. p. m. 867.* Immo ſunt, qui voluntatis diuinae in antecedentem & conſequentem, diſtinctionem, ipſi iam Platoni vſitatam contendunt. HIEROCLES namque, Platonem in libro, *de legibus*, docuiſſe, *Deum voluntate quidem antecedente bona conuenientia impertiri, eaque conſeruare*, adfirmat; vel, vt ipſa eius ſe habent verba: ἔστι γὰρ ἡ μὲν τῶν ἀγαθῶν προηγουμένη δόσις, καὶ ἡ τῶν κατὰ φύσιν προσιόντων τήρησις, ἴδιον ἔργον τῆς καθαρᾶς προνοίας; *praecedens enim largitio, & ex natura accedentium conſeruatio, purae proprium eſt opus prouidentiae; altera autem* ἐξ ὑποθέσεως τῆς τῶν προβεβιωμένων ἀξίας, *quae eſt ex cuiusque antecedente merito, admiſſorum ſcelerum poenas infligit, & bonos ad beatam vitam transfert;* apud PHOTIVM, *cod. CCLI. p. 1390.* Atque haec, cum ita ſe habeant, parum ad rem facit, nec quidquam nobis nocet, quod ſcholaſtici, quos vocant, doctores eadem diuiſione voluntatis diuinae vſi ſint, quippe quam a patribus, ſpeciatim Io. Damaſceno, acceperunt; quod & diſerte profitetur THOMAS DE AQVINO, in *ſumma theol. part. I. qu. 19. art. 6.* Nec reiicienda omnia, quae ſcholaſtici habent, ſed, ſi

ſcripturae ſacrae conſentanea ſint, retinenda. Sic nec illud nobis nocet, eamdem diſtinctionem quod retinuerint, qui ex Iacobi Arminii ſchola prodierunt. Namque & hi, quin recte quaedam, atque ex rei veritate doceant, nihil obſtat: quamquam circa cauſſam ſeu conditionem, cuius intuitu Dei voluntas conſequens dicitur, illi maximopere à nobis diſſentiant.

* Solent equidem & ſcholaſtici, quos vocant, doctores, eamdem diſtinctionem praeeunte PETRO LOMBARDO, atque THOMA DE AQVINO, adhibere, ſed eo ſenſu, vt, quae ſunt ſigna voluntatis diuinae, admodum ἀκύρως dicantur *voluntas ſigni*, ipſa autem proprie ſic dicta Dei voluntas, *voluntas beneplaciti* adpellitetur. Quintuplex autem porro ſignum faciunt, vnde *voluntas ſigni* dicatur: *praeceptum*, *prohibitum*, *conſilium*, *permiſſio* & *operatio*. Ex eo enim, quod Deus aliquid praecipit, ſignum capere licet, quod illud velit; ex eo quod aliquid prohibet, ſignum capitur, quod illud nolit; & ſic in reliquis ſe res habet. Quodſi quis itaque adcurate loqui vellet, diceret, haec eſſe ſigna, ex quibus, Deum aliquid aut velle, aut nolle, colligere liceat, non autem *voluntatem* quamdam *ſigni* Deo tribueret. Nec tantum in modo loquendi, ſed & in re ipſa peccant, qui hanc diſtinctionem ita capiunt, ac ſi Deus in iis praeſertim, quae ad hominum ſalutem ſpectant, aliquid prae ſe ferret, quod tamen ſerio non velit. Id enim *voluntatem ſigni* vocare ſolent, vt *voluntatem beneplaciti* dicunt, qua reuera atque ſerio aliquid vult Deus; vt adeo voluntas ſigni repugnet voluntati beneplaciti. Licet enim interdum fieri queat, vt Deus, ad hominum fidem & obſequium explorandum, aliquid prae ſe ferat, quod reuera non vult, vt, cum Abrahamo ſignificauit, velle ſe, vt filium Iſaacum ſibi immolaret; id tamen in aliis rebus locum non habet, multo minus in iis, quae ad hominum ſalutem ſpectant. Quinimo, qui eiusmodi quid de Deo cogitat, palam in bonitatem, ſanctitatem, & iuſtitiam eius, iniurius eſt: eumque non ſine impietate quadam hypocriſeos ac fallaciae arguit; quam, vt in homine quodam nemo ferret, ita multo magis a Deo ſanctiſſimo vt eam remoueamus, par eſt; conf. *Num. XXIII, 19.* Ipſam porro ſcripturae ſacrae certitudinem labefactant, qui ita de Deo ſentiunt, ſaltem vſu eius homines priuant; cum, ſi quis promiſſiones diuinas in ea occurrentes conſideret, ſtatim dubium ſuboriri queat, an etiam ſerio hic Deus agat? Fieri namque poſſe, vt & hic aliud prae ſe ferat, aliud reuera velit. Immo, ad ipſa praecepta tandem ac leges diuinas hoc extendi poſſet, vt dubitetur, num etiam ſerio Deus agat, dum hoc praecipit, illud vetat. Quae ita comparata ſunt, vt prima omnis religionis fundamenta tandem euertant. Hinc &, qui inter reformatae eccleſiae doctores modeſtiores ſunt, ab huius diſtinctionis vſu ſibi temperare videas. Atque hinc etiam patet, quid de diſtinctione voluntatis diuinae in *occultam* ſeu *arcanam*, & *reuelatam* cenſendum ſit. Quodſi ita capiatur, vt voluntas reuelata reſpondeat *voluntati ſigni*, occulta autem *voluntati beneplaciti*, idque in ſenſu doctorum reformatae eccleſiae, ex quorum numero, vt alios taceam, hanc diſtinctionem ita accipit SAL. VAN TILL, in *comp. theol. nat. & reuelat. part. 2. c. 2. p. 38.* itidem eſt prorſus reiicienda. Admitti contra poteſt, ſi *reuelata* dicatur, quae a Deo per verbum eſt patefacta; quae autem non eſt patefacta, *occulta*, ſeu *arcana*. Vnde, diuerſum vtriusque voluntatis obiectum eſſe intelligitur. Et ita quoque hanc diſtinctionem capiunt, qui monent, cum voluntas Dei occulta nos lateat, in reueleta vnice eſſe adquieſcendum, iuxta illud Moſis: *Quae occulta ſunt, penes Iehouam, Deum noſtrum, ſunt; at, quae reuelata, nobis & filiis noſtris, vsque in ſaeculum*, reuelata ſunt, *vt facia-*

mus

Digitized by Google

mus omnia verba legis huius, *Deut. XXIX. 29.* conf. & *prou. XXV, 1. Rom. XI, 33.* • Nec praetermittenda eſt diſtinctio inter voluntatem *praecipientem* & *decernentem*, qua itidem reformatae eccleſiae doctores ſubinde vtuntur. Quorum quidam praecipientem etiam *moralem*, decernentem autem *efficacem* adpellitant. Per *praecipientem* nimirum, ſeu *moralem*, nihil aliud, quam voluntatem ſigni; per *decernentem* autem, ſeu *efficacem* voluntatem beneplaciti intelligunt; quod & diſerte profitetur HEIDEGGERVS, in *corpore theologiae chriſtianae, loc. 3. §. 73. p. 89.* Vnde, quo loco habenda ſit, facile intelligitur. Idem cenſendum de diſtinctione, inter *voluntatem beneplaciti* ſeu εὐδοκίας, & *voluntatem complacentiae* ſeu εὐαρεστίας, qua praeter alios itidem HEIDEGGERVS, *l. c.* & GVRTLERVS, *inſtitut. theol. c. 3. §. 103. p. 41.* vtuntur. Per voluntatem enim *complacentiae* ſeu εὐαρεστίας nihil aliud, quam *voluntatem ſigni* intelligunt. Quod & diſerte DAN. CHAMIERVS profitetur, dum, *ceterum*, inquit, *illa ſolutio ex diſtinctione* εὐδοκίας (*qua Deus decernit aliquid ſuo tempore fieri, ad quam refertur praedeſtinatio*) & εὐαρεστίας (*qua velit hoc illudue ab hominibus fieri, iuxta ſua praecepta, ſiue ex officio*) *re eadem eſt*, *cum eorum ſolutione*, *qui diſtinguunt voluntatem beneplaciti & ſigni; panſtrat. cath. tom. III. de praedeſtinat. l. 7. c. 6. §. 3. & 6. p. m. 104.*

§. XXX. Cum noſtra voluntate coniuncta eſt potentia quaedam, quod volumus, efficiendi, ſed limitata valde, atque circumſcripta: Deus autem, quidquid poſſibile eſt, & cum ſumma eius perfectione non pugnat, efficere etiam poteſt: recteque adeo omnipotens dicitur, *Matth. XIX, 26. Luc. I, 37. 2. Cor. VI, 18.* * Cumque interdum certum in agendo ordinem obſeruet, omnipotentia haec *ordinata*; ſecus autem ſi ſe gerit, *abſoluta* vocatur. ** Plurimum autem hancce omnipotentiam Numinis credere iuuat, vt ab eo impetrare adnitamur, quae in noſtris poſita viribus non ſunt. *** *Epheſ. I, 19.*

* Fruſtra omnino homo aliquid vellet, niſi potentia etiam ea, quae vult, perficiendi praeditus eſſet. Deo autem cum potentia tribuitur, ipſa eſſentia diuina intelligitur, prout efficax eſt ad operandum, & aliquid extra ſe producendum. Non itaque ab eſſentia diuina aliter differt, quam noſtro ſaltem concipiendi modo: quo pacto & a voluntate eam diſtinguere licet. Nec enim illis ſuffragari poſſum, qui eam ipſam Numinis voluntatem vocant; cum potentia latius pateat, quam voluntas eius, & in hominibus etiam potentia agendi & aliquid efficiendi, coniuncta quidem ſit cum voluntate, non autem cum ea prorſus eadem. Nullis autem limitibus cum haecce Numinis potentia circumſcribatur, nemoque adeo ei reſiſtere, aut operationem eius impedire queat, recte vocatur *omnipotentia.* Pertingit itaque ad omne id, quod natura ſua tale eſt, vt fieri queat, ſeu, quod nullam inuoluit contradictionem, idque in infinitum vsque, adeo vt nullus potentiae diuinae terminus poni poſſit. Cum autem dicimus, quod ad ea, quae contradictionem inuoluunt, non pertingat, non ob defectum aliquem potentiae hoc fieri, exiſtimandum eſt, ſed ob repugnantiam terminorum, qui ſe mutuo deſtruunt, adeoque ſignificant, ἀδύνατον plane eſſe, vt ea, quae iſtis terminis ſignificantur, ſimul exſiſtere queant. Idque duplici ratione, vel *ex parte rei*, vel *ex parte agentis*, contingere poteſt. Priori modo, quando res ipſa in ſe ſpectata, ita comparata eſt, vt terminorum repugnantiam includat;

quo pacto recte dicitur, Deum non poſſe facere, vt aliquid ſit & non ſit: poſteriori modo, cum aliquid adſeritur, quod perfectioni diuinae repugnat; vt ſi quis dicat, Deum poſſe mori, mentiri, & quae his ſunt ſimilia. Quodſi itaque ea, quae de obiecto omnipotentiae diuinae diximus, rite expendantur, patebit, parum adcurate quosdam veteris eccleſiae doctores loquutos, quando dixerunt: *Deum velle, quidquid poteſt.* Sic AVGVSTINVS, *Deum non ob aliud vocari omnipotentem,* ait, *niſi, quia, quidquid vult, poteſt, nec voluntate cuiuspiam creaturae, voluntatis omnipotentis impeditur effectus; enchrid. ad Laurent. c. 96.* Immo, nonnulli eo vsque progreſſi ſunt, vt potentiam Dei eius eſſe voluntatem, adſererent. Quo ipſo maximopere falluntur. Cum enim, vt antea dictum, ad obiectum omnipotentiae diuinae, res omnes, quae fieri poſſunt, ſeu nullam inuoluunt contradictionem, pertineant, potentiam Dei latius patere, quam voluntatem eius manifeſtum eſt. Effata itaque veteris eccleſiae doctorum in meliorem partem interpretari adnititur PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. I. l. 5. c. 6. p. 216.* Quod, an ſatis feliciter praeſtiterit, videant alii. Certe in recentioribus, qui non ex imprudentia, quod veteribus forte contigit, ſed data opera in hanc ſententiam deſcendunt, minime tolerandus hicce error eſt.

Sunt namque & ex reformatae eccleſiae doctoribus, qui, Deum nihil aliud facere poſſe, quam quod voluit, aut decreuit, contendunt. Ita praeter alios FRANC. BVRMANNVS: *obiectum eius,* (omnipotentiae diuinae) *eſt τὸ poſſibile, hoc eſt, quidquid Deus velle potuit, cum rerum poſſibilitas non ſit in rebus ipſis, ſed in ſola Dei voluntate: vnde ſequitur, reſpectu Dei nullam eſſe contingentiam, quae, iuxta ac poſſibilitas, non rerum adfectiones, ſed intellectus noſtri defectus notant;* in *ſynopſi theol. l. 1. c. 25.* Id vero communi & euidentiſſimae, quae omnium de *poſſibili* & *impoſſibili* animis ſedet, notioni, aperte repugnat. Cum enim impoſſibile illud dicatur, quod repugnantiam, ſeu contradictionem inuoluit, ſequitur, id omne poſſibile eſſe, quidquid eiusmodi repugnantiam, aut contradictionem non inuoluit; quod vtique ex ipſa rerum indole, non autem ex voluntate, aut decreto quodam diuino pendet. Facile autem patet, eo hanc ſententiam collimare, vt, dum non tantum exſiſtentia rerum omnium, ſed earum etiam eſſentia, a decreto & voluntate diuina dependere dicitur, omnis ſimul tollatur contingentia, omnisque libertas, & tantum non abſoluta quaedam neceſſitas introducatur. Certe, eumdem fere in modum de omnipotentia diuina philoſophatur SPINOZA. *Si homines,* inquit, *clare totum naturae ordinem intelligerent, omnia aeque neceſſaria reperirent, ac omnia illa, quae in matheſi tractantur; ſed quia hoc ſupra humanam cognitionem eſt, ideo quaedam a nobis poſſibilia, non vero neceſſaria iudicantur. Quocirca vel dicendum, quod Deus nihil poteſt, quia omnia revera neceſſaria ſunt, vel Deum omnia poſſe, & neceſſitatem, quam in rebus reperimus, a ſolo Dei decreto prouteniſſe; in cogitatis metaphyſicis, part. II. c. 9.* Diſerte hic itidem docet, nullam in rebus ipſis dari poſſibilitatem, quin potius, neceſſaria omnia eſſe, idque ideo, quod cuncta a ſolo Dei decreto proueniant. Nullus equidem dubito, quin BVRMANNVS, & qui cum eo hac in re faciunt, decretum aliquod Dei liberum intelligant, quando cuncta ex decreto diuino deriuant; cum SPINOZA contra per decreta diuina nihil aliud, quam neceſſarium naturae intelligat ordinem, vt in ſequentibus monebimus: interim tamen patet, quam noxia haec ſit, de poſſibilitate rerum, ex decreto diuino deriuanda, ſententia, & quam egregie illis inſeruiat, qui, ſublata omni contingentia ac libertate, abſolutam neceſſitatem introducere volunt;

qui

qui proximus ad ſummam impietatem gradus eſt. Fraudulentum ſimul SPINOZAE, impoſtoris turpiſſimi, hic obſeruare licet ingenium, qui, cum abſolutam adſerendo neceſſitatem, omnem Deo potentiam deroget, egregie tamen prorſus omnipotentiam diuinam videri vult ſe ſtabiliviſſe. Eumdem vero etiam in modum, in *ethica more geometrico demonſtrata, part. I. p. 18.* hac de re loquitur, ſed ita, vt clarius, & apertius adhuc impietatem ſuam prodat: *Verum ego me ſatis clare oſtendiſſe puto, a ſumma Dei potentia, ſiue infinita natura, infinitis modis, hoc eſt, omnia neceſſario effluxiſſe, vel ſemper eadem neceſſitate ſequi, eodem modo, ac ex natura trianguli ab aeterno & in aeternum ſequitur, eius tres angulos aequari duobus rectis. Quare Dei omnipotentia actu ab aeterno fuit, & in aeternum in eadem actualitate manebit. Et hoc modo Dei omnipotentia longe, meo quidem iudicio, perfectior ſtatuitur.* Immo, meo quidem iudicio omnipotentia diuina hoc modo plane euertitur; idque impoſtor ſtolidiſſimus hic vnice agit. Quaenam vero haec eſt potentia, vbi omnia ſumma, & ineuitabili neceſſitate fiunt? Impudentiſſime itaque pergit: *Immo adverſarii* (quo nomine non poſſunt non illi omnes ſanae mentis homines venire) *omnipotentiam (liceat aperte loqui) negare videntur.* Talem nimirum omnipotentiam, qualem fingit, quaeue in abſoluta quadam neceſſitate conſiſtit, recte negant, cum nihil minus ſit, quam potentia, nedum omnipotentia. *Coguntur enim fateri*, ita porro rationes ſubducit, *Deum infinita creabilia intelligere, quae tamen numquam creare poterit. Nam alias, ſi ſcilicet omnia, quae intelligit, crearet, ſuam, iuxta ipſos, exhauriret omnipotentiam, ſeque ipſum imperfectum redderet.* Quae plane abſona ſunt. Quis enim vmquam dixit, Deum infinita creabilia cognoſcere, *quae tamen numquam creare poſſit?* Multa eum poſſibilia intelligere, quae tamen efficere nolit, id quidem profitemur; ſed, quod ea efficere non poſſit, nemo vmquam dixerit. Si enim ea Deus efficere non poſſet, non eſſent poſſibilia, aut, vti auctori loqui placuit, creabilia. Contra BVRMANNVM diſputat etiam LIMBORCH, *theol. chriſt. l. 2. c. 15. §. 6. ſeq.* vbi & oſtendit, eum in hac doctrina SPINOZAE veſtigia preſſiſſe. Ad rem ipſam vt reuertamur, Deum eo, quo id explicauimus, modo omnipotentem eſſe, ratio quoque dictitat, etſi ipſam omnipotentiam non plene capiat. Multum enim ſummae Numinis perfectioni deeſſet, ſi non eſſet omnipotens. Idque & ſcriptura, *locis* iam *citatis*, confirmat. *Apud Deum*, ipſe ſeruator inquit, *omnia ſunt poſſibilia;* & Gabriel angelus: *apud Deum non eſt impoſſibile quidquam:* eorum ſcilicet, quae nullam repugnantiam inuoluunt. Immo & diſerte παντοκράτωρ *omnipotens* dicitur, *2. Cor. VI, 18.* & *apoc. IV, 8,* quemadmodum & *apoc. VII, 12.* illi ſoli ἡ δύναμις καὶ ἡ ἰσχὺς *virtus & fortitudo* tribuitur.

** Sapientiae Dei eſſe conueniens, vt certum in agendo ordinem ipſemet conſtituat, cui tamen nulla neceſſitate ſit adſtrictus, ſupra iam ad §. 28. adſeruimus. Secundum huncce ergo ordinem, ſi potentia diuina ſeſe exſerat, *ordinata;* ſin vero illum immutet, eoque minime obſeruato, aliquid producat, *abſoluta* adpellitatur. Vna itaque eademque, & quidem infinita in Deo eſt potentia, ſed diuerſimode ſeſe exſerit, hinc & mox *abſoluta*, mox *ordinata* dicitur. Nihil praeterea obſtat, quo minus homines potentiae ordinatae reſiſtere queant. Nec inde defectus aliquis potentiae in Deo arguitur, ſed illud ſaltem ſequitur, Deum ordinem, a ſe ipſo ſapientiſſime conſtitutum, noluiſſe migrare. Quod ſi vero ſecundum potentiam abſolutam agere illi placeat, nihil omnino eſt, quod eam remorari, aut ſufflaminare queat,

Digitized by Google

queat, adeo quidem, vt ex lapidibus etiam, ſi voluiſſet, ſemen procreare potuiſſet Abrahamo, *Matth. III, 9.* Abſolutam autem non minus, quam ordinatam Dei potentiam vt ſtabiliamus, noſtra vel maxime refert, vt impiis profanorum hominum auſibus eo rectius obuiam eamus. Eam vero omnium euidentiſſime miracula comprobant; quo nomine eiusmodi operationes intelligimus, quibus naturae leges, ad ordinem & conſeruationem totius huius vniuerſi ſpectantes, reuera ſuſpenduntur. Id vero, cum a nemine, niſi qui ipſius naturae auctor eſt, fieri queat, ſolum quoque Deum miracula edere poſſe, manifeſtum eſt. Quae autem homines aliquando edidiſſe leguntur, non ſua, ſed a Deo ſibi conceſſa ediderunt virtute. Atque eiusmodi quidem miracula, quae abſolutam Numinis potentiam arguunt, cum, & fieri poſſe, & facta eſſe, nonnulli abnuant, vtrumque paucis eſt demonſtrandum. Miracula fieri poſſe, vel ex ipſa, quam hic adſerimus, omnipotentia diuina liquet. Certe, ſi Deus naturae non immutare poſſet ordinem, legesque, quibus innititur, ſuſpendere, non poſſet dici omnipotens; aut omnino ſequeretur, naturae legibus eum ita adſtrictum, vt omni careat libertate: quod impium pariter ac abſonum eſſe, ſupra iam demonſtrauimus. Et ſane, cum Deus naturae auctor ſit, legesque, quibus naturae ordo innititur, ipſemet conſtituerit, cur, quaeſo, leges iſtas ſuſpendere, aut omnino tollere non poſſet? Sunt praeterea ipſae illae naturae leges ita comparatae, vt nihil omnino obſtet, quo minus tolli, aut mutari tantiſper queant; quod euidenter demonſtrauit BERN. CONNOR, in *euangelio medici, ſeu, medicina myſtica, de ſuſpenſis naturae legibus, ſiue de miraculis, art. 6. p. 34. ſeq.* Licet enim non omnia viri huius placita adprobanda ſint, quae tamen generatim de naturae legibus, earumque ſuſpenſione, in medium adfert, ita comparata ſunt, vt luculenter euincant, nihil obſtare, quo minus Deus per potentiam ſuam abſolutam miracula edere queat.

Hoc vero cum illud ipſum ſit, quod athei concedere nolunt, SPINOZA quidem, vt contrarium euincat, omnes ingenii neruos intendit, in *tractatu theologico-politico de libertate philoſophandi, c. 6. p. 67. ſeq.* Sed, quod fundamenti loco ponit, *nihil contra naturam contingere, ſed ipſam aeternum, fixum, & immutabilem ordinem ſeruare*, ſua ſponte corruit, cum per turpiſſimam principii petitionem adſumat, quod minime euictum eſt, Deum & naturam eſſe vnum idemque. Loquitur equidem in adſerti huius probatione *de decretis diuinis*, vnde aliquis exiſtimare poſſet, eum naturae ordinem ex libera Dei voluntate deriuare: ſed eum per *decreta diuina* nihil aliud, quam ipſum naturae ordinem, ex abſoluta quadam neceſſitate profluentem, intelligere, adeoque incautis fucum facere, in ſequentibus oſtendemus. Quodſi autem natura a Deo diſtinguatur, vti omnino diſtinguenda eſt, principium hoc: *nihil contra naturam ſit*, tum demum admittendum, ſi addatur; *ſine voluntate creatoris.* Leges enim naturae, a Deo ſemel conſtitutae, tamdiu firmiter perſiſtunt, quamdiu ipſe Deus, ceu naturae auctor, ipſas non tollit, aut ſuſpendit. Vt vero idem impietatis magiſter caliginem artium eius ignaris obfundat, miracula ſe admittere ſimulat, ſed ita, vt, mutata vocis ſignificatione, per miraculum nihil aliud intelligat, quam *opus cuius cauſſam naturalem exemplo alterius rei ſolitae explicare non poſſumus, vel ſaltem ipſe non poteſt, qui miraculum ſcribit aut narrat.* Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, nulla plane dari miracula, ſed ea ſaltem, quorum cauſſas ignoramus, opera naturae, ita vocari. Quam hominis

hominis fraudulentiam qui detexit, errorem ſimul eius refutauit. Sed hiſce vt diutius immoremur, neceſſe non eſt.

Etenim, ſi, quod alterum diſceptationis huius caput eſt, euicerimus, miracula reuera facta eſſe, ſua ſponte ſequitur, ea fieri potuiſſe. Id vero non temere negabit, qui diuinam ſcripturae ſacrae auctoritatem, aut ſaltem ſcriptorum ſacrorum veracitatem, admittit. Hanc vero, qui in dubium vocat, illum ad ea ablegabimus, quae *part. 1. cap. 2.* fuſe hac de re diſputauimus. Sunt equidem, qui, cum ſcripturam repudiare non audeant, omnem mouent lapidem, vt, quae in ea narrantur miracula, ex cauſſis mere naturalibus explicent. Quibus rurſus exemplum praeiuit SPINOZA, in *tr. theol. pol. c. 6. p. 76.* Nimirum, ex circumſtantiis quibusdam miraculorum colligi poſſe putat, ea ex cauſſis naturalibus contigiſſe, aut, ſi eiusmodi circumſtantiae non adſint, eſſe eas ſubintelligendas: tandemque, ſi haec omnia ad eleuanda miracula non ſufficiant, ad ſtilum poeticum ſeſe recipit. Quae ita comparata ſunt, vt ſua ſe futilitate deſtruant. Ex circumſtantiis enim, quae aliquando commemorantur, id quidem intelligitur, Deum ſubinde mediis quibusdam in edendis miraculis vſum; iſta vero media, cum ita comparata fuerint, vt effectum, qui ſequutus eſt, per ſe producere non potuerint, ea in numerum cauſſarum naturalium referri non poſſe, manifeſtum eſt; multoque minus inde colligi poteſt, in miraculi iſtiusmodi perpetratione naturae ordinem non eſſe mutatum. Idque inde euidenter conſtat, quod Deus eiusmodi ſubinde mediis vſus eſt, quorum, ad effectum iſtum producendum, per ſe nulla efficacia, nullaque prorſus fuit proportio. Exemplum vel ex *Io. IX, 6,* petere licet. Praeterea multa in ſcriptura ſacra commemorantur miracula, in quibus Deus nullo prorſus vſus eſt medio, vt, cum Chriſtus vnico verbo daemonia eiecit, aegrotos ſanauit, mortuos reſuſcitauit. Quid vero ad haec SPINOZA? Tum eiusmodi quid, inquit, ſubintelligendum eſt. Scilicet, comminiſcendum aliquid erat, ne nihil dixiſſe videretur: & quiduis potius fingendum, quam vt admittantur, quae longe ſunt luculentiſſima, euidentiſſimaque. Cauſſae vero plane deſperatae eſt argumentum, ſi quis ad ſtilum poeticum ſe recipit, vbi ne minimum quidem eiusmodi ſtili eſt indicium, & omnes legitimae interpretationis leges ſuadent, vt propriam verborum retineamus ſignificationem, a qua & ceteroquin ſine cauſſa longe praegnantiſſima non eſt diſcedendum. Poſſet hoc, exemplo tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum, & verborum, quae *Exod. XV, 8.* exſtant, illuſtrari: ſed res ſatis manifeſta eſt. Fuſius etiam, quae hic in compendio dicta ſunt, enarraui in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione,* ad *cap. 7. §. 5. p. 605. ſeq.*

*** Huc cumprimis bona quaeuis ſpiritualia, conuerſio ipſa, fidei productio, &c, quae reliqua ſunt eiusdem generis, pertinent. Etenim, cum homines, haec in ſuis viribus minime poſita eſſe deprehendant, ſtatim ea ἀδύνατα eſſe ſibi perſuadent; cum potius verba ſeruatoris in memoriam ſibi reuocare deberent; παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι, *Matth. XIX, 26.*

§. XXXI. Actus diuinae voluntatis, quo noſtro conſiderandi modo, aliquid certo futurum ſecum conſtituit, dicitur *decretum;* * quod, cum absque omni intuitu ad cauſſam quamdam impulſiuam extra Deum concipitur, *abſolutum* vocari ſolet: *hypotheticum* contra, ſeu *non abſolutum,* quando eiusmodi cauſſa impulſiua externa, quae Deum permouerit, vna concipitur. ** Cum vero de decretis diuinis non aliter, quam ex ipſis

eius operibus, iudicare nobis liceat, modeſte omnino, atque caute hac in re verſandum; rectiusque faciunt, qui ab operibus ad decreta, quam qui a decretis ad opera, quaſi illa ſine his ſibi iam ſatis cognita, intimeque perſpecta eſſent, progrediuntur. ***

* Solet alias decretum diuinum ita definiri, quod ſit firmum, ac immutabile in mente Dei propoſitum, de eo, quod libera voluntate facturus eſt. Quod ita intelligendum, vt decernere ea dicatur, quae, conſideratis omnibus circumſtantiis, velit efficaciter; vnde voluntatem latius patere, quam decretum, palam eſt. In ſcriptura ſacra decretum voce προθέσεως, *Rom. VIII, 28. 2. Tim. I, 9.* item verbo προορίζειν, *Rom. VIII, 29, 30.* aliquando & voce προγνώσεως, *actor. II, 23. Rom. VIII, 29. 1. Petr. I, 20.* denique & εὐδοκίας, *Matth. XI, 26. Eph. I. 5. 9.* denotatur. Res autem ipſa docet, quando decreta Deo tribuimus, nos more humano de eo loqui; adeoque, quae in decretis humanis imperfectionem, aut infirmitatem, vel defectum quemdam arguunt, ſedulo a Deo eſſe remouenda. Hominum namque ea eſt conditio, vt, cum non ſemper, quid factu optimum ſit, ſtatim perſpiciant, conſultationem de iis, quae agenda ſunt, inſtituant, rebusque omnibus probe circumſpectis, ponderatisque rationum momentis, tum demum, quid facere velint, ſecum ſtatuant, & decernant. Atque hunc in modum etiam ſubinde ſcriptura ſacra de Deo loquitur; quod tamen ita capiendum eſſe, ne quid Deo indignum admittamus, nemo non intelligit. Quare nec illi caute ſatis aut ſentiunt, aut loquuntur, qui decreta diuina in accidentium numero collocant, vel omnino nouam Deo ſuperaddere perfectionem exiſtimant, vt CRELLIVS, *lib. de Deo, cap. 32.* EPISCOPIVS, *inſtit. theol. l. 4. c. 16.* LIMBORCH, *theol. chriſt. l. 2. c. 18. p. 101.* Ita enim ſi decreta diuina concipiamus, fieri aliter nequit, quam vt actuum variorum ſucceſſionem & mutationem, & alia, quae cum ſimplicitate ſumma Numinis parum conueniunt, ei tribuamus. Eamdem vero etiam ob cauſſam decreta Dei aeterna eſſe adſerimus, cum ſine mutatione fieri nequeat, vt in Deo aliquid exſiſtere incipiat, quod in eo non ſemper fuit. Quod & diſerte ſcriptura ſacra teſtatur, *actor. XV, 18. 1. Cor. II, 7. Eph. I, 4. 2. Tim. I, 9.* Quae quidem effata, vtpote longe luculentiſſima, fruſtra labefactare adnititur LIMBORCH, *l. c. §. 29. p. 107.* Rurſus tamen & illorum hic euitanda eſt impietas, qui, vocibus puerorum more ludentes, per decreta diuina nihil aliud, quam naturae ordinem neceſſarium ac immutabilem, intelligunt. Ita SPINOZA: *Quidquid ſit, per Dei voluntatem, & aeternum decretum ſit, hoc eſt, vt iam oſtendimus, quidquid ſit, id ſecundum leges ac regulas, quae* AETERNAM NECESSITATEM *& veritatem inuoluunt, ſit,* &c. *tract. theol. polit. c. 6. p. 68, 69.* Quemadmodum autem eiusmodi neceſſitatem, quae Deum omni libertate priuat, ſupra iam profligauimus, ita, quando contra communem loquendi morem, receptamque vocum ſignificationem, decretum vocat, quod nihil minus, quam decretum eſt, nihil aliud agit, quam vt aperte oſtendat, ſe aliis imponere voluiſſe.

** Diuerſimode hinc inde decreta diuina diuiduntur; in generalia ſcilicet, & ſpecialia; in ea, quae Deus facturus, & quae prohibiturus, aut permiſſurus eſt; ſed frequentiſſimum maxime eſt, vt alia *abſoluta* dicantur, *conditionata* alia. Et ſane, cum ipſa voluntas Dei vel abſoluta ſit, vel conditionata, vti ad §. 29. docuimus, fieri aliter nequit, quam vt de decretis eius eodem modo cenſeamus. Longe autem frequentiſſimum eſt in ſcriptura ſacra, vt Deus ſub certa conditione aliquid velle dicatur, vt *Ex. XIX, 5. Si obedieritis voci meae, & cuſtodieritis pactum*

ctum meum, eritis mihi peculium prae omnibus populis. Item: *Si volueritis & audieritis, bona terrae comedetis: quodſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos; Eſ. I, 19. 20.* conf. & *2. chron. XV, 2. Ier. XVIII, 7. 8. 9. 10. Ezech. XVIII, 21. ſq. Ioan. XV, 14. Rom. VIII, 13.* Nec obſtat, quod in hiſce, ſimilibusq; locis, promiſſiones aut comminationes diuinae exhibeantur. Hae enim ipſae promiſſiones ac comminationes de diuina voluntate teſtantur, eiusque adeo decreta manifeſtant. Recte hinc concluditur, decretum Numinis de quibusdam hominibus ſeruandis, reliquis autem damnandis, conditionatum eſſe, intuitu ſcilicet aut fidei, aut incredulitatis finalis, factum. Nec abſonum, vt Deus cum conditione quaedam decernat; cum nihil aliud inde ſequatur, quam, eum ordinem, liberrime, ſapientiſſimeque a ſe conſtitutum, ſeruare velle: quod Deo indignum eſſe, nemo temere adfirmabit; conſ. quae ad §. 28. diximus.

*** Cum enim nec de hominum decretis, actibusque internis aliter, quam ex factis, aut actibus externis iudicare liceat, & in his quoque, niſi caute procedamus, facile contingere queat, vt iis aliquid tribuamus, quod numquam illis in mentem venit; multo magis ſumma opus eſt circumſpectione, cum de ſupremi Numinis decretis nobis ſermo eſt. Ferendi itaque non ſunt, qui tam audacter de illis verba faciunt, ac ſi omnia, quae ab aeterno in mente diuina fuerunt, intime ſibi perſpecta eſſent. Quin potius, vt cum Paulo apoſtolo profiteamur, neceſſe eſt: *O profunditas diuitiarum, tum ſapientiae, tum cognitionis Dei! Quam inperſcrutabilia ſunt eius iudicia, & viae eius inperueſtigabiles? Quis enim cognouit mentem domini, & quis ei fuit conſiliarius? Rom. XI, 33. 34.* Tum vero demum recte in decretorum diuinorum conſideratione verſabimur, ſi primo quidem ex liberrimo Numinis arbitrio ea profluxiſſe, cogitemus: quam Numinis libertatem cum certo ordine, in quibusdam decretis, conſiſtere poſſe, aliquoties iam monuimus: tum vero ſummam eius & ſapientiam, & benignitatem, & iuſtitiam in iis deuota mente veneremur; ſimulque ſedulo attendamus ad harmoniam attributorum diuinorum, in decretis iſtis vel maxime elucescentem, de qua ſupra ad §. 10. diximus. Ita ſi nos geramus, nihil, quod nos offendat, plurima contra, quae noſtri nos admoneant officii, in decretis diuinis deprehendemus.

§. XXXII. Ipſe autem voluntatis motus, ex boni cuiusdam, aut mali repraeſentatione orti, *adfectus* vocari ſolent; qui eo quidem modo, quo in hominibus ſunt, Deo tribui nequeunt; cum mutatio eiusmodi, qualis cum adfectu humano, proprie ſic dicto, coniuncta eſt, Deo plane ſit indigna.* Eminentiori autem modo, & absque omni imperfectione ſpectati, Deo recte quoque tribuuntur, ** idque ſaepiſſime fit in ſcriptura ſacra; eſtque iſta loquendi ratio eo minus improbanda, quod effectus, qui ex humanis adfectibus conſequi ſolent, ἐμφατικῶς hoc ipſo deſignentur.

* De iis praecipue adfectibus loquor, qui *ſenſuales* vocari ſolent, & a quibus tum mere corporei, tum pure mentales diſtinguuntur: qua de re dictum in *inſtitut. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 4. ad §. 29.* item *ſect. 6. ad §. 5.* Senſuales nimirum adfectus, cum mentis quoddam cum corpore commercium inferant, Deo nulla ratione conueniunt, quod vt de corporeis moneamus, ne quidem neceſſe eſt. Sed & imperfectiones, quae pure mentalibus in hominibus adhaerent, recte ab eo remouentur.

 ** Sunt

** Sunt ex mentalibus adfectibus etiam quidam, qui ſua natura imperfectionem aut vitium inuoluunt, vt *inuidia*, *poenitentia &c.* quos quidem in Deum non cadere, aut non niſi admodum improprie de illo dici, res ipſa docet. Reliqui autem, qui nullum inuoluunt vitium, recte quidem, immo proprie, modo tamen longe eminentiſſimo, Deo tribuuntur, adeo, vt in hominibus atque angelis eorum ſaltem imago, & velut vmbra quaedam ſpectetur. Hoc modo enim conſiderati adfectus, inter perfectiones numerantur, quae vtique eminentiſſimo modo Deo conueniunt, nec aliud quid ſunt, quam voluntatis actus, qui, noſtro concipiendi modo, conuenientiam quamdam habent cum operationibus hominum, qui eiusmodi adfectibus concitantur, ſed remota omni, quae humanis adhaeret, imperfectione. Et hac quidem ratione ſpeciatim adfectus illos, qui ſubinde in ſcriptura ſacra Deo tribuuntur, amorem, odium, iram &c. facili negotio explicare licet.

§. XXXIII. Dantur etiam in voluntate ſpirituum, hominumque, certae inclinationes, propenſionesque, quae, ſi ad verum aliquod bonum ordine conueniente ferantur, *virtutum* nomine veniunt. Atque hae quidem homini, praeſertim poſt lapſum, minime per naturam inſunt, ſed per Numinis gratiam, accedente legitimo mediorum vſu, adquiruntur. Deo autem modo longe eminentiori conueniunt, * ita quidem, vt perfectiſſimum ſimul exemplar exhibeant, ad quod, quo propius hominum angelorumque virtutes accedunt, eo perfectiores merito cenſeantur; *Matth. V, 48.*

* Virtutis nomine nunc non actum aliquem bonum, aut officium, ſed propenſionem quamdam, ea quae bona & recta ſunt, ſemper agendi, deſignamus. Neque propenſio eiusmodi, quae actibus ſaepius repetitis, vel alia quadam ratione adquiritur, ſed ea etiam, quae per naturam alicui ineſt, intelligitur: cum genuina haec & euidens huius vocis notio ſit, ita quippe comparata, vt ſecundum eam hominibus non tantum & angelis, ſed ipſi quoque Deo, quod vtique par erat, virtus tribui queat. Bonum vero illud, ad quod propenſio iſta, quae virtutis nomine venit, fertur, ſi homines aut angelos ſpectes, voluntate Dei, ſeu lege determinatur; vnde alibi virtutem, prout in homines cadit, per ſtudium, ſe in omnibus ad voluntatem Numinis componendi, definiui: quod, cum de Deo, vtpote ſupremo legislatore, qui alterius aut legi, aut voluntati ſubiectus non eſt, dici nequeat, eiusmodi bonum, quod in conformitate cum natura diuina, omnibusque eius perfectionibus, conſiſtit, intelligendum eſt. *Deus* quippe *ſe ipſum abnegare non poteſt, 2. Tim. II, 13.* Atque hinc quidem, quousque humana virtus cum diuina conueniat, & quousque differat, itemque quo ſenſu Deo virtutem tribuamus, cognoſcere licet.

§. XXXIV. Summa omnium virtutum, quae in hominibus aut angelis conſpiciuntur, aeque ac ſumma ipſius legis, conſiſtit in *amore*; * *Matth. XXII, 37. 39.* Pari ratione & de Deo, ſed remota iterum omni imperfectione, dici poteſt, virtutum omnium ſummam amorem eius complecti. ** Hinc & Ioannes, per compendium velut, intuitu virtutum, quibus vel maxime hominibus, de ſalute ſua ſollicitis, manifeſtatur, Deum deſcripturus, *ὁ Θεὸς*, inquit, *ἀγάπη ἐςί*, *Deus eſt amor*; *** *1. ep. IV, 16.*

* Vox

* Vox *amoris* non pro adfectu, ſed pro conſtanti ad bonum propenſione, ſeu virtute, ſumitur. Omnium autem virtutum humanarum ſummam in amore conſiſtere, facile ex inductione probari poteſt. Quaecumque enim nominetur virtus, nihil aliud, quam amoris eſt modificatio. Pietas recto ergaDeum amore abſoluitur; temperantia, & quaecumque nobis ipſis praeſtare debemus, recte ſe habent, ſi nos ipſos recte amemus: eodemque ex fonte fluunt, quaecumque aliis praeſtare tenemur hominibus. Hoc ipſo vero, dum ſummam quoque legis in amore conſiſtere, ipſe nos ſeruator condocet, diuinarum ſimul virtutum ſummam exhibet, cum lex diuina ſpeculum quoddam ſit perfectionum moralium, quibus Deus gaudet, adeoque & imaginem Dei, qua voluntatem eius,nobis exhibet,ad quam olim hominem condidit, & ad quam iterum, poſtquam ex verbo veritatis regeniti ſumus, indies nos magis magisque renouari oportet; *Epheſ. IV, 24.*

** Nulla enim eſt virtus diuina,quae non ex amore eius fluat, aut non amoris, ſi ita loqui liceat, ſit modificatio: id quod ex iis, quae *§. 35.* dicentur, patebit.

*** Recte interpretes quidam ad hunc locum monent, breuiſſimam hic, ſimul & ſuauiſſimam, Dei tradi definitionem; quod intuitu maxime virtutum eius moralium, quibus praecipue homines attendere debent, eſt intelligendum. Hinc & eleganter B. LVTHERVS noſter dicit, ſi quis Deum pingere vellet, ei eiusmodi excogitandam imaginem, quae nihil niſi amorem exhiberet, *tom. 6. Ienenſ. germ. fol. 46.*

§. XXXV. Intelligendum hoc eſt de amore, quo Deus ſe ipſum modo longe perfectiſſimo, & res etiam a ſe creatas, ordine, quem res ipſa poſtulat, obſeruato, amat.* Superiorem enim quem amet, non habet: quo ipſo ingens, quod inter eius, & hominum aut angelorum amorem intercedit, diſcrimen innoteſcit.** Reliquae, quae Deo tribuuntur, virtutes, ſi rem adcurate ponderes, nihil aliud ſunt, quam amoris iſtius puriſſimi, ſanctiſſimique velut quaedam modificationes, quae pro obiectorum diuerſitate diuerſas quoque ſortiuntur denominationes.

* Res quidem quaslibet,prout ab eo creatae ſunt, adeoque non poſſunt non bonae cenſeri, *Gen. I, 31.* Deus amat, ſpeciatim homines, vtpote inter res mundi huius adſpectabilis creatas, longe praeſtantiſſimos, vnde *φιλανθρωπία* Dei celebrata apoſtolo, *Tit. III, 4.* Sed in hominibus etiam amandis eum certum obſeruare ordinem, iam ex iis, quae de voluntate Dei diſputauimus, conſtat, & ex dicendis etiam vlterius elucеſcet.

** Inter amoris enim, quo homines Deum, aut alios etiam homines, imperantium munere fungentes, amant, ſpecies, eſt *amor obedientiae, Ioan. XIV, 23. cap. XV, 10. 14. 1. Ioan. V, 3.* Hic autem in Deum non cadit, cum Deus ſuperiorem non habeat. Sed nec aequalem habet Deus: vnde nec *amor amicitiae* illi tribui poteſt, eo quidem ſenſu, quo a nonnullis accipi ſolet, vt amor hicce ſit inter aequales. Sed, ſi amor amicitiae dicatur, quo aliquem ita amamus, vt ab eo iterum amari cupiamus, nihil obſtat,quo minus Deo amor amicitiae tribuatur: praeſertim cum Chriſtus non dedignetur,homines *fratres* adpellare, *Ebr. II, 11.* Hinc & Abrahamus *amicus Dei* audit, *Iac. II, 23.* & Chriſtus ipſe ad apoſtolos dicit: *non voco vos ſeruos, ſed amicos meos, Ioan. XV, 15.* conf. & *Eſ. XLI, 8. 2. chron. XX, 7.*

§. XXXVI. Nimirum, quando Deus ſe ipſum amore puriſſimo amare

conci-

concipitur, vt ſimul ab omni imperfectione remotus, ſecretus, ſeparatus cenſeatur, amor ille vocatur *ſanctitas*. Genuina enim haec eſt ſanctitatis notio,* quam ſcriptura ſaepiſſime Deo tribuit; conf. *Eſ. VI, 3.* quaeue a Deo ipſo hominibus in exemplum, ad quod ſe componere debeant, proponitur; *Leuit. XIX, 2. 1. Pet. I, 15. 16. 17.*

* Vera *ſanctitatis* notio non alibi quam in ſcriptura ſacra quaerenda eſt. Non itaque nunc moramur ſcriptores profanos, apud quos *ſanctus* quandoque dicitur, qui hominum iudicio moribus integris ac inculpatis eſt praeditus, interdum &, quem laedere aut violare nefas eſt. Nec illorum hic inhaerebimus veſtigiis, qui *iuſtitiae* in *vniuerſalem* ac *particularem* diuiſionem, ex philoſophia Ariſtotelica huc aduocant; per *ſanctitatem* iuſtitiam Dei vniuerſalem intelligentes. Praeterquam enim, quod ipſa illa iuſtitiae diuiſio parum concinna ſit, vt hodie viri docti paſſim oſtendunt, minus quoque apte de Deo vſurpatur. Ex ſcriptura igitur ſacra ſi veram vocis notionem eruere velimus, illam eo praecipue redire deprehendimus, quod *diſtinctum, ſecretum, ſegregatum eſſe a vulgi vſu & ſorte*, ſignificat. Hinc de ſacrificiis, aliisque rebus, quae Deo aut offerendae, aut conſecrandae erant, ſaepiſſime adhibetur. Sic Medi dicuntur *ſanctificati* ad deſtructionem Babylonis: *Ego praecepi ſanctificatis meis, vocaui fortes meos &c. Eſ. XIII, 3.* Pari ratione & *Ier. XII, 3.* dicitur: *Educ eos, ſicut oues ad occiſionem, & ſanctifica eos ad diem interfectionis.* Cum etiam, quae Deo conſecranda, & hinc a reliquis ſeparanda erant, ab omni impuritate, & contaminatione debebant libera eſſe; ideo ſaepiſſime *ſanctificare* in ſcriptura ſacra idem eſt, ac *purificare*, ab externis commaculationibus liberare, idque ſubinde per certos ritus ac caerimonias, & hac ratione ad actum aliquem religioſum ſe, aut alios praeparare. Hunc in ſenſum *Exod. XIX, 10.* Deus ad Moſen dicit: *Vade ad populum, & ſanctifica eos hodie & cras, & lauent veſtes ſuas.* Intelligere hinc licet, quid ſeruator ſibi velit, quando *Ioan. XVII, 19.* dicit: *Ego me pro iis ſanctifico, vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate.* Sanctificatus nimirum dicitur Chriſtus, quia ſegregatus fuit Deo, & a Deo, & a reliquis hominibus ſeparatus, ad mirabile illud redemtionis opus perficiendum; ſanctificatus etiam fuit, dum hac ratione Deo fuit conſecratus, & ad ſacrificium expiatorium, pro omnium hominum peccatis, deſtinatus; ſimul & ita ſanctificatus fuit, quod purus, mundus, innocens eſſet, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *Ebr. VII, 26.* Plura vt addam, neceſſe non eſt, cum ſatis hinc pateat, primam, praecipuam, maximeque propriam vocis huius eſſe ſignificationem, qua *ſeparationem, ſegregationemque ad certum vſum*, denotat. Atque hinc porro colligitur, quo ſenſu homines *ſancti* dicantur, qui ſcilicet per ſincerum virtutis ſtudium a reliquis ſecreti ſunt, & ſepaarti, immo, qui ſe ipſos a peccatis, vitiis, & quauis impuritate ac immunditie ſeparare, & magis magisque remouere ſtudent. Et hoc denique etiam ſenſu Deus ſanctus dicitur, immo, non poteſt non eſſe ſanctiſſimus, hoc eſt, ab omni labe, vitio, peccato, impuritate, remotiſſimus. Quae quidem ſumma eius ſanctitas puritasque, ex amore ſummo, quo ſe ipſum amat, fluit. Qui enim ſe ipſum amat, non poteſt non ea omnia fugere, quae labem quamdam illi adſpergere queant. Dei autem amor, quo ſe ipſum amat, cum ſummus ſit, eo quod omnia, quae ſummum amorem excitare apta ſunt, in ſe ipſo inuenit, ſequitur quoque, ſtudium illud ab omni labe & imperfectione ſe remouendi, hoc eſt, ſanctitatem eius, ſummam eſſe, & infinitam.

§. XXXVII.

§. XXXVII. Ex ſanctitate fluit *iuſtitia*, quae, ſi Deo recte tribui debet, nihil aliud eſt, quam virtus diuina, qua Deus, puriſſimo ſui amore, ſtudioque ſanctitatis inductus, vt eo magis ab omni imperfectione & vitio alienus deprehendatur, hominum peccata quaeuis grauiter punit, bene autem facta largiter remuneratur; * conf. *Deut. XXXII, 4. pſal. XCII, 16. Rom. II, 6. 7. 2. Theſſ. I, 6. 7.* Hoc ſi recte perpendamus, cauſſas grauiſſimas eſſe intelligemus, vt ſaluti noſtrae μετὰ φόβου καὶ τρόμου ſtudeamus; *Phil. II, 12.* Scimus enim, qualis ille ſit, qui orbem vniuerſum iudicaturus eſt ἐν δικαιοσύνῃ, *actor. XVII, 31.*

* De iuſtitia diuina non omnes ea, qua decet, ratione loquuntur; nonnulli etiam variis dubiis ſe inuoluunt, idque tum ideo, quod non ſatis perpendant, quae de iuſtitia hominum dicuntur, ſubinde ita comparata eſſe, vt Deo tribui nequeant, tum, quod partitionem iuſtitiae Ariſtotelicam in *vniuerſalem* & *particularem* huc aduocent, quam tamen non ſine ratione hodie explodi, antea iam obſeruauimus. Miſſis itaque iis, quae vulgo tradi ſolent, ita procedimus, vt iuſtitiam primo in *aequatoriam* & *rectoriam* diſpeſcamus. Aequatoria cum inter aequales locum habeat, legemque communem, quibus vtraque pars obnoxia ſit, ſupponat, cum de Deo ſermo eſt, locum non habet, adeoque hic in cenſum non venit. Rectoria autem, vti Deo recte tribuitur, ita, vt haec quoque ſibi conſtet, duo paucis euoluenda ſunt; primum quidem, Deo ius aliquod in res creatas competere; alterum, num ius illud in infinitum procedat, an vero certis limitibus ſit circumſcribendum? Et prius quidem poſitum eſt extra controuerſiam, cum ipſe, vt rerum omnium, ita hominum creator ſit; immo res omnes conſeruet, ita vt nihil ſit in hocce vniuerſo, quod prorſus ab eius non pendeat nutu. In id vero, quod ea ratione a nobis dependet, ius aliquod nobis competere, ratio non ſolum euidentiſſime docet, ſed & ſcriptura confirmat, *Eſ. XXIX, 16. cap. XLV, 9. Ier. XVIII, 6.* Idque eſt, quod *pſalm XXIV, 1.* ita exprimitur: *Domini eſt terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuerſi, qui in eo habitant.* Hinc & non a naturae diuinae praeſtantia, nec a potentia, cui nemo reſiſtere queat, ſed a creatione & conſeruatione, imperium Dei in homines deriuandum eſſe, ſupra iam obſeruauimus: etſi ad imperii exercitium omnipotentia diuina ſit neceſſaria, naturae autem diuinae praeſtantia, digniſſimum Deum eſſe, qui orbi vniuerſo imperet, oſtendat; conf. quae ad *l. 1. c. 2. §. 12.* diximus. Ius nimirum illud Dei cum ad omnes res creatas ſe extendat, intuitu illorum, quae ratione praedita ſunt, vt angeli & homines, *imperium*, intuitu reliquorum, ratione, vel etiam ſenſu deſtitutorum, *dominium* vocare liceat. Ita enim voces haſce, qui paullo adcuratius philoſophantur, diſcernere ſolent.

Ad dominium itaque quod attinet, cum circa eiuſmodi res verſetur, quae, proprie loquendo, laedi nequeunt, nullum plane eſt dubium, quin Deus liberrime de iis diſponere queat. Quare, etſi res eiuſmodi aut deſtruere, aut annihilare vellet, nihil ageret, cur iniuſtitiae argui poſſet. Potuit itaque & iſtarum rerum dominium hominibus ad certum vſum concedere, quemadmodum reuera conceſſit, *Gen. I, 29. cap. IX, 3.* Immo; ita concedere potuit, vt eas ad ſui conſeruationem itidem deſtruerent, idque ſine omni mali, aut iniquitatis labe, cum hoc fini, ob quem res eiuſmodi creatae ſunt, neutiquam repugnet. At, imperium diuinum, cum circa res ratione gaudentes, angelos

gelos hominesque, verſetur, qui & ipſi iuris cuiusdam, hoc ipſo, dum ratione gaudent, ſunt capaces; bonitati, ſanctitatique diuinae fuit conueniens, vt Deus modo, qui naturam indolemque eorum decebat, cum iis ageret. Neutiquam itaque hocce imperium eo vsque extendendum eſt, ac ſi Deus, ſalua iuſtitia ſua, homines plane innocentes, ſine omni illorum merito, quocumque malorum genere adficere, aut vita priuare, aliave ratione miſeros reddere, aut omnino aeternis adiudicare cruciatibus poſſit, quae quorumdam, Romanae pariter ac reformatae eccleſiae doctorum eſt ſententia: quam merito *horribilem* vocat CORN. IANSENIVS, *de doctrina Auguſtini, tom. 2. lib. 3. c. 1. & 5.* Sed & GROTIVS imperium, vel, vt ipſe parum adcurate vocat, dominium Dei in homines, vltra, quam par eſt, extendit, *de iure belli & pacis, l. 2. c. 20. §. 4.* quo nomine recte reprehenditur a ZIEGLERO, in *notis & animadverſionibus ad h. l. p. 430.* item *p. 490. 491.* neq; non a IO. AD. OSIANDRO, in *obſeruat. ad Hug. Grot. libr. de iure belli & pacis, p. 99. ſeq.* Nimirum, iſti omnes non recte expendunt, res creatas ratione gaudentes, hoc ipſo, dum ita a Deo creatae ſunt, iuris cuiusdam eſſe capaces, adeoque ſine iniquitate quadam, quamdiu innocentes ſunt, laedi non poſſe, idque adeo bonitati, hinc & ſanctitati eius e diametro aduerſari. De imperio enim Dei ita philoſophandum, vt ſimul ad harmoniam omnium attributorum eius, ſaepius a nobis commendatam, reſpiciamus: quo ipſo & nihil eius, in res creatas imperio decedit, cum non alii illi limites ponantur, quam quos ſumma & abſoluta eius perfectio ponere iubet. Idque & ſcriptura confirmat, dum nullo modo Deo conuenire docet, vt nocentes innocentesque eodem loco habeat; *Gen. XVIII, 25.*

Ex dictis itaque intelligitur, iuſtitiam diuinam in eo conſiſtere, quod Deus iure ſuo, ſpeciatim imperio in res creatas ratione praeditas ita vtatur, prout rerum iſtarum indoli atque naturae, diuinaeque ſimul ſanctitati & bonitati hoc eſt conueniens. Recte etiam haec iuſtitia Dei in *remuneratoriam* & *punitiuam* ſeu *vindicatiuam* diſpeſcitur. Remuneratoria in eo conſiſtit, vt bene recteque facta ex ſingulari gratia atque benignitate, largiter compenſet. Nec ita hoc capiendum, ac ſi homo aut angelus aliquid mereri poſſit, cum omnes illorum actiones, quantumuis bonae & praeſtantes, debitae ſint, nec quidquam agere bene poſſint, quod non officii illorum ratio poſtulet: ſed quod ſummae Numinis bonitati hoc conueniat, contra quam ſi ageret, non poſſet perfectiſſimum cenſeri, nec ſe ipſum perfecte amaret, adeoque nec ſanctum, hinc & nec iuſtum eſſet. Punitiua autem, ſeu vindicatiua iuſtitia in eo conſiſtit, quod hominum delicta puniat, ea quidem ratione, vt omnem ſimul illis, de iniuria ſibi illata, iure conquerendi adimat cauſſam. Etſi enim per primorum parentum culpam, in eum ſtatum peruenerint homines, vt legem diuinam ſeruare nequeant, adeoque non poſſint non peccare; Deus tamen ipſe medium inde eluctandi iis exhibuit, quo, ſi non vtantur, non Deum, ſed ſe ipſos accuſare debent, quod iuſtitiae diuinae vim in aeternis cruciatibus experiantur. In poenis autem temporalibus ſumma inſuper Numinis eluceſcit benignitas, cum illis, qui nondum conuerſi ſunt, incitamento, ad ſalutem ſuam ſerio quaerendam, eſſe poſſint, intuitu autem credentium, non aliter, quam pro paternis habendae ſint caſtigationibus. Haec vero alibi fuſius, copioſiusque ediſſeruntur. Quae diximus, ſcriptura etiam confirmat, tum recte factorum remunerationem, tum peccatorum punitionem, ad iuſtitiam Dei referens. Sic Paulus δικαίωμα τοῦ θεοῦ *ius Dei eſſe*, dicit, *vt, qui talia faciant*, (quae de ethnicis commemorauerat) ἄξιοι *digni*, ſuo ſcilicet merito, *morte ſint; Rom. I, 32.* Pari ratione δικαιοκρισίαν *iuſtum Dei iudicium eſſe*, pronuntiat, *vt*

vnicui-

Digitized by Google

vnicuique ſecundum opera ſua reddat: iis ſcilicet, qui, in recte factis perſeuerantes, gloriam, honoremque & immortalitatem quaerunt, vitam ſempiternam; contentioſis autem, & in veritatem contumacibus, iniuſtitiae vero obedientibus, imminere iram, & poenam, calamitatem & anguſtiam &c. Rom. II, 7. 8. Idem repetit *2. Theſſal. I, 6.* δίκαιον παρὰ τῷ θεῷ, *iuſtum eſſe apud Deum*, dicens, *vt adfligentibus* (pios) *reddatur adflictio, illis autem, qui adfliguntur, requies &c.*

Atque ex iſta quidem, quam hactenus tradidimus, iuſtitiae diuinae notione, ſua ſponte ſequitur, eam recte ex ſanctitate Numinis deriuari. Si enim iure ſuo in res creatas, homines praeſertim, Deus aliter vteretur, non poſſet non ea committere, quae magnam in illo arguerent imperfectionem. Hoc autem ſi faceret, ſe ipſum non amaret perfecte, nec adeo ſanctus eſſet, hoc eſt, ab omni vitio & imperfectione ſe non remoueret. Hinc vero etiam recte & euidenter colligitur, vt ſanctitatem, ita & iuſtitiam, Deo plane eſſentialem eſſe, adeoque eum non poſſe non peccata punire, nec ſine intercedente ſatisfactione remittere. Idque & ſcriptura ſacra diſerte confirmat. *Deus*, inquit Moſes, *non poteſt* (ſalua ſua iuſtitia vindicatiua) *peccatorem habere inſontem*, (vt citra ſatisfactionem illi remittat poenam) *ſed omnino vindicabit & puniet eius peccatum*, *Exod. XX, 7.* Quod enim ibi de abuſu nominis diuini dicitur, de omnibus peccatis, quorum, quoad reatum poenae, in genere ſpectatae, eadem eſt ratio, merito intelligitur. Moſi ſuffragatur & Iobus: *ſi pecco, parcis mihi quidem*, (differendo poenam ad horam) *ſed tandem non pateris, me eſſe immundum ab iniquitate*, ſcilicet, vt eam mihi citra ſatisfactionem non imputes; *c. X, 14.* Immo, Deo abominationi eſſe, iuſtificare impium, pronuntiat Salomoh, *prov. XVII, 15.* Eamque ob cauſſam ſanguinis effuſionem, vt iuſtitiae diuinae ſatisfieret, neceſſariam fuiſſe, Paulus teſtatur: *Sine effuſione ſanguinis* (hoc eſt, ſine expiatione conuenienti) οὐ γίνεται *non fit* (non poteſt fieri, obſtante iuſtitia diuina) ἄφεσις *remiſſio peccatorum, Ebr. IX, 22.* Ad ea, quae poſt Socini & Arminii adſeclas reliquos in contrarium diſputat LIMBORCH, *theol. chriſt. l. 2. c. 12. §. 27. ſeq. p. 84. ſeq.* ex dictis etiam reſpondere facile licebit. *Si*, inquit, *iuſtitia Deo eſſentialis eſt, non minus & miſericordia erit eſſentialis, adeoque duo erunt in Deo attributa eſſentialia, ſecum directe pugnantia.* Immo, amice inter ſe conſentientia. Per iuſtitiam debebat Deus omnes homines aeternis adiudicare cruciatibus. Per miſericordiam illis ſeruatorem miſit. Huncce ſalutis ordinem, qui repudiant, miſericordiam ſe nolle, ſignificant, meritoque diuinam experiuntur iuſtitiam. *Sed unicuique*, inquit, *licet, ſalua iuſtitia, de iure ſuo remittere, quantum vult, modo alterius non interſit, vt ius ſuum rigide exſequatur.* Id vero in iuſtitia rectoria non ſemper procedit, multo minus diuina. Ipſius enim Dei, eiusque ſummae ſanctitatis, intereſt, vt peccata puniantur. Inſtat vlterius: *Si Deus per iuſtitiam ſuam vindicatiuam, non poteſt peccata dimittere impunita, ergo punit neceſſitate naturali & abſoluta*; quod abſurdum eſſe putat, cum, quae neceſſitate naturali agunt, ea ſemper, & quantum poſſunt, agant. Reſpondetur, Deum equidem neceſſario, ob ſanctitatem ſuam punire, vt tamen ſimul certum obſeruet ordinem, ſapientiae ipſius conuenientem, liberrimeque a ſe conſtitutum. Mitto reliqua; cum controuerſias tractare, huius loci non ſit.

§. XXXVIII. Ex eodem etiam ſanctitatis fonte fluit *veracitas*, ſeu ſumma Dei in dicendo vero, & ſeruandis promiſſis, conſtantia. * Inter

 maxi-

maximas enim, libere, & cum ratione agentium, imperfectiones, inconſtantia, fallacia, mendacium, haud vltimum tenent locum. ** Haec omnia ſi Deus per veracitatem, ſummamque conſtantiam, a ſe non remoueret, non eſſet ſanctus, nec ſe ipſum recte amaret; *** conf. *Num. XXIII, 19. Rom. III, 4.* itemque *2. Sam. VII, 28. pſalm. LXXXIX, 36.* Idque qui conſiderauerit, facile cognoſcet, ſtolidum non minus, quam impium eſſe dictis, promiſſionibusque diuinis, & comminationibus, fidem adhibere nolle; conf. *Ebr. VI, 18.*

* Non ergo de veritate eſſentiae diuinae, de qua iam ſupra dictum, ſed de ea, quae circa verba & promiſſa verſatur, hic ſermo eſt, quaeue ideo *veracitas* dicitur. Hanc licet alii ex iuſtitia diuina deducant, concinnius tamen cuncta fluunt, ſi ex ſanctitate, prout fecimus, deriuetur.

** Haec enim, ſimiliaque vitia apud homines ex ſinceritatis defectu, quandoque & ex impotentia, ne quid de errore dicam, oriuntur, quae omnia ſummam vtique arguunt imperfectionem.

*** Homines quidem lege diuina ad veritatem, vbi eam dicere debent, dicendam, itemque ad promiſſa atque pacta ſeruanda, obligantur: Deus autem cum ſuperiorem non habeat, nulla equidem lege ad hoc eſt obſtrictus, interim tamen *ἀδύνατον eſt Deum mentiri, Ebr. VI, 18.* quia ceteroquin contra ſanctitatem ſuam ageret, & ſe ipſum abnegaret, *2. Tim. II, 13.* Quando itaque Deus promiſſis ſuis iuramentum addit, non ita hoc intelligendum, ac ſi firmamento eiusmodi indigeant, vt promiſſa & pacta hominum, ſed, vt cum hominibus, ob eorum imbecillitatem, more humano agat. Sed & ipſa haecce Dei iuramenta, id, quod diximus, confirmant. Cum enim ſuperiorem non habeat, per quem iuret, per ſe ipſum iurat, *Ebr. VI, 18.* hoc eſt, ad ſuam prouocat ſanctitatem, quae firmamentum longe validius, quam omnia hominum iuramenta praebet. Ex dictis vero etiam ſua ſponte ſequitur, *ἀδύνατον* prorſus eſſe, vt, praeſertim in rebus ad hominum ſalutem ſpectantibus, aliud prae ſe ferat, aliud reuera velit; qua de re ſupra iam dictum, cum de voluntatis diuinae, in *voluntatem ſigni*, & *voluntatem beneplaciti*, diuiſione, verba faceremus.

§. XXXIX. Intuitu rerum creatarum, ſpeciatim hominum, & quidem lapſorum, ſi amor hicce diuinus conſideretur, * ſubinde non tantum in ſcriptura ſacra celebratur, ſed magnitudo eius ita extollitur, vt vim omnem fere humani intellectus ſuperet; *Ioan. III, 16. Rom. V, 8. 1. Ian. IV, 9. 10.* ** Diuerſimode etiam, pro diuerſa ad hominum ſtatum relatione, adpellitatur. Indignitas enim illorum, & quod nihil prorſus in iis ſit, quo amorem huncce promereantur, ſi ſimul in cenſum veniat, *χάρις* ſeu *gratia* vocatur, *Epheſ. I, 6.* hinc *ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος, Epheſ. II, 7.* *** Ob beneficia, quae inde in illos proficiſcuntur, *χρηστότης* audit, ſiue *benignitas*; vti ob ſtudium, conferendi iis, quae illis grata ſunt, *φιλανθρωπία*, * *Tit. III, 4.* Quod ſi autem ſumma, in qua verſantur, miſeria ſimul conſideretur, *miſericordiae* nomine venit; hinc *τὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ, Luc. I, 78.* ** Quae quidem omnia, duriſſima mor-

mortalium emollire debebant pectora, ne ingrato erga illum pergant eſſe animo, qui tot & tanta ſui erga eos amoris exſtare voluit documenta; conf. *1. Ioan. IV, 19.* ***

* Non pro adfectu vox amoris nunc nobis ſumitur, ſed pro attributo quodam, quod inſtar virtutis cuiusdam concipitur, iuxta ea, quae ad *§. 33.* generatim de virtute diuina monuimus. Cumque etiam de amore erga alios ſermo ſit, non alius, quam ſuperioris erga inferiores, domini erga ſeruos, regis erga ſibi ſubiectos, immo, patris erga filios intelligi poteſt. Iure enim creationis Deus eſt omnium rerum dominus, rex, pater; conf. *Mal. I, 6. Eph. III, 15.* Nulla equidem hic eſt ad amandum obligatio, vt apud homines, cum nulli legi Deus ſit obnoxius: cum vero magnae inter homines virtutis, adeoque & perfectionis eſſe cenſeatur, ſi ſuperiores inferiores, ſibique ſubiectos ament; non poteſt non Deus res etiam ab ſe conditas, ſpeciatim homines, amare. Immo cum amor ſumma ſit, & velut centrum omnium virtutum diuinarum, iuxta ea, quae *§. 34.* diſputauimus, dubitare non licet, quin res omnes a ſe conditas tenerrimo velut adfectu proſequatur; cuius ipſe characterem quemdam in amore naturali, parentum cordibus erga liberos inſito, exſtare voluit. Recte etiam hicce amor dicitur *beneuolentia*, itemque *clementia*, cum vtraque vox de amore ſuperiorum erga inferiores vſurpari ſoleat, quamuis poſterior relationem quamdam ad veniam, quae delictis conceditur, inferat. Amor erga aequales in eo locum non habet, cum nemo ei aequalis cenſeri queat. Quo ſenſu autem *amor amicitiae* illi tribuatur, ſupra iam ad *§. 35.* docuimus. Solent nonnulli amorem Dei in *amorem beneuolentiae*, quem & *antecedentem* vocant, ac *amorem amicitiae*, quem & *conſequentem* dicunt, diſpeſcere. Amor nimirum *beneuolentiae* ex horum mente eſt, quo Deus homines, vt reliquas res creatas, ſine vllo intuitu, num voluntati eius morem gerant, diligit; eoque amore ſe induci paſſus eſt, vt filium ſuum ad omnes homines ſeruandos mitteret, *Ioan. III, 16. 1. Ioan. IV, 9, 10.* Amor autem *amicitiae*, quo eos, qui voluntati diuinae, ſecundum ordinem a Deo praeſcriptum, morem gerunt, diligit; *Ioan. XIV, 21. XV, 14. &c.* Quae ſi ita capiantur, vt cum voluntate Dei antecedente & conſequente, de qua ſupra egimus, conueniant, admitti poſſunt.

** Immenſitatem hancce diuini amoris Paulus indicat, dum Deum precatur, vt Epheſii aliqua ſaltem ratione comprehendant eius τὸ πλάτος καὶ μῆκος, καὶ βάθος καὶ ὕψος, *Eph. III, 18.* De amore enim, quo Deus homines proſequitur, haec verba intelligenda eſſe, & res ipſa docet, & optimi ad *h. l.* interpretes oſtendunt.

*** In ſe itaque ſpectata gratia diuina, eſt ipſe amor Dei, a quo tantum certa relatione differt. Habet vox haec & alias ſignificationes, de quibus ad *l. 4. c. 1.* dicetur.

* Immo & idem amor, prout homines peccatores Deus tolerat, illisque tempus ad poenitentiam agendam concedit, ἀνοχή, *patientia*, prout poenas promeritas adhuc differt, μακροθυμία, *longanimitas* vocatur, *Rom. II, 4.* vbi & ὁ πλοῦτος τῆς χρηστότητος αὐτοῦ commemoratur; conf. & *2. Petr. III, 15.*

** Miſericordiam non inter virtutes, ſed inter vitia numerabant Stoici. *Miſericordia*, inquit SENECA, *eſt vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis, itaque peſſimo cuique eſt familiariſſima. Anus & mulierculae ſunt, quae lacrymis nocentiſſimorum mouentur, quae, ſi liceret, carcerem effringerent; de clementia, l. 2. c. 5. p. 477.* Nec aliter, ſecundum no-

tionem, quam ſibi de miſericordia mente formauerant, cenſere poterant. *Miſericordia*, inquit idem SENECA, *eſt aegritudo animi, ob alienarum miſeriarum ſpeciem: aut triſtitia ex alienis malis contracta, quae accidere immerentibus credit*; *l. c.* Nos vero, cum per miſericordiam Dei ipſum amorem intelligamus, intuitu miſeriae, qua homines circumſepti ſunt, prout ad iis opitulandum mouetur, vt adeo nullam aut animi aegritudinem, aut triſtitiam eidem tribuamus, recte non tantum inter virtutes eam referimus, ſed Deo vel maxime dignam cenſemus.

*** Cumprimis vero & improbos homines πλοῦτος ille τῆς χρηστότητος, καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας diuinae, ad poenitentiam permouere, & concitare debet; *Rom. II, 4.*

§. XL. Supereſt altera attributorum diuinorum claſſis, quae ex conceptu *independentiae* fluunt, Deumque ſupra omnes res creatas quam longiſſime poſitum, demonſtrant.* Rebus enim creatis hoc proprium eſt, quod certos eſſentiae ſuae, atque perfectionum terminos ſeu limites habeant; quibus cum Deus deſtituatur, *infinitus* recte dicitur; ** conf. & *pſalm. CXLV, 3.* it. *CXLVII, 5.* Et talem eum eſſe oportet, qui eſt independens. Id enim non tantum ratione cauſſae, ſed & ratione finium, ſeu limitum, quibus eſſentia aliqua circumſcribitur, eſt intelligendum, cum Deus ab his non magis quam ab illa dependeat. *** Infinitatis autem iſta conſideratio, quid homo ſibi tribuere debeat, ſi cum Deo comparetur, quam rectiſſime nos condocebit. *

* Repetenda hic, quae ſupra ad *§. 11.* huius capitis diximus.

** Loquimur hic de infinitate eſſentiae, ex qua infinitas etiam attributorum, ſeu perfectionum diuinarum, ſua ſponte fluit; quemadmodum, vice verſa, ex attributorum infinitate probatur, ipſam eſſentiam diuinam eſſe infinitam. Neque eo tantum ſenſu Deus infinitus eſt, quod nullos, quibus circumſcribatur, habeat terminos, ſed etiam, quod nullis terminis ſiue limitibus circumſcribi queat. Quod alii ita efferre ſolent, eum non tantum *priuatiue*, ſed & *negatiue* infinitum eſſe. Denique, non tantum ratione noſtri Deus infinitus eſt, eo quod eſſentiam, atque attributa eius mente noſtra comprehendere nequeamus, ſed quod reuera eſſentia eius, omnes omnino limites atque terminos reſpuat. Nonnulli enim ex iis, qui in Socini aut Arminii caſtris militant, cum Deum reuera infinitum eſſe admittere nolint, eum reſpectu noſtri ſaltem ita vocari contendunt. Atque huc etiam, ni fallor, redeunt, quae hac de re philoſophatur HOBBESIVS: *Et quamquam vox haec infinitum ſignificet conceptum animi, non tamen ſequitur, conceptum aliquem nobis eſſe rei infinitae: quando enim dicimus, aliquid eſſe infinitum, non aliquid in re ſignificamus, ſed impotentiam in animo noſtro, tamquam ſi diceremus, neſcire nos, an & vbi terminetur? de ciue, c. 15. §. 14. p. 115.* Verum, etſi rem infinitam plene concipere nequeamus, aliquid tamen de ea concipimus; & licet vox *infinitum* aliquid neget de Deo, ſimul tamen ſummam illi tribuit perfectionem, neque id ſignificat, neſcire nos, an & vbi terminetur? ſed potius, certo & clare nos ſcire, nullis eum, qua eſſentiam, qua reliquas perfectiones, circumſcribi poſſe limitibus.

*** Ita ergo cum ex independentiae notione fluat notio infinitatis, ſequitur, hanc illa non poſſe eſſe priorem. Multa hac de re

re ſcholaſtici doctores diſputant, quae tamen non magni ſunt momenti.

* Eleganter Eſaias vates. *Omnes gentes coram ipſo ſunt, quaſi ſitula ſtillae, & quaſi puluiſculus ſtaterae; ecce! inſulae quaſi puluis exiguus:* immo, *omnes gentes ſunt quaſi nihil coram eo, & minus quam nihilum & vacuum aeſtimatae ſunt ab eo; cap. XL, 15, 17.* Magna itaque etiam mortalium eſt ſtultitia, cum eſſentiam Dei infinitam ad finitum rationis ſuae exigere modulum non dubitant; conf. *Iob. XI, 7.*

§. XLI. Sequitur inde, quod Deus nullis quoque locorum terminis circumſcribi atque includi poſſit, adeoque ſit *immenſus,* ſeu ille, qui *caelum & terram implet, Ierem. XXIII, 24.* conf. & *Epheſ. I, 23.** Immenſitas autem haecce intuitu rerum creatarum, quibus Deus praeſens eſt, ſpectata, *omnipraeſentia* dicitur; ** *pſalm. CXXXIX, 7. ſeq.* Hanc vero ſi homines ſerio crederent, non tam audacter, praeſente Deo, eoque iuſtiſſimo ſcelerum vindice, ea aut dicerent, aut facerent, quae in viri cuiusdam honeſti conſpectu numquam dicturi aut facturi eſſent, conf. *Eccleſiaſtic. XXIII, 25. ſeq.*

* In ſenſu paullo ſtrictiori vocem hancce accipimus; ceteroquin enim immenſum idem eſſe poteſt, ac infinitum. Licet autem per negationem quamdam & hic aliquid a Deo remoueatur, locorum ſcilicet finis, ſeu terminus, id tamen ſimul, vt alia eiusdem generis attributa, ſummam eius perfectionem arguit. Hanc vero immenſitatem non tantum ratio ex ſumma eius perfectione colligit, ſed & ſcriptura, *locis* iam *citatis,* diſerte confirmat. Idque etiam ipſemet Deus nos condocet, quando *Eſ. LXVI, 1. caelum,* inquit, *eſt ſolium meum, terra ſcabellum pedum meorum.* Eumdem in modum & Salomoh: *caelum, & caeli caelorum, te non continent, 1. reg. VIII, 27.* conf. & *Iob. XI, 8, 9.* Sequitur ex iſta immenſitate Dei, eum quoque non eſſe in *loco,* ita quidem, vt eodem contineatur, etſi ibi ſit, vbi eſt locus. Hinc & nonnulli *illocalitatem* Deo tribuunt. Motus quoque, qui nihil aliud eſt, quam tranſitus de loco in locum, Deo proprie tribui nequit: vnde a quibusdam hoc cenſu *immobilis* dicitur. Haud equidem infrequens eſt in ſcriptura ſacra, vt Deus adſcendere & deſcendere, ad homines accedere, & ab iis recedere dicatur. Id tamen per ἀνθρωποπάθειαν quamdam fieri, manifeſtum, & aliis dudum obſeruatum eſt; conf. B. GLASSIVS noſter, *philol. ſacr. l. 5. tract. 1. c. 7.* Denique & hoc ex immenſitate Dei fluit, eum rebus creatis omnibus praeſentem eſſe; qua de re ſtatim plura dicemus. Id ſaltem adhuc ὡς ἐν παρόδῳ obſeruandum, cum magna inter philoſophos recentiores, num detur vacuum? orta eſſet contentio, aliis id adfirmantibus, negantibus aliis, & ab iis, qui illud adſerebant, quaereretur, quidnam itaque vacuum ſit, num ens, an non-ens; & ſi ens, num corpus, an ſpiritus? indeque vix ſe expedirent, parum abfuiſſe, quin nonnulli ineptam peripateticorum quorumdam impietatem calculo ſuo adprobarent, adſerentium, ſpatium nihil aliud eſſe, quam immenſitatem Dei; quam ſententiam merito, ceu plane abſonam, reiicit ANT. ARNALDVS, dum contra MALEBRANCHIVM diſputat, quem itidem hoc nomine reprehendit, quod Deo extenſionem formalem tribuat; conf. BAELIVS, *diction. hiſtorico-critic. voc. Leucippus pag. 1807. lit. G.*

** Nihil itaque aliud eſt omnipraeſentia Dei, quam ipſa eius immenſitas, cum relatione ad res creatas, quibus praeſens eſt.

eſt. Vnde ſequitur, ante mundum conditum, ſiue cum nulla res adhuc creata eſſet, Deum non potuiſſe actu omnipraeſentem vocari. Quam primum autem res creatae exſtiterunt, non potuit non, vi immenſitatis ſuae, qua omnia in omnibus implet, iis intime praeſens eſſe. Quod tamen ſine omni diuinae eſſentiae extenſione, multiplicatione, in certo loco incluſione, nec vllo alio modo, qui imperfectionem quamdam in Deo arguat, intelligendum eſt. Sunt equidem nonnulli, qui, Deum non tam eſſentia, quam potentia ac prouidentia vbique eſſe, contendunt; ſed recte hocce ipſemet redarguit LIMBORCHIVS, atque obſeruat, ſi de potentia atque ſcientia Dei hoc concedatur, de ipſa eius eſſentia negari non poſſe, cum ſcientia atque potentia neutiquam diuerſum quid ſit ab ipſa eſſentia, neque potentia Dei alicubi concipi poſſit, quin & ibi eſſentia Dei concipiatur; *theol. chriſt. l. 2. c. 6. §. 3. p. 58.* Nec ita, vt decet, de Deo aut loquuntur, aut cogitant, qui eum inſtar puncti vbique eſſe contendunt, aut per modum infinitae extenſionis. Vt enim, qui prius adſerunt, infinitis ſe ipſos inuoluunt difficultatibus, & ex ente omnium maximo rem omnium minimam faciunt, ita, qui poſterius Deo tribuunt, non poſſunt non quoque inſtar corporis illum concipere, quod rurſus plane eſt abſonum. Denique nec illi audiendi ſunt, qui Deum ſaltem ratione operationis ſuae praeſentem eſſe exiſtimant; cum hoc ipſo eum reuera ratione eſſentiae praeſentem eſſe negent, refellendi adeo per eas ipſas rationes, quibus immenſitas, atque adeo omnipraeſentia diuina adſtruitur. Rectius ſapiunt, qui rem ipſam equidem, ſeu, quod Deus immenſus ac omnipraeſens ſit, ceu poſitam extra omnem dubitationem tenent, etſi ratio modum omnipraeſentiae plane capere nequeat; quod & pluribus demonſtrat B. IO. GERHARDVS noſter, *loco de Deo*, §. *183*. Licet autem illorum neutiquam admittenda ſit ſententia, qui omnipraeſentiam diuinam tantum per operationem explicant; hoc tamen certum, in ſcriptura ſacra eam ita deſcribi, vt cum ipſa immenſitate, ſeu ipſius ſimul eſſentiae diuinae adeſſentia, operatio quaedam ſit concipienda. Hinc &, quando Deus in cordibus ſanctorum habitare, cum iis vniri, & ſpecialiori adeo ratione quadam ad eos accedere dicitur, vt *Ioan. XIV*, *23.* id non de noua eſſentiae diuinae acceſſione, aut adproximatione, vti loqui ſolent, cum iam ceteroquin Deus rebus creatis omnibus, adeoque piis pariter ac impiis hominibus, ſua eſſentia intime praeſens ſit; ſed de operationibus gratiae diuinae intelligendum eſſe, praeſtantiſſimi eccleſiae noſtrae theologi adſerunt. Nec diſſenſus hac in re vllus fuit, donec a. 1619. inter Tubingenſes atque Gieſſenſes theologos certamen aliquod oriretur, & ex horum numero FEVERBORNIVS, magni ceteroquin nominis theologus, ſuam de ſubſtantiae diuinae ad piorum animos adproximatione, ſententiam proferret, quam THEOD. THVMMIVS, theologus Tubingenſis, *ſubtilis nouitatis*, & *nouae ſubtilitatis* nomine perſtringere non dubitauit, in *ταπεινωσιγραφίᾳ ſacra*, *p. 180.* Gieſſenſibus tamen acceſſerunt theologi Saxonici, in *ſolida, verboque Dei, & libro concordiae chriſtianae congrua deciſione &c.* anno 1624. edita; cui, cum Tubingenſes theologi *amicam admonitionem* oppoſuiſſent, eamdem ſententiam ante memorati theologi denuo defenderunt, in *neceſſaria & ineuitabili apologia, ſeu adſertione deciſionis ſolidae &c.* quae anno 1625. lucem adſpexit publicam. Alii tamen in ſententia hactenus recepta perſtiterunt, quos inter & B. IO. GERHARDVS fuit; ſaltem illis, qui adproximationem quamdam diuinae eſſentiae ſtatuebant, calculum adiicere noluit. In locis nimirum theologicis, anno 1610. editis, diuerſos praeſentiae diuinae gradus ita expli-

Digitized by Google

explicat, vt non aliud inter eos, quam quod ex effectibus oritur, admittat diſcrimen; *loco de Deo, §. 219.* Hinc cum *exegeſin locorum*, poſt certamen hocce iam inchoatum, ederet, adlatis vtriusque partis rationibus, ipſemet nihil definiuit, ſed, modum omnipraeſentiae a ratione noſtra capi non poſſe, inculcauit. Inmo, in *harmonia euangeliſtarum part. 3. c. 176. p. 576.* verba *Ioan. XIV, 23.* ita explicat, vt aduentum patris & filii ad fideles peculiari effectuum demonſtratione fieri adſerat. Atque haecce B. GERHARDI reliqui etiam, qui eum exceperunt, in hacce academia, preſſerunt veſtigia: quod & praeter alios recentiori aetate fecit, qui cauſſam hancce ex inſtituto egit, IO. IAC. MVLLERVS, theologus quondam Auguſtanus, in tractatu *de vnione myſtica, ad normam ſcripturae ſacrae, & analogiam fidei exacta*, an. 1704. edito. Ad rem ipſam quod attinet, non deſunt vtrique parti rationes, quibus ſententiam ſuam probabilem reddant. Qui enim novam ipſius eſſentiae diuinae adproximationem defendunt, τῷ ῥητῷ ſcripturae ſacrae, cum Deus ad fideles *venire, accedere*, in illis *manere*, *habitare* dicitur, ſtricte inſiſtendum contendunt. Nec omnipraeſentiae diuinae rationem ſibi obſtare putant, quippe cuius modum ceteroquin nemo mortalium capere queat, vt adeo mirum non ſit, ſi iſta eſſentiae diuinae adproximatio ita com parata ſit, vt vim omnem humani intellectus quam longiſſime ſuperet. Contra, qui ſecus ſentiunt, illud maxime vrgent, quod omnipraeſentia, in ſe ſpectata, ipſa Dei ſit immenſitas, qua rebus creatis omnibus intime praeſens eſt. Quae quidem adeſſentia cum ita comparata ſit, vt non recipiat *magis* & *minus*, dici etiam non poſſe, quibusdam Dei eſſentiam propius adeſſe, quam aliis. Largiuntur lubentes, modum omnipraeſentiae diuinae a ratione capi non poſſe; ſed rurſus difficultates non ſine neceſſitate hic augendas, pertendunt; quod omnino illi faciunt, qui ipſius eſſentiae diuinae adproximationem ſtatuunt. Nec poſſe τὸ ῥητὸν in eiusmodi locis ſcripturae, vbi Deus *venire, accedere, &c.* dicitur, vrgeri: cum iſtae loquendi formulae proprie acceptae motum localem denotent, qui, vel iis ipſis, qui contrariam ſententiam defendunt, fatentibus, Deo proprie tribui nequeat. Si ergo improprie accipiendae ſunt, nihil vtique obſtare, quo minus de operationibus potius, & effectibus praeſentiae diuinae, quam eſſentiae ipſius adproximatione, intelligantur. Accedere etiam, quod veteres eccleſiae doctores, quando de diuerſis praeſentiae diuinae gradibus loquuntur, non aliter, quam per diuerſas Dei operationes eos explicent: quemadmodum nec verba Chriſti, *Ioan. XIV, 23.* aliter explicare ſoleant. Hae ſunt praecipue vtriusque partis rationes, quibus rite ponderatis, integrum omnibus erit, ſecum ſtatuere, cuinam accedere velint. Quae vero in adplicatione ad vnionem myſticam fidelium cum Chriſto, hic euitanda ſint extrema, indicaui in *inſtitut. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 4.* ad *§. 88.*

*** Atque hinc facile quilibet intelligere poteſt, num viua, an mortua ſit illa, quam de omnipraeſentia diuina habet, cognitio. Iſtudque ſi diligenter explorarent mortales, longe rectius agerent, quam quando curioſe nimis de modo omnipraeſentiae diuinae diſputant.

§. XLII. Ex eadem denique infinitate Dei qua eſſentiam, ſequitur & infinitas qua durationem, ſeu aeternitas. * Per hanc enim duratio Dei permanens, ſine principio & ſine fine, ſine omni ſucceſſione ac viciſſitudine, intelligitur. ** Eſt autem Deus ita aeternus, vt non tantum princi-

principium & finem non habeat, ſed nec habere poſſit. Namque & hoc imperfectionis eſſet argumentum, aeque ac, ſi ſucceſſio quaedam ac viciſſitudo in rei cuiusdam duratione deprehenditur. *** Idque & ſcriptura ſacra paſſim demonſtrat, * *pſ. CII, 28. XC. 2, 4. 1. Tim I, 17. apocal. I, 4, 8, 11, 17. XVI, 5.* Efficiet autem haec conſideratio, vt noſtrae & fragilitatis & imbecillitatis memores, *pſ. XC, 5, 6.* miſſis caducis & terreſtribus, caeleſtia & aeterna conſectemur, 1. *Cor. VII, 31.*

* Quidquid enim infinitum eſt ratione durationis, vt nec initium, nec finem habeat, immo habere nequeat, id quoque aeternum eſt. Accedit vero etiam, quod Deus ſit ſimpliciſſimus, adeoque & immutabilis. Hinc enim ſequitur, quod nulla ſucceſſio, aut viciſſitudo, in illo locum inveniat. Vox *aeternitas* interdum equidem pro duratione diuturna ſumitur, vt *Geneſ. XVII, 13.* & *Kohel. I, 3.* interdum etiam durationem denotat, quae initium equidem habet, ſed fine deſtituitur, vt cum beatorum vita *aeterna* dicitur: hic autem eiusmodi per eam intelligi durationem, quae initio pariter ac fine deſtituitur, omnisque mutationis ac viciſſitudinis expers eſt, res ipſa docet.

* Duo itaque ad aeternitatem, prouti Deo tribuitur, requiruntur: alterum, quod nec initium nec finem habeat, immo, habere nequeat; alterum, quod omnis ſucceſſionis, hinc & mutationis & viciſſitudinis ſit expers. Vtrumque indicare voluit, & paucis complexus eſt SEVERINVS BOETHIVS, quando aeternitatem definivit, quod ſit *interminabilis vitae tota ſimul & perfecta poſſeſſio; conſolat. philoſ. lib. 5. proſ. 6.* Interim non deſunt, qui exiſtimant, ſi aeterna Dei ita concipiatur duratio, vt eius ſummae perfectioni nihil inde decedat, aut accedat, nihil obſtare, quo minus ſucceſſio quaedam in ea admittatur, ſine qua nulla duratio intelligi queat. Legenda, quae hanc in rem diſſerit CLERICVS, in *ontologia, cap. 5. §. 4. ſeq. pag. 353. ſeq.* qui &, ſcholaſticos doctores ſententiam eam, quae nullam in Dei aeternitate ſucceſſionem admittit, a Platonicis accepiſſe, contendit. Certe, Platonicos ita de Deo, eiusque aeternitate philoſophatos, vt nullam in eo ſucceſſionem aut viciſſitudinem admitterent, ipſius PLATONIS, PROCLI, atque PLOTINI teſtimoniis comprobat PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. I. l. 3. c. 4. p. 138. ſeq.* Sapientiores itaque hi fuerunt, quam plurimi ex Socini & Arminii diſcipulis, qui ſucceſſionem quamdam in duratione Dei admittere non dubitant. Eximendus tamen quodammodo ex horum numero eſt LIMBORCHIVS, quippe qui libere fatetur, ſiue ſucceſſionem in aeternitate ſtatuamus, ſiue eam remoueamus, vtrimque varias & fere inexplicabiles occurrere difficultates. Si enim, vt idem auctor porro recte obſeruat, ſucceſſionem admittamus, vix euitari poteſt, quin primum aliquod in aeternitate momentum agnoſcere cogamur; quod eius notioni directe aduerſatur. Cur autem in ſucceſſione, ſi in aeternitate locum inueniat, ad primum tandem aliquod momentum deueniendum ſit, idem luculenter demonſtrat. Hinc vero cum etiam rationes, quae obſtant, quo minus aeternitatem ſine omni ſucceſſione concipere queamus, enarraſſet, tandem concludit: *modum durationis aeternae, temere & imperioſe non eſſe definiendum. Sufficiat*, ita porro pergit, *credere, Deum eſſe aeternum, illiusque durationis nec principium eſſe, nec finem. Vtrum illa duratio ſit fixa, an ſucceſſiua, quia ſcriptura non definit, nec nos definiamus; theol. chriſt. l. 2. c. 5. ſ. 3. ſeq.* Verum, vt recte omnino ſe habent, quae contra ſucceſſionem,

Digitized by Google

nem, in aeternitate non admittendam diſputat; ita, quae pro eadem in medium adfert, eo tandem redeunt, rationem noſtram durationem ſine omni ſucceſſione capere non poſſe. Praeſtat itaque, agnita rationis noſtrae imbecillitate, omnem ab aeternitate Dei remouere ſucceſſionem, quam ea admiſſa, ſimul aliquid, quod e diametro cum ſumma Numinis perfectione pugnat, admittere. Omnem autem dum ab aeternitate Dei remouemus ſucceſſionem, id de duratione Dei, in ſe ſpectata, intelligimus. Intuitu enim rerum creatarum ſi conſideretur, nihil obſtat, quo minus per voces, ſucceſſionem quamdam denotantes, deſcribatur; vt, cum *apoc. I, 4, 8. XI, 17. XVI, 5.* dicitur: *qui eſt, qui erat, qui futurus eſt*, h. e. aeternus. De ipſa porro eſſentia diuina pariter ac *actibus*, quos vocant, *immanentibus*, quod diximus, intelligendum eſt. Actiones enim externae, vt creatio mundi, quin incipere ac deſinere poſſint, adeoque ſucceſſionem quamdam admittant, nullum prorſus eſt dubium; conf. B. IO. GERHARDVS, *exegeſ. loc. 2. §. 147.* Aeternitatem vero illam Dei non tantum ratio euidenter docet, ſed & ſcriptura *locis* iam *citatis* confirmat. Et *pſalmo* quidem *CII, 28.* in oppoſitione ad caelum & terram, quorum, quantumuis magna eſt duratio, vt eis itidem aeternitas tribuatur, *Kohel. I, 4.* quia tamen tandem peritura ſunt, aeternus dicitur: *Tu idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Diſerte ita vocatur, *Rom. XVI, 26.* itemque *βασιλεὺς τῶν αἰώνων, rex ſaeculorum, 1. Tim. I, 17.* hoc eſt, qui ſaeculorum omnium interuallo capi, aut circumſcribi nequit; *Deus ſempiternus, qui neque deficiet, neque laborabit, Eſ. XL, 28.*

* Summa Numinis namque perfectio omnem circumſcriptionem, etiam ratione durationis, ita excludit, vt plane *ἀδύνατον* ſit, eum ſimul eſſe Deum, & tamen poſſe habere initium & finem. Solent ideo doctores ſcholaſtici diſcrimen conſtituere inter *eſſe aeternum* & *eſſe ab aeterno;* illud ſoli Deo conuenire, hoc autem etiam de rebus creatis dici poſſe; cum nihil obſtet, quo minus Deus ab aeterno aliquid, quod in perpetuum conſeruandum ſit, creauerit. Sed, vt illud quidem, quod de Deo dicunt, recte ſe habet, ita, quod de rebus creatis quae ab aeterno eſſe potuerint, adſerunt, manifeſtam inuoluit contradictionem. Si enim aliquid a Deo creatum eſt, initium habuit, adeoque ab aeterno eſſe non potuit. Non alium vero in finem iſta commenti ſunt, quam vt impium Ariſtotelis, de mundi aeternitate, dogma palliare aliqua ratione poſſent. Rectius potius alii, ex eo, quod ſolus Deus aeternus ſit, & praeter eum nihil aeternum eſſe poſſit, concludunt, materiam quoque, ex qua cuncta facta ſunt, non fuiſſe aeternam. Neque ita modo hoc intelligendum, quod initium habere potuerit, ſed &, quod initium habuerit. Etenim, ſi initium non haberet, ſequeretur, quod a Deo non eſſet creata, adeoque aliud quid praeter Deum, idque ab eo independens, ſemper exſtitiſſet, quod plane eſt abſonum. Conferenda, quae dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione,* ad *cap. 6. §. 2. p. 464. ſeq.*

§. XLIII. Quodſi attributa iſta, atque perfectiones Dei hactenus enumeratas, iunctim ſumamus, reſultat inde ſumma Dei *beatitudo*, ſeu perfecta omnium bonorum adfluentia, eaque perpetua, & omnium malorum carentia, cum iucundiſſimo ſui ipſius ſenſu. * Idque & ſummae eius, quam ratio quoque agnoſcit, perfectioni eſt conueniens, & ſcriptura diſerte confirmat, dum eum *beatum* vocat; ** *1. Tim. I, 11, VI, 15.* Reſultat hinc etiam ſumma eius *gloria* & maieſtas, quae eum rebus crea-

Digitized by Google

tis, iis maxime, quae ratione praeditae ſunt, ſumme venerabilem reddit; *** vnde & ὁ θεὸς τῆς δόξης, *Deus gloriae*, dicitur, *actor. VII, 2.* conf. *Matth. VI, 13. Eſ. VI, 3.* Quod cum generatim de omnibus attributis diuinis intelligendum ſit, ſpeciatim tamen in amore eius, ceteriſque virtutibus, ſeu attributis moralibus, illa eluceſcit. * *Exod. XXXIV, 6. 2. Cor. III, 18.*

* Eamdem beatitudinis notionem etiam philoſophi tradunt, quando, praeeunte TVLLIO, eam, *ſecretis malis omnibus, cumulatam bonorum complexionem*, vocant. Quae modo, vt decet, longe eminentiſſimo intelligenda ſunt, quando de Deo ſermo eſt. Conuenit equidem quodammodo beatitudo Dei cum ſumma eius perfectione, quippe quae itidem omnium attributorum diuinorum complexum denotat, vt ſupra ad §. 14. huius capitis obſeruauimus; ſed diſcrimen in eo intercedit, quod in beatitudine Dei iucundiſſimus etiam ille ſenſus, qui ex iſta tot bonorum perpetua poſſeſſione oritur, ſimul in cenſum veniat. Cum iſta autem Numinis ſumma beatitudine neutiquam prouida illa rerum omnium cura, quae ex bonitate & ſapientia eius fluit, pugnat; vt EPICVRVS cenſuit. Hic enim, vt recte docuit, Deum non poſſe non eſſe longe beatiſſimum, ita perperam ex eo concluſit, nulla eum rerum huius mundi cura tangi; eo quod negotia, & curae, & adfectus varii, qui ex rerum adminiſtratione oriuntur, cum vera beatitudine conſiſtere nequeant: οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ, καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ᾽ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεται. *Neque enim beatitati conueniunt negotia, & curae, & irae, & gratiae, ſed ob infirmitatem, ac timorem & indigentiam proximorum, iſta fiunt.* Ita ex mente EPICVRI pronuntiat DIOGENES LAERTIVS, *lib. 10. ſect. 77.* Prorſus vtique inepte. Etſi enim ab hominibus rerum quaedam adminiſtratio ſine labore, & ſubinde quadam animi perturbatione non ſuſcipiatur, non tamen inde ſequitur, de Deo idem dici poſſe, quippe a cuius voluntate omnia pendent, quiue cuncta, quae vult, ſolo nutu, ſine vlla moleſtia, aut animi perturbatione, efficere poteſt. Fallitur autem etiam in eo Epicurus, quod in otio, aut ignauia quadam ſummam felicitatem quaerat; quod recte ei exprobrat SENECA *de beneficiis, l. 4. c. 4.*

** Eodem etiam pertinet, quod nullius rei extra ſe indigere dicitur, *actor. XVII, 25.*

*** Ad hanc ergo gloriam, ſeu maieſtatem Numinis, ſi accedat relatio ad homines, vt intelligant, ſe in eo ſummam beatitudinem inuenire, ab eo ſolo etiam omnia, quae ſe beatos reddere queant, impetrare poſſe, oritur inde *religio*, ſeu inclinatio, ad Deum colendum, ſummaque veneratione proſequendum. Cumque Deum hoc velle facile intelligant, ſe ad hoc etiam obligatos eſſe, recte inde concludunt; qua de re & ſupra dictum ad *l. 1. c. 1. §. 1.*

* Atque hicce amor Dei ſummus, cum reliquis virtutibus, quas ex eo fluere, ad §. 34. obſeruauimus, cum in filio Dei, ſeruatore noſtro, vel maxime eluceſcat, nihil obſtat, quo minus ſpeciatim hoc intuitu eum ἀπαύγασμα τῆς δόξης πατρὸς, *Ebr. I, 3.* dici, exiſtimemus. Facile etiam intelligitur, aliter in regno naturae, aliter in regno gratiae, gloriam diuinam manifeſtari. In regno naturae, per opera creationis, ex quibus ſumma Numinis potentia, ſapientia, benignitas mortalibus innoteſcit. Eo modo gloria Dei celebratur, *Iob. XXXVII, XXXVIII, XXXIX.* In regno autem gratiae ea manifeſtatur per hominum redemtionem,

tionem, eorumdemque conuerſionem, illuminationem, iuſtificationem, ſanctificationem; quippe in quibus ſumma Dei benignitas, miſericordia, φιλανθρωπία, ſapientia, & iuſtitia conſpicitur. Huc reſpiciebant ſeraphim canentes: *cuius gloria plena eſt omnis terra; Eſ. VI,3.* item angeli, tempore natiuitatis Chriſti: δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, *Luc. II,14.* De eadem gloria & quae iam allegauimus loca, *Exod. XXXIV, 6.* & *2. Cor. III, 18.* loquuntur. Immo, hinc intelligitur, cur ſpiritus ſanctus τὸ τῆς δόξης, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα, *gloriae & Dei ſpiritus* dicatur, *1. Petr. IV, 14.*

§. XLIV. Quae de Deo, attributiſque diuinis diſſeruimus, ita comparata ſunt, vt & ratio ea doceat, & ſacra ſcriptura luculentius exponat atque confirmet. Haec autem, aliquid adhuc addit, quod rationi ignotum prorſus atque occultum eſt, * ens illud perfectiſſimum, quod Deum vocamus, eſſe patrem, filium atque ſpiritum ſanctum, eumque adeo, qui non adorat Deum, vt patrem, filium, atque ſpiritum ſanctum, non verum, ſed falſum adorare Deum, *Ioan. V, 23. 1. Ioan. II, 23. 1. Cor. XII, 3.*

* Fuerunt tamen, qui, ex ſola ratione, tres eſſe in diuinitate ὑποστάσεις, demonſtrari poſſe, exiſtimarunt; argumento praecipue a mente humana deſumto; in qua, cum praeter ipſam eſſentiam duae ſint facultates, intellectus & voluntas, quae modo longe eminentiori Deo conueniant, concludunt inde, ex mentis noſtrae conſideratione cognoſci poſſe, in Dei quoque eſſentia vna tres eſſe ὑποστάσεις. BARTH. KECKERMANNVM, hunc in modum rationes ſubducentem, paſſim refellunt noſtrates. Eadem tamen haud obſcure veſtigia premunt MORNAEVS, *de veritate chriſt. religion. c. 5.* RAYM. DE SABVNDE, *theol. nat. cap. 46.* & ex ſcholaſticorum ordine, RICH. A VICTORIA, *lib. 1. de trinit. cap. 4.* ipſeque doctor ſubtilis, ſubtilior omnino hac in re, quam decebat, IO. DVNS SCOTVS, *I. ſent. diſt. II, IX, X.* Immo, ex veteris eccleſiae doctoribus IO. DAMASCENVS, dum itidem argumentum a natura intellectus petitum, *lib. 1. de orthodoxa fide, c. 6. & 7.* adhibuit, exemplum reliquis, quod imitarentur, praeiuit. Verum, ſi vel maxime concederemus, imaginem quamdam trinitatis ex iſta mentis humanae conſideratione peti poſſe, quo ſenſu capienda ſunt, quae AVGVSTINVS, *lib. 14. de trinit. c. 8.* aliique, hac de re diſſerunt, quos ideo minus recte in illorum retuleris numerum, qui myſterium trinitatis ex ſola ratione, aut innoteſcere, aut probari poſſe, contendunt; non tamen video, quo iure inde concludatur, in eſſentia diuina eodem modo ſe rem habere, ac in mente humana. Multo minus adhuc fas erit, ab humanis ad diuina ita argumentari, vt ex facultatibus mentis, ſtatim ὑποστάσεις ſeu perſonas faciamus. Eſto, ſint in Deo eminentiori modo, quae in mente noſtra deprehendimus, num inde ſequitur, ergo in Deo ſunt certae perſonae ſeu hypoſtaſes? Immo, cum ſola ratio non aliter cogitare queat, quam, ipſam eſſentiam multiplicari, vbi perſonarum pluralitas datur, quouis modo hoc declinabit, tantum abeſt, vt in eo perfectionem & praeſtantiam Numinis agnoſcat. Accedit, quod minus recte imaginem trinitatis in mente humana quaeras, ſi tria iſta, mentem ipſam, intellectum, & voluntatem, huc aduoces. Mens enim ipſa, ſeu eſſentia mentis, non magis pro peculiari facultate haberi poteſt, quam ipſa eſſentia diuina pro perſona: adeoque, ſi argumentatio iſta procederet, duas ſaltem in eſſentia di-

Digitized by Google

vina eſſe perſonas, ſequeretur, aut, ſi eſſentia peculiarem perſonam conſtituat, omnino quatuor; cum nulla ratio ſit, cur non minus a patre, quam filio & ſpiritu ſancto, eum in modum eſſentia diuina ſit diſtinguenda. Id vero haud dubio perſpexerunt, qui, vt trinitatis quamdam imaginem in mente humana inuenirent, tres illi tribuerunt facultates, *memoriam, intelligentiam,* & *amorem.* Ita AVGVSTINVS, *lib. 14. de trinit. c. 8.* Pari ratione & POIRET, tres mentis facultates, ſed paullo aliter, ſtatuit, potentiam immenſam lumen recipiendi, deſiderium immenſum, & adquieſcentiam immenſam; *de eruditione ſolida, ſuperficiaria, & falſa, lib. 1. part. 1. §. 4. p. 9.* Qua quidem ratione felicius, quam alii, hinc ſe expediret, ſi modo omnibus ternarium huncce facultatum mentis numerum perſuadere, aut rationes praegnantes adferre poſſet, cur pro voluntate duas facultates, deſiderium atque adquieſcentiam, quae tamen in voluntate continentur, menti humanae adſignaret. Paullo aliter etiam incedit, in *cogitationibus rationalib. de Deo, anima, & malo, lib. 3. c. 8. p. 317. ſeq.* vbi ex inſtituto, & methodo quidem, vt putat, geometrica, trinitatem perſonarum ex ratione demonſtrare conatur. Primo namque, quando naturam Dei, ſine intuitu rerum creatarum conſiderat, tria in ea ſe inuenire ſibi videtur: *eſſe primum; eſſe primi repraeſentationem, imaginem, ideam, quae ipſum eſſe eſt; eſſe primi in eius ſui imagine gaudium & adquieſcentiam.* Deinde & in operibus diuinis, maxime in anima humana, notas & imagines naturales, a Deo iis impreſſas, exſiſtere contendit, ex quibus idem demonſtrari queat. Tria nimirum in anima hominis deprehendi: I) *cogitationem, vitam, ſiue mentem ipſam,* II) *eius ſimilitudinem, ideam, imaginem, veritatem, intimam productionem, & veluti filium internum,* III) *denique, adquieſcentiam, laetitiam &c.* Atque hinc iterum diuinae trinitatis relucere imaginem exiſtimat; *l. c. p. 330.* Quemadmodum vero ex iſto auctorum, imaginem trinitatis non eodem modo in anima hominis quaerentium, diſſenſu haud obſcure liquet, quam incerta & lubrica ſint, quae hac de re dicunt; ita ſemper eodem res redit, an ex hominum mente, eiusque facultatibus, argumentum capere liceat, quo probetur, rem eodem modo ſe habere in Deo, ita quidem, vt facultates in perſonas etiam mutentur. Dixiſſe equidem aliquid ſibi videtur Poiretus, quando ceu cuictum adſumit, in homine imaginem Dei elucеſcere, & talem quidem, quae ipſam naturam Dei exhibeat. Praeterquam vero, quod ratio nihil omnino de imagine Dei, ad quam homo conditus ſit, certo cognoſcat; ea, quae ſcriptura hac de re docet, oſtendunt, per eam virtutes diuinas, ſapientiam, iuſtitiam, ſanctitatem intelligi, non autem ipſam naturam Dei, prout vnus eſt in eſſentia, trinus in perſonis. Praeterea, ſi iſtam Dei naturam in ſe conſideramus, varias equidem in ea relationes excogitare omnibus pronum eſt: iſtae vero, quod ad numerum ternarium reſtringendae ſint, nulla ratione probari poteſt, multo autem adhuc minus, quod pro perſonis ſint habendae. Quinimmo, ſi paullo adcuratius expendantur, quae auctores, qui ex ratione cuncta hic probare volunt, hac de re philoſophantur, facile deprehendemus, ea ita comparata eſſe, vt virtutes ſaltem, aut modos, vel facultates, non autem perſonas in diuina eſſentia ſtatuant. Multa equidem ipſemet POIRETVS de voce *perſona* diſputat, eamque in ea, quam ipſe illi tribuit, notione, admitti poſſe contendit; ſed tamen ſimul concedit, poſſe etiam dici, in Deo eſſe tres *relationes, habitus, reſpectus, qualitates, potentias, facultates &c.* Quae ab errore iſto, quem in Sabellio vetus eccleſia damnauit, non procul ſunt remota: qua de re in ſequentibus plura. Rectius itaque ſapiunt,

piunt, qui, agnita rationis humanae imbecillitate, hancce, de perſonarum in vna eſſentia diuina trinitate, doctrinam inter myſteria referunt, quae *caro* & *ſanguis*, hoc eſt, ratio, *non reuelat, ſed tantum pater, qui eſt in caelis, Matth. XVI, 17.* & ipſe *filius, Matth. XI, 27.* quiue agnoſcunt, & hic locum habere illud apoſtoli: *nemo ſcit, quae in Deo ſunt, niſi ſpiritus Dei, 1. Cor. II, 11.* Quando autem hancce doctrinam pro myſterio habemus, adeoque hoc ipſo fatemur, eam ſupra rationem eſſe, inde non ſequitur, eam contra rationem eſſe. Hoc quidem trinitatis hoſtes, Sociniani cumprimis, adſerunt, quorum veſtigiis & BAELIVS inſiſtit, quando abbatem quendam ſcepticum introducit, ex hocce myſterio euidentiſſima rationis principia impugnantem, quamuis reuera id agat, vt rationis principia euidentiſſima, cumprimis illud: *ea, quae ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe*, doctrinae huic repugnare oſtendat; *diction. hiſtorico - crit. tom. III. voc. Pyrrhon, not. B. p. 2431.* Verum, ſi modo principia iſta rationis recte intelligantur, nec vltra, quam par eſt, extendantur, nulla hic datur pugna; quod iam ſaepius, & quidem luculentiſſime, noſtrates demonſtrarunt. Sic verum quidem eſt: *ea, quae ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe*, ſed intuitu iſtius tertii, ad quod ſe referunt. Atque ita nihil inde, quod dogmati de trinitate perſonarum in vna eſſentia diuina repugnet, concludi poteſt.

§. XLV. Cumque myſterium hocce ad fundamentum religionis reuelatae ſpectet, ſine quo & foedus gratiae, per quod tantum hominibus poſt lapſum via ad ſalutem patet, ſibi non conſtat: * in veteri quoque teſtamento id minime ignotum fuiſſe, vt credamus, par eſt: quod & dicta varia ſcripturae ſacrae, formulaeque loquendi, in libris veteris teſtamenti frequenter occurrentes, aliaque argumenta, luculenter teſtantur. **

* Cum vna, eademque ſit ratio perueniendi ad ſalutem in veteri pariter ac nouo teſtamento, *act. XV, 11.* & quidem tantum per meritum Chriſti, *act. IV, 12.* veteris quoque teſtamenti fidelibus non minus, quam noui, ea cognita fuiſſe oportet, quae ad ſalutem eo modo impetrandam ſunt neceſſaria, ſeu ad fundamentum fidei pertinent. Huc autem cum citra controuerſiam referenda ſit notitia ſeruatoris, ſeu ſponſoris θεανθρώπου, hanc vero nemo ſibi tribuere queat, niſi de trinitate perſonarum in vna eſſentia diuina illi aliquid innotuerit, ſequitur, fideles veteris teſtamenti non omni myſterii huius notitia fuiſſe deſtitutos. Repetenda, quae de dogmatibus, ad fundamentum fidei pertinentibus, diſputauimus, ad *lib. I. cap. I. §. 30, & 31.* De vocibus, ſeu terminis, nobis nunc ſermo non eſt, ſed de re ipſa: quae veteris teſtamenti fidelibus ignota eſſe non potuit, niſi plane aliam rationem perueniendi ad ſalutem illis tribuere velimus.

** Non vno argumentorum genere probari poteſt, perſonarum trinitatem in ſacri codicis libris, ad vetus teſtamentum ſpectantibus, inſinuari. Vt vero ordine procedamus, primo quidem generatim pluralitatem perſonarum, deinde ſpeciatim trinitatem, in iis haud obſcure deprehendi oſtendemus. Et ad pluralitatem quidem quod attinet, nomina ipſa, in multitudinis numero de Deo adhibita, formulaeque loquendi, eumdem numerum ſignificantes, eam aperte demonſtrant. Inter nomina eminet vox אלהים, quam non terminatione ſaltem, ſed ipſa ſignificatione pluralis numeri eſſe, ſupra iam ad *§. 3.* huius capitis euicimus luculenter, quae adeo hic repetere, ſuperuacaneum foret.

Digitized by Google

De voce אדני & אדנים ibidem dictum. Eo minus autem hac de re dubitandum, quod haud raro etiam nomina adiectiua in multitudinis numero cum voce אלהים iungantur. Sic אלהים חיים *elohim viuentes* memorantur, *Deut. V*, *23. 1. Sam. XVII, 26, 36. Ier. X, 10, XXIII, 36.* אלהים קדושים *elohim ſancti, Ioſ. XXIV, 19.* Eoque & pertinet, quod *Dan. VII, 25, 27.* ſancti dicantur קדישי עליונין *ſancti altiſſimorum* i. e. altiſſimi. Loquendi inſuper formulae, ſeu, quando cum voce אלהים verba pluralis numeri coniunguntur, idem quam euidentiſſime comprobant. Sic Abrahamus dicit: התעו אותי אלהים, *errare me fecerunt elohim de domo patris mei, Gen. XX, 13.* De adparitione Iacobo facta verba faciens Moſes, *aedificauit*, inquit, *Iacob ibi altare, & vocauit locum El Bethel, quia ibi* נגלו אליו אלהים *adparuerunt ipſi elohim; Gen. XXXIV, 7.* Pari ratione & Dauid, de redemtione populi Iſraelitici ſermonem inſtituens; *propter quem* (populum Iſrael) הלכו אלהים *iuerunt elohim, ad redimendum ſibi, 2. Sam. VII, 23.* Immo & ſubinde Deus de ſe ipſo in plurali numero loquitur, ita quidem, vt, quin perſonarum quaedam innuatur pluralitas, nulla ratione dubitare liceat. Illuſtris cumprimis, digniſſimusque, qui hic commemoretur, locus eſt *Gen. I, 29.* vbi Moſes refert: *Et dixit elohim*, נעשה אדם, *faciamus hominem ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram.* Triplex enim hic occurrit pluralis numerus, vnus in verbo, & bini in pronomine adfixo. Quod profecto aliter intelligi nequit, quam, inter ipſas ſacrae trinitatis perſonas quamdam de creando homine inſtitutam fuiſſe conſultationem. Mirificeque id inde porro confirmatur, quo & alibi in ſacris litteris plures, qui nos fecerint, ſeu creauerint, deſignentur: *non dicit, vbi eſt* עשי *factores mei, Iob. XXXV, 10.* item; *laetetur Iſrael* בעשיו *in factoribus ſuis, pſalm. CXLIX, 2.* porro: עשיך *factores tui maritus tuus, dominus Zebaoth nomen eius eſt, Eſ. LIV, 5.* rurſus: *memento* בוראיך *creatorum tuorum, Kohel. XII, 1.* In omnem equidem hic ſe partem vertunt, qui ſe hocce telo premi ſentiunt, Iudaei pariter, ac Socini adſeclae: quorum diuerſas interpretationes ita refert RICH. SIMON, vt haud obſcure illorum reliquis praeferat, qui Deum hoc loco, vt & alibi, in ſcriptura ſacra, more principum ac magiſtratuum, in multitudinis numero de ſe loqui, contendunt; *hiſt. crit. vet. teſtam. l. 3. c. 3. p. 367.* Idem & obſeruat, iam THEODORETI aeuo fuiſſe, qui hanc interpretationem ſequerentur, quae & hodie pleriſque Iudaeorum, vt & quibusdam chriſtianorum, ſeſe probet. Et recte quidem docet, iam THEODORETI aetate exſtitiſſe, qui haec verba ita caperent: quippe quos etiam THEODORETVS ſolide refutauit. Non ſine ratione enim animaduertit, ſi Deus propter auctoritatem aut maieſtatem de ſe in plurali numero loqueretur, neceſſe eſſe, eum ita loqui vel ſemper, vel vtplurimum, praeſertim, cum legem daret in monte Sinai; *quaeſt. 19. in geneſ. tom. I. oper. p. m. 15.* Nec ex aliarum linguarum, in quibus interdum ſimile quid deprehenditur, conſuetudine probari poteſt, in ebraea etiam idem obtinere. Poſſe enim in quibusdam linguis loquendi formulas adhiberi, a quibus aliae prorſus abhorreant, notiſſimum eſt. Nec vllo idoneo exemplo euinci poteſt, apud Ebraeos aliquem de ſe ſolo in multitudinis numero loqui. In locis enim, quae vulgo proferri ſolent, *1. reg. XII, 9. & XXII, 3.* conſiliarii & ſerui regum includuntur. Immo, cum variae exſtent in ſacro codice conſultationes, colloquia, reſcripta, mandata Dei, regum, atque principum, Ebraeorum, Chaldaeorum, Perſarum, in quibus eiusmodi quid deprehendere non licet, recte inde concluditur, iſtam loquendi rationem, qua quis honoris cauſſa de ſe in plurali numero loquitur,

Digitized by Google

loquitur, a genio atque indole linguae ebraeae prorſus abhorrere. Vnde & ex ipſis Ebraeis R. ABEN ESRA, cum intelligeret, ex lingua ebraea ſe probare non poſſe, honoris cauſſa in multitudinis numero aliquem de ſe loqui, ad arabicam ſe recepit. Quo ipſo, licet nihil plane euincat, reliquis tamen ſe cautiorem eſſe demonſtrauit, vt recte iudicat B. SEB. SCHMIDIVS, in *faſcic. diſput. theologico-philol. diſp. I. p. 28.* Nec vnicum ſaltem in ſcriptura ſacra hocce exſtat exemplum, quo Deus de ſe in plurali numero loquutus eſt. Non minus enim illuſtre illud eſt, quod *Gen. III, 22.* legitur: *Ecce! Adam factus eſt ſicut vnus* ממנו *ex nobis.* Hisce quippe verbis pluralitatem perſonarum innui, ne ipſi quidem illi, quibuscum hic nobis res eſt, negare audent. Hinc eo tandem ſe recipiunt, vt Deum ſui pariter ac angelorum reſpectu ita loqui contendant. Atque hisce etiam CLERICVS, in *not. ad h. l.* ſuffragatur: qui &, cum videat, referre ſe haec verba ad *verſ. 5.* vbi ſerpens ſeductor ad primos parentes dicit, *& eritis ſicut* אלהים *elohim*, ibi itidem vocem hancce de angelis explicare non dubitat. Verum ſi ſeductor ille antiquus nihil aliud, quam cognitionem, aut ſapientiam angelicam primis parentibus propoſuiſſet, nihil adeo eximii promiſiſſet, nec tam facile fine ſuo, qui erat, ingeneris cuiusdam boni pollicitatione homines in ſummam miſeriam coniicere, potitus eſſet. Et licet angelica cognitio ac ſapientia, intuitu hominum poſt lapſum, eximia cenſeri queat, non tamen eodem loco haberi poterat, intuitu hominum ante lapſum, & ad Dei imaginem conditorum. Quare locus ille, ad quem prouocat, *2. Sam. XIV, 14.* & *20.* parum huc facit. Quin immo, cum ille *verſum 22.* ex *verſ. 5.* explicare velit, nobis rem inuertere liceat. Cumque Deo plane indignum ſit, angelos in maieſtatis ſuae conſortium arceſſere, & de iis, ac ſi vnius ordinis eſſent, ita loqui: *vnus ex nobis;* recte inde colligimus, nec *verſ. 5.* per אלהים angelos, ſed vnicum illum, verumque atque ſupremum Deum intelligi. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Vt reliqua vnico complectamur faſce, *Gen. XI, 7.* haec exſtant verba: *Dixit Iehouah, agite* נרדה ונבלה, *deſcendamus*, & *confundamus ibi labia eorum.* Is ipſe, qui eſt Iehoua, in plurali numero ita de ſe loquitur. Sic & *Eſ. VI, 8.* Idem verus atque ſummus Deus dicit: *quem mittam, & quis ibit* לנו *nobis.* Itemque *Eſ. XLI, 21. ſeq.* ita pronuntiat: *Accidant, & nuntient* לנו *nobis, quaecumque ventura ſunt, adnuntiate,* ונשימה לבנו, *& ponemus cor noſtrum,* ונדעה *& ſciemus nouiſſima eorum, haec, quae ventura ſunt,* השמיענו *facite nos audire* &c. Mitto reliqua, quae eiusdem generis ſunt, & ab aliis addi ſolent.

Confirmari vero noſtra inde ſententia poteſt, quod ſubinde Deus a Deo, dominus a domino diſtinguatur, itemque Deus & Deus, dominus & dominus, ceu diſtinctae perſonae introducantur. Huc cumprimis illud, quod *Geneſ. XIX, 24.* dicitur, pertinet: *pluit* יהוה *dominus* מאת יהוה *a domino.* Diſerte namque hic יהוה pluens, diſtinguitur a יהוה, a quo pluit. Quod non aliter intelligi poteſt, quam יהוה, qui deſcendere pluuiam fecit, fuiſſe vnum ex angelis, qui Abrahamo adparuerunt, angelum ſcilicet illum increatum, ſeu ipſum Dei filium, cui iudicandi homines facultatem a Deo commiſſam, ſuo loco docebimus; eum vero, a quo pluuiam deſcendere fecit, fuiſſe itidem יהוה, patrem ſcilicet. Qui enim ſenſum verborum iſtorum eſſe volunt: *pluit a ſe ipſo dominus;* aut: *demiſit pluuiam copioſiſſimam,* idoneas ſuae interpretationis rationes adferre nequeunt. Ecquid enim hoc ſibi vult? dominum deſcendere feciſſe pluuiam a ſe ipſo. Vocem autem יהוה in tali conſtructione nihil aliud ſibi velle, quam vt ſignificationem intendat, nullo exem-

plo

Digitized by Google

plo comprobari poteſt. Eo minus autem de noſtrae interpretationis veritate dubitandum, quod vnus ex angelis, qui Abrahamo adparuerunt, conſtanter יהוה dicatur, *v. 13, 17, 20.* &c. taliaque ei opera tribuantur, quae non niſi vero Deo conveniunt. Isque, cum ceu legatus a mittente diſtinguatur, ſimulque ita ſe gerat, vt iudicium in Sodomitas & Gomorrhenſes eum exercuiſſe haud obſcurum ſit, nullum plane eſt dubium, quin Moſes eumdem per *dominum* iſtum deſignare voluerit, qui *a domino pluiſſe* dicitur. Diſſerui hac de re copioſius in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. I. ſect. 3. §. 17. p. 377.* Similia & alibi paſſim occurrunt; vt, cum angelus Iehouah, qui Moſi in rubo ardente adparuit, a Iehovah, cuius angelus ille erat, diſtinguitur, *Exod. III, 2, 6.* item, cum Iehouah de Iehouah dicit, quod ſit daturus gratiam populo in oculis Aegyptiorum, *Exod. XI, 3.* porro, cum angelus, in cuius medio eſt nomen Iehouah, diſtinguitur a Iehouah, *cap. XXIII, 20*, cum Iehouah ad Moſen dicit: *faciam tranſire omne bonum meum coram te, & vocabo in nomine Iehouah coram te; Exod. XXXIII, 11* Rurſus: *deſcendit Iehouah in nube, & ſtetit ibi cum Moſe, & vocauit in nomine Iehovah*, vel, *praedicauit de nomine Iehovah, c. XXXIV, 5;* & iterum: *tranſiuit Iehovah ante eum, & clamauit: Dominus dominus, Deus miſericors &c. v. 6;* vbi quidem Iehouah, qui praedicauit de nomine Iehouah, diſerte diſtinguitur a Iehouah, de cuius nomine praedicauit. Eiusdem generis longe adhuc plura ex libris hiſtoricis etiam atque propheticis proferri poſſent; at iuuabit potius, paucis adhuc oſtendere, quo pacto non tantum voces, loquendique formulae, vt hactenus probauimus, perſonarum pluralitatem indicent, ſed & res ipſa aperte ſatis in veteris teſtamenti libris tradatur. Id enimuero vel inde patet, quod plures omnino vt verus Deus deſcribantur, ita quidem, vt non tantum nomina, ſpeciatim nomen יהוה, quod ſoli vero Deo convenit, ſed attributa quoque diuina, pariter ac cultus religioſus, qui ſoli Deo debetur, illis tribuantur. Teſtimonia ſcripturae, quibus hoc probari queat, deinceps adferemus, cum trinitatem perſonarum, itemque filii pariter ac ſpiritus ſancti diuinitatem demonſtrabimus. Pertinent vero huc cumprimis & ea loca, in quibus angelus domini introducitur, qui ſit ipſe dominus, vt *Exod. III, 2. ſeq. XXIII, 20.* item, cum mittentis & miſſi ſit mentio, qui vterque ſit Deus, vt *Eſ. XLVIII, 16. Zach. II, 8.* conf. & *Ierem. XXIII, 6.*

Atque ita quidem cum luculenter, ni fallor, conſtet, pluralitatem perſonarum ex veteris teſtamenti libris probari poſſe, adeoque fidelibus, qui eo tempore vixerunt, illam non fuiſſe ignotam; ſupereſt, vt oſtendamus, ex iisdem veteris teſtamenti libris conſtare, non plures, nec pauciores perſonas eſſe, quam tres. Id enimuero haud obſcure colligitur ex ipſo opere creationis. Hoc enim, cum diuinam prorſus potentiam arguat, non poſſunt non diuinae quoque eſſentiae participes cenſeri, qui ad illud concurrunt. Res ipſa autem ex *Gen. I, 1. 2.* haud difficulter colligitur, ſi ſimul conferatur *pſ. XXXIII, 6*, vbi dicitur: *verbo domini caeli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Per *dominum* enim Deum patrem intelligi, nemo forte abnuet. Per *verbum* autem non προφορικὸν λόγον, ſeu ὑποστατικὸν hic ſignificari, non dubitabit, qui ſecum cogitat, familiarem admodum fuiſſe Ebraeis iſtum loquendi modum, vti vel ex chaldaeo paraphraſte, itemque Ioanne euangeliſta *c. I, 1. 2.* conſtat. Hunc enim aliunde, quam ab Ebraeis, eum loquendi morem accepiſſe, ab omni ſpecie veri prorſus abhorret. Accedit, quod idem verbum ſub *ſapientiae* nomine deſcribatur, *prouerb. VIII, 22. ſq.* ea quidem ratione, vt ceu ὑπόστασις diſerte exhibeatur. Hinc & *v. 30.* אמון *artifex*

artifex, ſolide & cum fundamento aliquid producens, vocatur. Pari ratione & vox *ſpiritus* in recepta ſua ſignificatione ὑποϛατικόν τι denotat; a qua cur hic diſcedendum ſit, nulla plane nos cogit neceſſitas. Atque haec ſi probe ponderentur, tum demum intelligetur, quid Moſes ſibi velit, quando & *ſpiritus* & *verbi* in mundi creatione mentionem facit. Sed hinc etiam innoteſcit, cur ſcriptura ſacra, de creatione mundi verba faciens, ſubinde *factores* in multitudinis numero commemoret. Loca antea iam indicauimus, cum verba Moſis, *Gen. I, 26.* explicaremus. Rurſus tamen ex iisdem locis, cum *Gen. I, 1.* & *pſ. XXXIII, 6.* collatis, eluceſcit, quae de verbo, & ſpiritu oris domini ibi dicuntur, non poſſe non ὑποϛατικῶς accipi. Addunt nonnulli & illud Iobi oraculum: *ſpiritus domini fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me; cap. XXXIII, 4.* Per שדי *omnipotentem* enim filium Dei intelligi poſſe, qui ſit *virtus Dei, 1. Cor. I, 24.* cuius ſpiraculum etiam ſit ſpiritus ſanctus, *Eſ. XI, 4.* conf. *Ioan. XX, 22. Gal. IV, 6.* Vt autem in opere creationis, ita non minus in eductione gentis Iſraeliticae ex Aegypto, quae diuinam itidem potentiam atque virtutem arguit, trium perſonarum, in vna eſſentia diuina myſterium, nobis reuelatum fuit. Plurium certe perſonarum hac in re diſerte mentionem fieri, ſupra iam ex *2. Sam. VII, 23.* obſeruauimus. Et de patre quidem, cum nulla ſit dubitatio, angelum ſaltem illum, qui Moſi in rubo ardente adparuit, ſeque Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi eſſe profeſſus eſt, *Exod. III, 2. 6.* qui in columna nubis & ignis populo Iſraelitico praeceſſit, *Ex. XIV, 14. 24.* in cuius medio etiam eſt nomen Iehouah, *Ex. XXIII, 20, 21.* angelus, inquam, ille alius profecto eſſe nequit, quam filius Dei, de quo & Paulus diſerte teſtatur, quod Iſraelitas in deſerto comitatus ſit, *1. Cor. X, 4, 9.* idque non tantum confirmat Eſaias vates, ſed ſimul ſpiritui quoque ſancto ſuas in hocce opere partes fuiſſe, nos condocet. *Angelus*, inquit *faciei eius ſeruauit eos, in dilectione ſua, & indulgentia ſua* הוא גאלם, *ipſe redemit eos, & portauit eos, & leuauit eos cunctis diebus ſaeculi; ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & adflixerunt* את־רוח קדשו *ſpiritum ſanctitatis eius, & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos, &c. LXIII, 8, 9.* Quae de angelo pariter ac ſpiritu ſancto hic adſerit, de illo quidem, quod ſaluauerit, redemerit, portauerit Iſraelitas, de hoc autem, quod irritatus ab iis, atque ad iram prouocatus ſit, non aliter, quam de perſonis, quarum quaelibet itidem verus Deus ſit, intelligi poſſunt. Certe, qui tentatus ab Iſraelitis & exacerbatus eſt, verus Deus eſt, *Num. XIV, 11. pſal. LXXVIII, 17, 40.* Id autem hic de ſpiritu ſancto & iisdem verbis, quae *pſal. LXXVIII, 40.* extant, adſeritur: conf. & *actor. VII, 51.* Succedat porro Meſſiae miſſio, quae itidem ea ratione deſcribitur, vt trinitatis perſonarum luculentiſſima veſtigia adpareant. Illuſtre cumprimis eſt illud Eſaiae teſtimonium, *c. XLVIII, 16: Nunc dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius.* Is, qui ſe a domino Deo miſſum profitetur, eſt ipſe Meſſias, vti ex antecedentibus liquet, qui & *v. 12.* & *13.* de ſe non aliter, ac de ſummo, veroque Deo loquitur. Hunc vero cum non tantum dominus Deus, hoc eſt, pater, ſed & ſpiritus ſanctus miſiſſe dicatur, hunc pariter ac illum ὑπόϛασιν quamdam eſſe oportet; ceteroquin enim mittere Meſſiam non potuiſſet. Quoniam vero Meſſias, vti diximus, in eodem loco vt verus Deus deſcribitur, ſpiritum ſanctum quoque verum Deum eſſe ſequitur. Solius enim Dei eſt, eum, qui Deus verus eſt, mittere. Sunt itaque tres ὑποϛάσεις: pater, qui mittit, ſpiritus ſanctus, qui itidem mittit, & Meſſias, isque verus Deus, qui a patre & ſpiritu ſancto mittitur. Eiusdem generis & illud eſt, quod *c. LXI, 1.* legitur: *Spiritus domini eſt ſuper me, eo quod vnxerit me dominus, ad adnuntiandum manſuetis*

miſit me &c. Ita rurſus ille ipſe Meſſias loquitur, qui ſe verum Deum eſſe *v. 8.* profitetur: *Ego dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam.* Per *ſpiritum domini,* ſpiritum ſanctum ſignificat, quo vnctus dicitur, hoc eſt, donis egregiis & praeſtantiſſimis, qua humanam naturam, inſtructus; *pſ. XLV, 8.* Vngi autem, doniſque eiuſmodi diuinis inſtrui non potuit, niſi ab eo, qui itidem verus Deus eſſet; conf. *Luc. IV, 18.* Pari ratione ex *Eſ. XLII, 2. ſq. c. XI, 1.* ſimilibuſque locis idem comprobari poſſet, ſi omnia congerere animus eſſet. Vt autem in miſſione filii patris & ſpiritus ſancti fit mentio, ita non minus in miſſione ſpiritus ſancti, quando fidelibus noui teſtamenti promittitur, pater pariter ac filius commemoratur, *Zach. XII, 10. Ioel. III, 1. pſal. LXVIII, 10, 29. Eſ. XLIV, 3. &c.* Haec vero omnia qui paullo adcuratius, ac mente praeiudicatarum opinionum experte, conſiderauerit, facile etiam intelliget, trinam iſtam nominis יהוה in benedictione ſollemni, populo Iſraelitico impertienda, *Num. VI, 24. ſq.* repetitionem myſterio non carere. Intelliget etiam, non ſine ratione factum, vt in ſingulari iſta diuinae maieſtatis manifeſtatione, quae Eſaiae obtigit, ſeraphim tribus vicibus illud: *ſanctus,* ingeminarent, *Eſ. VI, 3.* Immo, ad vltimum huncce quod attinet locum, eo minus hac de re dubitandum, quod gloria iſta, cuius omnis terra plena eſſe dicitur, *v. 3.* ad gloriam Meſſiae ſpectet; & ea, quae *verſ. 9.* dicuntur, *actor. XXVIII, 25.* diſerte ſpiritui ſancto tribuantur.

§. XLVI. Euidentius adhuc idem patet, ac demonſtrari poteſt, ex noui teſtamenti libris, * iiſque praecipue dictis, in quibus diſerte patris, filii, & ſpiritus ſancti, ceu vnius & veri Dei, iniicitur mentio, ** vt *Matth. III, 16, 17. cap. XXVIII, 19. Ioan. XIV, 16. & 23. 1. Cor. XII, 3. ſeq. 2. Cor. XIII, 13. apoc. I, 4, 5. 1. Pet. I, 2, 3. 1. Ioan. V, 7.*

* Etſi demonſtratio trinitatis, quae ex V. Teſt. petitur, in ſe ſpectata, ſatis euidens ſit; ita quidem, vt recte hinc colligatur, myſterium hocce piis hominibus, qui ante Chriſtum natum vixerunt, non fuiſſe ignotum; immo haud dubio, quae in veteris teſtamenti libris hac de re exſtant, clariora adhuc illis fuiſſe, quam nobis, vtpote quibus loquendi rationes domeſticae, & eo tempore vſitatae, non potuerint non notiores eſſe; negari tamen nequit, ſi argumenta iſta inter ſe comparentur, euidentiora luculentioraque, ſaltem intuitu noſtri eſſe, quae ſcriptores noui teſtamenti ſuppeditant. Atque haec etiam merito primo loco in aciem proferuntur, quando cum eiuſmodi hoſtibus nobis dimicandum eſt, qui nouum teſtamentum admittunt. Cum Iudaeis autem ſi nobis res ſit, iis vnice pugnandum armis, quae ex veteri teſtamento depromuntur, niſi conſultius ſit, vt nonnullis videtur, certamen cum illis a veritate librorum noui teſtamenti exordiri. Atque pertinent haec ad methodum demonſtrationis. Quod ſi autem ordinem diuinae patefactionis ſpectemus, a veteri teſtamento ad nouum, prouti nos facimus, progrediendum eſt.

** Primum argumentum ſuppeditat ſollemnis illa adparitio ad Iordanem, *Matth. III, 16. 17. Marc. I, 10, 11. Luc. III, 22. Ioan. I, 32.* Ibi enim pater voce de caelo ſe vt Deum manifeſtauit; filius ſtans in Iordane, & a Ioanne baptizatus, voce patris filius Dei, & quidem ὁ ἀγαπητὸς, in quo omnis εὐδοκία, declaratur; ſpiritus autem ſanctus in forma columbae ſuper filium deſcendere viſus eſt. Perſonarum diſtinctionem tria diſtincta nomina, patris, filii, ſpiritus ſancti; tria diſtincta manifeſtationis ſymbola, vox caelitus demiſſa, filius ſtans in Iordane, columbae ſpecies; tres diſtincti actus, patris de

de caelo clamantis, filii in Iordane ſtantis & baptizati, ſpiritus ſancti, in ſpecie columbae deſcendentis, euidenter demonſtrant. Non minus autem, quod filius & ſpiritus ſanctus, aeque ac pater, verus Deus ſit, indicatur. Filium enim non eo modo, quo angeli & homines, aut alia quaedam res creata, ob creationem ſcilicet, ſed modo longe eminentiori, ſeu, ob aeternam generationem, ita vocari, vel inde intelligitur, quod *ὁ ἀγαπητὸς dilectus ille*, hoc eſt, vt Ioannes explicat, *ὁ μονογενὴς vnigenitus, c. I, 14.* qui *in ſinu patris eſt, v. 18.* vel, vt Paulus loquitur, *ὁ ἴδιος, proprius Dei filius, Rom. VIII, 32.* dicatur. Is autem non alius eſſe poteſt, quam qui ex eſſentia Dei eſt genitus, adeoque & ipſe verus Deus. Hinc & omnis in eo *εὐδοκία* eſſe dicitur, eo quod per eum omnia ſunt reconciliata, in caelo & in terra, *Coloſſ. I, 20.* per quem adeo ſolum ſalutem conſequamur, *actor. IV, 12.* quod itidem ſolius Dei eſt; *Eſ. XLV, 21, 22.* Sic &, dum ſpiritus ſanctus ſuper illum deſcendiſſe aſſeritur, & hunc verum eſſe Deum, haud obſcure innuitur. Non alium enim ob finem in illum deſcendit, quam vt donis eximiis, qua humanam naturam in eum collatis, ad munus, quod ſuſcepturus erat, eum veluti conſecraret. Id verò iterum eius tantum eſſe, qui & ipſe verus Deus eſt, nemo non intelligit; & ſupra iam obſeruatum, cum ad *§. praec.* de loco *Eſ. LXI, 1.* verba faceremus; conf. *pſalm. XLV, 8.* Alterum argumentum baptiſmi formula, ab ipſo ſeruatore praeſcripta, nobis ſuppeditat. *Euntes,* inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, filii, & ſpiritus ſancti; Matth. XXVIII, 19.* Quando enim in nomine cuiusdam baptizari dicimur, idem hoc eſt, ac ſi dicatur, hoc mandato, iuſſu, auctoritate eius fieri debere; ita quidem, vt baptiſmus omnem vim ſuam & efficaciam, quae in regeneratione conſpicitur, *Io. III, 5.* ab eo accipiat. Id vero de alio, quam qui verus Deus eſt, dici nequit. Hic enim, vti ſolus ſalutis noſtrae auctor eſt, ita ſolus quoque media ſalutis inſtituere, atque praeſcribere poteſt; conf. *1. Cor. I, 13* Et niſi omnes tres perſonae eodem hic habendae eſſent loco, quo pacto dici potuiſſet, non minus in nomine filii ac ſpiritus ſancti, quam in nomine patris nos eſſe baptizandos? Diſtinctas tamen haſce eſſe perſonas, vel ipſa nominum diſtincta repetitio quemuis condocere poteſt. Non minus, quod tertio loco notamus, luculentum eſt teſtimonium, quod *Ioan. XIV, 16.* exſtat: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in aeternum, ſpiritum veritatis.* Qui enim hoc a Deo patre petiturus eſt, filius Dei eſt, in quem aeque ac in patrem credendum eſt, *v. 1.* quem, qui videt, patrem videt, *v. 9.* qui in patre, vti pater in ipſo eſt, *v. 11.* in cuius nomine & pater ſpiritum mittit, *v. 26.* Spiritus autem, quem precibus ſuis ſe a patre impetraturum pollicetur, is ipſe eſt, qui teſtari poteſt, omnia, quae pater habet, filii eſſe, *c. XVI, 14. 15.* Qui & ſpiritus veritatis eſt, quae in rebus ad ſalutem aeternam ſpectantibus, a ſolo Deo originem habet, quiue & *paracletus alius* dicitur, dignus ſcilicet, qui in locum ipſius ſeruatoris ſuccedat, adeoque eiusdem cum eo naturae ſit, & dignitatis. Sed & illud prorſus egregium eſt, quod *Ioan. XIV, 23.* ſeruator pronuntiat: *Qui diligit me, & ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & manſionem faciemus apud eum.* Soli nimirum Deo corda ſua, ceu templa, in quibus habitare queat, conſecrare homines debent, *1. Cor. III, 17.* Cultum enim, quem ſolus Deus ab hominibus exigere poteſt, hoc ſignificat. Vt vero de ſe pariter ac patre diſerte hoc ſeruator profitetur; *veniemus ad eum &c.* ita de ſpiritu ſancto idem Paulus apoſtolus nos condocet: *an neſcitis, corpus veſtrum eſſe templum ſpiritus ſancti? 1. Cor. VI, 19.* Admodum etiam illuſtre eſt eiusdem apoſtoli teſtimonium, quod quinto loco proferimus, *1. Cor.*

XII, 3 ſq. Diuerſa enim cum ibi commemoret dona, diuerſa miniſteria, diuerſas operationes, vnum tamen eſſe Deum, vnum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vnum ſpiritum, diſerte docet. Ipſa haec donorum, miniſteriorum, ac operationum commemoratio, diſtinctionem pariter ac diuinitatem perſonarum non tam indicat, quam extra omnem controuerſiam ponit. Ab eo namque ſolo, qui verus Deus eſt, eiuſmodi dona, miniſteria, operationes, proficiſci poſſunt. Pertinet huc & precationis illa formula, qua Paulus vtitur: *Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, caritas Dei, & communio ſancti ſpiritus, ſit vobiſcum omnibus,* **2. Cor. XIII, 13.** Vt enim ſolum Deum adorare, ita ab eo ſolo bona quaeuis pro nobis aut pro aliis petere, fas eſt; ***Deut. VI, 13. Matth. IV, 10.*** Dominum ergo noſtrum Ieſum Chriſtum pariter ac ſpiritum ſanctum, non minus ac patrem, apoſtolus pro vero Deo habet, dum ad omnes tres perſonas preces ſuas dirigit. Simul tamen, nominibus pariter ac beneficiorum diuerſitate, eos a ſe inuicem diſtinguit. Caritas nimirum Dei patris eſt, quippe qui ita homines dilexit, vt filium ſuum vnigenitum pro iis traderet, *Ioan. III, 16.* Gratia filii eſt, vtpote qui nos patri reconciliauit, vt gratia eius, atque fauore frui poſſimus: hinc *lex per Moſen tradita eſt,* inquit Ioannes, *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum contigit, Io. I, 17.* Spiritus autem ſanctus dum homines illuminat, conuertit, regenerat, ad communionem cum patre & filio eos perducit, a quo per peccata ſua erant remoti, *1. Io. I, 3.* Eiuſdem plane generis eſt & Ioannis illa precandi formula: *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, & a Ieſu Chriſto, apoc. I, 4.* Per *ſeptem* namque *ſpiritus* ſpiritum ſanctum intelligi, qui ob donorum, quae ab eo proficiſcuntur, multitudinem ac varietatem ita dicitur, alibi docetur. A ſpiritu autem ſancto, & Ieſu Chriſto, dum non minus, ac a patre gratiam & pacem expetit, quam ſeptem Aſiae eccleſiis adprecatur, eosque adeo in religioſa inuocatione coniungit, ſe eos pro vero Deo habere, demonſtrat. Solum enim Deum adorandum, & religioſo cultu proſequendum eſſe, antea iam obſeruauimus.

Addere his & illud Petri poſſemus: *Electi ſecundum praeſcientiam Dei patris, in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam & adſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, 1. ep. I, 2.* Sed vltimo potius loco luculentiſſimum illud Ioannis effatum proferimus: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in caelo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt, 1. ep. V, 7.* Id vero tam euidens eſt, vt veritatis hoſtibus nihil aliud relictum ſit, quam vt verba haec ab ipſo Ioanne profecta negent, eaque ab aliena manu textui ſubdole inſerta, clamitent. Cum enim ERASMVS nouum teſtamentum graecum ad fidem codicum manuſcriptorum edidiſſet, in primis editionibus, quae anno 1516. & anno 1519. Baſileae lucem adſpexerunt, dictum hoc non comparuit, vti nec in aliis editionibus, quae eo tempore doctorum hominum cura prodibant. Cumque id ERASMO ab EDVARDO LEY, theologo Anglicano, & LOPEZIO STVNICA obiectum eſſet, ille ad codices manuſcriptos prouocauit, in quibus iſtud non reperiſſet. Ab eo itaque tempore cum haecce controuerſia originem cepiſſet, illi, qui trinitatis myſterium ferre non poterant, FAVSTVS SOCINVS, IO. CRELLIVS, aliique, certatim in eam ſententiam ingreſſi ſunt, hocce dictum Ioannem non agnoſcere auctorem. Breuiſſima enim iſta commodiſſimaque, telum hocce declinandi, illis viſa eſt ratio. Hinc &, qui inter neo-Arianos eminet, CHRISTOPHORVS SANDIVS, omnem mouet lapidem, vt eamdem ſententiam confirmet; in *adpendice interpretation. paradox. quatuor euangelior. p. 376 ſ.* Idem & RICH. SIMON facit, omnes ingenii

neruos

Digitized by Google

neruos intendens, vt locum huncce ex ſcriptura ſacra eliminet, etiam hac in re, vti alias, IO. MORINI veſtigia premens, in *hiſtor. crit. text. N. T. l. 1. c. 18.* alibique. Nec ſane his auctoribus deſunt, quae obtendant ſententiae ſuae, quibusue incautis ac imperitis fucum faciant. Primo namque in codicibus manuſcriptis graecis, ſaltem praeſtantiſſimis, & optimae notae, locum huncce non inueniri, contendunt; quem in finem & codices quosdam, antiquitatis nota celebres, vt Alexandrinum in Anglia, codicem bibliothecae Colbertinae, item, qui eſt in bibliotheca abbatiae S. Germani, aliosque paſſim enumerare ſolent. Non minus & verſiones quasdam, praeſertim orientales, ſyriacam, arabicam, aethiopicam, vrgent, in quibus dictum hocce itidem non compareat. Hiſce porro addunt, quod apud veteris eccleſiae doctores, eos etiam, qui tam ſtrenue contra Arianos, aliosque trinitatis hoſtes pugnarunt, nulla eius fiat mentio. Eos vero tam luculentum teſtimonium, quo vel maxime, & vnico quidem velut ictu, ſecus ſentientium copias proſternere, cauſſamque ſuam validiſſime euincere potuiſſent, praetermiſſuros fuiſſe, ſi in codicibus, quibus vſi ſunt, exſtitiſſet, ab omni prorſus veri abhorrere ſpecie, exiſtimant. Et SIMONI quidem ſi credimus, dictum hocce ante Facundum & Fulgentium in patrum ſcriptis non comparet; *diſſert. de codicibus manuſcriptis, p. 80.* SOCINO autem, atque ERASMO ſi habenda fides, ante Hieronymum vix vllus inuentus fuit, qui ad illud prouocauit. SANDII autem ſi ſtare velimus auctoritate, ſaltem ex patribus ante-Nicaenis, nemo vmquam hoc allegauit, excepto ſolo Cypriano, in *append. interpretationum paradox. p. 381.* Nec illud praetermittendum cenſent, quod concilii Nicaeni patres, dum contra Arium ex inſtituto diſputant, huius tamen loci, qui illis egregie inſeruire potuiſſe videtur, nullam faciant mentionem. Idemque de concilio Sardicenſi obſeruant, in quo itidem Arii damnata eſt haereſis. Immo, quosdam eccleſiae patres, DIONYSIUM Alexandrinum, GREGORIUM Nazianzenum, CYRILLUM Alexandrinum, cum ex *c. V.* primae huius Ioannis epiſtolae *v. 6. & 8.* adducant, adeoque & *v. 7.* videntur commemorare debuiſſe, magno tamen ſilentio eumdem praeterire. Quod, vt non aliam ob cauſſam contigiſſe cenſent, quam, quod in ſuis codicibus verſum hunc non inuenirent, ita ob eamdem factum contendunt, vt antiqui epiſtolae iſtius interpretes, cum, quae antecedunt & ſequuntur, explicarent, huius tamen dicti ne verbo quidem mentionem iniicerent. Nulla namque, inquiunt, probabilis ratio adferri poteſt, cur, cum reliqua ordine explicent, haecce tamen, de quibus ſermo eſt, verba, non attingant.

Atque haec quidem, quae iſti auctores hunc in modum diſſerunt, ita comparata ſunt, vt ſpeciem quamdam ſententiae, quam defendunt, concilient, rem ipſam neutiquam conficiunt. Vt enim non deſunt, quae reſponderi ad haecce argumenta poſſunt, ita grauioribus etiam rationibus pugnant, qui, dictum hocce Ioannem agnoſcere auctorem, antumant. Primo namque negari nequit, in verſione latina, quae hodie vulgata dicitur, iſtud ſemper exſtitiſſe. Id vero codices manuſcripti optimi, praeſtantiſſimique teſtantur. Quod ſi in quibusdam deſideratur, illi tam pauci ſunt, tamque exiguae auctoritatis, vt cum iis, qui illud habent, comparati, nullo modo in cenſum veniant. Idque adeo manifeſtum eſt, vt nec ipſe hoc abnuere audeat SIMON, *hiſt. crit. verſ. N. T. c. 9.* Idem vero vlterius demonſtrari poteſt, ſi per omnia retro ſaecula a decimo quarto vsque ad Hieronymum adſcendamus, praeſtantiſſimorumque, qui ſingulis ſaeculis vixerunt, & dictum hocce Ioannis adduxerunt, aut omnino explicarunt, adferamus teſtimonia. Saeculo namque decimo quarto NIC. DE LYRA, in

Digitized by Google

commentariis ſuis, quibus vniuerſam ſcripturam ſacram illuſtrauit, illud non tantum exhibuit, ſed & explicauit. Idem ſaeculo decimo tertio fecit THOM. de AQVINO, in commentario in primam hancce Ioannis epiſtolam. Eodem ſaeculo anno 1215. celebratum ſub Innocentio tertio fuit concilium Lateranenſe generale, in quo epiſcopi 412. & in his duo patriarchae, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, ſed Latinus vterque, adfuerunt, Antiochenus autem & Alexandrinus legatos miſerunt, qui vicibus ſuis fungerentur. In hocce concilio cum ſententia Ioachimi abbatis de trinitate perſonarum, ceu erronea, damnaretur, inter reliqua argumenta, quibus ea impugnata eſt, etiam hocce teſtimonium Ioannis, de tribus teſtibus caeleſtibus, proferebatur. Idque cum nemine contradicente fieret, in omnibus codicibus, quibus tot epiſcopi, aliique ſacri ordinis viri eo tempore vſi ſunt, illud exſtitiſſe, recte inde colligimus. Saeculo duodecimo PETR. LOMBARDVS, qui vulgo *magiſter ſententiarum* audit, ad hocce dictum prouocauit; quod & eodem ſaeculo RVPERTVS, abbas Tuitienſis, & circa finem ſaeculi vndecimi BERNHARDVS fecit. Saeculo decimo Sorbonna adcuratam manuſcriptorum ſacri codicis luſtrationem inſtituit, vnde *correctorum* illud *bibliae*, vt vocatur, enatum, quod hodie adhuc in Sorbonnae bibliotheca adſeruatur, ipſique laudatur SIMONI, *hiſt. crit. verſion. N. T. c. 9.* In eo itaque correctorio cum dictum noſtrum itidem exſtet, ſequitur, praeſtantiſſimos, antiquiſſimosque, qui eo tempore exſtiterunt, codices idem habuiſſe. Hoſce enim ab iis, qui laborem huncce ſuſceperunt, conſultos fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Saeculo nono *gloſſa*, quae vocatur *ordinaria*, a WALAFRIDO STRABONE compoſita fuit: quae, quo maiorem olim auctoritatem obtinuit, eo certius argumentum ſuppeditat, in codicibus, quibus auctor iſte vſus eſt, hocce effatum Ioannis lectum fuiſſe. Hinc ad Carolum magnum, imperatorem, deducimur, cuius iuſſu ſaeculo octauo, anno 798. adcurata itidem manuſcriptorum codicum verſionis latinae, quae vulgata dicitur, inſtituta fuit correctio. Cui operi, cum praeſtantiſſimi, qui eo tempore vixerunt, viri, quos inter Alcuinus principem locum tenuit, manum admouerint, ecquis dubitet, antiquiſſimos, optimaeque notae eos adhibuiſſe codices? in quibus, cum hocce dictum inueniſſent, id itidem retinuerunt. Immo, cum Alcuinus graecae linguae minime rudis fuerit, eum graecos quoque adhibuiſſe codices, dictumque hocce in iis inueniſſe, non eſt quod dubitemus. Exſtare autem illud in codice iſto, tempore Caroli magni correcto, cuius etiam exemplum, ipſius Alcuini manu ſcriptum, Romae adſeruatur, ipſemet fatetur SIMON, *hiſt. crit. textus N. T. c. 18.* Circa medium ſaeculi octaui floruit ISIDORVS MERCATOR, qui *pſeudo-decretales* Romanorum epiſcoporum orbi obtruſit, in quibus itidem hocce dictum occurrit; quod & de AMBROSII AVTHPERTI, qui eodem circiter tempore vixit, *commentario in apocalypſin*, viri docti obſeruant. Atque hoſce quidem auctores omnes, cum non infimae notae codices vſurpaſſe, prorſus credibile ſit, quorum nonnulli ducentorum ad minimum, trecentorumue annorum fuerint, ſine omni erroris periculo inde colligere licet, ſi non omnes, certe pleroſque ac praecipuos codices verſionis vulgatae, ad HIERONYMI aetatem vſque hocce dictum exhibere. Qua de re & eo minus dubitandum, quod in libris ritualibus atque lectionariis eccleſiae latinae, iam antiquiſſimis temporibus compareat. Quod documento eſt, ab vniuerſa eccleſia occidentali iam tum illud pro genuino habitum, nec vllum temere alicubi repertum codicem, in quo non exſtiterit. Immo, & in eccleſiae orientalis ritualibus idem legi, aliis dudum obſeruatum eſt; vnde & in eiusdem eccleſiae codicibus graecis illud

illud exſtitiſſe, nulla ratione dubitare licet. Vt vero vlterius adhuc adſcendamus, ipſe tandem nobis occurrit HIERONYMVS, cuius quod hac de re exſtat teſtimonium, in *prologo, epiſtolis canonicis praemiſſo, tom. 1. oper. p. 1667.* edit. MARTIANAEI, rem omnem prorſus conficit. Ita vero illud ſe habet: *Sicut euangeliſtas dudum ad veritatis lineam correximus, ita has* (epiſtolas canonicas) *proprio ordini, Deo nos iuuante, reddidimus. Eſt enim prima earum, vna Iacobi, Petri duae, Ioannis tres, & Iudae vna. Quae, ſi, vt ab eis digeſtae ſunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietas impugnaret; illo praecipue loco, vbi de vnitate trinitatis in prima Ioannis epiſtola poſitum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe, fidei veritate, comperimus; trium tantum vocabula, hoc eſt, aquae, ſanguinis, & ſpiritus in ſua editione ponentes, & patris, verbique & ſpiritus teſtimonium omittentes; in quo maxime & fides catholica roboratur; & patris, & filii, ac ſpiritus ſancti vna diuinitatis ſubſtantia comprobatur.* Diſerte hic docet HIERONYMVS, inſigne hocce de tribus teſtibus caeleſtibus, patre, verbo, & ſpiritu ſancto, teſtimonium ab infidelibus translatoribus omiſſum eſſe. Nullum ergo eſt dubium, quin illud pro genuino habeat, & in optimae etiam notae codicibus graecis inuenerit. Atque eſt hoc eiusmodi, vt, qui ſecus ſentiunt, nihil aliud ſibi relictum videant, quam vt prologum huncce ſuppoſititium eſſe clamitent. Id ſane vt euincat, omnem mouet lapidem SIMON, *hiſt. crit. textus N. T. c. 18.* & *verſ. c. 9.* Sed rationes eius, vtpote admodum infirmas, profligavit MARTIANAEVS, in *adnotat.* ad iſtum *prologum, p. 1670.* etſi & ipſe, aliis rationibus ſuffultus, itidem prologum iſtum, ceu ſpurium reiiciat; quod & MILLIVS facit, in *notis ad 1. Ioan. V, 7. p. 580. ſeq.* Vterque tamen, & MILLIVS, & MARTIANAEVS, dictum iſtud, de quo diſceptatur, pro genuino habet; ſaltem prologum iſtum Hieronymo tribui poſſe negant. At, & horum ita comparatae rationes ſunt, vt haud difficulter ad eas reſponderi queat; quod oſtenderunt auctores, quos deinceps laudabimus. Nobis enim hiſce immorari non licet. Cum vero ante Hieronymi aetatem, verſio, quae italica dicitur, in eccleſia chriſtiana, quacumque linguae latinae vſus patuit, recepta fuerit, magnamque adeo obtinuerit auctoritatem; in ea quoque dictum hocce de tribus teſtibus caeleſtibus exſtitiſſe, non tantum inde colligitur, quod ceteroquin Hieronymus, ſine aliorum contradictione, illud verſioni ſuae inſerere non potuiſſet, ſed FVLGENTII quoque Ruſpenſis in Africa epiſcopi, qui circa finem ſaeculi ſexti vixit, itemque VIRGILII Tapſenſis, qui quintum ſaeculum nobilitauit, teſtimoniis comprobari poteſt. Immo & concilii Carthaginenſis, contra Arianos anno 484. congregati patres, quorum ingens numerus fuit, in profeſſione fidei ſuae, quam exhibuerunt, hocce Ioannis vel maxime vrgent effatum. Nullum ergo eſt dubium, quin in verſione italica, quae eo tempore in Africa in vſu erat, lectum fuerit. Atque haec quidem, vti ſatis euincunt, in verſione latina hoc dictum ſemper exſtitiſſe; ita & veteris eccleſiae doctoribus, quos patres vocant, non adeo illud neglectum eſſe, vt non aliquando ad illud prouocauerint, TERTVLLIANI pariter ac CYPRIANI exemplo comprobari poteſt. Et TERTVLLIANI quidem, quanta hic ſit auctoritas, neminem fugit, cum ſaeculo ſecundo vixerit, quo autographa apoſtolorum hinc inde adhuc conſeruata fuiſſe, nullum eſt dubium. Ita vero ille, *adu. Praxeam c. 25. p. m. 657.* loquitur: *Ceterum, de meo ſumet, inquit,* (ſeruator) *ſicut ipſe de patris. Ita connexus patris in filio, & filii in paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero; QVI TRES VNVM SVNT, non vnus: quomodo dictum eſt; ego & pater vnum ſumus.*

mus. Sunt equidem, quibus iſtud paullo obſcurius dictum videtur, vnde hocce teſtimonio vti nolunt. Ego vero illud neutiquam dimittendum cenſeo. Cum enim explicationis cauſſa addat: *non vnus*, eum non ſua, ſed ſcripturae verba adferre, facile intelligitur. Nec dubitabit hac de re, qui ſecum expenderit, patribus in more poſitum eſſe, vt ſubinde ſcripturae verba tamquam ſua proferant. Luculentius tamen adhuc eſt teſtimonium CYPRIANI: *Dicit dominus: ego & pater vnum ſumus; & iterum de patre & filio, & ſpiritu ſancto ſcriptum eſt: & hi tres vnum ſunt; de vnitate eccleſiae, p. m. 79.* Quod cum dubitationem non admittat, in omnes hic ſe verſant partes, qui hocce telo ſe premi ſentiunt. RICHARDVS cumprimis SIMON non, quod pueri in faba, ſe inueniſſe ſibi videtur, quando obſeruauit, FACVNDVM HERMIANENSEM haecce CYPRIANI, quae adduximus, verba ita accepiſſe, ac ſi non ad *v. 7. c. V.* primae epiſtolae Ioannis, ſed ad *v. 8.* reſpexerit, & quae in vltimo hocce verſiculo, de *tribus teſtibus terreſtribus, ſpiritu, aqua, & ſanguine* dicuntur, ἀλληγορικῶς de patre, filio & ſpiritu ſancto fuerit interpretatus. At, errauit citra controuerſiam FACVNDVS, cum apertiſſima, diſertiſſimaque ſancti martyris verba hunc ſenſum non admittant; nec vllum, cur ita accipienda ſint, occurrat veſtigium. Eſtque admodum veroſimile, FACVNDVM eiusmodi ſacri codicis exemplo vſum, in quo teſtimonium illud de tribus teſtibus caeleſtibus deſiderabatur: cumq; illud apud CYPRIANVM legeret, facile in eam ingredi ſententiam potuit, martyrem illum, quod Ioannes de tribus teſtibus terreſtribus dixit, ad tres perſonas diuinas, patrem, filium, atque ſpiritum ſanctum accommodaſſe. Non ſine ratione ita cenſet ITTIGIVS, *de haereſiarchis aeui apoſtolici &c. ſect. 2. c. 15. p. 263.* Poſt Cyprianum, & alios patres dicti huius mentionem feciſſe, ex iis, quae antea obſeruauimus, liquet. Nec in omnibus codicibus graecis idem deeſt, quin potius in quibusdam exſtat, quorum minime contemnenda eſt auctoritas. Exſtat in illo, quem ERASMVS Britannicum vocauit, cuius auctoritate etiam teſtimonium hocce, in editione noui teſtamenti, quae anno 1522. prodiit, illud reſtituit; exſtat in codicibus quibusdam vaticanis, antiquiſſimis, emendatiſſimisque, quibus ROB. STEPHANVS vſus eſt; exſtat & in aliis, quos alii pridem laudarunt. Addenda, quae in compendio, ſed diligenter hac de re diſſerit MILLIVS, *l. c. p. 581.* Hisce rationibus, quibus dicti illius γνησιότης euincitur, alias adhuc addere poſſem, loquendi ſcilicet rationem Ioanni propriam, connexionem aptiſſimam cum iis, quae praecedunt, atque ſequuntur, conuenientiam cum ſcopo Ioannis: haec autem cum quilibet facile perſpiciat, paucis ſaltem, quid ad rationes ſecus ſentientium reſponderi queat, oſtendemus.

Ad codices enim graecos manuſcriptos quod attinet, non in omnibus illud deeſſe, ſed in quibusdam, antiquitate commendabilibus, exſtare, iam docuimus. Addimus, eccleſiam graecam hoc dictum pro genuino agnoſcere; vnde nullum eſt dubium, quin in codicibus, quibus antiquiſſimis temporibus Graeci vſi ſunt, exſtiterit. Verſiones quasdam, maxime orientales, illud non exhibere, mirum non eſt; in quibusdam enim codicibus iam olim id defuiſſe, concedimus, eiusque rei deinceps adferemus rationem. Inde vero nondum colligere licet, hoc pro genuino non eſſe habendum. Deeſt vtique etiam in primis editionibus verſionis germanicae B. LVTHERI; eo quod & ille graecum codicem nactus eſſet, in quo non exſtabat. Non itaque ſtudio, vt nonnulli calumniantur, ſed errore inductus, illud omiſit; quod rectiora edoctus, ſuo loco deinceps inſeruit. Quod veteris eccleſiae doctores, ii maxime, quibus cum Arianis res fuit, ad hocce Ioannis teſtimonium non prouocauerint, varias

ob

ob cauſſas fieri potuit. Non tam trinitas perſonarum, quam diuinitas & ὁμοουσία filii cum patre, illis euincenda erat: vnde aliis potius ſcripturae dictis, quam hocce pugnare, illis viſum fuit. Fieri tamen etiam potuit, vt iam tum in quibusdam codicibus deeſſet: ex quo tamen, vt vidimus, nihil, quod noſtram ſententiam euertat, conſequitur. In concilio Nicaeno pariter, ac Sardicenſi, itidem non tam trinitas perſonarum generatim, quam ſpeciatim diuinitas filii Dei adſerenda erat. Mirum itaque non eſt, quod aliis potius, quam hocce dicto, & ibi fuerit dimicatum. Acta inſuper, quae exſtant, Nicaeni concilii, deciſiones, conſtitutionesque continent, in quibus nulla ſcripturae dicta allegantur, vti nec in ſymbolo Nicaeno. Nec id nobis obſtat, quod quidam veteris eccleſiae doctores *verſ. 6.* & *8.* adduxerint, numquam autem *verſ. ſeptimum*. Nullam enim cauſſam video, quod, qui verſum ſextum & octauum adducit, adducere etiam debeat verſum ſeptimum, &, ſi non adducat, hunc in eius codice non exſtare. Immo, ſi verſiculus ſextus aut octauus argumento, quod aliquis tractat, inſeruiat, minime autem hoc faciat verſiculus ſeptimus, aperte ratio conſtat, cur hic non fuerit adductus. Ridiculum potius foret, poſtulare, vt aliquis verſiculum hunc adducat, cum nullam ſe habere cauſſam putat, cur hocce facere debeat. Maiorem ſpeciem habet, quod vltimo loco vrgent, a commentatoribus, ac interpretibus antiquis hunc verſiculum omitti. Commentatores autem iſti, quos innuunt, ſunt CLEMENS Alexandrinus, DIDYMVS, BEDA, atque OECVMENIVS. Sub CLEMENTIS nomine ſcholia quaedam in primam Ioannis epiſtolam exſtant, in quibus, vt etiam verſiculus ille ſeptimus capitis quinti explicaretur, non neceſſe erat; ipſa vero etiam haecce ſcholia perperam CLEMENTI tribui, conſtat. Quod ex DIDYMI Alexandrini commentario hodie ſupereſt, mancum eſt valde atque mutilum; neque verſiculus tantum ſeptimus capitis quinti, ſed ſextus etiam atque octauus, & nonus cum ſequentibus, vsque ad decimum quartum, deſunt. BEDA atque OECVMENIVS varias ob cauſſas verſiculum huncce praeterire potuerunt; quae vti nobis non ſatis notae ſunt, ita illo, quo vterque vixit, tempore, eum neutiquam in omnibus codicibus defuiſſe, ex iis, quae antea diſputauimus, abunde liquet. In cauſſam denique ſi inquiramus, cur in codicibus quam plurimis verba haecce deſint, non tam hoſtium veritatis fraude, quam ſcribentium culpa & errore, hoc factum exiſtimo. Nihil enim facilius contingere poſſe, quam vt verſiculus aliquis omittatur, vbi duo ſe inuicem excipiunt, qui iisdem verbis aut inchoantur, aut finiuntur, notum, viriſque criticae artis peritiſſimis dudum obſeruatum eſt. Conſentientes mecum hac in re habeo praeſtantiſſimos viros, MILLIVM, in *not. ad h. l.* GRABIVM, in *adnotationibus ad Georgii Bulli defenſ. fidei Nic. ſect. 2. c. 10. §. 1. p. 139.* PFAFFIVM, in *diſſert. crit. de genuinis librorum noui teſtamenti lectionibus, c. 9. p. 173.* Quae autem ad tuendam dicti huius γνησιότητα in compendio diximus, fuſius ediſſerunt B. IO. GERHARDVS noſter, in *diſſert. theolog. bipartita, ex dicto apoſtoli 1. Ioan. V, 7. tres ſunt, qui teſtimonium dant in caelo;* KETTNERVS, in *vindiciis nouis dicti vexatiſſimi, de tribus in caelo teſtibus;* & qui nuper gallicano idiomate hocce argumentum tractauit, DAVID MARTINI, in *duabus diſſertationibus criticis, quarum prima eſt in verſ. 7. c. 5. epiſt. 1. Ioan. altera de teſtimonio Ioſephi &c.*

§. XLVII. Vt vero eo rectius cuncta ſibi conſtent, omneque eximatur

matur dubium, obſeruandum, ſcripturam ſacram diſerte & luculenter docere; I) patrem a filio, filium a patre, & ab vtroque ſpiritum ſanctum realiter differre, vt alius ſit pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus; II) non ſolum patrem, ſed etiam filium, & ſpiritum ſanctum, eſſe verum & aeternum Deum; III) nec tamen tres eſſe Deos, ſed Deum vnum. *

* Vt enim ſpecialis trinitatis in vna eſſentia diuina demonſtratio recte ſibi conſtet, tria haecce euincenda ſunt. Rem ipſam autem hic ſpectamus, prout in ſcriptura ſacra exſtat, & ad eius ductum planiſſime, ſimpliciſſimeque proponi poteſt. De terminis enim eccleſiaſticis, quibus dogma hocce efferri ſolet, deinceps, poſtquam res ipſa extra controuerſiam poſita fuerit, dicemus ad §. 51.

§. XLVIII. Patrem a filio, filium a patre, & ab vtroque ſpiritum ſanctum, realiter differre, non tantum diſerte ſcriptura ſacra teſtatur, ſed ex diſtinctis quoque nominibus, itemque ex actibus diſtinctis, qui & patri, & filio, & ſpiritui ſancto tribuuntur, conſtat. *

* Eadem nimirum ſcripturae dicta, quibus generatim perſonarum trinitatem antea demonſtrauimus, ſimul aperte probant, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum reuera, atque citra mentis operationem, a ſe inuicem diſtingui, vt alius ſit pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Diſerte hocce ſeruator docet, quando apoſtolos baptizare iubet, in *nomen patris*, & *filii & ſpiritus ſancti*, *Matth. XXVIII*, 19. Nihil enim plane haec verba ſignificarent, niſi alius ſit pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Immo, ſi per patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, tria ſaltem nomina, aut tres qualitates, vel virtutes, intelligere velles, ſenſus plane ineptus eſſet. Nec Ioannes tres commemorare potuiſſet teſtes caeleſtes, *1. ep. V*, 7. niſi alius eſſet pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Ex numero enim ternario ſingulare probationis ſuae pondus petit. Quantumuis enim homo aliquis diuerſis nominibus, aut qualitatibus vel virtutibus polleat, non tamen niſi vnius teſtis vicem ſuſtinere poteſt; conf. *2. Cor. XIII*, 13. Hinc & ipſe ſeruator diſerte patrem ἄλλον, *alium a ſe*, vocat, *Ioan. V*, 32. qui & illum miſerit, & de eo teſtatus ſit, *v.* 37. Pari ratione & *Ioan. XIV*, 16. *& ego*, inquit, *rogabo patrem*, *& alium paracletum dabit vobis*. Vbi alius eſt, qui rogat, ſeu filius, alius, qui rogatur, ſeu pater, & alius rurſus paracletus, ſeu ſpiritus ſanctus, qui a patre mittendus erat. Atque idem diſtincta etiam nomina patris, & filii, & ſpiritus ſancti indicant. Non enim diuerſam ſaltem vnius rei repraeſentationem, aut qualitatem, aut virtutem denotant, ſed eiusmodi relationem, quae ſine reali quodam vnius ab altero diſcrimine locum habere nequit. Fundatur namque in diſtinctis actibus, qualis eſt *generatio*, intuitu patris & filii, *pſ. II*, 7. *Mich. V*, 1. vnde pater & filius differunt, vt *gignens* & *genitus*, filiusq; ideo dicitur ὁ μονογενὴς παρὰ πατρός, *Io. I*, 14. *III*, 16. Intuitu autem ſpiritus ſancti, haec relatio fundatur in *proceſſione*, *io. XV*, 26. Qui enim procedit ab alio, non poteſt non diſtinctus eſſe ab eo, a quo procedit. Accedit, quod & filius a patre mitti dicatur, *Ioan. X*, 36. *Gal. IV*, 4. quod & de ſpiritu ſancto aſſeritur, *Ioan. XV*, 26. Se ipſum autem cum nemo mittat, ſequitur, alium eſſe, qui mittit, alium, qui mittitur. Notanda haec ſunt contra Sabellianos, veteres pariter ac recentiores, qui non niſi tria nomina, virtutes, qualitates, potentias, in

Deo

Deo admittentes, negant, quod ſcriptura tam diſerte dicit, alium eſſe patrem, alium filium, alium ſpiritum ſanctum. In eumdem ordinem referendi ſunt, qui per patrem, filium, & ſpiritum ſanctum tres ſaltem *cogitandi modos* intelligunt, & noſtra aetate *moduliſtae* vocari ſolent. In his & LIBERIVS ille DE S. AMORE eſt, qui ſuam hac de re mentem ita explicat: *Mens vna humana, quia variarum eodem tempore cogitationum capax non eſt, vni tantum corpori vniri, & vnicam tantum cogitationum ſeriem eodem tempore habere poteſt. Ideo vno tantum nomine deſignare, mens Petri, mens Ioannis &c. eam poſſumus. Vna eademque mens non poteſt eſſe eodem tempore mens Petri & Ioannis. Sed cum Deus de variis vno eodemque tempore, propter infinitatem cogitare poſſit, in Deo poteſt concipi pater, ſiue natura diuina, certo quodam modo cogitans, filius & ſpiritus ſanctus, ſeu eadem natura, duobus aliis modis cogitationes efformans. Sic recte concipi poteſt vnicus Deus, hoc eſt, vnica natura diuina, ſed varii cogitandi modi, atque ita facile ſcripturae loca conciliabuntur; in epiſtolis theologicis, epiſt. 2. p. 18.* Et licet haec CLAVDIVS, quem loquentem introducit, proferat, ipſe tamen auctor deinceps eamdem ſententiam comprobat, & *epiſt. 3. p. 103.* hac de re ita loquitur: *Verum, res in Deo, qui infinitus eſt, aliter ſe habet; quamuis vnicus ſit numero, varias cogitationum ſeries ſimul efformare poteſt, variaeque proinde in eo poſſunt eſſe perſonae. Deus, certo modo cogitans, pater dicitur; alio, filius, alio, ſpiritus ſanctus; atque ita recte tres eſſe perſonae in vnica eſſentia dicuntur.* Quam parum haec cum iis, quae ſcriptura hac de re docet, conſentiant, ex antea dictis liquet.

§. XLIX. Patrem eſſe verum Deum, cum nemo eorum, qui tres admittunt ὑποςάσεις, neget, poſitumque ſit extra controuerſiam, probatione quoque non indiget. * De filio autem idem ſcriptura diſerte teſtatur, nominibus eiusmodi, quae vero Deo tantum conueniunt, eum inſigniendo, ** generationem eius a patre inſinuando, *** attributa eiusmodi, * & opera, quae vnicum illum, ſummumque ac aeternum Deum arguunt; ** itemque cultum ſoli Deo proprium, *** illi tribuendo. Idemque & eadem ratione de ſpiritu ſancto conſtat, qui itidem non tantum diſerte Deus vocatur, ſed per attributa, operaque vere diuina, ** itemque per cultum ſoli Deo debitum, ita deſcribitur, vt aliter de eo cenſere non liceat. ***

* Patris nomen non eodem modo accipitur, quando de Deo vſurpatur. Dicitur enim pater vel intuitu filii, quem ex eſſentia ſua genuit, quiue eiusdem cum patre eſt eſſentiae, vel intuitu rerum creatarum, ſpeciatim hominum, quorum & ob creationem, & ob regenerationem, pater recte vocatur. Priori autem modo *proprie*, poſteriori *improprie* ita dicitur. Proprie enim aliquis pater dici nequit, niſi vbi per generationem, & quidem proprie dictam, talis eſt. Hinc & ἴδιος πατὴρ, *proprius pater* adpellatur, *Ioan. V, 18.* intuitu ſcilicet filii, qui eamdem ob cauſſam ἴδιος υἱὸς, *proprius* Dei *filius* vocatur, *Rom. VIII, 32.* Neque enim per υἱοθεσίαν, ſeu *adoptionem*, ſed per *generationem*, is patris ſui filius eſt, vt in ſequentibus docebimus. Improprie autem quando Deus pater dicitur, intuitu ſcilicet rerum creatarum, ſpeciatim hominum, non tantum patri, voce ὑπεροχικῶς ſumta, ſed & filio, & ſpiritui ſancto haecce adpellatio conuenit. CRELLIVS equidem nullo vmquam exemplo probari poſ-

ſe putat, vocem *patris* de Deo vſurpatam, tres diuinitatis perſonas ſignificare, *l. 1. de vno patre Deo, ſect. 1. c. 11. p. 40.* Sed illi potius probandum erat, cum Deus intuitu aut creationis, aut regenerationis pater dicitur, excludi tum filium & ſpiritum ſanctum. Non excludi, inde liquet, quia filio pariter ac ſpiritui ſancto vtrumque opus ſcriptura tribuit, vt ſuo loco docemus. Quodſi etiam loca ſcripturae, in quibus vox haecce in ea ſignificatione occurrit, paullo adcuratius conſideremus, facile perſpiciemus, de filio non minus & ſpiritu ſancto, quam de patre, ea intelligi poſſe; conf. *Deut. XXXII, 6. Eſ. LXIII, 16. Mal. I, 6. II, 10. Matth. VI, 9.* Ceterum, quando patrem verum Deum eſſe, a nemine negari diximus, de iis hoc intelligimus, qui ſcripturam veteris & noui teſtamenti admittunt, hinc & concedunt, quod is, quem ſcriptura dicit *patrem domini noſtri Ieſu Chriſti*, ſit verus ac ſummus Deus. Certe cum Arianis, & qui illorum veſtigia premunt, nulla hac de re eſt controuerſia. Atque cum hiſce nobis nunc maxime res eſt. Ad reliquos enim veritatis hoſtes, Sabellianos praeſertim, quod attinet, quaeſtio eo redit, an pater, filius, & ſpiritus ſanctus realiter a ſe inuicem diſtinguantur, vt alius ſit pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus; quod, ceu antea euictum, hic merito adſumimus. Qui autem hoc diſcrimen agnoſcit, non poteſt etiam non ſtatim agnoſcere, patrem eſſe verum & ſummum Deum. Patet ſimul, quod omnes illi, qui Deum patrem negant, ideo hoc faciant, quod tres in vna eſſentia ὑποστάσεις admittere nolint. Errant etiam magnopere, qui ex *patris* notione quamdam prioritatem, aut praeſtantiam, vel ἐξοχὴν patris prae filio colligere volunt. Vt enim ab omni aeternitate pater per eſſentiae communicationem filium genuit, ita & ex vnitate eſſentiae non poteſt non ſumma, & maieſtatis, & dignitatis aequalitas conſequi. Hinc *pater & filius vnum ſunt*, teſte ipſomet ſeruatore, *Ioannis X, 30.* filiusque patri ἴσος *aequalis* eſt, *Ioan. V, 18.* & quaecumque de patre dicuntur, ad naturae dignitatem maieſtatemque ſpectantia, pari ratione de filio pronuntiantur, vt deinceps oſtendemus. Vnde, quando *patrem ſe maiorem* dicit, *Ioan. XIV, 28.* non poteſt hoc intuitu diuinae, ſed humanae Chriſti naturae intelligi. Et quando patrem *ſolum verum Deum* vocat, res equidem creatas omnes, non autem ſe ipſum qua diuinam naturam, ac ſpiritum ſanctum, excludit, *Ioan. XVII, 3.*

** Cum ſupra iam obſeruatum ſit, nomen Dei proprie acceptum eſſe nomen naturae diuinae, ſequitur vtique, illum, qui abſolute, & ſine vlla reſtrictione Deus vocatur, verum quoque, ſummumque Deum eſſe. Chriſtus autem, ſeu filius Dei, non ſemel, ſed ſaepius in ſcriptura ſacra diſerte, & ſine vlla omnino conditione, aut reſtringente, aut alienante, ita dicitur. Atque, vt a noui teſtamenti libris ordiamur, quid luculentius, quam cum Ioannes *cap. I, 1.* dicit: *Deus erat verbum.* Verbum nimirum illud, quod ab aeterno fuit, per quod omnia facta ſunt, ipſe erat Deus. Idem teſtatur Thomas, dum Chriſtum, quem coram videbat, adloquitur: *Dominus meus, & Deus meus; Ioan. XX, 28.* Quae verba, cum confeſſionem cum vera fide coniunctam contineant, adeoque cultum religioſum denotent, non poſſunt non de vero ſummoque Deo intelligi. Sic & *actor. XX, 28. Deus proprio ſanguine redemiſſe eccleſiam* dicitur; quod de alio, quam de Chriſto, accipi nequit, cum inter tres diuinas ὑποστάσεις ſolus filius carnem & ſanguinem habeat. Cumque is ipſe, cuius eſt eccleſia, eam ſuo ſanguine redemiſſe dicatur, verus diſerte ſummusque Deus indicatur. Eius enim tantum eſt eccleſia. Pari ratione & *1. Tim. III, 16.* dicitur: Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *Deus adparuit in carne.* Non ergo merus homo, ſed verus ſimul Deus

Deus eſt, qui in carne adparuit. Immo, non tantum abſolute *Deus*, ſed ὁ ἀληθινὸς θεὸς, *verus Deus*, adpellatur, *1. Ioan. V, 20.* Quo ipſo ſummum illum, vnicumque Deum deſignari, vel ex *Ioan. XVII,3.* intelligitur. Sic & *Tit. II. 3. magnus ille Deus* dicitur, &, vt omne dubium prorſus eximatur, *Rom. IX, 5.* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν, *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſaecula, amen.* Hacce enim formula apud Ebraeos vnicum illum, ſummumque Deum denotari, notum eſt, & vel ex *Rom. I, 25.* conſtat. Sunt equidem ex illorum numero, qui tam apertae veritati repugnant, qui verba praecedentia: *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*, per punctum interiectum a ſequentibus diuellunt, vt non ad Chriſtum, ſed ad patrem referantur: *ille qui eſt ſuper omnia Deus, ſit benedictus in ſaecula.* Praeterquam vero, quod conſtans codicum lectio ſententiam illam refellat, ſenſus longe rectius & planius fluit, ſi haec inter ſe coniungantur, quam ſi diuellantur. Hiſce adhuc alia loca, vt *Coloſſ. II, 2. ep. Iud. v. 4.* addi poſſent; quemadmodum nec ea, in quibus κατ' ἐξοχὴν vocatur κύριος, negligenda ſunt, idque vel ideo, quod apud LXX interpretes vox haecce nominibus Deo propriis, immo, ipſi nomini יהוה reſpondeat; ſubinde etiam eiuſmodi ſecum coniuncta habeat praedicata, quae non poſſunt non verum ſummumque arguere Deum. In veteris teſtamenti libris itidem occurrunt loca varia, quae de Meſſia ita agunt, vt diuinis eum inſigniant nominibus, adeoque talem fore, qui ſimul verus Deus eſſet, demonſtrent. Nihil temere aut luculentius, aut illuſtrius eſt illo Ieremiae vaticinio: *Ecce dies veniunt, dicit dominus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra: in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabant ipſum,* יהוה צדקנו *dominus iuſtitia noſtra, cap. XXIII, 5, 6. & XXXIII, 15, 16.* De Meſſia hic ſermonem eſſe, ne ipſi quidem Iudaei negare poterunt. Hunc autem ita deſcribit diuinus vates, vt non tantum per opera verum Deum deſignet, ſed diſerte etiam nomen יהוה illi tribuat. Quod quidem nomen, vti ſoli vero, ſummoque Deo conuenit, ita eo praeſertim modo, quo hic adhibetur, vſurpatum, non poteſt alium, quam verum, ſummumque Deum ſignificare. Legenda, quae erudite ſolideque de hocce loco peculiari diſſertatione tradit STEPH. LE MOYNE. Pari ratione & *Eſ. LXI, 1. ſeq.* is, quem vnxit Iehouah, & ſuper quo eſt ſpiritus domini, quiue ſe miſſum dicit, ad euangelium manſuetis adnuntiandum, hoc eſt, Meſſias, Iehouah adpellatur, *verſ. 8.* conf. *Luc. IV, 17, 21.* Similiter & *Hoſ. I, 7.* Deus ipſe ita loquitur: *miſerebor domus Iudae, & ſaluos faciam eos in Iehouah Deo ſuo.* Is, per quem Deus pater nos ſaluos fecit, non alius eſt, quam Chriſtus, ſeu filius Dei, *actor. IV, 12. 1. Ioan. V, 12.* Hic vero exſerte hic vocatur Iehouah.

*** Qui enim a Deo genitus eſt, non poteſt non eiusdem cum eo eſſe eſſentiae. Generatio enim, proprio conceptu eſſentiae communicationem ſignificat. Nec enim aliam quis animo notionem concipit, cum vocem hancce audit; quae etiam in ſe ſpectata, omnique imperfectione, quae in rebus creatis deprehenditur, remota, nihil hoc pacto, quod Deo indignum ſit, aut cum eius vnitate pugnet, denotat. Chriſtum autem qua diuinam naturam, a patre genitum eſſe, ſcriptura iterum luculenter teſtatur. *Filius meus es tu*, inquit Deus pater, Meſſiam adloquens, *ego hodie genui te; pſ. II, 7.* Non aliter enim, quam de aeterna ex eſſentia diuina generatione, haecce verba accipi poſſe, in ſequentibus docebimus. Sic & *prouerb. VIII, 24.* ſapientia hypoſtatica de ſe ipſa dicit: *antequam eſſent abyſſi,* חוללתי *genita ſum;* &

 verſ.

verſ. 25. antequam eſſent montes, ante colles genita ſum. Veram enim & genuinam vocis הוללתי ſignificationem non adſequuntur, qui eam aliter, quam de generatione accipiunt. Vnde &, quando *verſ. 22.* eadem dicit: יהוה קנני, *dominus poſſedit me*, itidem non aliter intelligi poteſt, quam de generatione: *dominus generando poſſedit me.* Hiſce accedit & teſtimonium Michae; *& egreſſiones eius* מקדם מימי עולם *a quondam, a diebus ſaeculi*, hoc eſt, ab omni aeternitate, *cap. V, 1.* Vt enim per *egreſſiones* ipſa natiuitas elegantiſſime exprimitur, ita, quo minus ea Meſſiae, quae ex Maria virgine eſt, intelligi queat, obſtat, quod ceu aeterna deſcribatur. Atque haec etiam cauſſa eſt, cur Chriſtus filius Dei dicatur, non per adoptionem aut creationem, aut alio quocumque modo, quo homines & angeli filii Dei vocari poſſunt, ſed ob generationem, ſeu eſſentiae communicationem; quae ideo eius cum patre ὁμοουσίαν euincit. Hinc & non tantum filius, ſed & *filius* μονογενὴς, *vnigenitus*, dicitur, *Ioan. I, 14. 18. III, 16.* itemque ἴδιος, *Rom. VIII, 32. Ioan. V, 18.* immo & *imago Dei inuiſibilis, Coloſſ. I, 15.* vt, *qui videt filium, videat patrem, Ioan. XIV, 9.* quippe qui eſt χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *character ſubſtantiae eius, Ebr. I, 3.*

* Cum attributa re ipſa ab eſſentia diuina non differant, vti ſupra docuimus, non poteſt non pro vero ſummoque Deo haberi, cui attributa iſta conueniunt. Cum etiam vnum attributum ſine alio eſſe nequeat, ſequitur, omnibus gaudere, qui vno gaudet. Chriſto autem ſeruatori, quidquid perfectionis diuinae cogitari poteſt, generatim tribuitur, dum πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος in eo habitare dicitur, *Coloſſ. II, 9.* itemque μορφὴ θεοῦ & εἶναι ἴσα θεοῦ, *Phil. II, 6.* ita vt ipſe *aequalis ſit patri, Ioan. V, 18.* & *vnum cum patre, cap. X, 30.* dumque *vitam habet in ſemet ipſo, quemadmodum pater vitam habet in ſemet ipſo, Ioan. V, 26.* Immo, dum *omnia, quae habet pater, filius etiam habet, Ioan. XVI, 15.* non poteſt non filius omnibus iis attributis, perfectionibusque gaudere, quibus & pater gaudet. Hinc vero, vti facile intelligitur, ea attributa, quae ſupra ad primam claſſem retulimus, Chriſto quoque conuenire, ita, ad alteram claſſem quod attinet, quae ex ſpiritus notione fluunt, iunctim ea comprehenduntur, quando *vitam in ſemet ipſo*, aeque ac pater, *habere* adſirmatur, *Ioan. V, 26.* Speciatim vero omniſcientia inde fluit, quam & ſcriptura ſubinde ei diſerte vindicat, vt, quando *omnia nouiſſe* dicitur, *Ioan. II, 24, 25. XVI, 30. XXI, 17.* Vnde & Paulo teſte *in eo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiae & ſcientiae, Coloſſ. II, 3.* Cuius rei documentum eſt, quod intimos cordium receſſus cognitos exploratosque habeat, *Matth. IX, 4. XVI, 8. XXII, 18. Luc. V, 22. IX, 47. &c.* Idem & de ſapientia conſtat, quae modo quodam longe eminentiſſimo Chriſto tribuitur, adeo quidem, vt cum ſapientia diuina maxime per filium, in opere cumprimis creationis, ac redemtionis, ſeſe manifeſtarit, ipſe etiam κατ' ἐξοχὴν *ſapientia* dicatur, *prouerb. VIII, 22.* conf. *Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. 1. Cor. I, 30.* Ex vita etiam, quam in ſemet ipſo aeque ac pater habet, fluit omnipotentia eius, per quam *omnia ſibi ſubiicere poteſt, Phil. III, 21.* Hinc & *omnia verbo potentiae ſuae ferre* adſeritur, *Ebr. I, 3.* Quamobrem & diſerte ὁ παντοκράτωρ adpellitatur, *apoc. I, 8. IV, 8.* itemque *virtus Dei, 1. Cor. I, 24. Luc. I, 35.* Eamque ob cauſſam, ſi nonnullos audias, Chriſtus, *manus* & *dextra Dei, pſ. CXVIII, 16.* itemque *brachium domini, Eſ. LIII, 1.* alibique, vocatur. Non minus & illa attributa, quae vltimam claſſem conſtituunt, quibusue Deus a rebus creatis omnibus praecipue diſcernitur, Chriſto vindicantur. Immenſitas inter ea eminet, quae ex eſſentiae diuinae infinitate fluit. Hanc qui patri tribuit,

buit, filio denegare nequit, quia hic diſerte, *ego*, inquit, *in patre, & pater in me, Ioan. XIV. 20. XVII, 21.* quemadmodum & *cum patre vnum eſt, Ioan. X,30.* Eamdem porro immenſitatem arguit, quod, cum in terris ageret, in caelo ſimul eſſet; *Ioan. III, 13.* eoque & πλήρωσις illa τῶν πάντων pertinet, *Eph. IV, 10.* Haec vero, aliaque, etſi Chriſto ſecundum humanam naturam tribuantur, idque propter vnionem perſonalem vtriusque naturae; non poſſent tamen ita tribui, niſi eidem, vt vero Deo κατὰ φύσιν, ineſſent. Immenſitas autem illa, cum intuitu rerum creatarum, quibus Deus praeſens eſt, *omnipraeſentia* dicatur, hanc quoque eadem ratione Chriſto convenire, teſtimonia ſcripturae luculentiſſima nos dubitare nulla ratione ſinunt; conf. *Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20.* Denique & *aeternitas* huc pertinet, ſeu duratio, initii omnis & finis expers. Eam vero Salomoh ſapientiae ὑποστατικῇ, ſeu filio Dei vindicat, dum ante omnes res creatas eam iam fuiſſe nos condocet, *prou. VIII, 22. ſeq.* itemque Ioannes, τὸν λόγον ἐν ἀρχῇ, *in principio*, rerum ſcilicet omnium, quae a Deo factae ſunt, iam fuiſſe, adſerens, *cap. I. v. 1.* conf. & *apoc. IV, 10.*

** Inter opera diuina primo ſeſe offert loco *creatio.* Haec autem, vt citra omnem controuerſiam virtutem infinitam, vereque diuinam, adeoque ſoli Deo propriam arguit, ita diſerte filio Dei tribuitur. *Omnia* inquit Ioannes, *per ipſum* (τὸν λόγον ſeu filium Dei) *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum, cap. I, v. 3.* itemque *mundus per ipſum factus eſt, v. 10.* Pari ratione & Paulus: *omnia per ipſum condita ſunt, ſiue quae in caelis, ſiue quae in terris ſunt, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & ad ipſum condita ſunt; Coloſſ. I, 16.* Nec mouebit quemquam, quod vtrobique δι' αὐτοῦ *per ipſum*, omnia creata dicantur. Etſi enim ceteroquin particula διὰ cauſſam inſtrumentalem, ſeu minus principalem denotet, ſubinde tamen etiam cauſſae principalis nota eſt; quemadmodum & Paulus eodem modo, quo de filio Dei dixit: πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισθαι, de vero, ſummoque Deo pronuntiat: ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *Rom. XI, 36.* Porro per Chriſtum, ſeu filium Dei ſaecula condita legimus, *Ebr. I, 2.* & *v. 10.* ex *pſ. CII, 26.* ad ipſum dicitur: *tu ab initio, domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt caeli.* Quem in ſenſum & Paulus *1. Cor. VIII, 6.* Chriſtum, *vnum illum dominum* vocat, *per quem omnia.* His etiam ex veteris teſtamenti libris, quae *pſalm. XXXIII, 6. prouerb. VIII, 30.* alibi exſtant, addi poſſent. Creationem merito omnium rerum excipit conſeruatio, de qua Paulus profitetur, quod *omnia in Chriſto* συνέστηκε *conſiſtant, Coloſſ. I, 16, 17.* itemque, quod *omnia portet verbo virtutis ſuae, Ebr. I, 3.* Huc vero etiam miracula pertinent, per quae vt naturae ordo tollitur, ita non niſi ab eo, qui naturae auctor, verusque adeo, & ſummus Deus eſt, edi poſſunt. Chriſtus autem non tantum miracula quam plurima edidit, *Ioan. XX, 30. XXI, 35.* ſed propria quoque virtute, auctoritateque, ad patefaciendam ſuam gloriam edidit, *Ioan. II, 11.* immo, ita edidit, vt ſe iis aequalem patri oſtenderet, *Ioan. V, 17, 18. X, 30.* gloriamque ſuam velvt vnigeniti a Deo patre iis manifeſtaret, *Ioan. I, 14.* vtque ſe verum naturae auctorem demonſtraret, qui *ventis & mari imperare poſſet, Matth. VIII, 27.* Neque ipſe tantum miracula edidit, ſed aliis etiam poteſtatem ea edendi contulit, *Matth. X, 8. Marc. VI, 7. XVI, 17. Luc. X, 19.* Quod quidem ſolius Dei eſſe, nemo diffitebitur. Hinc & in ipſius nomine edita ſunt ab apoſtolis miracula, *actor. III, 6, 12, 16.* A regno naturae ſi ad regnum gratiae transeamus, opus omnium longe maximum generis humani redemtio, ſeſe nobis offert. Eſſe autem Chriſtum humani generis redemtorem,

torem, apud eos, qui nomen eius profitentur, poſitum eſſe debet extra controuerſiam. Idque praeter nomina, quae officium eius deſignant, cumprimis & nomen IESVS nos condocet, quod illi imponendum erat, quia *ſaluaturus eſſet populum ſuum a peccatis ſuis, Matth. I, 21.* Hinc & angelus, qui natiuitatem eius paſtoribus indicauit, ingentem omnibus ſe nuntiare laetitiam dicit, toti populo futuram, ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ, *quia natus eſt hodie vobis ſeruator, Luc. II, 10, 11.* Quod & Paulus confirmat, cum πιστὸν λόγον καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, dicit, *quod Chriſtus Ieſus venerit in mundum, ſeruare peccatores, 1. Tim. I, 15.* Ideoque & μεσίτης vocatur θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, *1. Tim. II, 15.* itemque ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς καὶ σωτηρίας, *actor. III, 15. Ebr. II, 5.* in cuius nomine tantum ſalus mortalibus obtingit, *actor. IV, 12.* Idemque & voce גאל ἐμφατικῶς exprimitur, *Iob. XIX, 25.* & *Gen. XLVIII, 16.* vbi per *angelum redemtorem* non alius quam ſeruator noſter intelligitur; de quo & Eſaias vates pronuntiat, quod ſolus torcular pro nobis calcauerit, *cap. LXIII, 3.* conf. & *Matth. XX, 28. Rom. V, 10. Coloſſ. I, 20. Ebr. I, 3.* Ad redemtionem hancce pertinet peccatorum expiatio, ſeu purgatio, quam Chriſtus per ſe ipſum feciſſe dicitur, *Ebr. I, 3.* conf. & *Eſ. LIII, 4. Ebr. IX, 12, 15. 1. Petr. II, 24.* hominumque cum Deo reconciliatio, *Rom. V, 10. 2. Cor. V, 18.* vnde & ἱλασμὸς, *propitiatio* vocatur, pro noſtris, immo totius mundi peccatis, *1. Ioan. II, 2.* itemque ἱλαστήριον, *propitiatorium*, a Deo ipſo propoſitum, *Rom. III, 25.* Quae quidem reconciliatio ſine plenaria ſatisfactione eſſe nequit; cum non minor iuſtitiae diuinae rigor ſit, quam amoris Dei eſt feruor; quod adeo ex iisdem, quae attulimus, ſcripturae effatis liquet. Coniuncta porro cum iſta redemtione, vt alia taceam, fuit regni infernalis deſtructio, poteſtatisque quam malorum geniorum princeps in homines ſibi arrogauerat, ſolutio; *Gen. III, 15. Ebr. II, 14. Coloſſ. I, 13. II, 15.* Vnde & filius Dei *ad hoc adparuiſſe* dicitur, *vt opera diaboli deſtrueret, 1. Ioan. III, 8.* Haec vero omnia qui paullo adcuratius conſiderauerit, facile intelliget, non ab alio, quam eo, qui ſimul verus Deus eſt, iſta peragi potuiſſe. Idque non tantum res ipſa docet, ſed & ſcriptura diſerte confirmat. Exceptionem non admittit locus, qui *pſalm. XLIX, 8, 9.* exſtat: *Fratrem non redimet* איש *quisquam*, quicumque etiam fuerit, cuiuscumque ſtatus & conditionis, aut dignitatis, *nec dabit Deo pretium redemtionis eius*, eiusmodi ſcilicet, quod iuſtitia diuina exigit; *namque pretioſum eſt pretium redemtionis animae eorum, vt omittat in aeternum*, hoc eſt, vt numquam illud perficere queat. Quod autem ab hominibus fruſtra exſpectatur, id Deum efficere poſſe, eiusdem pſalmi auctor *v. 16.* profitetur: *verum, Deus redimet animam meam e manu inferni.* Sed alibi quoque opus redemtionis ſoli Deo tribuitur, vt *pſ. CXXX, 8. Eſ. XLIII, 11, 12.* Vt autem redemtio iſta hominum fundamentum eſt regni gratiae, a Deo inter homines conſtituti; ita & reliqua, quae ad eiusdem regni oeconomiam pertinent, non minus diuinam ſeruatoris gloriam atque maieſtatem produnt. Ipſe namque, ceu ſupremus regni huius dominus, omnes homines ad regnum hocce vocat, & inuitat, ipſe, ceu paſtor ſupremus, omnibus praeeſt, iisque, qui voci eius obediunt, ζωὴν καὶ περισσὸν largitur, *Ioan. X, 10.* Vnde & Paulus eum τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν adpellitat, *Ebr. XIII, 20.* Cumprimis autem in eo diuinam ſuam poteſtatem manifeſtauit, quod apoſtolos, aliosque eccleſiae miniſtros, qui mortalibus viam ad aeternam ſalutem monſtrarent, conſtituit, *Matth. XXVIII, 19. Luc. XXIV, 46. ſeq. Epheſ. IV, 11.* Neque vocat tantum homines ad regnum illud gratiae, ſed eos etiam, qui vocationi huic non repugnant, illumi-

Digitized by Google

illuminat, conuertit, fidemque in illis producendo, regenerat. Vnde *a Deo datus* dicitur, *in lucem gentium*, *ad aperiendum oculos caecorum*, *Eſ. XLII*, *6*, *7*. *XLIX*, *6*. *Luc. II*, *32*. itemque *vita hominum*, pariterque *lux vera, illuminans omnes homines venientes in hunc mundum*, *Io. I*, *4*, *9*; *lux mundi*, *Io. VIII*, *12*. *IX*, *5*; *veniens in mundum*, *vt credentes in eum in tenebris non maneant*, *Io. XII*, *46*, *ſine cuius colluſtratione cordis nemo cognoſcere poteſt*, *quis ſit pater & filius*, *Luc. X*, *22*. Eamdemque ob cauſſam & ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, *act. III*, *15* itemque τῆς πίστεως ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς, *Ebr. XII*, *2*, vocatur; vt intelligamus, fidei pariter ac vitae omnis ſpiritualis in hominibus eum eſſe auctorem. Atque haec quidem omnia, vti & reliqua, ad oeconomiam regni gratiae ſpectantia, quae breuitatis ſtudio praetermittimus, diuinam itidem, & plane infinitam virtutem ac potentiam arguere, nemo profecto, qui ſpirituali iudicio cuncta aeſtimare didicit, negauerit. Regeneratio ſane non minorem potentiam requirit, quam rerum omnium ex nihilo productio, *1. Cor. I*, *28*. *pſ. LI*, *12*. & illuminatio, non niſi ab eo proficiſci poteſt, qui in creationis initio dixit: *fiat lux*, *2. Cor. IV*, *6*. Vitae porro ſpiritualis productio ab eo demum exſpectari poteſt, qui mortuos reſuſcitare, vitamque illis largiri poteſt, *Eph. II*, *1*. *V*, *14*. *Coloſſ. II*, *13*. Vnde & Paulus in hiſce omnibus agnoſcit τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, & quidem κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *Epheſ. I*, *19*. Sunt equidem in hiſce nonnulla, quae a trinitatis diuinae hoſtibus, vtpote in Pelagii caſtris militantibus, non admittuntur: praeterquam vero, quod hoc ipſo mentis ſuae caecitatem prodant, meritoque de illis dici queat, quod de Sadducaeis ſuo tempore ſeruator ipſe pronuntiauit: *erratis, non intelligentes ſcripturas, neque potentiam Dei, Matth. XXII*, *29*, ideo, quod ab eiusmodi hominibus aut negentur, aut in peruerſum detorquentur ſenſum, robore ſuo & efficacia deſtitui, minime cenſenda ſunt. Si quis modo ſpirituali, ad haecce diſcernenda, iudicio praeditus ſit, animumque, praeiudicatarum opinionum expertem ſecum adferat, longe haec eſſe validiſſima, efficaciſſimaque, facile deprehendet. Sed, vt reliqua proſequamur, ſuperſunt adhuc, quae ad oeconomiae gratiae conſummationem pertinent, reſuſcitatio mortuorum, & extremum iudicium. Et ad mortuorum quidem quod attinet reſuſcitationem, eam ſolius Dei opus eſſe, nemo dubitauerit; conf. *Ezech. XXXVII*, *12*. *pſ. XC*, *2*, *3*. *Rom. IV*, *19*. *20*. *2. Cor. I*, *9*. Chriſtus autem mortuos non tantum viuificat, ſed propria potentia viuificat, quos ipſe vult, *ſicut pater*, *Io. V*, *21*. Et ſicut ad verbum Dei potentiſſimum in creatione rerum omnium ſtatim exſiſtebant, quae antea non erant, ita ad vocem filii Dei, mortui e monumentis ſuis exibunt, *ib. v. 28*, *29*. Nec tantum corpora reſtituentur integra, ſed etiam, ad electos quod attinet, glorificata, idque per *potentiam Chriſti infinitam*, *qua omnia ſibi ſubiicere poteſt*, *Phil. III*, *20*, *21*. Hinc & Chriſtus de ſe ipſo dicit: *ego ſum* ἀνάστασις καὶ ζωή, *Io. XI*, *25*, quod & mox Lazari reſuſcitatione comprobauit, *v. 43*. Mortuorum reſuſcitationem iudicium vniuerſale excipiet; ad quod cum infinita ſcientia, vis, atque poteſtas requiratur, non poteſt non ſoli Deo eſſe proprium, cui adeo & in ſcriptura tribuitur; conf. *pſ. IX*, *8*, *9*, *L*, *6*. *LXXV*, *8*. *XCIV*, *2*. Si ergo ſolus Deus ſupremus ille iudex eſt, Chriſtum verum eſſe Deum oportet, quippe qui hocce ſibi diſerte ipſemet vindicat, *Matth. XXV*, *31*. Hinc & *vir ille* dicitur, *per quem Deus, prouti decreuit, iudicaturus eſt orbem terrarum in iuſtitia*, *act. XVII*, *31*. conf. & *act. I*, *11*. Ipſemet quidem, a patre ſibi eam iudicandi poteſtatem traditam, profitetur, *Ioan. V*, *27*. Quod vti de hu-

Digitized by Google

mana eius natura intelligendum, ita & ſecundum eam tradi non potuiſſet, niſi verus ſimul eſſet Deus.

*** Solum Deum cultu religioſo proſequendum, ipſa ratio omnes euidentiſſime condocet. Confirmat idem ſcriptura ſacra. *Dominum Deum tuum adorabis*, inquit Moſes, *& ipſi ſoli ſeruies*, *Deut. VI, 13. & X, 20*; quod & ipſe ſeruator repetit, *Matth. IV, 10.* conf. & *apoc. XXII, 9.* Dum ergo Chriſto eiusmodi cultus religioſus tribuitur, non poteſt non pro vero, ſummoque Deo haberi. Tribuitur autem tam luculenter, vt nihil, plane, quod excipi iure queat, ſuperſit. Ipſemet ſeruator hoc profitetur, quod *omnes debeant honorare filium*, καθὼς, *quemadmodum honorant patrem*, *Io. V, 23.* Eodem itaque plane modo ſi honorandus eſt, quo pater honoratur, religioſe vtique, cultuque, ſoli Deo conuenienti, eſt colendus. Neque pater concedere illi hunc cultum potuiſſet, niſi ipſe quoque filius, verus ſummusque eſſet Deus, cum diſerte ſe *alteri*, qui verus Deus non eſt, *eum daturum neget*, *Eſ. XLII, 8. XLVIII, 11.* Confirmat idem apoſtolus, quando adſerit, quod *Chriſto curuari debeant omnium genua, ſiue caeleſtium, ſiue terreſtrium, ſiue inferorum, Phil. II, 10.* Immo, hic eſt, quem omnes angeli adorare debent, vti idem gentium doctor ex *pſalm. XCVII*, docet, *Ebr. I, 6.* Quo cultu adeo etiam eum, vtut adhuc infantem, proſequuti ſunt magi, *Matth. II, 11.* Etſi enim vox προσκυνεῖν ceteroquin etiam cultum ciuilem denotet, eum tamen hic intelligi non poſſe, res ipſa docet. Quem enim in finem eiusmodi cultum infanti, ſi pro mero homine eum reputaſſent, exhibuiſſent? quippe qui nihil eorum, quae agebantur, aut cognoſcebat, aut intelligebat. Nec in parentum gratiam id agere poterant, quippe qui, in ſumma paupertate conſtituti, eiusmodi quid nec exigebant, nec permiſſuri erant. Niſi itaque dicere velis, magos iſtos neſciuiſſe plane, quid agerent, admittendum, eos infantem iſtum cultu religioſo, ſolique Deo conuenienti, fuiſſe proſequutos. Trinitatis hoſtibus, in contrarium hic abeuntibus, frigidam ſubfundit RICH. SIMON, in *verſione gallica N. T.* & *notis ad Matth. II, 2. & 11.* itemque in *bibliotheca critica*, *tom. II. c. 8. & 9.* quem ideo caſtigaui in *proluſione* quadam *academica*, quae in *meditationibus ſacris*, *ſyntagmati diſſertationum theologicar.* ſubiectis, exſtat *p. 56.* Quanti autem ponderis hocce, de adoratione & cultu Chriſti religioſo argumentum ſit, vel inde intelligitur, quod ipſi trinitatis hoſtes, eodem ſe premi ſentientes, in diuerſas abierint ſententias. Quidam enim Chriſto cultum religioſum deferendum plane negarunt, vt FRANC. DAVIDIS, quem nonnulli in Hungaria ſequuti ſunt. Hunc refutauit FAVSTVS SOCINVS ipſemet, cuius exſtat *de Ieſu Chriſti inuocatione diſputatio*, FRANC. DAVIDIS oppoſita, *tom. 2. oper.* eius *p. 713. ſeq.* Contendit nimirum SOCINVS, Chriſtum adorari & inuocari poſſe, *quia illum adorando, illique ſeruiendo, hunc cultum non ipſi Chriſto praecipue, ſed Deo, qui ad tantam maieſtatem eum extulit, reuera praeſtamus, l. c. p. 715.* Addit vero, quibusdam interiectis, porro: *Chriſtum autem non in omnibus inuocare poſſumus, ſed in iis tantum, quorum largiendi poteſtatem a Deo adeptus eſt. Non exſtat autem praeceptum de inuocando Chriſto, vt videtur exſtare, de illo adorando, deque illi confidendo, quia, etſi eum inuocare poſſumus, non tamen tenemur. Chriſti enim inuocatio, vt modo dicebamus, ad nos in fide confirmandos pertinet, & ad fragilitatem noſtram ſubleuandam. Quod ſi quis tanta eſt fide praeditus, vt ad Deum ipſum perpetuo recta accedere audeat, nec conſolatione, quae ex Chriſti, fratris ſui, per omnia tentati, inuocatione proficiſcitur, indigeat, huic non opus est, vt Chriſtum inuocet.* Ex quibus adeo liquet, mentem SOCINI de inuocatione

Digitized by Google

tione Chriſti hanc eſſe: adorari equidem, immo & inuocari Chriſtum poſſe, quia Deus hunc honorem illi conceſſerit; nec tamen ad hoc nos eſſe obſtrictos, immo, maioris perfectionis documentum eſſe, ſi quis non Chriſtum, ſed Deum ipſum inuocer. Fuerunt tamen rurſus alii, inter eosdem trinitatis hoſtes, qui nec DAVIDIS, nec SOCINI adprobarunt ſententiam, Chriſtumque omnino religioſe inuocandum, nec id pro ſigno imperfectionis cuiusdam habendum, contenderunt: vt BLANDRATA, qui SOCINVM ad refellendum DAVIDIS errorem euocauerat, vt ex WISSOWATIO refert SANDIVS, in *append. ad nucl. hiſt. eccleſ. p. 89.* Sed, in quamcumque iſti homines ſeſe conuertant partem, numquam inde ſeſe expedient. DAVIDIS impietatem euidentiſſima ſcripturae teſtimonia, ab ipſo SOCINO adlata, & perpetua eccleſiae praxis ſatis refellunt. SOCINI commentum, Chriſtum equidem adorandum, & inuocandum eſſe, quia hunc honorem ipſi Deo praeſtemus, abſonum eſt. Cum enim cultus religioſus Deo ita conueniat, vt absque idololatriae crimine nulli rei creatae tribui queat, Deus vtique, ſalua ſanctitate ſua, Chriſto hoc concedere non potuit, niſi & ipſe verus Deus eſſet. Certe, ſe honorem ſibi proprium alteri, qui non ſit Deus, daturum, diſerte negat, *Eſ. XLII, 8. XLVIII, 11.* vti iam antea obſeruauimus. Falſum itaque eſt, quod idem porro comminiſcitur, nos ad Chriſti inuocationem non eſſe obſtrictos, item, maioris perfectionis eſſe, ſi quis non Chriſtum, ſed Deum ipſum inuocet. Si enim Chriſtus verus Deus non eſt, crimen eſt, eum inuocare; ſi verus Deus, ad eius inuocationem obſtricti ſumus. Diſcrimen equidem facit, inter *adorationem* & *inuocationem:* ſed, cum non alia, quam religioſa adoratio hic in cenſum veniat, haec non minus quam inuocatio, ſoli Deo eſt propria, & Chriſto, niſi verus Deus eſſet, tribui non poſſet. Videant itaque SOCINI adſeclae, quo pacto ab idololatriae crimine ſeſe expediant, dum honorem ſoli Deo debitum, illi, quem pro vero Deo non habent, tribuunt. Quod quidem telum multo adhuc validius BLANDRATAM, eiusque adſeclas, premit. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

His, quae hactenus pro adſtruenda Chriſti diuinitate attulimus, argumentis, illud denique addi poteſt, quod ex dictorum ſcripturae, veteris ac noui teſtamenti collatione exſurgit. Quando enim ea, quae in veteri teſtamento de vero ſummoque Deo dicta ſunt, in nouo de Chriſto ſeruatore noſtro diſerte explicantur, non poteſt non inde conſequi, Chriſtum verum illum, ſummumque Deum eſſe. Vt ex plurimis exemplis vnum ſaltem alterumue adferamus, is, quem Iſraelitae, in deſerto tentarunt, extra omnem controuerſiam fuit verus atque ſummus Deus; *Num. XXI, 5, 6. pſ. XCV, 1, 2, 9.* At Chriſtum eum eſſe, quem Iſraelitae in deſerto tentarunt, exſerte apoſtolus nos condocet, *1. Cor. X, 9. Neque tentemus Chriſtum,* inquir, *ſicut & quidam illorum tentauerunt* (eum). Memini cum aliquando homini, in hoſtium trinitatis caſtris militanti, hoc argumentum opponerem, nihil aliud, quod regereret, eum habuiſſe, quam pro χριστὸν in quibusdam codicibus legi θεόν. Et verum ſane eſt, in quibusdam codicibus ita legi, itaque legendum, cenſet quoque GROTIVS *ad h. l.* Receptam vero lectionem non tantum codices longe plures, praeſtantioresque, ſed IRENAEVS quoque, THEODOTVS, aliique ſcriptores graeci atque latini, comprobant. Conferenda, quae ad hunc locum obſeruat MILIVS. Is, de quo *pſ. XLV, 7, 8.* ſermo eſt, ita ibi deſcribitur, vt non poſſit non verus ſummusque Deus intelligi. Non tantum enim diſerte Deus vocatur, *v. 8.* ſed thronus quoque aeternus illi tribuitur, *v. 7.* Seque ipſos profecto traducunt turpiter, verbisque euidentiſſi-

Digitized by Google

mis vim apertam inferunt, qui pſalmum huncce de Salomone explicant. Ad Chriſtum pertinere, quae *v. 7.* & *8.* dicuntur, Paulus nos condocet, *Ebr. I, 8.* quem adeo verum eſſe Deum, recte inde concluditur. Is, qui *pſalmo LXVIII, 19. in caelum adſcendiſſe,* & *dona dediſſe hominibus*, dicitur, haud dubio verus ſummusque Deus eſt, cum non tantum in praecedentibus ſubinde *dominus*, (ארני) immo & *v. 5.* יה; ſed & *v. 9. Deus Israelis* vocetur. At, hunc non alium, quam Chriſtum ſeruatorem eſſe, rurſus Paulus oſtendit, *Eph. IV, 8.* Is, *quem adorare debent omnes angeli*, & *in quo exſultant filii Iudae*, quia *dominus altiſſimus eſt ſuper omnem terram, pſ. XCVII, 7, 8, 9.* haud dubio eſt verus ſummusque Deus. Non vero alius is eſt, quam Chriſtus, teſte apoſtolo, *Ebr. I, 6.* Is, qui terram fundavit, caeloſque ipſos condidit, quiue ſimul aeternus eſt, & nulli mutationi obnoxius, *pſ. CII, 26. ſeq.* verus eſt, ſummusque Deus. De Chriſto vero haec adſerit apoſtolus, *Ebr. I, 10* Is, quem Dauid ipſe *dominum ſuum* vocat, quiue *ſedere debebat ad dextram domini, pſ. CX, 1, 2.* cuius porro *regnum pariter ac ſacerdotium aeternum eſt, ſecundum ordinem Melchiſedec, v. 4.* itidem non poteſt non verus eſſe Deus. Non autem de alio, quam de Chriſto hoc intelligi poſſe, & ipſemet nos condocet, *Matth. XXII, 41.* & Paulus quoque *Ebr. V, 6.* Hisce longe plura ex libris propheticis addere poſſem, niſi haec ſufficere exiſtimarem. Id ſaltem adhuc moneo, quae hactenus diſputauimus, non tantum ὁμοουσίαν filii cum patre euincere, ſed maximam partem ita comparata eſſe, vt filii ὑπόστασιν ab ὑποστάσει patris diſtinctam demonſtrent. Quod cum quilibet facile intelligat, vt ſpeciatim circa ſingula argumenta hoc indicaremus, ſuperuacaneum viſum fuit.

* Nomen θεοῦ ſpiritui ſancto tribuitur, *act. V, 3, 4.* Cum enim *v. 3.* Petrus dixiſſet: *cur ſatanas impleuit cor tuum, mentiri te ſpiritui ſancto?* ſtatim *v. 4.* ſubiicit: οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ, *non mentitus es hominibus, ſed Deo.* Is ergo, cui πρώτως ſeu praecipue in apoſtolis mentitus eſt Ananias, dicitur, & eſt Deus ipſe. At mentitus eſt ſpiritui ſancto; quod non tantum *v. 3.* adſeritur, ſed & *v. 9.* repetitur: *quid conuenit vobis tentare ſpiritum domini?* Spiritus ergo ſanctus eſt & vocatur Deus. Nec mouebit quemquam, quod verbum ψεύδεσθαι *v. 3.* de ſpiritu ſancto in accuſandi, deinde autem *v. 4.* de Deo in dandi caſu adhibeatur. Eodem enim ſenſu verbum hocce modo cum datiuo, modo cum accuſatiuo caſu conſtruitur. Priori modo occurrit in verſione LXX interpretum, *prou. XIV, 5.* poſteriori modo *Iob. XXXIV, 6. pſ. LXXVIII, 36. LXXXIX, 35.* Recte id obſeruatum GROTIO ad *act. V, 3.* Temeritatis itaque notam vix effugiet, vir ceteroquin ob modeſtiam laudandus, LIMBORCHIVS; quando adſerit, *nomen quidem Dei nusquam exſerte ſpiritui ſancto tribui.* Cumque ipſemet locum huncce, de quo verba facimus, ſibi obieciſſet, ex quo per conſequentiam illud intelligi poſſet, reſpondet: *illo in loco per ſpiritum ſanctum dona ſpiritus ſancti, quibus apoſtoli inſtructi erant, & nomine Dei loquebantur, intelligi videntur: mentientes itaque apoſtolis, per ſpiritum Dei ſanctum loquentibus, recte ſpiritui ſancto mentiri dicuntur &c. theol. chriſt. l. 2. c. 17. §. 23.* Quis autem ferat hanc loquendi rationem: *Ananias mentitus eſt donis ſpiritus ſancti*; itemque, *Ananias, & Saphira tentarunt dona ſpiritus ſancti.* Non puto, quemquam ſanae mentis hominem ita loqui. Nec enim dona aut virtutes ὑποστάσεις ſunt, ratione praeditae, quibus aliquis mentiri, aut quas tentare poſſit. Sunt vero & alia loca, quibus probari queat, ſpiritum ſanctum Deum vocari. *Vos eſtis templum Dei viui*, inquit apoſtolus, *2. Cor. VI, 16, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis.* Rurſus idem gentium doctor,

ctor, credentes in Chriſtum templum eſſe ſpiritus ſancti, docet: *neſcitis,quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, 1. Cor. III, 16;* & iterum: *an neſcitis, quoniam membra veſtra ſunt templum ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt; c. VI, 19.* Spiritus itaque ſanctus Deus eſt, qui in cordibus credentium habitat. Eum porro, a quo diuerſae in eccleſia operationes ſunt, quiue *operatur omnia in omnibus*, vnum illum, verumque Deum eſſe, Paulus docet, *1. Cor. XII, 6.* Spiritum vero ſanctum eum eſſe, a quo diuerſae ſunt in eccleſia operationes, quiue omnia in omnibus operatur, idem *v. 11.* pronuntiat. Per vnum itaque verumque Deum, ſpiritum ſanctum intelligit. Nec obſtat, quod *v. 4, 5, 6*, nomina, *ſpiritus, dominus, Deus,* hoc eſt, *pater*, ὑποστατικῶς ſumantur. Cum enim ex iisdem, qui omnibus tribuuntur, effectibus, ὁμουσία patris, filii, & ſpiritus ſancti ſequatur, nihil impedit, quo minus vox Dei, ſimul & ὑποστατικῶς de Deo patre, & οὐσιωδῶς de ſpiritu quoque ſancto accipiatur.

** Omniſcientia namque diſerte ſpiritui ſancto *1. Cor. II, 10.* tribuitur: *Spiritus* πάντα, *omnia ſcrutatur*, (ſcrutantium inſtar omnia intime perſpecta habet) *etiam* τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, *profunditates Dei*,. immo *v. 11.* additur: *nemo nouit, quae ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei.* Hinc & nos *docet omnia, & de omnibus, Io. XIV, 26. 1. Ioan. II, 20;* eum *nemo inſtruit, Eſ. XL, 13.* ipſe contra inſtruit omnes, ceu *ſpiritus ſapientiae, intelligentiae,* ac *ſcientiae, Eſ. XI, 1, 2. Epheſ. I, 17.* Omnipotentia eius indicatur, quando dicitur, *digitus* Dei *Luc. XI, 20.* collat. cum *Matth. XII, 28. virtus & potentia Dei, Luc. XXIV, 49. ſpiritus potentiae, Eſ. XI, 2. act. X, 38.* Omnipotentiam pariter, ac ſummam eius in agendo libertatem Paulus nos condocet, adſerens, quod *diſtribuat ſingulis dona ſua, prout vult, 1. Cor. XII, 11.* De immenſitate, ſeu omnipraeſentia ſpiritus ſancti, teſtatur Dauid: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? pſ. CXXXIX, 7.* Eodemque pertinet, quod in cordibus fidelium, ceu in templo, habitare dicitur, *1. Cor. III, 16. VI, 19.* Aeternitatem porro eius arguit, quod *ſpiritus Dei* dicitur, ſeu *qui in Deo eſt, 1. Cor. II, 10, 11.* quiue *a patre procedit, Ioan. XV, 26.* ſine quo adeo Deus numquam fuit. Maieſtas denique & gloria, ſoli Deo conueniens, illi tribuitur, quando in nomen eius, aeque ac patris & filii baptizari iubemur, *Matth. XXVIII, 19.*

*** Et in regno naturae, & in regno gratiae eiusmodi opera ſpiritui ſancto tribuuntur, quae, verum eum eſſe Deum, luculenter euincunt. In regno quidem naturae, creatio pariter ac conſeruatio, *pſalm. XXXIII, 6,* collat. cum *Gen. I, 2. Iob. XXXIII, 4. Eſ. XL, 12, 13.* In regno autem gratiae, nonnulla quidem circa ipſum redemtorem noſtrum peregiſſe dicitur, quae non poſſunt non verum Deum demonſtrare, vt miſſio eius, *Eſ. XLVIII, 16.* itemque vnctio, *pſalm. XLV, 8. Eſ. LXI, 1.* conf. & *Matth. III, 16.* Quaedam autem ad ipſos credentes pertinent, vt illuminatio, *Epheſ. I, 17,* regeneratio, *Tit. III, 5,* ſanctificatio, *Rom. I, 4,* & donorum quorumuis ſpiritualium collatio, *Rom. VIII, 9. ſeq. 1. Cor. XII, 7.* Sed & eccleſiae huc pertinet conſtitutio atque directio; quam, vt diuinae maieſtatis atque potentiae opus eſſe nemo negauerit, ita paſſim ſpiritui ſancto adſcribitur; conf. *act. VIII, 29, 39. XI, 12. XIII, 2, 4. XV, 28. XX, 28.* Spectat huc etiam, quod ſpiritus ſanctus per Moſen atque prophetas loquutus ſit: qua de re deinceps, cum dictorum veteris & novi teſtamenti comparationem inſtituemus.

* Vt praecipua cultus diuini pars eſt, invocatio, ita ſpiritum quoque ſanctum non minus, ac patrem, filiumque recte inuocari, vt dona quaeuis ſpiritualia ab eo impetremus, exemplum Pauli nos condocet,

Digitized by Google

2. Cor. XIII, 13. itemque Ioannis, *apoc. I, 4.* Adprecatio enim ſine inuocatione fieri nequit, cum bona illa, quae alteri adprecamur, ab eo conferri velimus, qui ſolus poteſtatem ea conferendi habet, & a quo ſolo etiam ea expetere fas eſt. Huc etiam pertinet, quod non minus in nomen ſpiritus ſancti, quam patris & filii, baptizari iubeamur, *Matth. XXVIII, 19.* vti iam antea obſeruauimus. In cuius autem nomen baptizamur, in eum etiam credimus. Sicut ergo in ſolum Deum credimus, quippe in quo & praecipua cultus diuini pars conſiſtit, ita etiam ſpiritum ſanctum verum Deum eſſe, recte inde colligitur. Solus porro Deus a nobis poſtulare poteſt, vt corda noſtra, ceu templa, illi conſecremus, *Eſ. LVII, 15.* Luculentiſſimum enim hoc eſt cultus diuini documentum. Hicce vero honor etiam ſpiritui ſancto tribuitur, *1. Cor. III, 16.* & *VI, 19.* Solus quoque Deus per peccata & legis transgreſſionem tentatur, cum ei ſoli, ceu ſupremo legislatori, *Iacob. IV, 12.* debeamus obſequium; conf. *pſ. LXXVIII, 17. XCV, 6. CVI, 14.* At, ſpiritum ſanctum ab Anania tentatum, Petrus perhibet, *act. V, 9,* & ab Iſraelitis, Paulus, *Ebr. III, 7. ſeq.* Hiſce, quibus hactenus probauimus, ſpiritum ſanctum verum eſſe Deum, argumentis, itidem illud adhuc addi poteſt, quod dictorum veteris nouique teſtamenti collatio nobis ſuppeditat. Is namque, qui in veteri teſtamento per Moſen atque prophetas loquutus eſt, dicitur, & eſt Iehouah, *Exod. IV, 12. 2. Sam. XXIII, 3. Eſ. VI, 8.* Nec ſane alius verbi diuini cauſſa principalis eſſe poteſt, quam verus Deus. Spiritum vero ſanctum eum eſſe, qui per Moſen atque prophetas loquutus eſt, diſerte condocemur, *actor. I, 16. XXVIII, 26. Eph. III, 5. 1. Petr. I, 11. 2. Petr. I, 21.* Haud exiguum denique ſententiae noſtrae inde accedit robur, quod illi ipſi, qui in diuerſa hic abeunt, ipſimet inter ſe non conueniant, quid de ſpiritu ſancto ſtatuere debeant. Plerique equidem ex eorum numero virtutes, ſeu dona ſpiritualia indicari putant, quotiescumque ſpiritus ſancti in ſcriptura ſacra fit mentio. Verum, cum & nomina, & attributa perſonalia, & actiones etiam, ſpiritui ſancto ſubinde tribuantur, hanc non poſſe locum inuenire ſententiam, nemo non perſpicit. Cum ſpiritus ſanctus *paracletus* dicitur, *Io. XVI, 7,* cum *ſpiritus veritatis* vocatur, qui ducturus homines ſit in omni veritate, *ib. 13,* cum inter teſtes caeleſtes, aeque ac pater & filius, refertur, *1. Io. V, 7.* ecquis de virtute quadam, ac dono ſpirituali hoc intelligeret? Nonne vero abſonum eſſet, virtuti cuidam, aut dono ſpirituali, omniſcientiam, omnipraeſentiam, ac omnipotentiam tribuere? Loca autem, in quibus de ſpiritu ſancto haec pronuntiantur, iam antea laudauimus. Et quis non ὑπέχοιν cogitaret, cum ſpiritus ſanctus ob creationem mundi celebratur, aut quando idem illuminare, conuertere, regenerare, & ſanctificare homines dicitur? Recte hoc perſpexit, ſed in nouum errorem prolapſus eſt SANDIVS, per ſpiritum ſanctum, ſanctorum angelorum genus intelligi poſſe, exiſtimans, in *problemate paradoxo, de ſpiritu ſancto, annon per illum angelorum ſanctorum genus intelligi poſſit? vna cum refutatione opinionis Socinianorum, ſpiritum ſanctum perſonam eſſe negantium.* Enimuero, quodcumque demum intelligatur angelorum genus, de nullis angelis creatis ea adfirmari poſſunt, quae ſpiritui ſancto tribuuntur. Ecquis enim de angelo creato adſereret, eum eſſe omniſcium, omnipotentem, omnipraeſentem? quis cultum religioſum illi deferret? quis diceret, ab angelo non minus, quam Deo, mundum creatum eſſe? aut, angelum eſſe, qui homines conuertat, illuminet, regeneret, ſanctificet? Quod autem de vno angelo, & quidem creato, adſeri nequit, id neque de pluribus, aut certo genere, vel choro angelorum, dici poteſt.

§. L. Nec

§. L. Nec tamen inde colligere licet, non vnum, ſed tres eſſe Deos, cum eadem haecce ſcriptura, quae tam clare docet, & patrem, & filium & ſpiritum ſanctum eſſe Deum, non minus luculenter & conſtanter adſerat, vnum tantum eſſe Deum. *

* Hoc ſupra iam ad *§. 13.* tum ex ratione, tum ex *Deut. VI, 4. Eſ. XLIV, 6.* aliisque ſcripturae dictis, demonſtrauimus. Accedit, quod, cum ſcriptura ſacra de patre, filio, & ſpiritu ſancto nos erudiat, nullibi tamen tres deos, aut plures, quam vnum, commemoret. Nec de vnitate ſpecifica, quam vocant, ſed numerica, hoc eſt capiendum, vt itidem ſupra iam monuimus. IOANNES enim grammaticus, PHILOPONVS cognomine dictus, in illum prolapſus eſt errorem, vt Deum, intuitu perſonarum, ſpecie ſaltem vnum adferret; vnde non poterat non conſequi, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum tres eſſe deos: quamobrem & illis, qui camdem ſequuti ſunt ſententiam, *tritheitarum* nomen haeſit. Ex Ariſtotelicae philoſophiae abuſu hunc eius errorem enatum, aliis iam obſeruatum eſt. Hinc & NICEPHORVS CALLISTVS, qui de eo ex inſtituto agit, ἐν τοῖς Ἀριστοτέλους πλοκαῖς, *in Ariſtotelis perplexitatibus eum maxime deſudaſſe*, pronuntiat; *hiſt. eccleſ. l. 18. c. 46. p. m. 872.* De re ipſa praeclare diſſerit AVGVSTINVS, oſtendens, diuinam eſſentiam, ſi cum perſonis comparetur, nec genus eſſe, nec ſpeciem, *lib. 7. de trinitate, c. 6.* Addenda, quae copioſe hac de re adfert PETAVIVS, *dogm. theol. tom. 2. l. 4. c. 13. ſeq. p. 245. ſeq.*

§. LI. Vt, quae ſcriptura ſacra hac de re docet, breuiter efferrentur, & erroribus omnibus, qui facili irrepere negotio poſſunt, obuiam iretur, placuit veteri eccleſiae, voces, *eſſentia* ac *perſona*, adhibere, vſque adeo receptum, vt *tres* in *vna eſſentia diuina perſonae* adferantur.* Quem quidem merito retinemus loquendi modum, cum, ſi rem ipſam ſpectes, illud ipſum, quod ſcriptura ſacra docet, rotunde, & ſine ambagibus, inſinuet, nec vlla praegnans ratio adferri queat, cur ſit reiiciendus. **

* Non vna eademque ratione veteris eccleſiae doctores de myſterio trinitatis loquuti ſunt, nec iisdem vſi ſunt vocibus, etſi in re ipſa conſentirent. Et ad graecos quidem quod attinet, occurrunt apud eos voces, οὐσία *eſſentia*, φύσις *natura*, μορφὴ *forma*, εἶδος *ſpecies*, itemque ὑπόστασις, *ſuppoſitum*, πρόσωπον, *perſona*, ὕπαρξις, *ſubſiſtentia*. Sed maxime voces οὐσία & ὑπόστασις hic in cenſum veniunt. Et ad priorem quidem quod attinet, eam non minus ac vocem φύσις ac μορφὴ de eſſentia diuina adhibitam, IO. DAMASCENVS nos condocet: οὐσία, καὶ φύσις, καὶ μορφὴ, κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας, ταυτόν ἐστι, *ſubſtantia, & natura, & forma, vt ſanctis patribus placet, idem ſunt; in iſagoge ſeu inſtitutione elementari ad dogmata, cap. 1. tom. 1. oper. p. 515.* Nec tamen vox οὐσία ad id, quod hodie nos eſſentiam vocamus, exprimendum, ſatis commoda viſa eſt. Cum enim apud philoſophos, ARISTOTELEM maxime, οὐσία ſubſtantiam ſingularem indiuiduamque ſignificet, fuerunt tum inter orthodoxos, tum inter haereticos, qui hacce voce pro ὑποστάσει ſeu perſona vterentur, dum illi quidem, ſenſu minime culpando, plures οὐσίας, hoc eſt, perſonas, in Deo admitterent; hi autem, ad reale perſonarum diſcrimen tollendum, vnicam οὐσίαν, ſeu perſonam

ſonam adſererent; quod Sabellius cumprimis, & qui cum eo vnum eumdemque errorem fouebant, faciebant. Loca veterum hac de re adfert PETAVIVS, qui & ex Ariſtotelis maxime philoſophia errorem huncce prognatum contendit. *Igitur Ariſtotelis*, inquit, *ac philoſophorum ceterorum opinione perfuſi trinitatis hoſtes, haeretici, impium dogma chriſtianam in fidem invexerunt. Etenim Sabellium, & qui ante hunc errorem eumdem tutati ſunt, arbitror,* οὐσίαν μίαν *ſiue* μονούσιον θεὸν, *plane Ariſtoteleo ſenſu defendiſſe, vt ſubſtantiam primam, ſiue indiuiduam in Deo ſingularem, & ſolitariam eſſe dicerent, tam ſecundum eſſentiam, quam ſecundum exſiſtendi, ſubſiſtendive modum, quoniam talis a philoſophis* οὐσία *prima ponebatur; dogmat. theol. tom. 2. l. 4. c. 2. p. 184.* Huic ergo Sabellii errori & loquendi rationi, qua errorem ſuum palliabat, dum ſe opponebant alii, non dubitabant, tres οὐσίας admittere. Ita GREGORIVS Nyſſenus, contra Eunomium diſputans, concedit, ſtatui contra Sabellianos tres οὐσίας poſſe, ſed monet ſimul, οὐσίαν tum pro ὑποστάσει vſurpari; *lib. 1. contra Eunomium, p. 67.* Idem etiam eodem in opere *lib. 12. p. 301.* patrem τὴν μὴ γεννηθεῖσαν οὐσίαν, *non genitam ſubſtantiam*, vocat. Nec ab iſto vocis vſu abhorret EPIPHANIVS, *haereſ. 76. p. 942.* Conſuetudine tamen invaluit, vt a plerisque vox haecce non in ſenſu philoſophico, ſed eccleſiaſtico, & orthodoxo adhiberetur; quo eſſentiam tribus diuinitatis perſonis, in vnitate numerica communem, denotat; vel, vt ATHANASIVS, *dial. 1. de trinit.* qui *tom. 2. oper. p. 159. ſeq.* exſtat, loquitur; ἡ οὐσία τὴν κοινότητα σημαίνει. Quod de voce οὐσία diximus, idem & de voce ὑπόστασις eſt obſeruandum; nec in eius vſu omnes conſenſiſſe. Vt enim nonnulli vocem οὐσία pro ὑποστάσει, vti diximus, accipiebant, ita longe plures per ὑπόστασιν intellexerunt οὐσίαν ſeu *eſſentiam*, adſerentes, patris, filii, ac ſpiritus ſancti vnam eſſe ὑπόστασιν. Nonnullos ſane eccleſiae doctores, tum ante, tum poſt concilium Nicaenum, hac voce ita vſos, conſtat: immo, & ipſos concilii Nicaeni patres, non ſatis adcurate diſcrimen inter οὐσίαν & ὑπόστασιν obſeruaſſe, nonnulli contendunt; idque vel inde perſuaderi poſſe putant, quod ipſe ATHANASIVS haud temere alium in ſenſum hanc vocem vſurpet, quam pro οὐσίᾳ ſeu *eſſentia*, plerisque in libris, quos longe poſt Nicaenae tempora ſynodi conſcripſit. Certe, Sardicenſis concilii patres, in *epiſtola ſynodica*, quae apud THEODORETVM exſtat, *hiſt. eccleſ. l. 2. c. 8. p. m. 81.* diſerte adſerunt: *Nos autem hanc accepimus, edoctique ſumus, eamque catholicam habemus, traditionem, & fidem, & profeſſionem*, μίαν εἶναι ὑπόστασιν ἣν αὐτοὶ οἱ αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ εἰ ζητοῖεν τίς τοῦ υἱοῦ ὑπόστασίς ἐστιν; ὁμολογοῦμεν ὡς αὕτη ἣν ἡ μόνη τοῦ πατρὸς ὁμολογουμένη; *vnam eſſe hypoſtaſin, quam ipſi haeretici ſubſtantiam adpellant, patris, filii, & ſpiritus ſancti. Et, ſi quaerant, quaenam ſit filii hypoſtaſis, fatemur, eam eſſe, quam ſolam eſſe patris omnes agnoſcunt.* Pari ratione & EPIPHANIVS, & CYRILLVS vterque, Hieroſolymitanus & Alexandrinus, eodem ſenſu vocem hanc vſurpant. Inter latinos autem HIERONYMVS, *epiſt. 57.* (ſeu *14.*) *ad Damaſum, tom. IV. oper. part. 2. p. 20.* edit. MARTIANAEI, copioſiſſime ea de re & vocis iſtius ſignificatione, diſputat, ac demonſtrat, idem eam ſignificare, ac οὐσίαν, immo, diſerte pronuntiat: *tota ſaecularium ſchola, nihil aliud* ὑπόστασιν, *niſi* οὐσίαν *nouit.* Ambigua interim iſta vocis ſignificatio haud leues, in eccleſia praeſertim Antiochena, turbas dedit. Paulini namque ſectatores, ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ accipientes, vnam in Deo adſerebant ὑπόστασιν. Contra, qui cum Meletio faciebant, tres in Deo ὑποστάσεις adſerebant. Atque vt hi in Arianiſmi, ita illi in Sabellianiſmi veniebant

Digitized by Google

niebant ſuſpicionem. Cum vero pars vtraque in ſynodo Alexandrina, anno 462. congregata, cui & Athanaſius ipſe interfuit, mentem ſuam ita explicaſſet, vt in re ipſa recte ſentire deprehenderentur, decretum in eadem ſynodo fuit, vt ab vſu vocum ὀυσία & ὑπόστασις, quantum fieri poſſet, abſtinerent, quippe de quibus in ſynodo Nicaena nihil definitum eſſet, niſi forte ad Sabellianiſmum refellendum, tres adſerere ὑποστάσεις, neceſſe eſſet: v. SOCRATES, *hiſt. eccl. l. 3. c. 7.* & SOZOMENVS, *hiſt. eccleſ. l. 5. c. 12.* Ea tamen deinceps magis inualuit ſignificatio, qua perſonam ſignificat; adeo quidem, vt patres concilii Conſtantinopolitani I, quod fuit oecumenicum II, diſerte profiterentur, *ὀυσίαν μίαν εἶναι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσι, ἤγουν τρισὶ τελείοις προσώποις; vnam eſſe patris, filii, & ſpiritus ſancti eſſentiam, in tribus perfectis hypoſtaſibus, ſiue tribus perfectis perſonis;* in *epiſtola ſynodica*, apud THEODORETVM, *hiſt. eccleſ. l. 5. c. 8.* Concilii porro Chalcedonenſis patres, dum in *fidei expoſitione act. V. circa finem*, in Chriſto μίαν ὑπόστασιν praedicant, haud dubio perſonam hac voce deſignarunt; quod & in aliis conciliis factum. Recte itaque IO. DAMASCENVS diverſas iſtas vocis ὑποστάσεως acceptiones diſtinguit, eamque *duo ſignificare*, docet, *interdum ſimplicem ὕπαρξιν, qua in notione ὀυσία & ὑπόστασις vnum idemque ſit. Vnde etiam*, ita pergit, *ſanctorum patrum nonnulli φύσεις, ſiue naturas, dixerunt ὑποστάσεις. Interdum vero τὴν καθ' ἀυτὸ καὶ ἰδιοσύστατον ὕπαρξιν, eam quae per ſe eſt, ac ſeorſim ſubſiſtit, exſtantiam;* (ſignificat) &c. *dialect. c. 42. t. 1. oper. p. m. 45.* Legendus & hac de re GREGORIVS NAZIANZENVS, *orat. 32. p. m. 520.* &, de variis vocis ὑπόστασις ſignificationibus SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. 3. cap. 7.*

Non vero praetermittenda nobis eſt vox ὁμοούσιος, qua Nicaeni concilii patres vſi ſunt, quaeue tot in eccleſia chriſtiana olim turbas dedit. Primo equidem ſaeculo, quantum conſtat, ea ignota fuit, etſi res ipſa, filium cum patre eiuſdem eſſe eſſentiae, poſita eſſet extra controuerſiam. Secundo ſaeculo emergere coepit, ſimulque in ſenſum ineptiſſimum trahi a Marcionitis. Hi namq; reliquis figmentis ſuis & hoc addebant, animas rationales eſſe quaſi ἀπόῤῥοιας & emanationes ab ipſa ſubſtantia diuina, eiuſdem cum Deo naturae, illique coeſſentiales, quae poſt hominum interitum ad principium & fontem ſuum reuerterentur, & in oceano eſſentiae diuinae iterum cum ea confunderentur. Atque iſtud quidem illorum hominum delirium, dum praeter alios ORIGENES reiecit, Deo aliquid ὁμοούσιον ſtatuebant dari, omnino inficiatus eſt, *comment. in Iob. c. XXXVII.* eo ſcilicet ſenſu, quo hoc adſerebant Marcionitae. An vero filium patri eo modo, quo hoc catholici ſeu orthodoxi adſerebant, ὁμοούσιον crediderit, nunc non diſputabimus; id tamen certum, prouocaſſe ad eum hac in cauſſa ATHANASIVM, *de decret. ſynod. Nicaen. p. 423.* Praeter Marcionitas & Gnoſtici, cumprimis Valentiniani frequenter hac voce vtebantur. Auctor eſt IRENAEVS, docuiſſe eos, *id quod ſpirituale erat, haud quaquam ab Achamoth informari potuiſſe, ἐπειδὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν ἀυτῇ, quoniam eiuſdem cum ipſo eſſentiae erat; l. 1. c. 1.* Eiuſmodi & alia apud eumdem auctorem occurrunt. Eadem ratione & Manichaei, ſaeculo tertio, voce illa vtebantur, vti vel ex iis liquet, quae ex AGAPIO, Marcionitarum ac Manichaeorum deliria ſectante, PHOTIVS refert, *cod. 179. p. 403.* Filium itaque etiam Dei, patri ὁμοούσιον ſtatuebant, non totum quidem, ſed vt μέρος τοῦ ὁμοουσίου, quaſi filius pars fuiſſet Dei patris, & ex eſſentia patris diuiſibili, &, quae inſtar corporum, in varias particulas ſolui poſſet, eſſentia filii manaſſet, ac profluxiſſet. Manichaeis tum ſe opponebant Sabelliani, ac filium non κατὰ μέρος & κατὰ διαίρεσιν, ſed ita omnino Deo patri ὁμοούσιον adfirmabant, vt vnam & eſſentiam, & perſonam cum patre conſtituat;

tuat; paterque adeo a filio nomine ſaltem, non re, ſolaque relatione, non quidem interna, ſed ad res externas, & ratione diuerſarum adparitionum, diſtinguatur. Quem quidem iſtorum hominum errorem cum non minus, quam Manichaeorum deliria declinare vellent orthodoxi eccleſiae doctores, in meliori, ſaniorique ſenſu hanc adhibere vocem inceperunt, docentes, filium qua eſſentiam equidem patri eſſe ὁμοούσιον, qua hypoſtaſin autem, ſiue perſonam, ab eo non nomine ſaltem, ſed re ipſa diſtingui. Neque tamen inde colligendum, ac ſi tum primum orthodoxi hac voce vti inceperint. Quin potius admodum eſt veroſimile, illam iam pridem in eccleſia receptam, auide arreptam ab haereticis, vt ea errores ſuos, quibus tum ab orthodoxis, tum a ſe inuicem diſſentiebant, palliarent. Quidquid huius ſit, DIONYSIVM Alexandrinum vocem hanc adhibuiſſe, atque docuiſſe, conſtat, *Chriſtum eſſe ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, conſubſtantialem Deo*, cum diſerte hoc ab illo exegiſſet DIONYSIVS Romanus, ad quem hac de re epiſtolam ſcripſit. Accuſatus enim fuerat, ac ſi non recte de trinitate ſentiret, atque, oppugnando Sabellii συναίρεσιν, in διαίρεσιν ποτερὰν incidiſſet, vt GREGORIVS Nazianzenus loquitur, *orat. 37.* Legendus hac de re ATHANASIVS, *de decretis ſynodi Nicaenae, tom. 1. oper. p. 421.* Exortus quoque tum eſt Paulus Samoſatenus, & ad errores ſuos palliandos, fucumque incautis faciendum, itidem voce ὁμοούσιος, ſi nonnullis credimus, vſus eſt, ſed ſenſu iterum longe peruerſiſſimo. Sunt equidem, qui exiſtimant, Paulum ad Sabellianiſmum acceſſiſſe, cumque vnicam tantum perſonam agnoſceret, voce ὁμοούσιος eum vſum, cum vox οὐσία aliquando idem eſſet, ac ὑπόστασις, vt antea obſeruatum; Chriſtum autem, ceu merum hominem, ab eſſentia iſta diuina plane excluſiſſe. Ita PETAVIVS exiſtimat, *dogmat. theol. tom. 2. l. 4. c. 5. §. 2. p. 205.* Verum, an Paulus eumdem cum Sabellio fouerit errorem, nondum euictum eſt, nec ſine ratione dubitant alii, vt in ſequentibus oſtendemus; putantque, eum vocem ὁμοούσιος de carne Chriſti deificata adhibuiſſe. Adſerebat enim, carnem Chriſti ad eam dignitatem, & ὑπεροχὴν diuinae maieſtatem adſurrexiſſe, vt penitus Deus euaſerit, & fuerit cum eſſentia diuina prorſus ὁμοούσιος. Multa erudite hanc in rem diſſerit LE MOYNE, in *notis ad varia ſacra. p. 243. ſeq.* Sunt denique, qui negant, Paulum vmquam τὸ ὁμοούσιον confeſſum eſſe, ſed potius ex voce illa, eo tempore a catholicis recepta, ſophiſma contexuiſſe, in peruerſum eam rapiendo ſenſum. Congregata itaque fuit Antiochena ſynodus an. 273. in qua cum Pauli iſtius errores damnarentur, vox quoque ὁμοούσιος reprobata fuit, eo ſcilicet ſenſu, quo Samoſateniani eam adhibebant, aut Paulus ipſe, vt inſidias veritati ſtrueret, ea abuſus fuerat. Idque adeo teſtatur ATHANASIVS, *de ſyn. Arim. & Seleuc. tom. 1. oper. pag. 706.* atque HILARIVS, *lib. de ſynodis, p. 390.* Vt autem Antiocheni concilii patribus iuſtae fuere cauſſae, cur vocem hanc repudiarent, ita non minus iuſtae praegnantesque fuere Nicaenis, cur eamdem reuocarent, & ſano ſenſu acceptam, Arianis opponerent. Id enim hi agebant, vt omnes loquendi formulas, ſiue ex ſcriptura ſacra, ſiue ex antiquiorum patrum monumentis deſumtas, ſubdola interpretatione eluderent, ſimulatoque adeo cum orthodoxis conſenſu, ſimplicioribus imponerent. Rogati nimirum Ariani in ſynodo: *an agnoſcerent filium, ex ipſo patre genitum?* adnuebant, intelligentes nimirum, *filium ex Deo eſſe, quomodo omnes creaturae a Deo ſunt*, & exiſtendi initium ab eo habent. Quaerentibus porro catholicis, *an Deum faterentur Dei filium?* reſpondebant, omnino; immo ἀληθινὸν Θεὸν, *verum Deum*, ex *1. Ioan. V, 20.* profitebantur; intelligebant autem γενόμενον, *qui vere factus ſit Deus.* Denique, cum a catholicis arguerentur, quod filium Dei creaturam putarent, & hoc pernegabant, ſed hoc ſibi reſeruato ſenſu,

creatu-

creaturam non eſſe Dei filium ſicut ceterae creaturae, quae mediate a Deo per λόγον eſſent factae, nihilominus λόγον creaturam eſſe, immediate a Deo ex non exſtantibus, productam. Eiusmodi itaque ſubterfugiis cum obuiam ire vellent orthodoxi, commode occurrebat vox ὁμοούσιος, quae in ſano ſenſu accepta, breuiter, rotunde, & perſpicue exprimebat, quidquid ex ſcripturae ſacrae dictis colligi poterat; eamque adeo Arianis opponendam cenſebant. Legenda de hiſce ATHANASII *epiſtola ad Africanos epiſcopos, tom. 1. oper. p. 936.* AMBROSIVS auctor eſt, ipſum Euſebium Nicomedienſem, ſtrenuum Arianorum promachum, occaſionem dediſſe, vt vox illa reciperetur. Cum enim eam in medium attuliſſet, ac ſi pro illa pugnarent catholici, inde animaduertiſſe concilii patres, in eo cardinem rei verſari, atque hoc ipſum, quod vox iſta exprimeret, illud eſſe, a quo maximopere abhorrerent Ariani, ideoque eamdem ipſis placuiſſe, *l. 3. de fide, c. 7.* Non omnes equidem, qui concilio Nicaeno intererant, ſtatim animum inducere poterant, vt vocem iſtam reciperent, metuentes, ne quid erroris ſub ea lateret: ſed, cum reliqui, qui eam receperant, mentem ſuam ſatis perſpicue explicaſſent, rigidiores etiam, & ad partes Arianorum proniores, in eamdem conceſſerunt ſententiam. Nimirum, non aliam ob cauſſam orthodoxi filium Deo patri ὁμοούσιον vocarunt, quam quia *eumdem vnius ſubſtantiae cum patre* praedicabant, *non factum, non creatum, ſed ab aeterno ex patris ſubſtantia genitum.* Ita quoque ATHANASIVS, optimus concilii Nicaeni interpres, τὸ ὁμοούσιον explicat. ὁμοούσιον, inquit, ἐστὶ, τὸ τῆς αὐτῆς οὐσίας, καὶ ἐνεργείας ἀπαραλλάκτως ὑπάρχον, *homouſion illud eſt, quod eiusdem eſſentiae & operationis, citra vllam variationem, exſiſtit. Etenim, propterea* ὁμοούσιος *dicitur, quia eamdem eſſentiam ac potentiam obtinet; de defin. tom. 2. oper. p. 50.* Et alibi: τὸ ὁμοούσιον ἐστι τὸ ταυτοούσιον, *homouſion ſignificat id, quod eſt eiusdem eſſentiae; dialog. 2. contra Maced. tom. 2. oper. p. 290.* Idem ſubinde *dialog. 1. de trinitate*, item in *epiſtola ad epiſcopos Africanos*, alibique, repetit; vt mirari omnino ſubeat, fuiſſe homines tam proteruae audaciae, aut tam ſupinae ignorantiae, vt adſererent, per ὁμοουσίαν in concilio Nicaeno ſimilitudinem ſaltem eſſentiae diuinae fuiſſe indicatam; vel, quae aliorum eſt inſania, Nicaenos patres filium a patre non minus eſſentia, quam perſona diſtinctum credidiſſe. Cui enim mens patrum concilii illius notior eſſe potuit, quam ATHANASIO? Licet autem Nicaeni concilii patres vocem ὁμοούσιος ad Arii haereſin detegendam vſurpauerint, eamdam tamen iam antea tum apud haereticos, tum apud orthodoxos, diuerſo licet ſenſu, in vſu fuiſſe, ex iis, quae hactenus commemorauimus, abunde liquet. Confirmat idem, ſpeciatim ad orthodoxos quod attinet, EVSEBIVS, in *epiſtola ad Caeſarienſes*, apud SOCRATEM, *hiſt. eccl. l. 1. c. 8. Nouimus*, inquit, *quosdam ex veteribus doctos & illuſtres epiſcopos, & ſcriptores, qui, de patris & filii diuinitate diſſerentes, nomine* ὁμοούσιος *vſi ſunt.* Ad quam EVSEBII epiſtolam ipſe quoque prouocat ATHANASIVS, *de decretis ſynod. Nicaen. tom. 1. oper. p. 421.* De DIONYSIO vtroque, Romano & Alexandrino, ſupra iam dictum; exſtatque huius epiſtola apud ATHANASIVM, *de ſynod. Arim. & Seleuc. tom. 1. oper. p. 918.* Dionyſiis THEOGNOSTVM veterem theologum iungit ATHANASIVS, *l. c. p. 470.* quem virum λόγιον alibi, θαυμάσιον, καὶ σπουδαῖον vocat, qui *non abhorruerit a voce* οὐσίας, *& ex illa filium progenitum dixerit, vt a luce iubar, ex aqua vapor.* Nec antiquiorem nominari poſſe, qui voce hacce de perſonis trinitatis vſus ſit, exiſtimat CASAVBONVS, *exerc. 1. in Baronii annales, pag. 79.* BVLLVS autem iam apud ORIGENEM, immo TERTVLLIANVM vocis huius in eccleſia receptae exſtare documenta, contendit, in *defenſione fidei Nicaenae, ſect. 2. §. 8.* Magnopere itaque aut fallunt, aut

falluntur, qui ante concilii Nicaeni tempora vocem hanc non auditam clamitant, quos inter haud vltimum locum SANDIVS tenet, *nucl. hiſt. eccl. l. 1. p. m. 121.* In eadem equidem, quod negari nequit, ſententia fuit AVGVSTINVS, *tr. 97. in Ioan. tom. 3. oper. part. 2. p. m. 530.* ſcribens: *aduerſus impietatem Arianorum haereticorum, nouum nomen homouſion, patres condiderunt;* quod & *lib. 2. contra Maximinum c. 14. tom. 8. oper. p. 499.* repetit. Similia & apud FVLGENTIVM Ruſpenſem epiſcopum, itemque VIGILIVM Tapſenſem, legas. Sed hoſce hac in re aliquid humani paſſos, nec rerum, quae ante concilium Nicaenum in eccleſia orientali geſtae ſunt, ſe ſatis peritos eſſe, oſtendiſſe, manifeſtum eſt. Idem, quem antea nominauimus, SANDIVS, vocem ὁμοούσιος vel hoc nomine etiam minime ferendam cenſet, quod a Gnoſticis, Valentinianis, aliiſque haereticis vſurpata, IRENAEO autem, CLEMENTI Alexandrino, & aliis veteris eccleſiae doctoribus improbata fuerit. Verum, licet haeretici hac voce vſi ſint, vſi tamen etiam eadem ſunt orthodoxi. Immo, credibile eſt, prius apud hos in vſu fuiſſe, quam apud illos. Nec quidquam impedit, quo minus vocem apud haereticos vſitatam, vſurpemus, modo in ſenſu ſano & orthodoxo hoc fiat; praeſertim, ſi cauſſae praegnantes, quae vſum eius ſuadeant, adſint. Habuiſſe autem concilii Nicaeni patres cauſſas grauiſſimas, cur vocis iſtius vſum reuocarent, antea demonſtrauimus.

Apud Latinos, vt ad eos nunc a Graecis tranſeamus, voces *eſſentia*, ac *perſona*, receptae ſunt. Et per *eſſentiam* quidem quid intelligatur, ſatis manifeſtum eſt. Illud ſaltem obſeruandum, vnitatem eſſentiae intelligi numericam, quae tamen tribus perſonis ſit communis, non quidem per modum multiplicationis, ſed per eiuſdem ſingularis, vel numericae eſſentiae indiuiſam participationem, omnem diuiſionem, inaequalitatem partis, aut diſtributionis reſpectum excludentem. Hoc enim, ſi probe teneatur, dubia, quae ex eſſentiae notione obiici ſolent, facili negotio diluuntur. *Perſonae* autem voce, non habitus, aut qualitas, vel officium aliquod, ſeu dignitas, nec etiam quodlibet indiuiduum, ſed *ſuppoſitum intelligens*, vt in philoſophorum ſcholis loqui ſolent, denotatur. Per *ſuppoſitum* autem ſubſtantia ſingularis, completa, incommunicabilis, non aliunde ſuſtentata, intelligitur. Nimirum dupliciter ſumitur vox *perſona; concretiue* ſcilicet, ſeu *materialiter*, & *abſtractiue*, ſeu *formaliter*. Priori modo recte definitur, vti diximus, per ſuppoſitum intelligens, vel, quod eodem redit, per ſubſtantiam indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem, non ſuſtentatam ab alio. Poſteriori autem modo accepta, deſcribitur, quod ſit naturae indiuiduae, intellectualis ac incommunicabilis ſubſiſtentia, vel ſubſiſtendi ratio. Qua quidem in definitione forma ipſa in caſu recto exprimitur, id autem, quod materiae inſtar eſt, in caſu, vti par erat, obliquo. Cum igitur tres in eſſentia diuina perſonae adſeruntur, vox perſona abſtractiue ſumitur, treſque adeo ſubſiſtentiae incommunicabiles, indiuiduae naturae diuinae, hac ipſa manente indiuiſibili, indigitantur; ita quidem, vt in qualibet perſona, concretiue ſpectata, & eſſentiam diuinam omnibus communem, & ὕπαρξιν ſeu ſubſiſtentiam ſingulis propriam, conſiderare liceat. Sunt nonnulli, qui non ſatis commode dici putant, quod vox perſona in caſu recto ipſam ſubſiſtentiam, ſeu formam exprimat; cumque etiam dici nequeat, hanc vocem in caſu recto exprimere ipſam naturam, cum inde ſequeretur, tres in Deo eſſe eſſentias, exiſtiment, vocem iſtam in caſu recto aliquid velut ex natura & ſubſiſtentia conflatum denotare. Nec ſine ratione caute hic incedendum, ne aut ad tritheiſmum, aut ad Sabellianiſmum, prolabamur. Ceterum, ſubſiſtentias iſtas, relatiuas eſſe conſtat, non abſolutas, ſiquidem

dem in relationibus diuinis fundantur. Abſolutas enim ſubſiſtentias plures, vna eaque ſimplex eſſentia diuina non admittit. Noui quid, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam, excogitaſſe ſibi viſus eſt LIBERIVS DE S. AMORE, vel, qui ſub hoc nomine latitat, CLERICVS. Perſonam equidem per *ſuppoſitum intelligens* deſcribit, ſuppoſitum autem vocat *id, quod neque eſt pars, neque adiunctum alicuius rei.* Atque hinc porro concludit, ſuppoſitalitatem, ſeu ſubſiſtentiam, adeoque & perſonalitatem, non eſſe aliquid internum, quod ſubſtantiae aliquid addat, ſed tantum denominationem externam; in *epiſt. theol. ep.1. p. 3.* item in *ontologia, c. 8. §. 3. ſeq.* At vero cum receptam iſtam, anteaque a nobis adlatam ſuppoſiti definitionem, ceu obſcuram reiiciat, non minori tamen ea, quam ipſe excogitauit, obſcuritate laborat; & omnino ipſam ſuppoſiti notionem neutiquam exprimit recte; cum nec in omnibus ſuppoſitis locum inueniat, & quaedam etiam certo intuitu, vt alterius rei adiunctum conſiderari poſſint, quae, in ſe ſpectata, ſuppoſita eſſe non deſinunt. Ad perſonarum autem in eſſentia diuina trinitatem ſi adplicentur, quae de ſuppoſitalitate dixit, non poteſt non res omnis in Sabellianiſmum abire, fruſtra reluctante, atque renitente auctore. Si enim perſonalitas externa ſaltem quaedam eſt denominatio, quae nihil prorſus ſubſtantiae addat, nullum profecto diſcrimen inter patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum intercedere poteſt. Sed, miſſis hiſce, id ſaltem monemus, de voce *perſona* non minus, ac de voce ὑπόστασις, graves olim in eccleſia agitatas contentiones. Cum enim apud Latinos perſona ſubinde officium, aut dignitatem, vel ſimile quid, denotet, orientalis eccleſiae doctores, cumprimis Meletius, exiſtimarunt, occidentales, tres in eſſentia diuina perſonas adſerendo, ad Sabellianiſmum accedere: occidentales rurſus, cum intelligerent, vocem ὑπόστασις apud Graecos ſaepe οὐσίαν ſiue *eſſentiam* ſignificare, exiſtimarunt, ab orientalibus tres in Deo naturas, ſiue eſſentias ſtatui, atque eos Arianiſmi accuſarunt. Rectius autem, vtriusque vocis ſenſu cognito, pax quoque & concordia reſtituta fuit; nec Latini voce ὑποστάσεσι uti dubitarunt, quemadmodum & Graeci, tria eſſe in eſſentia diuina πρόσωπα, ſiue tres perſonas, profeſſi ſunt. ** Quod enim ſcriptura, vt ex hactenus dictis conſtat, diſerte docet, patrem eſſe Deum, filium eſſe Deum, ſpiritum ſanctum eſſe Deum, nec tamen tres eſſe Deos, ſed vnum Deum; id breuiter, rotunde, ac ſine ambagibus efferre licet, ſi dicatur, *tres eſſe in vna eſſentia diuina perſonas*, vel, vt Graeci loquebantur: τρεῖς ἐν μιᾷ οὐσίᾳ ὑποστάσεις, itemque filium patri eſſe ὁμοούσιον, ſeu coeſſentialem. Duo namque hiſce vocibus innuuntur: filium eſſe perſonam, ſiue ὑπόστασιν, & ſpiritum ſanctum itidem, aeque ac patrem; cum tamen nihiloſecius vnus ſit Deus, filium pariter ac ſpiritum ſanctum eiusdem plane cum patre eſſe eſſentiae. Vtrumque autem, cum in antecedentibus luculenter comprobatum ſit, non video, quid obſtet, quo minus hiſce vocibus vti liceat. Sane, ſi quis in re ipſa conſentiat, ſolis autem vocibus offendatur, & adeo ex imbecillitate quadam eas admittere, aut vſurpare nolit, eum ideo neutiquam ſtatim ceu haereticum damnandum, aut reiiciendum cenſeo. Praeeuntes hic nobis habemus concilii Alexandrini, anno 362. congregati, patres, quos inter ipſum Athanaſium fuiſſe, ſupra obſeruauimus. Cum enim Paulini pariter ac Meletii ſectatores, de vſu, ſenſuque vocum οὐσία & ὑπόστασις, inter ſe non conuenirent, in re ipſa tamen conſentirent, vt iſtis vocibus, non niſi neceſſitate quadam vrgente vterentur, decretum fuit. Quo ipſo innuebant, a vocibus ſeu terminis aliquem abſtinere poſſe, ſi modo de re ipſa ſentiat recte; idque σοφῶς, *ſapienter*, iudice SOZOMENO: εὖ μάλα σοφῶς μοι δοκοῦσιν ὁρίσαι, μὴ ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς ἐπὶ θεοῦ τούτοις χρῆσθαι τοῖς ὀνόμασι,

ὀνόμασι, prudenter admodum mihi videntur decreuiſſe, vbi de Deo ſermo eſt, non eſſe ſtatim his nominibus vtendum; hiſt. eccleſ. l. 5. c. 12. Multo itaque minus exiſtimandum, ad ſalutem prorſus neceſſarium eſſe, vt aliquis haſce voces profiteatur. Plurimi inter eruditos etiam ſunt, qui illarum ſignificationem ignorant; tantum abeſt, vt ab hominibus plebeiis, rudibusque litterarum, hoc exigi queat. His ergo, ſi rem ipſam teneant, ſalutem nemo denegabit. Legenda, quae hanc in rem diſſerit NIC. HVNNIVS, in *epitome credendorum, c. 5. §. 88.* Quod ſi vero cum eiusmodi hominibus nobis res ſit, qui rem ipſam negant, & ad errores ſuos tegendos praefracte voces iſtas reſpuunt, non vtile modo, ſed prorſus neceſſarium erit, eas retinere. Id namque veritatis defenſio, & verae doctrinae recta expoſitio, poſtulat. Illis itaque, qui vocum iſtarum improbant vſum, ſuffragari nequeo, quos inter etiam, vt reliquos taceam, LIMBORCHIVS eſt, etſi modeſtiſſime hac de re verba faciat. Rationem nimirum, cur vocibus hiſce vſus non ſit, redditurus, *nos*, inquit, *ſcripturae ſimplicitatem ſequuti, & a vocibus ac phraſibus illis conſulto abſtinuimus, quia non tantum ab hominibus ſunt inuentae, & quidem in feruore contentionum, & primis patribus fuere ignotae; ſed & ambiguae ſunt, & vulgari ſignificatione, aut philoſophica prorſus notione non ſunt accipiendae, cum Deo, rebusque diuinis adcommodantur. Ideoque tutius credimus, talibus terminis aut numquam, aut ſaltem quam parciſſime vti; theol. chriſt. l. 2. c. 17. §. 28. p. 101.* Verum voces, quae ſenſum ſcripturae adcurate breuiterque exprimunt, eius ſimplicitati non repugnant. Perinde etiam eſt, a quibus, aut qua occaſione ſint inuentae; modo aptae ſint ad id ſignificandum, quod ſignificare debent. An & quousque primis patribus ignotae fuerint? ex iis, quae antea diſputauimus, liquet. Hodie porro ſignificatio earum ita fixa & determinata eſt, vt pro ambiguis amplius reputari nequeant; nec in vulgari, aut philoſophica, ſed eccleſiaſtica ſignificatione adhibentur, cum Deo rebusque diuinis adcommodantur.

§. LII. Ad diſcrimen, quod inter perſonas diuinas intercedit, paullo diſtinctius, quantum fieri poteſt, explicandum, obſeruare nonnulli ſolent, *actus, proprietates*, & *notiones perſonales*. *Actus perſonales* ſunt, generatio & ſpiratio; * *proprietates* ſunt, paternitas, filiatio, & proceſſio, ſiue ſpiratio, in patiendi ſignificatione accepta; ** *notiones* denique *perſonales*, innaſcibilitas, & ſpiratio actiua. ***

* Actus perſonales etiam *opera* vel *actus ad intra* vocantur, quia intra ipſam diuinam eſſentiam peraguntur: *perſonales* dicuntur, quia perſonam aliquam diuinam pro termino habent, ſimul & perſonae cuiusdam, ſiue quarumdam proprii ſunt. Ipſa autem illorum ratio in eſſentiae diuinae communicatione conſiſtit. Vnde ſimul patet, duos tandum eiusmodi actus perſonales eſſe poſſe, *generationem* & *ſpirationem*, actiue acceptam, cum duae tantum ſint perſonae, quibuscum eſſentia diuina communicatur, filius, atque ſpiritus ſanctus. Conueniunt iſti actus in eo, quod vterque eſſentiae diuinae quamdam communicationem denotet, vterque etiam aeternus ſit, hoc eſt, nec initium habeat, nec finem. Quod non ita capiendum, ac ſi nondum perfecti iſti actus ſint, aut abſoluti, ſed quod filius a patre per generationem, & ſpiritus ſanctus a patre & filio per ſpirationem ſemper procedat. Ceterum, ipſum modum aut generationis, aut ſpirationis, & quo pacto vtraque in ſe ſpectata a ſe inuicem differat, cum nemo mortalium mente ſua adſequi valeat, recte, & ita vt decet, ſentiunt, qui a curioſa inueſtigatione

tione hic prorſus abſtinendum cenſent. Myſteria haec ſunt, quae venerari potius, quam ſcrutari decet. Nonnulli equidem ex veteris eccleſiae doctoribus, vt ex AVGVSTINO conſtat, *l. 15. de trinit. c. 21*, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, generationem a ſpiratione in eo differre, quod generatio ſit actus intellectus diuini, quo ſe ipſum cognoſcendo, verbum internum mentis ſuae produxerit; ſpiratio autem ſit actus voluntatis, quo pater & filius ſemet ipſos amando producant ſpiritum ſanctum. Similia & apud quosdam e ſcholaſticorum grege deprehendas; ne quid de illis dicam, qui ideo hanc amplectuntur ſententiam, vt trinitatem perſonarum ex lumine rationis demonſtrari poſſe euincant, vt ſupra, ad §. 44. obſeruauimus. Immo & ex noſtratibus SCHERZERVS, theologus quondam Lipſienſis longe celeberrimus, non procul ab hac ſententia abeſſe videtur. Per *actus* enim *notionales*, ex eſſentialibus & perſonalibus mixtos ſe intelligere profitetur, vt *intelligendo generare, volendo ſpirare*; additque; *quaelibet quidem perſona intelligit, ſed ſolus pater intelligendo generat*; *ſyſt. theol. loc. 2. §. 29. p. 80.* Et ſane, praeſidium aliquod haec ſententia inde capere videtur, quod filius Dei eiusmodi ſubinde nominibus deſignetur, quae ſpecialem ad intellectum diuinum relationem indicant, vt cum *ſapientia* vocatur, *prouerb. VIII, 22. Luc. XI, 49.* itemque λόγος ſeu *verbum*, *Ioan. I, 1.* Accedit, quod IRENAEVS quoque λόγον dicat *cogitationem Dei*, *l. 2. c. 48. p. m. 176.* Verum, ſi quis cuncta paullo accuratius conſiderarit, haec minime admittenda, facile deprehendet. Cum enim actus intellectus pariter ac voluntatis, ob eſſentiae diuinae vnitatem omnibus trinitatis perſonis ſint communes, ſequeretur, filium ſe ipſum generare, & ſpiritum ſanctum non minus a ſe ipſo, quam a patre & filio procedere, quod plane abſonum eſt. Haud obſcure porro ex ea ſententia ſequitur, ὑποστάσεις diuinas nihil tandem aliud eſſe, quam diuerſos cogitandi modos; quam quidem ſententiam reale, quod inter perſonas intercedit, diſcrimen, tollere, ſupra iam ad §. 48. obſeruauimus. Nec obſtat, quod filius Dei *ſapientiae*, item τοῦ λόγου nomine veniat. Etſi enim hiſce vocibus ineffabilis, imperſcrutabilisque generationis modus, vtcumque adumbretur, inde tamen eam ad intellectum ſpeciatim pertinere, colligere non licet; ſimul etiam hiſce vocibus innuitur, quod ſapientia diuina per filium in opere tum creationis, tum redemtionis, ſe maxime manifeſtauerit, quodque per iſtum voluntatem ſuam hominibus declarauerit, *Io. I, 18.* IRENAEVS autem *l. c.* contra eos ſaltem diſputat, qui ἔννοιαν, νοῦν, λόγον, a ſe inuicem ſecernebant, ea quidem ratione, vt non poſſet non inde compoſitio quaedam in Deum redundare, quam cum eſſentia eius ſimpliciſſima conſiſtere non poſſe, oſtendit. Recte itaque alibi ipſe SCHERZERVS, iſtum ſcholaſticorum laborem, quo modum generationis ac ſpirationis inueſtigare conati ſunt, inter *tricas* illorum, atque *tenebras* refert, in *breuiario Hulſemanni extenſo, cap. 2. theſ. 23. p. 158.*

Iam, vt paullo diſtinctius, & ſigillatim de hiſce actibus perſonalibus, & primo quidem de generatione agamus, hanc quidem in eo conſiſtere, manifeſtum eſt, quod pater ab aeterno eſſentiam diuinam filio communicet, qui & eam a patre accipiat, vt inde filius Dei μονογενής, *qui eſt in ſinu patris*, eſſentiae omniumque perfectionum diuinarum particeps, *Io. I, 18.* dici poſſit. Quae adeo proprie dicta eſt generatio, quippe cuius vera & genuina notio in eſſentiae conſiſtit communicatione; vti ſupra quoque iam obſeruauimus. Eſſentiae autem diuiſio, vel multiplicatio, & quae reliqua ſunt, quae in rerum creatarum generatione deprehenduntur, cum imperfectionem ſummam arguant, ideoque de Deo dici nequeant, procul hinc ſunt remouenda. Per ſimilitudinem autem quamdam adumbrari vtcumq;

genera-

generatio diuina poteſt, ſi filius a patre, *vt lumen de lumine*, genitus dicatur, prouti ipſimet concilii Nicaeni patres loquuntur. Proprie autem, & ea quidem, qua diximus, ratione, generationis vocem hic accipiendam, luculentiſſima ſcripturae dicta, quae ſupra iam ad §. *49.* attulimus, *pſ. II, 7. prou. VIII, 24. Mich. V, 1.* nos dubitare neutiquam ſinunt. Eodemque pertinet, quod Chriſtus non tantum filius Dei, ſed & filius μονογενὴς *Io. I, 14, 18. cap. III, 16.* itemque ἴδιος, *Rom. VIII, 32. Ioan. V, 18.* dicatur, vti ibidem iam docuimus. Repugnantes autem hic nobis habemus non tantum trinitatis hoſtes, eosque cumprimis, qui aeternam filii Dei diuinitatem agnoſcere nolunt, ſed inter reformatae quoque eccleſiae doctores, virum doctrina & ingenio praeſtantiſſimum, HERM. ALEX. ROELLIVM. Etſi enim ſecundam trinitatis perſonam eiusdem cum prima, aeternaeque eſſentiae eſſe fateatur, eam tamen ceu filium, a prima, vt patre, genitam, adeoque voces, *gignere, naſci, pater, filius*, cum de prima aut ſecunda perſona adhibentur, proprie capiendas eſſe, id vero eſt, quod omni prorſus modo abnuit. Et in hanc quidem ſententiam ſe inductum adſerit, quod deprehendiſſet, *Luc. I, 35. Matth. III, 17. c. XVII, 5. Marc. XIII, 32. Io. III, 13, 14, 15, 16. &c.* immo in plerisque fere noui teſtamenti locis, per *filium Dei* totam τοῦ μεσίτου perſonam, ſecundum vtramque, diuinam ac humanam naturam deſignari, etſi non neget, diuinam naturam denominationis iſtius fundamentum praebere. Secundam itaque perſonam aeque ac primam & tertiam, verum eſſe Deum, ſed quia per illam diuinitas in carne manifeſtata eſt, ideo eam vocari *filium Dei*, ſiquidem ſit imago viſibilis inuiſibilis Dei, *Coloſſ. I, 15. Eſ. XL, 5, 9. Io. XII, 9.* Idque inde porro confirmat, quod *gignere, parere*, ſubinde in ſcriptura manifeſtationem quamdam ſignificet. Qua quidem ratione etiam verba *pſ. II, 7.* de manifeſtatione, qua Ieſus verus Meſſias, rex atque ſacerdos, per natiuitatem, reſurrectionem, & adſcenſionem in caelum, declaratus ſit, explicat. Atque hac quidem ratione difficultates, quae hic occurrunt, commode tolli, veramque Chriſti diuinitatem contra Socinianos pariter ac Arianos, certius adſeri poſſe. Nullam namque generationem proprie ſic dictam concipi poſſe, in qua non ſit tranſitus a non eſſe, ad eſſe; perſonam gignentem non poſſe non, vt tempore priorem, concipi genita; perſonam gignentem non poſſe non vt cauſſam, cui eſſentiam ac exſiſtentiam ſuam genita debeat, ſpectari, adeoque perſonam genitam non poſſe eſſe independentem; maiorem denique perfectionem non poſſe non eſſe in gignente perſona, quam genita. Quae omnia cum vera ſecundae perſonae diuinitate e diametro pugnent. Enimuero, licet haec non ſine ſpecie dicantur, merito tamen aliis ſententia haecce diſplicuit, quos inter primum locum tenet vir doctiſſimus, VITRINGA, cui publicae hac ſuper re cum ROELLIO interceſſerunt lites. Et ab vltimo quidem vt incipiamus capite, difficultates, quas in generatione filii Dei ſe deprehendiſſe ſibi viſus eſt ROELLIVS, ſtatim euaneſcent, ſi modo vera generationis in ſe ſpectatae notio recte teneatur, quae tantum in eſſentiae communicatione conſiſtit. Tranſitus itaque a non eſſe ad eſſe; itemque, vt ratione temporis perſona gignens prior ſit genita, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ad generationem, in ſe ſpectatam, non pertinent. Generatio porro aeterna filii Dei *Mich. V, 1.* per *egreſſum aeternum* tam luculenter deſcribitur, vt improprie capi nequeat, niſi verbis clariſſimis vim inferre velis. Quare &, cur verba *pſ. II, 7. bodie genui te*, improprie capi debeant, nulla profecto prægnans eſt ratio. Dum vero Paulus ea adfert *actor. XIII, 33.* non ea id facit ratione, ac ſi ex iis reſurrectionem Chriſti probare velit; hanc enim *v. 34.* ex *Eſ. LV, 3.* & *pſal. XVI, 10.* potius comprobat; ſed plura ſimul com-

complectens, hiſce pſalmi ſecundi verbis docere potius voluit, quis ille Ieſus ſit, quem Deus a mortuis reſuſcitauerit. Nemo itaque etiam dubitauerit, cum Ieſus *filius Dei* dicitur, eam praecipue ob cauſſam hoc fieri, quod ab aeterno a patre ſit genitus; quod inde etiam liquet, quod non tantum *filius Dei*, ſed & ὁ μονογενὴς, *vnigenitus filius Dei, Io. I, 18.* ὁ ἴδιος *proprius filius Dei, Rom. VIII, 32.* dicitur; quae quidem denominatio ROELLII iſtam explicationem non admittit. Hiſtoriam controuerſiae huius, vna cum ſcriptis eo ſpectantibus, exhibet HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS, *de ſtatu eccleſiarum & ſcholarum foederati Belgii, part. 2. c. 2. p. 102. ſeq.* De re ipſa etiam agit DAVID HVGVENINVS, in *chriſtiano ratiocinante*, Lugduni Batauorum 1690. edito; conf. & SPANHEMIVS, in *elencho controuerſiarum de religione, in append. pag. 670. ſeq.*

Alter actus perſonalis eſt ſpiratio, voce actiue accepta, cuius modum non magis cognitum perſpectumque habemus, quam generationis. Diſcrimen tamen aliquod inter generationem ac ſpirationem intercedere, vel inde intelligitur, quod haec patri aeque ac filio conueniat, cum illa ſoli patri ſit propria; perſona etiam, quae per ſpirationem exſiſtit, non filius, ſed ſpiritus ſanctus vocatur; nec gigni ſpiritus ſanctus dicitur, ſed procedere ἐκπορεύεσθαι. Patri autem & filio dum ſpirationem tribuimus, non ita hoc eſt capiendum, ac ſi duo ſint ſpirationis principia, ſed quod vna eademque ſpirandi vis ſeu δύναμις προβλητικὴ, vt Graeci loqui ſolent, patri pariter ac filio competat. Idque latina eccleſia conſtanter contra eos, qui contrarium illi imputabant, docuit, adſeruitque. Quae de ſpiritus ſancti a filio non minus, quam patre, proceſſione, inter latinam graecamque eccleſiam orta ſint certamina, notum eſt. Antiquiſſimi equidem vtriusque, maxime graecae eccleſiae doctores, non ſatis diſtincte aut perſpicue hac de re loquuti ſunt, vti fieri ſolet, cum nulla de dogmate quodam mota eſt controuerſia. Veſtigia tamen quaedam haud obſcura apud eos occurrunt, ex quibus colligas, eos proceſſionem ſpiritus ſancti non minus a filio, quam a patre credidiſſe; quod ſpeciatim DIONYSII Alexandrini, apud ATHANASIVM, *de ſententia Dionyſii, tom. I. opp. p. 548.* TERTVLLIANI, *adu. Praxeam, c. 8.* ipſius ATHANASII, *refut. Melet. tom. 1. p. 512,* aliorumque teſtimoniis probari poteſt & ſolet. Multa, quae huc faciunt, exhibet PETAVIVS, *dogm. theol. tom. 2. l. 7. c. 3.* conf. & IO. FORBESIVS, *inſtructionib. hiſtorico-theol. l. 1. c. 6. p. 16.* Luculentiſſima omnium ſunt, quae paſſim leguntur apud EPIPHANIVM. Τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα, inquit, παρ᾽ ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνεύματος. *At ſpiritus ſanctus ab ambobus* (patre & filio) *oritur, ſpiritus e ſpiritu; haereſ. 74. tom. 1. oper. p. 895.* Cumque deinceps ſibi ipſi dubium hocce obieciſſet; *duos ergo filios ſtatuimus? quod ſi ita eſt, qui tandem eſſe poteſt vnigenitus?* reſpondet: *immo vero, tu quis es, qui contradicas Deo? Cum enim filium vocet, qui a ſe oritur,* τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα τὸ παρ᾽ ἀμφοτέρων, *ſpiritum vero ſanctum, qui ab vtroque procedit, eae tres perſonae ſola fide a ſanctis viris perceptae lucidae, ac lucis auctores, lucida ſunt actione praeditae, &c. l. c. p. 896.* Idem *p. 897.* diſerte repetit. Diſſenſioni autem in hocce doctrinae capite, controuerſiae, quae THEODORETO cum CYRILLO Alexandrino interceſſere, occaſionem praebuerunt. Neſtorius namque inter alia docuerat, Chriſtum miracula virtute ſpiritus ſancti edidiſſe, eum propria virtute illud minime feciſſe, ſubinnuens. Huic adſertioni dum ſe opponebat CYRILLVS, eam ſimul ſententiam, quae ſpiritum ſanctum Chriſti ſpiritum eſſe negat, anathemate percuſſit. THEODORETVS autem, qui Neſtorio fauebat, dum anathematismos Cyrilli refutabat, etiam illud, quod de ſpiritu ſancto dixerat, non ſine cenſura dimittendum cenſebat; ſpiritum ſanctum eo quidem ſenſu ſpiritum Chriſti dici poſſe con-

contendens; quod eiusdem cum filio Dei eſſet naturae, & ex patre procederet, minime vero, quod ex filio, aut per filium, exſiſtentiam ſuam habeat: ἴδιον τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ εἰ μὲν ὡς ὁμοφυὲς καὶ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον ἔφη συνομολογήσομεν, καὶ ὡς εὐσεβῆ δεξόμεθα τὴν φωνήν. εἰ δ' ὡς ἐξ υἱοῦ, ἢ δι' υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ὡς βλάσφημον τοῦτο, καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν. *Proprium autem ſpiritum filii, ſiquidem vt eiusdem cum eo naturae, & ex patre procedentem dixit, ſimul confitebimur, & tamquam piam ſuſcipiemus vocem. Si vero tamquam ex filio, aut per filium, exſiſtentiam habeat, hoc vt blaſphemum & impium reiiciemus; in reprehenſione anathematismorum Cyrilli, tom. IV. oper. p. 718.* Reſpondebat Cyrillus, ſe illud, quod de ſpiritu ſancto dixerat, Neſtorii ſaltem oppoſuiſſe errori; qui, dum adſerat, Chriſtum miracula per ſpiritum ſanctum edidiſſe, hoc ſibi velit, Chriſtum non propria, ſed aliena id feciſſe virtute. Spiritum autem ſanctum omnino non tantum patris, ſed & filii eſſe ſpiritum, quippe qui & ab apoſtolo *ſpiritus Chriſti* dicatur: *ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, Rom. VIII, 9.* Atque hinc porro ſubiicit: ἐκπορεύεται μὲν γὰρ ὡς ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος φωνήν, ἀλλ' οὐκ ἀλλότριόν ἐστι τοῦ υἱοῦ. πάντα γὰρ ἔχει μετὰ τοῦ πατρός. καὶ τοῦτο αὐτὸς ἐδίδαξεν, εἰπὼν περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστι. διὰ τοῦτο εἶπον ὑμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *Procedit enim ex Deo & patre ſpiritus ſanctus, ſecundum ſaluatoris vocem, ſed non eſt alienus a filio. Omnia enim habet cum patre, & hoc ipſe edocuit, dicens: omnia, quaecumque habet pater, mea ſunt; propterea dixi vobis, quod de meo accipiet, & adnuntiabit vobis; pro duodecim capitibus adu. Theodoretum, tom. VI. oper. p. 229.* Haec itaque CYRILLI ſententia, quia eo tempore, vti reliqua omnia, quae contra Neſtorium ſcripſit, communi conſenſu adprobata fuit, ita non ſine ratione inde colligitur, THEODORETI opinionem neutiquam receptam, immo tacite a plerisque improbatam, reiectamque fuiſſe. Cum autem nihil certi hactenus hac de re definitum eſſet, mirum non eſt, fuiſſe quosdam, qui eam modumque iſtum loquendi calculo ſuo adprobarent. In occidentali tamen eccleſia ea ſententia, quae diſerte a filio non minus, quam patre, ſpiritum ſanctum procedere adſerit, magis inualuit, adeo, vt in ſymbolo Conſtantinopolitano, vbi de proceſſione ſpiritus ſancti a patre agitur, vox, *filioque*, tandem adderetur, quod in concilio Toletano tertio atque quarto factum eſſe conſtat. Eam rem aegerrime tulerunt Graeci, malam fidem Latinis exprobrantes, quod ſymbola, totius eccleſiae conſenſu firmata, corrumpere ac interpolare non dubitauerint. Fuerunt etiam, qui aperte ſententiam de proceſſione ſpiritus ſancti a filio, aeque ac a patre, reiicerent; quos inter IO. DAMASCENVS eminet, cuius hac de re haec exſtant verba: τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν καὶ πνεῦμα πατρὸς ὀνομάζομεν. ἐκ τοῦ υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν, πνεῦμα δὲ υἱοῦ ὀνομάζομεν. *Denique ſpiritum ſanctum & ex patre eſſe dicimus, & patris ſpiritum nominamus. At vero, eum ex filio eſſe, non dicimus, filii tamen ſpiritum vocitamus; lib. I. de orthodoxa fide, c. 8. p. 141.* Quae quidem verba minime inſititia eſſe, LE QVIEN ad *h. l.* oſtendit. Licet autem IO. DAMASCENVS neget, ſpiritum ſanctum ex filio eſſe; alibi tamen, eum *a patre per filium* procedere, diſerte docet. Nimirum, de patre verba faciens, *ipſe*, inquit, *mens eſt, rationis abyſſus, verbi genitor,* καὶ διὰ λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ πνεύματος, *ac per verbum manifeſtantis ſpiritus productor;* &, paucis interiectis: *Filius autem filius eſt, verbum, ſapientia, potentia, imago, ſplendor, patris figura, & ex patre. At ſpiritus ſanctus, non patris filius, ſed ſpiritus patris, vt, qui ex patre procedat. Nullus enim*

impulſus

Digitized by Google

impulſus eſt ſine ſpiritu. *Quin filii quoque ſpiritus dicitur*, οὐκ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς πορευόμενον. μόνος γὰρ αἴτιος ὁ πατήρ; *non velut ex ipſo, ſed per ipſum ex patre procedens; ſolus enim pater auctor eſt, l. 1. c. 12. p. 148.* Cum vero, quae hactenus inter graecam latinamque eccleſiam interceſſerant ſimultates, ſaeculo nono in ſchiſma aliquod, per Photii, Conſtantinopolitani patriarchae, & Nicolai, Romani epiſcopi, certamina erumperent; inter ea, quae Latinis a Graecis obiiciebantur, haud vltimum iſta, de proceſſione ſpiritus ſancti a patre & filio, ſententia, locum obtinuit. Neque tantum falſi crimen, ob additamentum illud, *filioque*, Latinorum ſymbolo inſertum, ſed & errorem in hocce doctrinae capite, Romano pontifici exprobrauit PHOTIVS; vti ex *cyclica* eius *ad patriarchas epiſtola* conſtat. Immo, & ſub eiusdem PHOTII nomine varii exſtant de ſpiritu ſancto tractatus, Latinorum ſententiae oppoſiti, quos & ALLATIVS recenſet, *de eccleſiae occidentalis & orientalis perpetua conſenſione, l. 2. c. 6.* Praeterea ſynodus Graecorum oecumenica octaua, vulgo Photiana, Latinorum de proceſſione ſpiritus ſancti ex patre filioque, ſententiam, aeque ac additionem in ſymbolo factam, atro notauit lapillo. Fallitur enim omnino ALLATIVS, dum ſolum mutationem in ſymbolo factam, non autem doctrinam ipſam Latinorum, in ſynodo iſta damnatam, aliis perſuaſum cupit; *de octaua ſynodo, cap. 11.* Quemadmodum autem deinceps poſt Photium ſchiſma illud inter graecam latinamque eccleſiam continuatum fuit, ita & controuerſiam de proceſſione ſpiritus ſancti ſubinde recruduiſſe: vel ea, quae ſub Siſinnio, & deinceps ſub Sergio, patriarchis Conſtantinopolitanis, contigerunt, quemlibet condocere poſſunt. Quae in concilio Florentino hac de re diſputata aut ſancita ſunt, commemorare, inſtituti ratio non permittit; nec neceſſe eſt, cum neminem fugiat, eos omnes, qui graecae eccleſiae ſincere addicti ſunt, concilii iſtius decreta reſpuere. Quinimmo ex hiſtoriarum monumentis, confeſſionibusque recentiorum Graecorum conſtat, eos eamdem cum maioribus ſuis ſententiam, de ſpiritus ſancti proceſſione, acriter tueri. *A maiorum ſuorum veſtigiis*, inquit THOMAS SMITHVS, vir harum rerum peritiſſimus, & de hacce controuerſia verba faciens, *vel latum vnguem diſcedere Graecis, qui hodie viuunt, religio eſt. Ita docuit reuerendiſſimus patriarcha Ieremias, ita Meletius patriarcha, idem dedit euictum Cyrillus Lucaris &c. de eccleſiae graecae ſtatu hodierno, p. 134.*

* Vt autem eo rectius hac de re pronuntiari queat, obſeruandum, docere atque profiteri Graecos, ſpiritum ſanctum eſſe ὁμοούσιον τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, *eiusdem eſſentiae cum patre & filio*, procedere ab eſſentia & natura patris ſine principio, ſiue ab aeterno, eumdemque ἰσότιμον eſſe, hoc eſt, *aequali cultu adorandum*; fatentur etiam, ſpiritum ſanctum eſſe filii ſpiritum, hoc eſt, a filio πέμπεσθαι, δίδοσθαι, προβάλλεσθαι, προΐεσθαι, προχεῖσθαι, ἐκχεῖσθαι, ἐμφυσᾶσθαι, προϊέναι, *mitti, dari, profundi, proferri, effundi, inſpirari, emitti.* Eum vero interne a filio aeque ac patre procedere, id vero eſt, quod negant atque pernegant. Duplicem nimirum ſtatuunt ſpiritus ſancti proceſſionem, alteram ὑποστατικὴν atque aeternam, alteram temporariam, μεταδοτικὴν & κατ' ἐνέργειαν. Priori modo a ſolo patre ſpiritum ſanctum procedere contendunt, poſteriori autem modo etiam a filio. Sed cum poſterior ille modus nihil aliud ſit, quam miſſio ſpiritus ſancti, minus accurate *proceſſio* dicitur. Cumque in eo omnes facile conſentiant, ſpiritum ſanctum a patre pariter ac filio mitti, de priori modo, ſeu proceſſione interna & proprie ſic dicta, omnem controverſiam eſſe, manifeſtum eſt. Docent equidem, & fatentur nonnulli ex Graecis,

ſpiritum ſanctum a patre procedere per filium; quemadmodum & IO. DAMASCENVM docuiſſe, antea obſeruauimus. Pari ratione & CYRILLVS LVCARIS, patriarcha Conſtantinopolitanus, ob fata, quae expertus eſt, parum felicia, notiſſimus, in *confeſſione chriſtianae fidei, cap. I.* πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς δι᾽ υἱοῦ προερχόμενον, *ſpiritum ſanctum per filium a patre procedentem* profitetur. Sed & in concilio Florentino Ruſſenſis & Nicaenus antiſtites faſſi ſunt, ὅτι οἱ ἀνατολικοὶ ἅγιοι λέγουσι τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ, οἱ δὲ δυτικοὶ λέγουσι τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ, *quod orientales patres dicant, ſpiritum ſanctum a patre per filium; occidentales etiam a filio procedere;* quod & MAXIMI pariter ac IO. DAMASCENI auctoritate eodem in concilio probatum dedit MARCVS Epheſius. Atque hinc nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, non adeo magnum inter Latinorum Graecorumque ſententiam intercedere diſcrimen; immo, vtramque haud difficili inter ſe negotio conciliari poſſe. Graecos enim, qui ſpiritum ſanctum a patre procedere per filium adſerunt, hoc ſibi velle putant, quod ſpiritus ſanctus a patre, tamquam fonte, per filium, tamquam riuum, procedat, vt adeo ordinem ſaltem, qui inter patrem & filium ratione originis & ſpirationis intercedat, ſignificent, ſeu, potentiam quidem ſpirandi patri ac filio communem agnoſcant, ordinem autem illis conuenientem innuant; cum pater eam a ſe ipſo, filius autem a patre habeat. Hunc ergo in modum ſi ſententia Graecorum explicetur, ita eam eſſe comparatam, vt ab omnibus recte ſentientibus admitti queat. Verum, haec omnia fruſtra dici, intelliget, qui cuncta paullo adcuratius conſiderauerit. Non enim omnes Graeci hanc loquendi formulam, quod ſpiritus ſanctus *per filium* procedat, admittunt, multo minus ita admittunt, vt inde ſequatur, ſpiritum ſanctum a filio non minus, quam patre procedere. Certe in ſynodo ſecunda, ſub Parthenio Conſtantinopoli, anno 1642. contra Cyrillum Lucarin habita, idem Cyrillus cenſura notatur, quod in confeſſione ſua τὴν ἀΐδιον καὶ ὑπαρκτικὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος πρόοδον ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ ὑποτίθησι, παρὰ γνώμην τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. *aeternam & ſubſtantialem ſpiritus ſancti proceſſionem ex patre & filio conſtituat, praeter catholicae eccleſiae ſententiam;* vid. SMITHVS, *l. c. p. 135.* Iam vero, cum antea obſeruatum ſit, Cyrillum iſtum Lucarin docuiſſe, ſpiritum ſanctum a patre *per filium* procedere, manifeſtum eſt, Graecos reliquos, qui eum damnarunt, aut ipſam illam loquendi rationem, aut ſaltem ſenſum eius, quod ſpiritus ſanctus itidem a filio procedat, reieciſſe. Praeterea, cum negari nequeat, IO. DAMASCENVM, & alios quosdam veteres ita loquutos, vt ſpiritum *per filium* a patre procedere dicerent, recentiores quidam eos de donis ſaltem ſpiritualibus ita loquutos contenderunt; quod & LEQVIEN, ad *Damaſceni locum ſupra citatum, p. 148.* obſeruauit. Res ipſa denique, ni fallor, aperte docet, eos, qui dicunt, ſpiritum ſanctum a patre per filium procedere, hoc ſibi velle, quod a patre non ἀμέσως, ſed intercedente filio, procedat; quod, an ſaltem de ordinis diuerſitate capi queat, valde dubito. Operam itaque, ni fallor, oleumque perdunt, qui vtriusque eccleſiae, graecae & latinae, vt in aliis, ita quoque in hoc capite demonſtrare conſenſum adnituntur; quod & a me iam oſtenſum in *ſchediasmate, de eccleſia Romana cum Ruthenica irreconciliabili, §. 21. ſeq.* Certe, quam parum Graeci hodierni in hocce doctrinae capite cum eccleſia latina conſentiant, vel ex iis etiam conſtat, quae ALEX. HELLADIVS pro illorum ſententia diſputat, *de ſtatu praeſenti eccleſiae graecae, p. 391. ſeq.* Errare autem, fallique eos, quando ſpiritus ſancti proceſſionem a filio negant, iam ſaepius a Latinis, aliisque eſt demonſtratum. Diſerte namque Chriſtus ipſe teſtatur,

teſtatur, *Ioan. XV*, *26.* quod ſpiritum ſanctum a patre mittat. Atque id ipſimet etiam Graeci concedunt, ac ambabus, quod aiunt, largiuntur manibus, ſpiritum ſanctum a filio mitti. Sed vero, ſi ſpiritus ſanctus a filio mittitur, ab eo etiam interne procedat neceſſe eſt. Non alia enim miſſionis inter perſonas diuinas cauſſa eſſe poteſt. Si enim per modum mandati mitteretur ſpiritus ſanctus, non eſſet verus Deus, eiusdem cum patre & filio eſſentiae. Nec adeo nobis obſtat, quod etiam Meſſias a ſpiritu Domini miſſus dicatur, *Eſ. XLVIII*, *16.* Tum enim vt homo, ſeu filius hominis ſpectatur, cum ceu redemtor humani generis a patre pariter ac ſpiritu ſancto mittitur. Confirmatur id inde porro, quod ſpiritus ſanctus *ſpiritus Chriſti* dicitur, *Rom. VIII*, *9.* *ſpiritus filii Dei*, *Gal. IV*, *6.* *ſpiritus oris Chriſti*, *2. Theſſ. II*, *8.* aeque ac *ſpiritus oris patris*, *pſ. XXXIII*, *6.* Cuius profecto denominationis plena & ſufficiens ratio dari alia non poteſt, quam, quod ſpiritus ſanctus filii pariter ac patris intuitu eodem modo ſe habeat, hoc eſt, ab vtroque procedat. Accedit porro, quod de ſpiritu ſancto Chriſtus ipſe dicat: *ille me glorificabit; nam de meo accipiet*, *& vobis adnuntiabit.* At de filio nihil accipere poterat, niſi ſuam ab eo pariter ac a patre habuiſſet eſſentiam. Hinc porro ſubiicit: *Omnia*, *quae pater habet*, (inter quae & ipſe ſpiritus ſanctus eſt) *mea ſunt; propterea dixi*, *de meo accipiet*, *& adnuntiabit vobis*, *Ioan. XVI*, *14*, *15.*

** Relationes nimirum reales, quae ex actibus perſonalibus, antea commemoratis, oriuntur, *proprietates perſonales* vocari ſolent. Cumque tres ſint in vna eſſentia diuina perſonae, totidem quoque proprietates perſonales exſiſtere neceſſe eſt. Ex generatione namque actiua, qua pater filium generat, *paternitas* oritur; *filiatio* autem ex generatione paſſiue ſpectata; & *proceſſio* denique, ſeu *ſpiratio* paſſiue accepta, ex eo, quod a patre, filioque ſpiritus ſanctus ſpiratur. Cum autem generatio intuitu filii, & ſpiratio intuitu ſpiritus ſancti, paſſiue accipi dicitur, non paſſio aliqua in ſenſu phyſico indicatur, ſed hoc ſaltem, quod filius is ſit, qui a patre gignatur, ſpiritus ſanctus autem is ſit, qui a patre filioque ſpiretur, ſiue procedat. Proceſſionis etiam vox in ſpecialiori ſignificatione hic ſumitur; in generaliori enim accepta, quamcumque vnius perſonae ab alia originem, adeoque & generationem denotare poteſt.

*** Si vox *notio* in latiori ſignificatione ſumatur, vt quamcumque perſonam quamdam diuinam cognoſcendi, vnamque ab altera diſcernendi rationem denotet, actus pariter, ac proprietates perſonales ambitu ſuo complectitur. Hic autem in ſtrictiori ſignificatione accipitur, prout ab actibus & proprietatibus, notiones perſonales diſtinguuntur. Notio namque dicitur, per quam perſona quaedam diuinitatis ita innoteſcit, vt ab altera, per ea, quae intra diuinitatem contigerunt, diſtinguatur. Solentque duae eiusmodi notiones perſonales conſtitui, *innaſcibilitas*, & *ſpiratio actiua.* Cum vero hac ratione ſpiritus ſanctus peculiari notione deſtitueretur, &, ſi ſpiratio actiua huc referenda ſit, nulla adpareat ratio, cur & generatio actiua hic non ſit commemoranda, alii tres notiones perſonales conſtituere malunt, *innaſcibilitatem*, *generationem paſſivam*, & *ſpirationem paſſiuam.* Innaſcibilitas, ſeu ἀγεννησία eſt notio patris, quia per eam a filio pariter ac ſpiritu ſancto diſtinguitur. In latiori enim ſignificatione vox *innaſcibilitas*, ſeu ἀγεννησία, item τὸ ἀγέννητον, accipienda, vt ſignificet, patrem nulla plane ratione, nec per generationem, nec per proceſſionem, ab alio eſſe. Idque & illi ſibi volunt, qui patris notionem eſſe dicunt, τὸ ἄναρχον εἶναι, *principii expertem eſſe.* Quod vtique non de initio quodam

capiendum, ceteroquin enim ſequeretur, & filium & ſpiritum ſanctum habuiſſe initium, quod abſonum foret; ſed de qualicumquĕ origine. Diuerſimode tamen voces ἀγέννητος & ἄναρχος apud veteres capiebantur; qua de re fuſe diſputat PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. 2. l. 5. c. 1. & 5.* Filii notio perſonalis, intuitu patris, erit generatio paſſiue accepta, intuitu autem ſpiritus ſancti, eius pariter ac patris ſpiratio actiua, ſi & hanc cum quibusdam inter notiones perſonales referre velis. Nec generatio iſta paſſiue accepta, prouti ſupra eamdem explicauimus, obſtabit, quo minus filius & αὐτόθεος dici queat; qua voce ORIGENEM, EPIPHANIVM, EVSEBIVM, aliosque veterum vſos conſtat; ſi quidem eum denotet, qui ab alio non dependet, ſed aeque ſummus verusque Deus eſt, ac pater. Quodſi vero ita accipiatur, vt idem ſit ac ἀγέννητος, eumque ſignificet, qui ab alio non procedit, tum vtique inter notiones perſonales patris iure meritoque refertur, quod ſit αὐτόθεος. Legenda, quae hac de re diſputat SCHERZERVS, *ſyſtem. theol. loc. 2. §. 25. p. 71.* Spiritus denique ſancti notio perſonalis erit, *proceſſio*, ſeu *ſpiratio paſſiua.* Nec obſtabit, quod ſpiratio hoc modo accepta, ſeu proceſſio, inter proprietates quoque perſonales relata ſit. Diuerſo enim vtique reſpectu hoc fieri poteſt. In ſummam autem ſi hactenus dicta conferantur, manifeſtum erit, *patris* nomine primam intelligi diuinitatis perſonam, quae nec genita eſt, nec ab alio procedit, ex ſubſtantia autem ſua filium ab aeterno genuit, & cum filio ab aeterno ſpiritum ſanctum ſpirauit; *filii* nomine, ſecundam, quae ab aeterno a patre genita, & a qua, vti etiam a patre, ab aeterno ſpiritus ſanctus procedit; *ſpiritus* denique *ſancti*, tertiam, quae non genita eſt, ſed a patre filioque procedit. Dum vero pater prima, filius ſecunda, & ſpiritus ſanctus tertia perſona vocatur, non prioritas quaedam, aut naturae, aut temporis, aut dignitatis; ſed ordinis tantum, vel vt alii loqui amant, naturalis enumerationis intelligitur.

§. LIII. Vt ex reuelationis, ex parte etiam rationis lumine, quae hactenus de Deo, eiusque eſſentia, attributis, ac perſonis docuimus, tam euidenter conſtant, vt non temere quis, niſi caliginem ſibi ipſi obfundat, a recto aberrare tramite queat, ita fuerunt tamen, qui, in luce clariſſima caecutientes, in varia corruerunt praecipitia. Nonnulli, ratione turpiter abutentes, rationis omnis tandem amiſerunt vſum, ſtultique facti, in corde ſuo dixerunt, *non eſſe Deum, pſ. XIV, 1.* quod nonnulli etiam ore ipſo profeſſi ſunt, etſi diuerſis integumentis errorem impium plerumque occultarent. * In contrarium procurrentes alii, ac ſuperſtitionis oeſtro perciti, dum plures admiſerunt deos, ſignificarunt, reuera nullum ſeſe credere. ** Deum porro ſua ſpoliant gloria, eumque tantum non in idolum aliquod conuertunt, qui attributorum eius maieſtatem imminuunt, ea ſtatim negantes, quae rationis modulum excedunt, aut aliis cauſſis ad prauas animo de hiſce omnibus notiones concipiendas, inducti. ***

* Latiſſimus hic ſeſe nobis aperit campus, dicendi de atheismo; diſceptandique, an dentur athei? quid, & quotuplex atheismus ſit? ex quibus cauſſis proueniat? quaenam eius ſint fundamenta? & quo pacto labefactari atque euerti queant? & quae

quae alia ſunt eiusdem generis. Cum vero haec omnia ex inſtituto iam in *theſibus de atheismo & ſuperſtitione*, exſequutus ſim, hae etiam in omnium verſentur manibus, facilique negotio ab iis, qui plura hic deſiderant, conferri queant, aliquid hac de re addere, ſuperuacaneum exiſtimo.

** Altera haeccé claſſis eſt errorum, in doctrina de exſiſtentia & eſſentia Dei occurrentium. Vt enim athei, ratione ſua turpiter abutentes, nullum plane Deum credunt, ita idololatrae, ſuperſtitione ducti, pro vero Deo aliud quid, quod Deus non eſt, adſumunt, ſuoque idolo diuinitatem tribuunt. Cumque idololatria ex ſuperſtitione oriatur, ſaltem eam perpetuum comitem habeat, nihil tam abſonum, tamque ab omni ratione alienum eſt, ad quod homines, eiusmodi vitio infecti, procurrere nequeant. Hinc nihil illis ſollemnius, aut frequentius, quam vt ideam Dei, quam animis infixam habent, eiusmodi rebus iungant, per quas idea iſta penitus euertitur. Vnde non tantum contradictoria, ſecumque pugnantia proferunt, ſed reuera ipſimet, quid cogitent, quidue ſibi velint, neſciunt, quando aut hominibus, aut animantibus brutis, aut aliis eiusmodi rebus, diuinitatem tribuunt. Stultitiam impietatemque augent, qui ſemel a recto hic deflectunt tramite, dum non tantum aliquid, quod Deus non eſt, pro Deo reputant, ſed, vt fieri fere ſolet, plures ſimul eſſe deos, ſibi perſuadent. Eſt enim plerumque polytheismus cum idololatria coniunctus, vti ſupra quoque obſeruauimus ad §. 13. Ceterum, licet idololatra perſuaſus ſit, ſe Deum colere, cum tamen id, quod pro vero Deo colit, nihil minus quam Deus ſit, quo ſenſu & Paulus apoſtolus dixit, *idolum nihil eſſe*, *1. Cor. VIII*, *4.* manifeſtum eſt, eos, qui idolum pro vero Deo habent, aut, qui plures deos ſtatuunt, reuera nullum Deum aut agnoſcere, aut colere. Id enim, quod pro Deo habent, aut colunt, Deus non eſt. Eſt itaque idololatra reuera ἄθεος. Immo, fieri poteſt, vt quamuis praeter intentionem, pantheiſta euadat, ſeu Spinoziſta. Qui enim res creatas ceu partes huius vniuerſi, pro diis colit, iisque adeo diuinitatem tribuit, eum multo magis credere oportet, totum hoc vniuerſum eſſe Deum. Quae conſequutio firmo omnino talo conſiſtit, etſi idololatrae eam non perſpiciant, aut admittant. Ex eodem itaque fonte, dum homines, quae Dei ſunt, rebus creatis tribuunt, duo maxime contrarii errores, ſumma ſuperſtitio, & ſumma impietas, ſeu atheismus, profluere poſſunt. Nec inſolens eſt infernali genio, vt vna eademque methodo, ad vitia maxime oppoſita homines perducat; vti a me iam obſeruatum, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1.* ad *per. 2. ſect. 2. §. 18. p. 1007.* Polytheismo autem, adeoque & idololatriae & illi rei eſſe merito cenſentur, qui duplex aliquod principium independens, boni aliud, aliud mali, ſtatuunt. Qui quidem error, etſi a Manichaeis denominationem acceperit, tamen longe antiquior eſt, ac ex gentilium philoſophorum, veram mali originem ignorantium, repetendus eſt commentis. Primum eius auctorem Zoroaſtrem vulgo ferunt; qui Perſis eum tradiderit, a quibus deinceps ad Graecos fuerit propagatus. Licet enimuero plures ſub Zoroaſtris nomine celebrentur, proxime tamen ad verum eos accedere, qui vnicum ſaltem Zoroaſtrem ſtatuunt, Perſarum lingua Zerdusht dictum, qui tempore Darii Hyſtaſpidis vixerit, alibi iam a me eſt obſeruatum. Zoroaſtrem vero iſtum, ac genuinos eius diſcipulos, nihil hac de re docuiſſe, quod rectae rationi aut ſcripturae ſacrae repugnaret, THOMAS HYDE contendit, in *hiſtor. religion. veter. Perſar. c. 9. p. 161.* Duplex enim etſi cum antiquiſſimis Sabaeis admiſerint principium, boni alterum, alterum mali; eos tamen prius ſaltem

tem pro vere aeterno & increato, poſterius autem pro creato habuiſſe. Quae quidem HYDEI ſententia, quo iure a BAELIO impugnetur, diſceptaui in *hiſt. eccl. V. T. tom. II.* ad *per. 2. ſect. 6. §. 13. p. 1053.* Quidquid eius ſit, fuiſſe nonnullos inter ipſos Perſas, qui in errore iſto, de duplici principio independenti, verſarentur, negari nequit, nec ipſe negat HYDEVS, *l. c. c. 9. p. 164.* Dubio etiam caret, ex ſcriptura ſacra perperam intellecta hunc errorem traxiſſe originem. Diabolum enim omnis mali auctorem eſſe, praeeunte ſcriptura ſacra, recte dicitur. Eum autem a Deo non eſſe creatum, ſeu principium aliquod independens eſſe, id quidem perperam adſeritur. Reliqua, quae ad hiſtoriam erroris huius pertinent, diligenter collecta exhibet vir doctiſſimus, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. I. p. 10. ſeq.* Ad rem ipſam quod attinet, quod iam antea de polytheiſmo dixi, id itidem ſpeciatim de Manichaeiſmo pronuntiare nullus dubito, eum reuera in atheiſmum abire. Certe, qui duos deos credit, perinde eſt, ac ſi nullum credat; neuter enim erit independens, adeoque neque infinitus, proinde nec verus Deus. Vnde & omnia argumenta, quae, Deum eſſe, probant, eumdem etiam vnicum eſſe demonſtrant, ſententiamque Manichaeorum impietatis & ſtultitiae conuincunt. Eſtque haec ipſa ſententia tam abſona, tamque inepta, vt vix credibile ſit, alicui in mentem venire potuiſſe, eam ſerio defendere, hodie praeſertim, in tanta philoſophiae, bonarumque litterarum luce. Nec BAELIVM ſerio id egiſſe puto, ſed id ſaltem voluiſſe, vt prouidentiam diuinam euerteret, euinceretque, argumenta, quae contra eam proferuntur, ſolui non poſſe. Qua tamen in re quantopere fallatur, ſuo loco oſtendetur. Conferenda, quae de eo dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, ad cap. 1. §. 25. p. 158.* Reliqua etiam, quae de idololatria dici poſſent, alibi ediſſeruntur. De origine, progreſſu, praecipuiſque eius generibus, dictum a me in *hiſt. eccleſ. V. T.* ad *per I. ſect. 2. §. 12. p. 241. ſeq.* Vbi & praecipuos auctores, qui hac de re ex inſtituto egerunt, laudaui.

*** Tertia haecce claſſis eſt errorum, qui in doctrina de Dei exſiſtentia atque eſſentia ſeſe nobis offerunt. Ipſam enim eſſentiam diuinam labefactant, qui de attributis Dei non recte ſentiunt. Hic enim videas, quosdam mox accidentia Deo tribuere, mox ſcientiam futurorum contingentium illi denegare, mox infinitatem, aut immenſitatem, ac omnipraeſentiam impugnare, aut aeternitatem, quae omnis ſucceſſionis aut viciſſitudinis expers ſit, reiicere, vel aliud aliquid, quod cum ſumma Numinis conſiſtere perfectione nequit, adſerere; non aliam vtique ob cauſſam, quam, quod admittere quidquam nolint, quod ratio clare ac diſtincte non capit. Qui quidem homines immemores mihi eſſe videntur, ſe eſſe homines, hoc eſt, intellectu certis limitibus finibusque circumſcripto, praeditos, qui ad ea, quae entis infiniti ſunt, plene ac perfecte concipienda, adſurgere nequeat. Sed facile vident, ſi intellectus in hiſce intra ſuos coerceatur limites, idem deinceps iure poſtulari, de myſterio trinitatis cum ſermo fuerit. Quo ipſo tamen nihil aliud agunt, quam, vt ingenii prauitatem prodant, dum errores erroribus cumulare malunt, quam veritati manifeſtae dare manus. Atque hi errorum iſtorum ſunt fontes, in quos Socini pariter ac Arminii adſeclae praecipiti lapſu ruunt. Quod & de aliorum quibusdam erroribus cenſendum, qui itidem ideo ſaltem defenduntur, vt eo rectius hypotheſes, quas in aliis ſacrae doctrinae capitibus fouent, ſibi conſtent; de quibus tum demum rectiſſime iudicabitur, quando dogmata praecipua, in quorum gratiam adſumuntur, in ſuis quaeque ſedibus conſiderauerimus.

§. LIV.

Digitized by Google

§. LIV. Cumque in iis, quae ratio ipſa docet, tam praecipiti lapſu in errores varios mortales ruant, eo minus mirandum, in iis, quae ex ſola reuelatione conſtant, a recto eos deflectere tramite, rationem obtendentes, ſed ipſius rationis, certos ſibimet ipſi limites conſtituentis, monita vel maxime negligentes. Idque illorum praecipue exemplo patet, qui in myſterio de trinitate perſonarum ſcripturae ductum deſerentes, aut perſonarum trinitatem diſerte & ſine ambagibus negant, * aut reale perſonarum diſcrimen tollunt, ** aut inaequalitatem quamdam perſonarum inducunt; *** aut denique, in alterum extremum procurrentes, ex tribus perſonis tres deos faciunt. *

* Primo itaque loco hic illi commemorandi ſunt, qui non tantum & Chriſti, & ſpiritus ſancti diuinitatem negant, ſed vnam ita in diuinitate perſonam ſtatuunt, vt ne ſpeciem, vel vmbram quamdam trinitatis admittant, a Sabellianis hoc maxime nomine diſcernendi. Atque huc Iudaei cumprimis pertinent, poſtquam a maiorum doctrina deſciuerunt, veritatisque, patribus illorum reuelatae, exciderunt poſſeſſione. Sunt equidem, qui in illorum ſcriptis veſtigia quaedam trinitatis deprehendere ſibi videntur; ſed hac de re quid ſentiendum ſit, in ſequentibus exponemus. Iudaeis merito Muhammedanos iungimus, qui itidem Deum ita vnum ſtatuunt, vt nihil, quod trinitatis imaginem referat, in eo admittant. Qua quidem in re non poſſunt non omnes, qui ſolius rationis ductum ſequuntur, aut praeeuntes ſibi, aut ſuffragantes habere. Ex haereticis itaque huc etiam illi pertinent, qui non tantum Chriſtum pro mero homine habent, ſed vnam etiam in Deo perſonam ita adſerunt, vt itidem omnem ab eo imaginem trinitatis remoueant; quamquam plerique, qui Chriſti diuinitatem negarunt, nec tamen cum Ario inaequalitatem perſonarum defenderunt, eamdem cum Sabellio ſententiam fouiſſe videantur. Inter primos, qui Chriſtum pro mero habuerunt homine, Cerinthum fuiſſe conſtat. Idem vero, an trinitatem quamdam, ſaltem qua diuerſa nomina, aut manifeſtationes, vel alio modo admiſerit, an vero nihil plane trinitatis in Deo ſtatuerit, non adeo liquet. Eum diſcrimen aliquod inter Ieſum ac Chriſtum conſtituiſſe, & docuiſſe, *poſt Ieſu baptiſmum deſcendiſſe in eum, ab ea principalitate, quae eſt ſuper omnia, Chriſtum, figura columbae, & tunc adnuntiaſſe incognitum patrem, ac virtutes perfeciſſe; in fine autem auolaſſe iterum de Ieſu, & Ieſum paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeueraſſe, exſiſtentem ſpiritualem*, IRENAEVS auctor eſt, *l. 1. c. 25.* Vbi quidem per Chriſtum, quem a Ieſu diſtinxit, neutiquam diuinam Chriſti naturam, aut τὸν λόγον eum deſignaſſe, tum ex eo patet, quod in figura columbae Chriſtum deſcendiſſe ſuper Ieſum adſeruit, tum luculentius adhuc ex EPIPHANIO conſtat, qui diſerte docet, per Chriſtum eum intellexiſſe ſpiritum ſanctum, *haereſ. 28. p. m. 110.* Nec per ſpiritum ſanctum ὑπόστασιν quamdam, aut ſimile quid, eum indicaſſe credibile eſt. Certe EPIPHANIVS ſententiam Cerinthi referens, pro *ſpiritu ſancto* ſtatim δύναμιν ſiue *virtutem, ponit:* καὶ διὰ τοῦτο ἐπειδὴ ἦλθεν ἡ δύναμις εἰς αὐτὸν ἄνωθεν, δυνάμεις ἐπιτετελεκέναι; *ob idque mox, vt in iſtum caeleſtis illa virtus ſeſe infudit, portenta ac miracula perpetraſſe; haereſ. 28. p. m. 110.* Ebionem de Chriſto eodem modo, ac Cerinthum, cenſuiſſe, vix eſt quod dubitemus. Etſi enim IRENAEVS dicat, Ebionitas de Chriſto

Chriſto *non ſimiliter* ſenſiſſe, ac Cerinthianos, *l. 1. c. 26.* recte tamen PEARSONIVS monet, pro, *non ſimiliter*, legendum, *conſimiliter*, in *vindiciis epiſtolar. Ignat. part. 2. p. 25.* Certe, Ebionem aeque ac Cerinthum, diuinitatem Chriſti negaſſe, magno conſenſu veteres tradidere. De trinitate autem quid docuerit, vel an omnem prorſus trinitatem repudiauerit, nondum ſatis exploratum eſt. Nihil eum trinitatis in Deo admiſiſſe, adeoque ad hanc, quam inſtruimus, hoſtium veritatis claſſem referendum eſſe, inde videtur colligi poſſe, quod Iudaiſmo admodum addictus fuiſſe dicatur. In Iudaeorum autem doctrina recepta eo tempore, quidquam exſtitiſſe, quod trinitati perſonarum quocumque modo faueat, non temere quisquam dixerit. Sed hac de re deinceps. Obſtat tamen rurſus, quod Ebionitae non minus ac Cerinthiani Chriſtum a Ieſu diſtinxerint. EPIPHANIVS hac de re ita loquitur, vt non tam ipſi Ebioni, quam ſectatoribus eius haec ſententia tribuenda videatur. Addit etiam, ab eo tempore, quo ſe Elxaeus quidam pſeudo-propheta illis adiunxerat, ab eodem edoctos, confictum de Chriſto ac ſpiritu ſancto neſcio quid effutire coepiſſe; nonnullos enim ex iis, Adamum fuiſſe Chriſtum, praedicare; alios, e caelo Chriſtum eſſe, confiteri, ſed ante omnia creatum, ac ſpiritum eſſe quemdam, angelisque praeſtare, atque omnium rerum dominatum tenere; alios denique docere, ſpiritum ſanctum ſeſe in eum infudiſſe, qui ſit ipſe Chriſtus, eumque, qui Ieſus vocatus eſt, induerit. Quae, cum enarraſſet, concludit: καὶ πολλὴ παρ' αὐτοῖς σκότωσις, ἄλλοτε ἄλλως καὶ ἄλλως αὐτὸν ὑποτιθεμένοις. *Quamobrem denſiſſima quaedam illis eſt obfuſa caligo, dum alias aliter de Chriſto opinione ſua ſtatuunt; haereſ. 30. p. 127.* Qui vltimam ex hiſce fouebant ſententiam, cum Cerinthianis conſentiebant, quos per Chriſtum itidem ſpiritum ſanctum intellexiſſe, antea obſeruauimus. Qui autem mediam, omnino ad Arii errorem accedebant, quippe qui itidem per τὸν λόγον, quem illi Chriſtum vocabant, creaturam omnium praeſtantiſſimam, excellentiſſimamque, intelligebant. Idque & SANDIVS adripuit, qui Ebionaeos inter eos refert, qui eadem cum Arianis, quos ipſe pro orthodoxis habet, docuerunt; *nucl. hiſt. eccleſ. lib. 1. p. 64.* Rurſus tamen alii Ebionaeos de trinitate eodem modo ac Sabellium ſenſiſſe, exiſtimant, in alterum extremum ita procurrentes. Confirmat hoc OPTATVS MILEVITANVS, quando Ebionem patri-paſſianis adnumerat, *lib. 4. de ſchismate Donatiſt. p. 91.* Quo pacto etiam ſententia Ebionitarum, qua Chriſtum a Ieſu diſtinxerunt, cum Sabellianiſmo conciliari queat, oſtendere adnititur ITTIGIVS, *de haereſiarchis aeui apoſtolici, ſect. 1. cap. 6. §. 8. p. 68.* Non prorſus tamen Ebionitas cum Sabellianis conſenſiſſe, contendit CHRISTIANVS WORMIVS, in *hiſt. Sabelliana, c. 2. §. 3.* Sed, certi quid hac de re pronuntiare non licet; magnisque adhuc tenebris veram Ebionitarum de trinitate ſententiam inuolutam eſſe, ex hactenus dictis nemo non, vt puto, intelliget.

De Paulo Samoſateno, Antiocheno epiſcopo, qui ſaeculo tertio eccleſiam turbauit, & inter diuinitatis Chriſti hoſtes haud vltimum locum tenuit, itidem inter viros eruditos diſputatur. In Sabellii eum militaſſe caſtris, diſerte pronuntiat ATHANASIVS. *Sabellius vero*, inquit, *Samoſatenſis Pauli, & eorum, qui eum ſequuntur, dogma recepit; de ſalutari aduentu Chriſti, tom. 1. oper p. 636.* Similia ex EPIPHANIO, LIBERATO, aliisque paſſim proferri ſolent. Id tamen non ſine ratione adhuc in dubium vocari poſſe, BVLLVS pronuntiat, in *defenſ. fidei Nicaenae, cap. 1. ſect. 2. p. m. 29.* Immo LE MOYNE eousque progreditur, vt *Sabellianiſmum a nemine eruditorum Paulo eſſe exprobratum* pronuntiet, in *notis ad varia ſacra, p. 246.* Qua in re equidem fallitur,

tur, cum vel ATHANASII exemplo conſtet, Sabellianiſmum Paulo Samoſateno exprobratum fuiſſe. An vero iure exprobratus ſit, id vero eſt, de quo dubitari poſſet. Qui rem paullo adcuratius expendunt, in eam ingrediuntur ſententiam, Samoſateni errorem ad Sabellii quodammodo accedere, non tamen eos prorſus inter ſe conſentire. In quo autem diſcrimen illud conſiſtat, non omnes aeque expediunt. Luculentiſſime omnium id mihi explicaſſe videtur LEONTIVS Byzantinus, cuius hac de re verba, breuitatis ſtudio, latino ſaltem ſermone referemus: *Nec eadem erat Pauli de diuinitate ſententia, quae Sabellii. Nam Sabellius eumdem dicebat eſſe patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, Deumque rem trini nominis adpellat, nullam prorſus eſſe trinitatem, ſtatuens. Paulus vero non eumdem eſſe dicebat patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, ſed patrem aiebat illum eſſe Deum, qui omnia creaſſet, filium purum illum hominem, ſpiritum vero gratiam, quae ſuper apoſtolos venerit: de ſectis, p. 504.* Nimirum, quando Paulus dicebat, *non eumdem eſſe patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum*, non ita hoc eſt capiendum, ac ſi in eſſentia diuina perſonarum quoddam diſcrimen ſtatuerit; ſed per filium ſolam humanam Chriſti naturam intelligebat; quam deificatam adſerebat, vt ſupra quoque nobis iam obſeruatum, cum de voce ὁμοούσιος verba faceremus. Per ſpiritum autem ſanctum, vt diſerte LEONTIVS docet, gratiam, quae ſuper apoſtolos venerit, intelligebat. In ipſa itaque eſſentia diuina nihil omnino trinitatis, ne quidem qua nominum diuerſitatem, admiſiſſe videtur; adeoque ad primam hanc, de qua loquimur, haereticorum claſſem, iure eum referri licebit. Diiudicari hinc etiam poteſt, quousque cum WORMIO, viro clariſſimo, ex LEONTII verbis adlatis colligere liceat, *Samoſateni dogmata non niſi purum putum eſſe Sabellianiſmum, inſigni impietate auctum*; in *hiſt. Sabelliana, c. 3. §. 2. p. 144.* Confirmari, quae diximus, inde etiam poſſe videntur, quod Samoſateniani ſubinde cum Iudaeis conferantur. Ita namque EPIPHANIVS: οὗτοι τὸν Ἰουδαϊσμὸν παραφθείροντες, οὐδὲν περισσότερον τῶν Ἰουδαίων κεκτημένοι, δεύτεροι Ἰουδαῖοι κληθήσονται, καὶ Σαμοσατῖται, μηδὲν ἕτερον ὄντες. *Iſti, iudaicam religionem interpolantes, neque quidquam iis habentes amplius, Iudaei alteri nominandi ſunt, & Samoſateni, neque aliud omnino ſunt; haereſ. 65. §. 2. p. m. 608.* Idem & *§. 7.* eosdem vocat ὑπερίτας τῆς τῶν Ἰουδαίων αἱρέσεως, *iudaicae opinionis ſatellites*, & *§. 9.* νέους Ἰουδαίους, *nouos Iudaeos.* Iudaeis autem eam, quam Sabellius de Deo fouit, ſententiam tribui non temere poſſe, antea iam obſeruauimus. Etſi enim, quod negari nequit, & deinceps docebimus, veſtigia quaedam trinitatis in Iudaeorum quorumdam ſcriptis occurrant, num ad orthodoxam, an Sabellianorum, an denique Arianorum ſententiam, haec accedant propius, diſquirendum reſtat: multo minus autem communem & receptam hanc omnium Iudaeorum ea aetate ſententiam fuiſſe, inde ſtatim colligi poteſt. EPIPHANIVS vero haud obſcure indicat, Samoſatenianorum haereſin ideo iudaicam a ſe adpellari, quod omnem trinitatem penitus tollat. Rationem enim adpellationis iſtius *§. 8.* diſtinctius explicaturus, ὁ ἀναιρῶν, inquit, τὸν λόγον, καὶ τὴν αὐτοῦ ὑπόστασιν, Ἰουδαϊσμὸν ὑποφαίνει. *Quisquis verbum, eiusque perſonam tollit e medio, iudaicam opinionem oſtendit.* Quae tamen verba, ne quid diffitear, etiam ad Sabellianiſmum trahi poſſunt: quemadmodum nec illud praetermittendum, in more fere veteris eccleſiae doctoribus poſitum eſſe, omnes illos, qui Chriſtum verum Deum eſſe negabant, Iudaiſmi accuſare. Hinc & de Arianis ATHANASIVS dicit, *occultare eos iudaiſmum ſub chriſtianitatis titulo*, (σκέποντας τὸν Ἰουδαϊσμὸν τῷ τοῦ χριστιανισμοῦ ὀνόματι) *orat. 4. contra Arian. tom. 1. oper. p. 471.* Inter ſectatores

res Pauli Samoſateni Marcellus, Ancyrae in Galatia epiſcopus, referri ſolet: certe *in Pauli Samoſateni doctrinam eum deuolutum*, diſerte SOZOMENVS pronuntiat, *hiſt. eccleſ. l. 2. c. 33*. Vnde & de trinitate eodem modo eum exiſtimaſſe, colligere poſſes. Sabellianum tamen in hocce capite eum adprobaſſe errorem, plurimi exiſtimant; a quo & non procul abſuit, ſi haec eius ſententia fuit, quam THEODORETVS hunc in modum exponit: *Marcellus autem Galata, ſimiliter vt ille, negauit hypoſtaſium trinitatem; extenſionem vero quamdam diuinitatis patris in Chriſtum veniſſe dixit, & hunc Deum verbum adpellauit. Peracta autem vniuerſa oeconomia, rurſus attractam eſſe, reuerſamque ad Deum, ex quo extenſa fuit. Spiritum vero ſanctum extenſionem extenſionis eſſe dicit, & hanc apoſtolis datam fuiſſe. Prorſusque exiſtimauit, trinitatem extendi atque attrahi, pro oeconomiae diuerſitate; baeret. fab. lib. 2. c. 10. p. 224*. Marcelli huius Ancyrani diſcipulus fuit Photinus, cuius minime obſcurum inter veteres haereſiarchas eſt nomen. De eo ita HIERONYMVS: *Photinus de Gallo-Graecia, Marcelli diſcipulus, Syrmii epiſcopus ordinatus, Hebionis haereſin inſtaurare conatus eſt*; in *catalog. ſcriptor. eccleſ. c. 107. p. 99*. Nec tantum ab HIERONYMO, ſed & ab aliis paſſim hoc ei exprobratur, quod Ebionis errorem reſtaurauerit, vnde tum HIERONYMO, tum HILARIO, ipſemet *Ebion* audit. Magnam tamen vtriusque opinionis eſſe diſparitatem, oſtendit PEARSONIVS, in *expoſit. ſymboli apoſt. art. 2. p. 211*. cum Ebion Iudaeus magis fuerit, quam chriſtianus, Chriſtumque docuerit aeque a Ioſepho generatum, quam natum a Maria. Sed non deſunt, qui eamdem, quam Ebionem fouiſſe PEARSONIVS dicit, ſententiam Photino tribuunt, vt MARIVS MERCATOR, *p. 165*. edit. BALVZII. At iuxta EPIPHANIVM Photinus docuit, Chriſtum ex Maria virgine a ſpiritu ſancto genitum, *haereſ. 71*. In eo omnes conſentiunt, Photinum aeque ac Ebionem, Chriſtum pro mero habuiſſe homine. Et hactenus etiam cum Paulo Samoſateno conſpirauit, quocum paſſim etiam conferri ſolet. Certe, PHILASTRIVS in ſuo *haereticorum catalogo haereſi 65. p. m. 28*. cum in omnibus Paulum Samoſatenum ſequutum, adſerit; EPIPHANIVS autem *l. c.* non ſimilia tantum, ſed atrociora etiam de Chriſto docuiſſe, auctor eſt. Immo eousque cum Paulo illum conſenſiſſe, vt delirium quoque eius, de carne Chriſti deificata, admiſerit, WORMIVS probare adnititur, in *hiſt. Sabelliana c. 6. §. 4. p. 224*. Atque hinc idem auctor etiam colligit, Photinum de trinitate non aliter ſenſiſſe, quam Sabellium; cum de Paulo Samoſateno id ſatis cônſtet. Sed, quousque hoc admittendum ſit, ex iis, quae antea diſputauimus, liquet. Interim & THEODORETVS Photino Sabellii ſenſus tribuit, *l. 2. haer. fab. c. vlt.* repugnante SVLPITIO SEVERO, qui a Sabellio in vnione Photinum diſſenſiſſe, refert, *l. 2. hiſt. ſacr. c. 37*. Addenda, quae hac de re diſſerit ITTIGIVS, in *adpendice diſſert. de haereſiarchis aeui apoſtolici, diſſert. 6. de Photino, §. 9. p. 431*. Mihi vtique de trinitate non aliter ſenſiſſe Photinus videtur, quam Paulus Samoſatenus; vterque autem cum Sabellio in eo conſentiebat, quod vnicam tantum in diuinitate perſonam admitteret; ſed in eo diſſenſiſſe videntur, quod ne talem quidem trinitatem, quam Sabellius docebat, quaeue nominum tantum erat, ſtatuerent. Hoc omnium, ni fallor, luculentiſſime expreſſit VINCENTIVS LERINENSIS: *Photini ergo ſecta haec eſt; dicit*, DEVM SINGVLVM ESSE ET SOLITARIVM ET MORE IVDAICO *confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque vllam ſpiritus ſancti putat eſſe perſonam. Chriſtum vero hominem tantummodo ſolitarium adſerit, cui principium adſcribit ex Maria: & hoc omnibus modis dogmatizat, ſolam nos perſonam Dei patris, & ſolum Chriſtum*

Chriſtum hominem colere debere ; in *commonit. adu. haeret. c. 17.*

Sunt forte & alii ex antiquis haereticis, qui ad hancce claſſem referri poterant; ſed ad recentiores progredi iuuat. Cum enim eo ipſo circiter tempore, quo bonarum litterarum, puriorisque doctrinae lux orbi chriſtiano adſulgere inciperet, ingens eiusmodi hominum, qui in neganda Chriſti pariter ac ſpiritus ſancti diuinitate conſentiebant, agmen prorumperet, de trinitate tamen adeo inter ſe non conſentiebant, vt nonnulli ad Arianorum, ad Sabellianorum alii, alii denique ad Photinianorum, ſiue illorum, qui nullam plane trinitatem admittunt, partes accederent. Atque inter vltimos ipſe fuit Fauſtus Socinus, qui ſectae deinceps nomen dedit, cum patruo ſuo Laelio; quibuscum vt in aliis, ita in hocce ſpeciatim capite fecerunt Valentinus Smalcius, Chriſtophorus Oſtorodus, Hieronymus Moſcorouius, aliique. Iuuatque, ne quis hac de re dubitet, ipſum audire F. SOCINVM. In *inſtitutionibus* namque *chriſtianae religionis, tom. 1. oper.* eius *p. 652.* vbi per interrogationes & reſponſiones proponuntur cuncta, mentem ſuam ita explicat: *Interrogatio : Annon neceſſe eſt praeterea, vt de Dei natura ſiue eſſentia id ſciamus, vtrum ſcilicet in iſto ipſo vno Deo ſint, nec ne, plures perſonae, & quaenam ſint iſtae? Reſp. interrogatio haec tua implicat contradictionem. Interrog. Quomodo vero ? Reſp. Nimirum, quatenus in ea ſimul adfirmatur, Deum eſſe vnum, ſimul dubitatur, ne non ſit vnus. Interrog. Sed , an fortaſſe ignoras, aliud eſſe eſſentiam, ſeu naturam, aliud perſonam ? Annon intelligis interrogationem meam, vnum quidem Deum eſſe, adfirmare eſſentiae ratione, dubitare vero, annon ſit vnus, reſpectu perſonae? Reſp. Eſſentia, quae aliud re ipſa eſt a perſona, non eſt ea, quae numero eſt eſſentia, & prima eſſentia, ſeu ſubſtantia nominatur. Iam Dei eſſentia eſt vna numero, non autem ſpecie, nec quidquam habet Deus cum ſecunda illa eſſentia commune, ſed tantum cum prima, quae, vbi eſt intellectu praedita, idem prorſus eſt cum perſona. Interrog. Quid igitur concludis? Reſp. Nempe id, quod per te ipſe iam intelligere potes, videlicet, cum Dei eſſentia ſit vna numero, Deut. VI, 4. neceſſe eſt, vt vna etiam numero ſit in Deo perſona, & nullo pacto plures. Nam, ſi plures diuinae perſonae eſſent, plures quoque diuinas eſſentias eſſe oporteret.* Non minus luculenter mentem ſuam prodit, cum deinceps de Chriſto & ſpiritu ſancto loquitur. Sed, vt plura addamus, neceſſe non eſt.

** Altera haecce eſt errorum claſſis, in quos praecipites dantur, qui a recto hic aberrant tramite. Solent autem, qui reale perſonarum in diuinitate diſcrimen tollunt, Sabelliani vocari, quemadmodum & error ipſe Sabellianiſmi nomine venit, non, quod primus fuerit Sabellius, qui eiusmodi quid commentus ſit, ſed, quod praecipuus fuerit, magnamque prae ceteris hoc nomine conſequutus ſit celebritatem. Plures enim omnino ante Sabellium vixerunt, qui iſtius erroris coarguuntur; immo, ipſe iam Simon, qui apoſtolorum tempore vixit, primusque in nouo teſtamento, poſt Doſitheum, haereſiarcha creditur, iam ſimile quid docuiſſe perhibetur. Notum eſt, quod, vt auctor eſt IRENAEVS, *lib. 1. adu. haer. c. 20.* iactitauerit, ſe in Samaria vt patrem deſcendiſſe, in Iudaea, vt filium, & reliquis gentibus vt ſpiritum ſanctum adparuiſſe. Quodſi AVGVSTINVM audiamus, dixit, ſe in monte Sina legem Moſis in perſona patris dediſſe Iudaeis, tempore Tiberii in filii perſona putatiue adparuiſſe, poſtea ſe in linguis igneis ſpiritum ſanctum in apoſtolos veniſſe; *de haereſib. c. 1.* Saeculo ſecundo exſtitiſſe, qui errorem iſtum, qui a Sabellio nomen ſortitus eſt, propugnarent, ex IVSTINI martyris *dialogo cum Tryphone p. 356.* nonnulli colligunt. Cumque IVSTINVS certo nomine eos non deſignet, incertum quidem, quosnam ibi in-

 telligat.

Digitized by Google

telligat. De Valentino tamen verba eius capienda, contendit WORMIVS, qui & operoſe probat, dogmata plurima Valentini ita fuiſſe comparata, vt non aliter, quam deinceps Sabellius, de trinitate ſenſiſſe, merito credatur; in *hiſt. Sabelliana, c. 2. §. 4. ſeq. p. 61.* Montanum *vnam tantum in deitate perſonam docuiſſe*, adeoque eumdem cum Sabellio fouiſſe errorem, auctor eſt HIERONYMVS, *epiſt. LIV.* ſeu ſecundum recentiorem diſpoſitionem *XXVII. ad Marcel tom. 4. oper. part. 2. p. 64.* Non ipſi Montano, ſed aliquibus ſaltem eius diſcipulis hoc tribuit THEODORETVS, *haeret. fab. l. 3. c. 2.* Sed Montanum pariter ac eius diſcipulos ab hocce errore abſoluit EPIPHANIVS, *haereſ. 48.* Et ſane, credibile non eſt, Montanum hoc errore imbutum fuiſſe, ſiquidem, vt alia taceam, TERTVLLIANVS etiam, poſtquam in Montani caſtris militare incepit, non tantum orthodoxam in hocce capite profeſſus eſt doctrinam, ſed ex inſtituto etiam contra Praxeam ſcripſit, quem eumdem cum Sabellio fouiſſe errorem conſtat. Legenda cumprimis, quae auctor iſte *contra Praxeam c. 2.* diſſerit. Praxeas vero iſte, circa finem ſaeculi ſecundi errorem huncce diſſeminare coepit, publiceque docuit, patrem, filium & ſpiritum ſanctum, vnam eamdemque omnino eſſe perſonam, & reliqua etiam, quae hinc conſequuntur, quantumvis abſona, admiſit. Hinc ex eius mente TERTVLLIANVS: *Itaque poſt tempus pater natus eſt, pater paſſus, ipſe Deus dominus omnipotens Ieſus Chriſtus praedicatur; adverſ. Praxeam, c. 3.* Diſcipulos atque ſectatores quam plurimos habuit, vt praeter alios auctor eſt PHILASTRIVS, *haereſi 41.* Prae ceteris autem a Praxea errorem iſtum accepiſſe creditur Beryllus, Boſtrenſis in Arabia epiſcopus, quippe qui, iuxta EVSEBIVM, docuit, ſeruatorem noſtrum, μὴ προϋφεστάναι κατ' ἰδίαν οὐσίας περιγραφὴν, πρὸ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας. μηδὲ μὴν θεότητα ἰδίαν ἔχειν, ἀλλ' ἐμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικήν: *non ſubſtitiſſe in propriae perſonae differentia, antequam inter homines verſaretur; nec propriam, ſed paternam diuinitatem in ſe reſidentem habere; hiſt. eccleſ. l. 6. c. 33.* Non tantum autem ſynodi quaedam contra Beryllum congregatae, ſed Origenes quoque arceſſitus in certamen cum eo deſcendit, vt itidem EVSEBIVS *l. c.* auctor eſt. Succeſſit porro Noetus, circa annum Chriſti 244, eumdem errorem propagare incipiens, & iis quidem maxime in locis, vbi ignotus erat Praxeas. Namque υἱοπάτορα τὸν χριστὸν ἐδίδαξε, τὸν αὐτὸν εἶναι τὸν πατέρα, υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. *Filio-patrem Chriſtum docuit, ipſum eſſe patrem, filium, & ſpiritum ſanctum*, vt loquitur EPIPHANIVS, in *anacephal. cap. 11. tom. 2. oper. p. 145.* Idem & AVGVSTINVS confirmat, Noetianos & Sabellianos vnius haereſeos duo eſſe nomina, adſerens, *de haereſib. c. 41.* Mitto, quae THEODORETVS, IO. DAMASCENVS, aliique hac de re habent.

Tandem vero & ipſe Sabellius prodeat, quem Noeti diſcipulum ferunt. Vixit certe ſaeculo tertio, & circa annum 257, errorem ſuum palam profitendo, ab eccleſia diſceſſit. Sunt, qui putant, vocem ὁμοούσιος non recte intellectam, errori huic occaſionem praebuiſſe; id certum, Sabellianos hac voce, quae iam ante Sabellium in vſu erat, ad errorem ſuum palliandum vſos, vnitatemque eſſentiae diuinae ita adſeruiſſe, vt ὑποστάσεων pluralitatem plane tollerent. Sed de voce ὁμοούσιος, & quo pacto tum ab haereticis, tum ab orthodoxis vſurpata ſit, ſupra ex inſtituto dictum. Nec de ipſo Sabellii errore cuiquam dubium, quippe quem veteres omnes vno velut ore profitentur. Diſerte THEODORETVS: Σαβέλλιος μίαν ὑπόστασιν ἔφησεν εἶναι, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν. καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ ἓν τριώνυμον πρόσωπον. *Sabellius vnam hypoſtaſin eſſe dixit, patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, & vnam trinominem perſonam; haeret.*

ret. fab. l. 2. c. 9. tom. 4. oper. p. 225. Pari ratione & EPIPHANIVS Sabellianos docuiſſe dicit, εἶναι ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, *haereſ. 62. tom. 1. oper. p. 513.* Hinc & GREGORIVS Nazianzenus, τὴν Σαβελλίου συναίρεσιν, *Sabellii contractionem* memorat, *orat. 4. p. 221.* conf. & ATHANASIVS, *de adu. Chriſti, tom. 1. oper. p. 637.* Atque haec cum ita ſe habeant, & in luce manifeſta poſita ſint, maximopere errat SANDIVS, Sabellium docuiſſe, contendens, filium ex ſubſtantia patris genitum; quem eius errorem recte refellit WORMIVS, in *hiſtoria Sabelliana, c. 1. §. 6. p. 19. ſeq.* Dum autem Sabelliani vnicam tantum in Deo admittebant ὑπόστασιν, non poterant non patri ea omnia tribuere, quae ſcriptura ſacra filio tribuit. Idque cum vrgerent orthodoxi, concedebant iſta Sabelliani, patrem adeo corpus humanum adſumſiſſe, omniaque ea, quae Chriſtus in carne peregit, feciſſe; immo, patrem crucifixum, paſſumque eſſe profitebantur. Et hinc factum, vt Sabelliani etiam *patri-paſſiani* dicerentur. EPIPHANIVS equidem Sabellianos cum Noetianis in omnibus propemodum conſenſiſſe dicit, *niſi, quod patrem ipſum negent eſſe paſſum; in anacephal. tom. 2. oper. p. 146.* Sed repugnat AVGVSTINVS, ipſumque refellit EPIPHANIVM, tam eſſe notum adſerens, quod Sabelliani patrem paſſum eſſe adfirment, vt *patri-paſſiani, quam Sabelliani, crebrius nuncupentur; de haereſib. cap. 41.* Repugnant & alii: ſed res cum diſcrimine quodam expedienda eſt. Diſpiciendum enim, an Sabellius naturae humanae cum diuina talem coniunctionem, vt vna inde perſona reſultaret, adſeruerit? Quod de ipſo quidem Sabellio, & genuinis eius diſcipulis nonnulli negant, quippe qui nudam diuinitatis efficientiam in Chriſtum manaſſe, exiſtimauerint, Chriſtumque adeo ſimplicem hominem, communique cum ceteris conditione, cenſuerint; cum alii contra, errorem Sabellii, de vnica diuinitatis perſona, retinerent, ſed in eo ab illo diſcederent, quod vnica haec perſona, quae patris nomine illis veniebat, cum natura humana ita coniuncta fuerit, vt ipſa quoque cruciatus & calamitates quasuis paſſa ſit; vnde *patri-paſſianorum* illis nomen haeſerit; conf. PETAVIVS, *dogm. theolog. tom. 5. de incarnat. lib. 1. c. 3. §. 7. ſeq. p. 6. ſeq.* Dicti vero Sabellii ſectatores etiam ſunt *monarchiani*, non eo quidem ſenſu, quo orthodoxi monarchiam Dei contra πολυθεότητα defendebant, quemadmodum & IVSTINVM martyrem περὶ θεοῦ μοναρχίας ſcripſiſſe conſtat: ſed quod ipſi eos, qui perſonarum pluralitatem adſerebant, polytheismi accuſarent. Id TERTVLLIANVS nos condocet: *Itaque duos & tres iam iactitant a nobis praedicari; ſe vero vnius Dei cultores praeſumunt, quaſi non & vnitas irrationaliter collecta haereſin faciat, & trinitas rationaliter expenſa, veritatem conſtituat. Monarchiam, inquiunt, tenemus &c. contra Praxeam, c. 3.* Eadem ratione & a PRVDENTIO, *apotheos. p. 164.* eos *vnionitas* dictos, nonnulli obſeruant, quod vnitatem Dei ita adſererent, vt hypoſtaſium excluderent pluralitatem. Ceterum, quae Sabellianiſmi poſt Sabellium fuerint fata, exponere, noſtri non fert inſtituti ratio. Legenda, quae de iis diligenter diſſerit WORMIVS, ex merito nobis iam aliquoties laudatus, in *hiſtoria Sabelliana, c. 5. ſeq. p. 158. ſeq.* vbi tamen nonnullos inter Sabellianos refert, qui rectius ad primam, quam conſtituimus, hoſtium trinitatis claſſem referendi videntur, vti iam antea obſeruauimus; nonnullos etiam, qui perperam Sabellianiſmi accuſati fuerunt, recte excuſat.

Iam, ſi ad recentiores progrediamur, primo ſe nobis offert loco ipſe MICHAEL SERVETVS, quippe qui a quibusdam Sabellianiſmi accuſatur. Certe, in *dialogorum de trinitate libris duobus*, itemque, *de trinitatis erroribus, libris ſeptem* (vtrumque enim

enim librum inſpicere mihi licuit) ita paſſim hac de re loquitur, vt haud procul a Sabellianiſmo quandoque abeſſe videatur. Cuncta autem ſi paullo adcuratius conſiderentur, ſententia eius eo redit, vt, ad Chriſtum quidem quod attinet, Deum in intellectu ſuo λόγον ſiue verbum formaſſe, contendat, quod tum demum filius Dei vocari potuerit, quando prolatum, & cum Chriſto homine vnitum eſt. *Sicut apud legiſtas,* inquit, *quis dicitur mortuus a die illati vulneris, quod ſibi mortem cauſſauit; ita Dei filius Ieſus dicitur, natus & genitus a die prolati verbi, a quo omnem eſſendi modum eſſentialiter habet, & filius Dei factus eſt filius hominis, quia aeternaliter ex Deo natus, temporaliter poſt ex homine naſcitur, licet non ſit, niſi vna res: de trinit. errorib. lib. 3. p. 68.* Quam ſuam ſententiam, paucis interiectis, ſimili quodam declarat: *Hanc ſimilitudinem accipe: ſi potentia mihi daretur, vt vice ſeminis viri per oris flatum in muliere filium generarem, tunc, ſi emiſſo flatu ego recederem, dicere mulieri poſſem, filium genui, filium in te relinquo, qui, veniente temporis plenitudine, factus homo ex te naſcetur. Et licet iſta ſit inepta dicere, meus flatus eſt filius, immo, verbum meum erit mihi filius, tamen ratione ſeminalis virtutis tunc genitum filium dicimus, non, quod fuerit realis generatio flatus illius, ſeu verbi a Deo prolati, ſed externa illa verbi prolatione facta eſt carnis generatio.* Quae ſatis aperte docent, eum verbum, ſeu τὸν λόγον, in ipſo Deo ſpectatum, neutiquam pro hypoſtaſi, ſeu filio Dei habere, ſed Chriſtum, prout per externam verbi prolationem homo factus eſt. Qua de re & *lib. 7.* circa *initium p. 110.* ita loquitur: *De filiatione in diuinis & Chriſti diuinitate, & verbi hypoſtaſi, ſolent moveri quaeſtiones, quas ego paucis abſoluo. Ab initio fuiſſe dico filiationem in diuinis, non realem, ſed perſonalem. Verbum erat filius, non realis, ſed perſonalis erat filius, quatenus erat Chriſti perſona, nec vnquam in ſcriptura filius vocatur, ſed Chriſto attribuitur aeterna generationis ratio, & ea, quae erant in lege, erant vmbra corporis Chriſti. Aliqui tamen emanationem notitiae, ſeu verbi ab intellectu diuino, per modum filiationis emanantis, hic ſomniant, ſed ſua ſomnia parum conuincunt, niſi verbum fuiſſe realem filium ſcripturis probent, & emanationes iſtae reliquiae ſunt ex Valentinianis emiſſionibus derelictae, emiſſiones illae, ſeu emanationes intrinſece mathematicae ſunt, & ſcripturis ignotae, & emanationis vocabulum philoſophicum quid ſapit, quod intra Dei naturam cadere non poteſt, id enim, quod emanauit a Deo, eſt ipſe Chriſtus, qui exiuit a patre. At in Deo ad intra nulli ſunt exitus aut emanationes, ſed erat Chriſtus in mente diuina praeformatus, erat quidam modus ſe habendi, quem in ſe ipſo Deus diſpoſuit, vt ſe ipſum nobis patefaceret, ſcilicet, Ieſu Chriſti effigiem in ſe ipſo deſcribendo; nam totum hoc ad Chriſti gloriam explicandam fuit praeordinatum.* De ſpiritu autem ſancto ita loquitur, vt per eum nihil aliud, quam virtutem quamdam aut efficaciam Dei in hominibus intelligere videatur. *Dico igitur,* inquit, *quod ſpiritus ſanctus eſt diuina in hominis ſpiritu agitatio. Sic, quae agitando illuſtrat Deus, & illuſtrando ſanctificat: nec exigitur hic definitio quidditatiua, nam de genere motus eſt vox ſpiritus, quaſi motio, impetus, & halitus, & quia ſic mouendo, Chriſto credentes ſanctificat Deus, ideo dicitur ſpiritus in homine ſanctus, & ex fide Chriſti, lib. 6. circa fin. p. 109, 110.* Sic & *lib. 4. p. 85.* diſerte adſerit: *extra hominem nihil eſt ſpiritus ſancti.* SANDIVS Seruetum eamdem fere cum Paulo Samoſateno, & Photino ſententiam fouiſſe exiſtimat. *Fuit Seruetus,* inquit, *eiuſdem fere opinionis, quam olim Paulus Samoſatenus, Photinus, & eorum adſeclae, ac homodoxi (vt patres nonnullos, qui eadem docuerunt, mittam) fouerunt; nimirum, quod diſtinctionem fecerit inter Ieſum Chriſtum filium Dei, & verbum illud,*

illud, de quo ſanctus Ioannes in euangelii ſui initio agit; in bibliothec. anti-trinitar. p. 9. Quod, quousque admittendum ſit, ex iis, quae de vtroque, Paulo Samoſateno, & Photino antea diſputauimus, diiudicari poterit. Recte autem idem SANDIVS *l. c.* monet, Servetum in eo, quod de λόγῳ docet, a Socino, eiusque adſeclis diſcrepare: quippe quod & res ipſa docet, & FAVSTVS quoque SOCINVS diſerte profitetur, in *reſponſ. ad libellum Iac. Wuieki, c. 1. tom. 2. oper. p. 535.* Intelligere hoc etiam vlterius licet ex iis, quae SANDIVS ex Serveto itidem adducit. Sed, quidquid tandem ſit de Serueto, fuiſſe & alios recentiori aetate, qui non ſine ratione in Sabellianiſmi ſuſpicionem venerunt, experientia docuit. Immo, omnes illos, qui ex rationis lumine trinitatis demonſtrare myſterium adgreſſi ſunt, huncce vix euitare errorem poſſe, haud difficulter ex iis intelligetur, quae ſupra ad §. 44. huius capitis diſſeruimus. Idque adeo & de POIRETO, quidquid etiam dicat, aut in quamcunque ſe vertat partem, adſerendum eſſe, ex iis, quae ibidem attulimus, manifeſtum erit. Etſi enim vocabulum *perſonae* admittat, tresque in diuina eſſentia dari ὑποςάσεις ſeu perſonas concedat, id eo tamen facit ſenſu, vt hoc idem ſit, ac ſi quis tres tantum in diuinitate ſtatuat relationes, habitus, reſpectus, qualitates &c. vti itidem iam obſeruauimus. Non minus vero etiam LIBERIVM DE S. AMORE, ſiue, qui ſub hoc nomine latet, IO. CLERICVM, in huncce ordinem referendum eſſe, ex iis, quae ad §. 48. diximus, intelligere licet. Cum enim per diuinas perſonas nihil aliud, quam diuerſos cogitandi modos intelligat, perinde hoc eſt, ac ſi perſonas ipſas, atque realem, quae inter eas intercedit, diſtinctionem negaſſet. Modus enim cogitandi non poteſt vocari perſona, eo quidem ſenſu, quo vocem hanc hic accipi, ſupra monuimus. Quouis equidem modo hanc ſuſpicionem deprecatur LIBERIVS, atque diſcrimen, quod inter ſuam & Sabellii ſententiam intercedat, oſtendere adnititur. *Forte etiam*, inquit, *Sabellii ſententiae adfinis videbitur adlata hypotheſis. Verum, Sabellius, ſi veteribus credimus, ὑποςάσεις καὶ ἰδιότητας confundebat, quod nequaquam fit in Soliniana hypotheſi, in qua tres diuinitatis perſonae inter ſe valde diſtinguuntur. Neque enim cogitationes patris ſunt cogitationes filii, aut ſpiritus ſancti, quamuis nulla ſit inter eos diſſenſio. Exempli gratia pater habet iudicis cogitationes, filius mediatoris, ſpiritus ſanctus conſolatoris, &c. Nec eadem diuinitas modo filii, modo ſpiritus ſancti perſonam ſuſtinet, ac, veluti luna, φάσεις patitur, ex Solini ſententia, & ex Sabellii hypotheſi, ſed ſimul pater eſt, filius, & ſpiritus ſanctus, qui tribus diuerſis modis cogitant. Eae perſonae aeternae ſunt, atque immutabiles, nec modo a diuinitate induuntur, modo exſuuntur, ſed ſemper in ea ſunt; epiſt. theol. 3. p. 106.* Verum, vti praecipuum Sabelliani erroris momentum erat, quod pluralitatem perſonarum negaret, adeoque vnicam tantum ὑπόςασιν in Deo admitteret, ita in eo etiam auctor omnino cum illo conſentit. Neque enim quidquam obſtat, quo minus vna eademque perſona diuerſos habeat cogitandi modos. Quando vero dicit, cogitationes patris non eſſe cogitationes filii aut ſpiritus ſancti, tum quidem, ſi haec eius mens eſt, quod pater ſuas cogitationes habeat, & filius ac ſpiritus ſanctus itidem, ſequeretur, cogitationem iterum habere cogitationes. Per patrem enim nihil aliud, quam certum cogitandi modum, nec aliud quidquam per filium, aut ſpiritum ſanctum intelligit, vt diſerte *p. 103.* profeſſus eſt. Nec video, cur non vna eademque perſona mox iudicis, mox mediatoris, mox conſolatoris habere cogitationes queat. Sunt vero & alibi plures hodie, qui in eadem verſantur ſententia, quique *modaliſtarum* nomine veniunt, quod pro tribus perſonis tres tantum modos in diuinitate ſtatuunt. Auctor libelli : *les raiſons des ſcripturaires*, qui Hamburgi, vti

titulus prae ſe fert, anno 1706. prodiit, quive & ipſe in anti-trinitariorum militat caſtris, laudat *c. 2. p. 7.* hoc nomine ſchediaſma: *remonſtrance charitable aux vnitaires,* in quo ſententia modaliſtarum non tantum explicata ſit, ſed ſimul oſtenſum, eamdem communem eſſe & maxime authenticam inter orthodoxos. Qua in re tamen, ad vltimum quod attinet, maximopere fallitur; cum ſententia orthodoxorum, ſaltem communis atque recepta, a modaliſtarum illa toto, quod aiunt, differat caelo. Interim & ipſe auctor libri: *les raiſons des ſcripturaires,* ſubinde non procul a modaliſtarum, quos vocant, ſententia abeſſe videtur. Nec praetermittendus hic eſt DEVSINGIVS, cuius exſtant *demonſtrationes allegoriae hiſtoricae, ſeu hiſtoriae allegoricae veteris & noui teſtamenti,* qua primam partem anno 1701. Franequerae editae. Addita iis eſt *reuelatio myſterii ſacro-ſanctae triados,* in qua ſuam hac de re ita explicat mentem, vt, quemadmodum anima hominis ad imaginem Dei trini condita, tribus diſtinctis, iis tamen finitis, facultatibus conſtet, *intellectu, iudicio, & voluntate*, quae vnam animam conſtituant, ita eſſentiam quoque diuinam tribus eiusmodi ſubſiſtentiis, iisque infinitis, *intellectu*, cui propria ſit conſcientia & praeſcientia; *iudicio*, cui propria ſit ſapientia & veritas; & *voluntate*, cui competat potentia & charitas, contineri, contendat; quae quidem tres ſubſiſtentiae vnam Dei eſſentiam abſoluant. Deum itaque, vt *intelligentem* ſpectatum, patrem vocat; vt *iudicantem*, filium; vt *volentem*, ſpiritum ſanctum. Huc enim ſententia eius redit, quam non poſſe non in Sabellianiſmum abire, nemo non intelligit. Idem cenſendum de IO. WALLISIO, qui in *octo epiſtolis,* & *tribus* Oxonii habitis *ſermonibus* docuit, perſonam diuinam eſſe modum, ſiue reſpectum Dei in relatione ad creaturas, vt adeo tres ſint in Deo per repetitionem, non per multiplicationem. Ad quam ſententiam & ROELLIVS accedere videtur, quando in diuinis nullam rationem characteriſticam ad intra admittit, ſed omnem tantum ad extra eſſe docuit; in *diſſ. de generat. filii, p. 40. & 7*. Legenda de his, quae ZACH. GRAPIVS diſputat, in *theologi recens controuerſa, c. 2. qu. 9. p. 121. ſeq.* item *cap. 14. p. 135. ſeq.*

*** Tertia haec eſt in diuerſa hic abeuntium claſſis, eorum ſcilicet, qui perſonarum equidem in diuina eſſentia admittunt pluralitatem, ſed earumdem ſimul inducunt inaequalitatem. Ariani hoc cumprimis nomine male audiunt, a quibus & haec ſententia Arianiſmi nomen ſortita eſt. Sunt equidem, qui negant, Arium primum iſtius dogmatis auctorem inuentoremque eſſe, cum plurimi ante Arium inter veteris eccleſiae doctores eamdem fouerint ſententiam. Idque vt ex inſtituto demonſtraret, ſibi datum credidit SANDIVS, qui & ipſe inter Arianae haereſeos reſtauratores haud vltimum locum tenet, in *nucleo hiſt. eccleſ. lib. 1. p. 141.* alibique paſſim. Atque quosdam ex doctoribus, qui ante Arium vixerunt, non omnino ſecundum Nicaeni concilii formulam de Chriſti diuinitate loquutos, alii quoque fatentur, ſpeciatim PETAVIVS, qui copioſe hac de re diſſerit, *dogmat. theol. tom. 2. l. 1. c. 3. 4. & 5.* Mentem veterum, de quibus verba fecerat, ita ſummatim exprimit: *Igitur nonnullis veterum illa de diuinitate, ac perſonarum in ea diuerſitate, inſederat opinio: vnum eſſe ſummum, ingenitum, neque adſpectabilem Deum, qui λόγον ex ſeſe foras produxerit vocalem & ſonantem: nec tamen vocis inſtar ſonique transeuntem, ac diſſipabilem, ſed eiusmodi, vt velut corporatus ac ſubſiſtens, cetera deinceps efficeret. Tum autem a ſupremo Deo ac patre productum eſſe dixerunt, cum hanc rerum vniuerſitatem moliri ſtatuit, vt illum velut adminiſtrum adhiberet. Quam ſententiam alii clarius, obſcurius alii ſignificant: ſed iſti fere Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus & Lactantius. Tam illi vero, quam alii, vt Origenes, aeuo,* digni-

dignitate ac potentia ſuperiorem eſſe verbo patrem, arbitrati ſunt; & tametſi de patris eſſe ſubſtantia, ſiue natura, filium adſererent, qua vna re ab ceteris, quae creaturae proprie vocantur, illius conditionem diuerſam faciebant, non minus tamen, quam creaturas, initium habuiſſe, hoc eſt, minime ex aeterno diſtinctam hypoſtaſin fuiſſe, putarunt; l. c. c. 5. §. 7. p. 31. Sed HVETIVS quoque idem agnoſcit. *Inter chriſtianos,* inquit, *doctores, qui ante Nicaenam floruerunt ſynodum, multi de trinitatis myſterio parum caute loquuti ſunt. Inſincera certe fuit Tatiani, & Tatiano vetuſtioris Iuſtini de trinitate doctrina. In eamdem venit criminationem pſeudo-Clemens, venit & Theophilus Antiochenus. Indigna vero & intoleranda profuderunt Tertullianus & Lactantius, Clemens quoque, Dionyſius & Pierius, Alexandrini, aliique complures; Origenian. l. 2. c. 2. qu. 2. §. 10.* Hiſce SANDIVS *l. c.* praeter alios & CALOVIVM addit, qui in *ſyncretiſmo Calixtino de fidei principio §. 25.* ita ſcribit: *Si de ſacroſancta trinitate, quod ſummum ac primarium fidei myſterium eſſe fatentur aduerſarii, ſuffragia ſint inquirenda ex vnanimi conſenſu, reperientur non pauca apud Origenem, Theophilum Antiochenum, Lactantium, quaedam etiam apud Tertullianum, fidei catholicae aduerſa, vt alios taceam plures.* Verum, ſunt haec omnia cum grano quodam ſalis accipienda, nec vltra extendenda, quam par eſt. Non caute ſatis interdum quosdam ex patribus ante-Nicaenis hac de re loquutos, immo, nonnullos intempeſtiuo Platonicae philoſophiae ſtudio abreptos, notionem trinitatis, quam inde hauſerant, imprudenter ſcripturae ſacrae quandoque adcommodaſſe doctrinae, non abnuo. Praecipuos tamen recte ſenſiſſe, & eos ipſos etiam, qui filio Dei natiuitatem quamdam tribuiſſe videntur, quae aliquando coeperit, & mundi creationem proxime anteceſſerit, reuera tamen prorſus ab Arii ſententia abhorruiſſe, dudum viris doctis obſeruatum eſt; vt deinceps oſtendemus. Interim bene eſt, quod ipſemet SANDIVS, PETAVII ſententiam, *Arium germanum Platonicum fuiſſe, l. c. c. 8. §. 2.* pronuntiantis, ambabus, quod aiunt, manibus amplectatur, calculoque ſuo comprobet. Sequitur enim inde, non ex ſcriptura ſacra, aut recepta veteris eccleſiae doctrina, ſed ex philoſophia Platonica, ſententiam iſtam fluxiſſe, quam doctores orthodoxi merito ceu erroneam reiiciebant. Arius itaque cum monitus licet, ac rectiora non ſemel edoctus, eumdem errorem nihiloſecius propugnaret, ac eccleſiæ obtruderet, merito pro conditore auctoreque iſtius haereſeos habetur. Quae autem de filio Dei docuerit, ſatis nota ſunt; eum creatum a patre, ante mundum conditum, non autem genitum, adeoque non eſſe patri coaeternum ac coeſſentialem; & licet rebus creatis omnibus excellentior ſit, multumque praeſtantior, non tamen eſſe verum ſummumque Deum. Conſtat hoc ex ipſius Arii verbis, quae ATHANASIVS refert: *Non ſemper Deus erat pater, ſed fuit, quando Deus ſolum erat, & pater nondum erat. Poſterius autem* (ὕϛερον δὲ) *factus eſt pater. Non ſemper fuit filius, ipſumque Dei verbum ex nihilo factum eſt. Cum enim omnia ex non entibus exſtiterint, & in vniuerſum nihil ſint, niſi* κτίσματα καὶ ποιήματα, *creaturae & opera, reſtat igitur, ipſum quoque Dei verbum ex non entibus factum eſſe; & fuit, quando non erat, neque erat, antequam fieret, ſed exordium, vt crearetur, etiam ipſum habuit; orat. 2. contra Arianos, tom. 1. oper. p. m. 310.* Non poterat non hinc conſequi, eum filium Dei pro Deo vero non habere, quod & diſerte profeſſus eſt, vt idem nos condocet ATHANASIVS: *Idem rurſus auſus eſt dicere, verbum verum Deum non eſſe. Nam quamuis Deus nominetur, non tamen verum Deum exſiſtere;* ἀλλὰ μετοχῇ χάριτος, *ſed participatu gratiae talem fieri; vt reliquos omnes, ſic & ipſum titulotenus Deum vocari; l. c. p. 311.* conf. & EPIPHANIVS, *haereſ. 69. tom. 1. oper. pag. 731.*

Digitized by Google

itemque AVGVSTINVS, *de haereſib. c. 49.* Quibus autem artibus atque fallaciis Ariani, cum viderent, hanc ſententiam ſuam paſſim damnari, vſi ſint, vt aliis perſuaderent, ſe cum orthodoxorum doctrina conſentire, adeo, vt tandem ad fraudes illorum detegendas, vox ὁμοιούσιοι illis opponenda fuerit, ſupra iam expoſuimus, cum de voce hacce verba faceremus.

Ipſi vero etiam Ariani in diuerſas ſectas atque factiones diuiſi ſunt, quarum vna *anomaeorum* eſt, altera *ſemi-Arianorum*, & tertia denique *medii generis*. In eo conſpirabant omnes, atque conſentiebant, filium Dei patri non eſſe ὁμοούσιον, ſed eo maxime differebant, quod alii filium plane diſſimilem, alii aliquo modo ſimilem eſſe, dicerent. Prius qui adſerebant, *anomaei* inde dicti, ducemque habuerunt Aëtium quemdam diaconum, quamquam & κατ' ἐξοχὴν Ariani dici poterant, quod ipſius Arii veſtigiis adcurate inſiſterent. Qui autem filium qua eſſentiam, patri ſimilem eſſe concedebant, nec cum Ario dicere audebant, fuiſſe tempus, quando non erat, interim ex ſubſtantia Dei patris productum, diſerte non adfirmabant, *ſemi-Ariani* vocabantur, quorum coryphaeus Baſilius Ancyranus erat. *Medii* denique *generis* erant, qui filium patri quidem ſimilem, non autem eſſentia, ſed vel voluntate, vel eum in modum, quo effigies ſuo proto-typo ſimilis eſt, contendebant. Legendus de his eſt praeter alios EPIPHANIVS, *haereſ. 73.* quae eſt *ſemi-Arianorum, pag. 844. ſeq.* it. 76. quae eſt *anomaeorum, p. 912. ſ.* Haereſin iſtam longe lateque per orbem diffuſam, per aliquot ſaecula eccleſiam adflixiſſe, conſtat. Immo, per omnia ſaecula, ad decimum ſeptimum vſque, fuiſſe, qui eumdem errorem profiterentur, contendit SANDIVS, *nucl. hiſt. eccleſ. p. 345. ſeq.* Quae tamen ſine adcuratiore examine non ſunt admittenda, cum illi conſtitutum ſit, numerum Arianorum augendo, ſpeciem quamdam verae eccleſiae, quae ſemper in orbe exſtiterit, iis conciliare. Ceterum, licet de filii diuinitate praecipue cum Ario diſputatum fuerit, non minus tamen idem & ſpiritum ſanctum verum eſſe Deum, inficiatus eſt; nec aliter ſentire potuit, cum, ſolum patrem verum ſummumque Deum eſſe, crederet. Idque diſerte EPIPHANIVS confirmat, adſeruiſſe Arianos, docens, *ſpiritum ſanctum eſſe κτίσμα κτίσματος, creaturam creaturae, eo quod per filium omnia facta ſint, vt ſcriptura teſtatur; haereſ. 69. §. 56. pag. 778.* Quod & ex eodem repetit AVGVSTINVS, *de haereſibus, c. 49.* Errat itaque maximopere BARONIVS, quando ſpiritus ſancti diuinitatem ab Ario impugnatam fuiſſe negat, in *annal. ad an. Chriſt. 325. §. 51. & 75.* Quo nomine & merito SANDIO vapulat, *nucl. hiſt. eccleſ. p. 145. 146.* Licet autem omnes Ariani ſpiritus ſancti diuinitatem negarent, ſpeciatim tamen ſemi-Arianis, cum idem facerent, *pneumatomachorum* nomen datum eſt, vt ex EPIPHANIO, THEODORETO, SOCRATE, aliisque conſtat. In his quippe, vt credere par eſt, haec ſententia maxime ſingularis videbatur, cum anomaeorum ſiue Arianorum proprie ſic dictorum impudentia, in neganda ſpiritus ſancti diuinitate, neminem fugeret. Quod & eo magis veroſimile, quia nonnulli, qui de filio Dei recte ſentiebant, & ſpiritus ſancti ſaltem negabant diuinitatem, itidem ſub pneumatomachorum nomine comprehendebantur. Ex ſemi-Arianorum numero Macedonius etiam fuit, cuius, cum prae reliquis in diuinitate ſpiritus ſancti impugnanda emineret impudentia, & pertinacia, factum inde, vt pneumatomachi Macedoniani dicerentur, ita quidem, vt hocce nomine venirent illi etiam, qui de filio Dei recte ſentiebant, ſed ſpiritus ſancti negabant diuinitatem; vt ex EPIPHANIO conſtat, *haereſ. 73. n. 11.* Legenda etiam, quae hac de re diſputat PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. 2. l. 1. c. 10. §. 6. p. 45.* qui & *c. 14.* illos, qui de ſpiritu ſancto non recte cenſuerunt, commemorat. Fuerunt deinceps

ceps alii ex haereticis, qui erroribus propriis Arianiſmum addidiſſe dicuntur. Sed, cum nondum in aprico poſita ſint, quae paſſim hac de re referuntur, hiſce immorari non placet. Ex ſcholaſticorum grege Petrus Abaelardus talia docuiſſe perhibetur, quae non procul ab Arianiſmo abeſſe videntur. Inter errores enim eius, quos BERNHARDVS *epiſt. 190.* ad *Innocent. I.* & OTTO Friſingenſis *l. 1. de geſtis Friderici c. 47.* aliique commemorant, hicce quoque conſpicitur: *Ponebat in trinitate gradus, in maieſtate modos, numeros in aeternitate. Conſtituebat Deum patrem plenam eſſe potentiam; filium, quamdam potentiam; ſpiritum ſanctum, nullam potentiam.* Sunt tamen, qui in meliorem haec interpretantur partem, accuſatoresque Abaelardi mentem eius hac in re non ſatis adſequutos contendunt, quod & NATALIS ALEXANDER facit, *hiſt. eccleſ. ſaec. 11. & 12. diſſert. 12. art. 5. & 6. p. 790. & 791.*

Cum recentiori denique aetate ingens illorum, qui trinitatis myſterio bellum indixerunt, cohors erumperet, non defuerunt, qui Arii errorem reſuſcitarent, quos inter omnium fere conſenſu primum praecipuumque locum tenet IO. VALENTINVS GENTILIS, Italus, patria Conſentino Campanus, ſeu Neapolitanus. BENEDICTVS ARETIVS, qui *hiſtoriam condemnationis* eius edidit, doctrinae ipſius haec ſumma capita, ex libris eius excerpta, exhibet: *Trinitas eſt merum commentum humanum, catholicis ſymbolis incognitum, cum euangelica veritate ex diametro pugnans: ſolus pater eſt vnus ille Deus, qui in ſcripturis vnus & ſolus Deus dicitur: filius a ſe ipſo non eſt, ſed a patre, cui vt eſſentiatori ſubordinatus eſt: pater, filius, & ſpiritus ſanctus, non ſolum, quod ad perſonas attinet, ſed etiam quoad* οὐσίαν, *diuiſi ſunt; filius a patre genitus eſt ſecundum* οὐσίαν, *vt ſubordinatus ſpiritus differens a patre; tres ſunt aeterni ſpiritus, quorum quilibet per ſe Deus eſt: hos tres ſpiritus diſtinctos eſſe ordine, gradu, & proprietate* οὐσίας. Satis inde liquet, quod tres equidem perſonas, ſed inaequales, ſibique inuicem ſubordinatas, & qua ipſam eſſentiam diſtinctas, ſtatuat. Nec eſt, quod quemquam vox *aeternitatis*, qua vtitur, moueat, ſiquidem ea nihil aliud, quam quod ante mundum conditum fuit, ſignificat; id quod vel inde intelligitur, quod TERTVLLIANI iſta ſententia; *fuit tempus, quando filius non fuit*, mirifice delectatus dicitur, vti auctor eſt SANDIVS, *nucl. hiſt. eccleſ. l. 3. p. 428.* vbi & plura, ex quibus Gentilis ſententia cognoſci poteſt, adfert. Legenda etiam, quae idem de eodem refert, in *bibl. anti-trinitariorum, p. 26.* vbi ex BVDZINIO narrat, ſententiam, quam Gentilis in ſynodo, Pinczouiae 1572. d. 4. Nouemb. celebrata, propoſuerat, hanc fuiſſe: *Deum creauiſſe in latitudine aeternitatis ſpiritum quemdam excellentiſſimum, qui poſtea in plenitudine temporis incarnatus eſt.* In eamdem renouati Arianiſmi ſententiam conceſſerunt Gregorius Pauli, Georgius Blandrata, Matthaeus Gribaldus, Ioan. Paulus Alciatus, aliique plures, a Socinianis hoc ipſo adcurate diſcernendi, etſi ſubinde omnes fere recentiores anti-trinitarii, Socinianorum nomine veniant. Blandratam tamen, mutata ſententia, *in deliria Sabellii & Samoſateni incidiſſe*, ex Ioan. Valentino Gentili SANDIVS docet, *nucl. hiſt. eccleſ. lib. 3. p. 428.* Atque ipſe quidem cumprimis hic commemorandus erat Sandius, quippe qui non tantum Arianiſmum aperte profeſſus eſt, ſed ſtudio eum propagandi omnes fere poſt ſe reliquit; cuius rei vel *nucleus* iſte *hiſtoriae eccleſiaſticae*, ſaepiſſime a nobis commemoratus, documentum praebere poteſt. Praeiuit ei exemplum pater, SANDIVS, qui & *nucleo hiſt. eccleſ.* praefationem praemiſit, de quo & filius agit, in *bibliotheca anti-trinitar. p. 150.* vbi & alios, in eamdem claſſem coniiciendos, recenſet. Noſtra aetate, ad reuocandum poſtliminio Arianiſmum, orbique chriſtiano obtrudendum, omnes ingenii vires contulit GVILIELMVS WHISTO-

Digitized by Google

WHISTONVS, qui & hac ratione magnum in Anglia, alibique, excitauit ſtrepitum. Primum conatus iſtius ſpecimen publicum, quantum mihi conſtat, dedit, in *tentamine de epiſtolis Ignatii*; quo, vt ad ſententiam ſuam apertius prodeundam viam ſibi muniret, epiſtolas Ignatii ampliores, quas interpolatas vulgo vocant, genuinas; breuiores autem illas, quae vulgo pro genuinis habentur, non niſi per epitomen ex longioribus iſtis, ceu genuinis, circa medium ſeculi quarti, vel ſerius, excerptas eſſe, probare adnititur. Prodiit *tentamen* iſtud Londini anno 1710. Anno hinc ſequenti 1711. *praefationem*, quam vocat, *hiſtoricam, chriſtianiſmo primaeuo reſuſcitato praemiſſam*, edidit, cum *adpendice, qua continetur actionis, auctori in academia Cantabrigienſi intentatae, eiusdemque ex ea expulſionis, hiſtoria*; Londini itidem impreſſam; in qua ex inſtituto narrat, quo pacto in eam ſententiam, quae Arii olim atque Apollinaris fuit, deuenerit. Namque & Apollinaris, humanam, vel rationalem Chriſti animam a λόγῳ diſtinctam fuiſſe negantis, errorem, vna cum Arianiſmo propugnandum ſuſcepit. Varia autem hunc in finem ex trium priorum ſaeculorum patribus congeſſit, in ſymbolum, quod Athanaſianum vulgo dicitur, valde inuehitur, eiusque apud chriſtianos vſum improbat: de *conſtitutionibus* contra, quae *apoſtolicae* vulgo vocantur, multa praedicat. Cum vero WHISTONVS inter eos, qui fatentur, inuocationis ſpiritus ſancti tribus primis ſaeculis nullum adparere veſtigium, etiam PETRVM ALLIXIVM nominaſſet, huic inde data fuit occaſio, ſtricturas quasdam in libros WHISTONI conſcribendi, quibus hic *reſponſionem*, cum *triplici adpendice*, oppoſuit, Londini itidem anno 1711. impreſſam. Memorabilis eſt haec reſponſio, ob adpendicem, quippe in cuius parte altera primitiuam, quam putat, chriſtianorum, ſuamque ſimul de trinitate & incarnatione Chriſti fidem, ſuccinctis propoſitionibus comprehenſam, exhibet. Ex hiſce praecipuas quasdam adducere, non abs re fuerit: *Non datur, niſi vnus Deus ſupremus, viuus, aeternus, infinitus, omniſcius, omnipotens, inuiſibilis, pater domini noſtri Ieſu Chriſti, origo omnium entium, creator omnium creaturarum, Deus pater, & ille ſolus primario eſt colendus & adorandus, h. e. ſenſu maxime proprio, & modo maxime ſublimi, ſolus, qui ſit obiectum ſupremi gradus diuini cultus per Ieſum Chriſtum; Ieſus Chriſtus ſingulari quodam modo eſt filius Dei vnicus, vnigenitus, dilectiſſimus, hoc eſt, perſona diuina extraordinaria, & peculiari ratione deriuata a ſupremo Deo patre, eique proxima, & cariſſima; Ieſus Chriſtus eſt vere Deus, & dominus ſiue reapſe ex conſtitutione patris, Deus noſter & dominus noſter, rex & iudex noſter; Ieſus Chriſtus eſt ſanctus Dei, perſona ſupereminentibus & diuinis perfectionibus, ſcientia, potentia & auctoritate praedita, & in tantum ſuperior omnibus ſubordinatis creaturis, thronis, ſubordinationibus &c. quae ipſi ſubiecta ſunt; Ieſus Chriſtus eſt λόγος θεοῦ προαιώνιος, primogenitus omnium creaturarum, principium creationis Dei, perſona diuina, creata vel genita a patre ante omnia ſaecula, ſiue, ante omnes ſubordinatas creaturas viſibiles & inuiſibiles; Ieſus Chriſtus, verbum & filius Dei, eſt diuina perſona, multum inferior patre ſuo, natura, attributis, perfectionibus &c.* Satis aperte haec, quae mens, ſententiaque WHISTONI ſit, oſtendunt. Filium ſcilicet pro vero, ſupremo, aeternoque Deo non habet, ſed pro creatura, ea quidem omnium excellentiſſima, & ante mundum conditum producta, quae ex voluntate ſaltem, atque conſtitutione patris, pro Deo habeatur, patreque adeo multum ſit inferior. Sequutum porro eſt opus auctoris praecipuum, in quo cuncta copioſius exſequitur, ſub titulo: *primaeuus chriſtianiſmus reſuſcitatus*, Londini quinque voluminibus in 8. editum: in quo nonnulla equidem ex hactenus commemoratis continen-

tinentur, multa etiam nondum edita adduntur. In eo id vnice agit, vt epiſtolas Ignatii prolixiores tamquam genuinas vindicet, conſtitutionibus apoſtolicis diuinam canonicamque auctoritatem conciliet, ſuas de filio Dei, deque trinitate, & incarnatione hypotheſes confirmet, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Tandem nec *apologia* eius hic praetermittenda, *contra articulos, ipſi a D. Io. Pelling coram curia iudicum delegatorum in cauſſa haereſeos obiectos*, Londini 1715. edita, in qua ſaepius iam dicta repetit, aut quandoque confirmat, & ad obiectiones reſpondere adnititur. Vt autem antea non ſemel, ſed ſaepius iam profligata ſunt, qnae WHISTONVS pro ornanda Arianorum cauſſa adfert; ita praecipiti iudicio eum multa adſerere, quae, adcuratius ponderata, ſtatim euaneſcunt, vel ex iis patet, quae praeter alios contra eum diſputat GRABIVS, in *tentamine circa duo manuſcripta arabica bibliothecae Bodleianae, & antiquum illum librum, qui dicitur: doctrina apoſtolorum, quique in illis creditur exſtare &c.* Oxonii 1711. edito; itemque, in *exemplis defectuum & omiſſorum in Guil Whiſtoni collectione teſtimoniorum ſcripturae, & patrum, contra veram filii & ſpiritus ſancti deitatem, nec non ψευδερμηνείας quorumdam;* quem librum poſt auctoris obitum cum diſſertatione praeliminari edidit GE. HICKESIVS, Londini 1712. Idem &, vt reliquos mittam, ex iis patet, quae contra illum diſputat STYANVS THILBY, in *reſponſione ad Guil. Whiſtoni 17. fundamenta ſuſpicionum, aduerſus Athanaſium, in hiſtorica praefatione* (cuius antea mentionem fecimus) *motarum;* Cantabrigiae anno 1712. Summam illorum, quae hactenus laudauimus, ſcriptorum legere licet in *actis erud. Lipſ. ſupplem. tom. 5. ſect. 4. p. 159.* item *206. ſq.* porro *an. 1712. p. 196. ſq.* item *201. ſq. anno 1713. p. 165, 169. anno 1714. p. 26. ſq.* & denique *an. 1716. p. 29. ſq.* vbi & *p. 35.* reliqua WHISTONI ſcripta indicantur. Accedere qnodammodo, ſed non in omnibus, ad WHISTONI ſententiam videtur CLARCKIVS, vir itidem eruditus, & ob varia ingenii monumenta notus, in *doctrina ſcripturae ſacrae de ſacroſancta trinitate; partibus tribus, quibus omnes textus noui teſtamenti, ad hanc doctrinam ſpectantes, & praecipua liturgiae eccleſiae Anglicanae loca collecta, inter ſe comparata, & explanata ſiſtuntur*, edita Londini anno 1712. Mens eius, ſententiaque huc fere redit: *Vnam eſſe omnium rerum ſupremam cauſſam, auctorem omnium entium, omnisque poteſtatis fontem, patrem, quocum inde ab initio duae exſtiterint perſonae diuinae, filius & ſpiritus, quorum metaphyſicam naturam, eſſentiam, & ſubſtantiam ſcriptura numquam declarauerit, ſed per characteres perſonales, officia, facultates & attributa diſtinxerit; patrem ſolum eſſe a ſe ipſo, ἀγέννητον, auctorem, & principium omnium, quae fiunt a filio & ſpiritu ſancto, ſolum abſolute θεὸν ἐπὶ πάντων, eumque ſolum, vbi ſcriptura vnum vel vnicum Deum memoret, vel abſolute Deum, vel additis κατ' ἐξοχὴν epiphetis, ibi eſſe intelligendum; filium non a ſe ipſo exſiſtere, ſed exſiſtentiam ac eſſentiam, nec non attributa, a patre, tamquam ſuprema cauſſa deriuare, quod, quomodo, quaue metaphyſica ratione fiat, cum ſcriptura numquam diſtincte declarauerit, neminem debere eſſe ita temerarium, vt decidat; hinc & aeque cenſura dignos eſſe, qui filium ἐξ οὐκ ὄντων eſſe docuerint, & qui αὐτόθεον crediderint; cumque ſcriptura in memoranda deriuatione filii a patre numquam addat temporis limitationem, ſed ſemper ſupponat, adſeratque, fuiſſe eum ab initio, ante omnia ſaecula, merito caſtigatam fuiſſe, eorum, qui docuerint, ἦν ὅτε οὐκ ἦν, temeritatem; neque num filius exſiſtentiam ſuam a patre habeat, ex neceſſitate naturae, vel arbitrio voluntatis paternae, ex ſcriptura conſtare luculenter;* (quamqnam poſterius auctori, ad exemplum patrum quorumdam ante-Nicaenorum magis placeat) *certe tamen λόγον iſtum ſiue filium, vt Tatiano, Theophilo,*

Athena-

Athenagorae, & poſt Nicaenam ſynodum nonnullis viſum fuerit, patris fuiſſe λόγον ἐνδιάθετον, ſed veram & diſtinctam perſonam; ſpiritum ſanctum non eſſe a ſe ipſo, ſed exſiſtentiam, eſſentiamque ſuam deriuare a patre per filium, tamquam a cauſſa ſuprema; idque ab initio, cum ſcriptura de ſpiritu ſancto loquens, numquam adiecerit limitationem temporis, qua quidem & ipſa de modo metaphyſico, quo ſpiritus ſanctus exſiſtentiam a patre habet, penitus ſilente, nemo temere ea de re quidquam debeat adſerere; id tamen certum eſſe ex ſcriptura, ſpiritus ſancti appellationem ibi non notare facultatem aut operationem patris, ſed realem perſonam. Ex hiſce itaque, vti & ex reliquis, quae eodem in libro profert, manifeſtum eſt, CLARKIVM ſubordinationem perſonarum cum dependentia, adeoque & inaequalitatem quamdam ſtatuere; ſitne autem creatus filius, an genitus, itemque, ſitne filius pariter ac ſpiritus ſanctus, aeque ac pater, aeternus, diſerte non adſerere. Hinc & WHISTONVS in *adpendice priori primaeui chriſtianiſmi reſuſcitati*, CLARCKII librum ſuae ſententiae ingens adferre praeſidium, ſibi perſuadet, id vero deſiderat, quod latitudinem ſenſus, in recipiendis vulgatis Deum colendi formulis, minime tolerandam, introducat; aeternitatem Chriſti non fidenter quidem adſerat, tamen paucis IRENÆI, patris, vt quidem vult, in ratiocinando parum felicis, immo in non paucis a ſana & apoſtolica traditione aberrantis, teſtimoniis probabilem reddere conetur; in primis, quod reclamante conſcientia, *creationis* vocem, de filio ab omnibus fere antiquis, a Salomone inde, ipſaque ſacra ſcriptura, *Col. I, 15. Ebr. III, 4. apoc. III, 14.* vſurpatam, repudiet, & alia eiusmodi in hominum gratiam, cum diuinae veritatis praeiudicio, admittat; vid. *acta erud. Lipſ. 1714. pag. 39.* Fuerunt autem & alii, praeſertim in Anglia, qui ſubordinationem quamdam inter perſonas trinitatis ſtatuerent. Quam ſententiam etiam veteris eccleſiae doctorum exemplo, eorumque teſtimoniis tuetur BVLLVS, *in defenſ. fid. Nicaenae, ſect. 4. c. 1. p. 251. ſeq.* Quod ſi de ſolo ordine perſonarum, ea quidem ratione, vt pater ſit ingenitus, filius autem genitus a patre, & ſpiritus ſanctus ab vtroque procedens, intelligatur, recte ſe habet; ſin vero ſubordinatio talis, quae inaequalitatem vel dependentiam quamdam infert, vel alio quocumque modo cum ſumma diuinitate pugnat, admitti nequit; conf. GRAPII *theologia recens controuerſa, cap. 2. quaeſt. 15. p. 156. ſeq.*

* Quarta denique atque vltima haec eſt, a recto aberrantium tramite, claſſis. Tritheitarum nomine veniunt, qui huc pertinent, quemadmodum errorem ipſum *tritheismum* vocare, ſollemne eſt. Solet equidem a trinitatis hoſtibus haec ſententia orthodoxis tribui, quod & olim a Sabellianis factum, vti ſupra iam ex TERTVLLIANO *contra Praxeam c. 3.* obſeruauimus. Immo fuerunt, qui patrum concilii Nicaeni mentem ita interpretarentur, ac ſi tres deos collaterales, & plane aequales adſerendo, vnitatem eſſentiae diuinae ſpecificam ſaltem, non numericam, admiſerint. Quo nomine CVDWORTHVM, CVRCELLÆVM, ELIAM SAVRINVM, & CLERICVM refellit, patresque Nicaenos ab iſto errore quam longiſſime abfuiſſe, operoſe oſtendit PETRVS FAYDIT, dans *l'apologie du ſyſteme des ſaints peres ſur la trinité &c.* & quidem in *praefat. p. 47. ſeq.* qui tamen & ipſe non procul ab eo abſuit, vt in ſequentibus dicemus. Et mirum ſane, patribus Nicaenis eiusmodi quid obiici poſſe, cum ab aliis, maxime ipſis Arianis, Sabellianiſmi numquam fere non fuerint, accuſati, quem tritheiſmo e diametro oppoſitum eſſe, neminem fugit. Perperam autem & Nicaenis iſtis patribus, & nobis etiam tritheiſmum obiici, facile intelliget, qui & illorum, & noſtram paullo adcuratius conſiderauerit doctrinam; quippe ex qua patebit, numericam nos cum Nicaenis patri-

patribus diuinae eſſentiae vnitatem adſerere. Etenim, qui vnitatem eſſentiae diuinae ſaltem ſpecificam ſtatuunt, non poſſunt non tria indiuidua, numero diſtincta, ſeu tres ſubſtantias, hoc eſt, tres deos, admittere; quibus IOANNEM grammaticum, cognomento PHILOPONVM, exemplum praeiuiſſe, ſupra iam ad §. 50. docuimus, vbi & plura hac de re diximus. Non confundendi autem cum tritheitis ſunt *triformii*, ſeu *triformiani*, quorum AVGVSTINVS meminit, *de haereſib. c. 74.* quippe qui ad Sabellianos, aut Marcelli potius haereſin, accedere videntur. Inter recentiores IO. VALENT. GENTILIS tritheiſmi argui ſolet, eo quod tres ſpiritus aeternos, eſſentiali numero differentes, ſtatuat. Sed quae genuina eius ſententia fuerit, antea iam indicauimus. Quodſi vero tritheitae vocandi ſunt, qui tres perſonas, ſibi inuicem cum inaequalitate ac dependentia quadam ſubordinatas adſerunt, Ariani vtique veteres atque recentiores, iure hocce nomine veniunt. Dum enim filium ac ſpiritum ſanctum inter creaturas referunt, diuerſam vtriusque a ſe inuicem pariter ac a patre, eſſentiam ſtatuunt: cumque vtrumque non minus ac patrem, pro Deo habeant, tria inde indiuidua diuina, ſeu tres dii, reſultant: quamuis ſolum patrem natura Deum faciant, filium autem & ſpiritum ſanctum ex conſtitutione ſaltem & voluntate patris, hocce nomine gaudere contendant. Fuerunt & noſtra aetate in Anglia, qui tres perſonas, tres mentes infinitas, vel tres ſpiritus & ſubſtantias indiuiduas dicerent; quos quidem non ſine ratione tritheiſmi accuſari, nemo temere dubitauerit. Diſputat contra eos GRAPIVS, *in theologia recens controuerſa, cap. 2. qu. 13. p. 128. ſeq.*

§. LV. Obſcurari tamen hiſce errorum nebulis veritas adeo non potuit, vt clarius potius ſubinde exſplendeſceret; ſiue doctrinam de Numinis exſiſtentia & attributis ſpectes, * ſiue eam, quae de perſonarum in vna eſſentia diuina trinitate nos inſtruit. ** Mirifice enim vtraque inter varios ſecus ſentientium inſultus, & conſeruata, & propagata, immo, maiori ſubinde luce perfuſa, atque fortiter defenſa fuit.

* Quantumuis enim diuerſas de Numine, rationeque illud colendi, opiniones homines foueant, in eo tamen omnes, qui religionem quamdam profitentur, conſentiunt, dari Deum, tantasque eius eſſe perfectiones, vt ſumma eum animi veneratione proſequi fas ſit, idque eo magis, quod bonorum omnium, quae hominibus obtingunt, auctor ſit. Immenſam itaque teſtium nubem contra atheos, vnamque cum illis tibiam inflantes, producere pronum foret; qui omnes vno ore & veritatem hancce confirmant, & refractarios iſtos homines erroris coarguunt. Immo, ſi modo athei ſerio ad ea, quae mens eorum illis dictitat, attendere vellent, contra ſe ipſos teſtimonium dicere cogerentur. Hanc ipſam veritatem quouis tempore viri docti ſcriptis egregiis confirmarunt, quibus ſubinde atheorum monſtra, infelici partu luci expoſita, dederunt occaſionem; quorum tantus eſt numerus, tam immenſa multitudo, vt omnia enumerare velle, integri voluminis res eſſet. Praecipua etiam in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione* hinc inde laudaui, vt adeo quidquam hic addere, neceſſe non ſit.

** Res ipſa poſtulat, vt de origine, propagatione, ac fatis doctrinae, de trinitate perſonarum in eſſentia diuina, pro inſtituti noſtri ratione, quaedam obſeruemus. Et ad originem quidem quod attinet, eam a reuelatione, patriarchis, aliisque viris ſanctis facta, repetendam eſſe, dubitari nequit,

quit, cum luculenta myſterii huius in veteri quoque teſtamento exſtare teſtimonia, ſupra iam ad §. 45. demonſtratum ſit. Nullum itaque etiam eſt dubium, quin olim in gente iudaica dogma hocce minime fuerit ignotum, etiamſi deinceps ſenſim ita oblitteratum fuerit, vt hodie illud inter maximos, grauiſſimosque referant errores. Exſtare autem alibi, quam in libris veteris teſtamenti canonicis, doctrinae huius, apud Iudaeos olim receptae, veſtigia, id quidem eſt, de quo diſceptari ſolet. Et ſane in libris illis, qui apocryphi vocari ſolent, ſpeciatim in *libro ſapientiae*, & in *eccleſiaſtico* nonnulla occurrere, quae cum formulis, loquendique ratione ſcriptorum noui teſtamenti plane conſentiunt, negari nequit. Subinde de τῷ λόγῳ ſeu *verbo* loquuntur, vt de ὑποστάσει; ea quidem ratione, ut mundi creationem, aliosque diuinitatis characteres illi tribuant. Loca, quae huc faciunt, exhibet PETRVS ALLIXIVS, in *iudicio veteris eccleſiae iudaicae contra vnitarios, c. 8. p. 78. ſeq.* Quantumuis enim libri iſti ſint apocryphi, veteris tamen doctrinae iudaicae reliquias quasdam, ac veſtigia in iis deprehendere licet. Legi cumprimis atque expendi merentur, quae exſtant *ſap. VII, 22. IX, 1. XVIII, 15, 16, 17.* Hiſce librorum apocryphorum ſcriptoribus, praeter PHILONEM Iudaeum, apud quem ſimilia occurrunt, cumprimis chaldaicae iungi ſolent paraphraſes, quarum magna apud Iudaeos eſt auctoritas. In hiſce cum ſaepiſſime formula iſta מימרא דיהוה occurrat, & de Deo, immo & Meſſia adhibeatur, fuerunt iampridem viri docti, qui inde colligerent, paraphraſeon iſtarum auctores formula hacce ὑπόστασιν quamdam, & quidem diuinam, ex maiorum ſuorum diſciplina, deſignaſſe, ſimulque docuiſſe, Meſſiam non minus verum Deum, quam verum fore hominem. Quo ipſo cum & Sociniani iugulum ſuum peti intelligerent, primo quidem SCHLICHTINGIVS, in *animaduerſionibus Vechneri concioni in Io. I. oppoſitis,* iſtam chaldaeorum paraphaſtrarum loquendi rationem in alium trahere conatus eſt ſenſum; quod & paullo poſt auctor *diſceptationis de verbo, vel ſermone Dei, cuius creberrima ſit mentio apud paraphraſtas chaldaeos*, anno 1646. Irenopoli editae, quemque CONR. VORSTIVM eſſe ferunt, fecit. Huic vero IO. STEPH. RITTANGELIVS oppoſuit *libram veritatis, qua Irenopolitae cuiusdam Ariani, innumeri in citandis ſcripturae, doctorumque, vtriusque, iudaicae & chriſtianae eccleſiae, contra aeternum & per ſe ſubſiſtentem λόγον, auctoritatibus, errores aut falſitates adcurate expenduntur.* Hancce *libram veritatis*, cum IO. VAN DER WAYEN, Franecquerae an. 1698. cum *diſſertatione de λόγῳ aduerſus Ioan. Clericum*, recudi feciſſet, mox in lucem etiam prodiit: *Bilibra veritatis & rationis de* מימרא דיי *ſeu verbo Dei, librae Rittangelii; & appendix Ioſepho de Voiſin, & Raym. Martini oppoſita, Freyſtadii anno 1700.* Praemiſſa eſt huic *bilibrae diſceptatio* illa *de verbo vel ſermone Dei*, cuius antea facta eſt mentio, tum ipſa *bilibra* ſeu *refutatio librae Rittangelii* ſequitur, primum luci expoſita, in qua expenditur I.) *num dogma de trinitate, & Meſſiae aeterna exſiſtentia veteri & recenti iudaeorum ſynagogae fuerit notum, & creditum?* II.) *num euangeliſta Ioannes cap. I. euangelii ſui, phraſin de verbo vel ſermone Dei mutuatus ſit a paraphraſtis chaldaeis?* In appendice IOS. VOISINIVM refellit, qui tum in *notis ad* RAYMVNDI MARTINI *pugionem fidei*, tum in *diſputatione de ſacroſancta trinitate, aduerſus antitrinitarium anonymum*, Pariſiis 1647. edita, pro RITTANGELII ſententia pugnaverat: quod & poſtea alii fecerunt, quorum nonnullos WOLFIVS indicat, in *biblioth. ebr. part. I. p. 477.* Contrariam rurſus ſententiam praeter alios & HACKSPANIVS defendit, *de vſu librorum rabbinicor.*

c. 2.

Digitized by Google

c. 2. §. 103. ſeq. quem & hoc nomine laudat HVETIVS, in *quaeſtion. Alnetanis, l. 2. c. 3. p. 123.* Nec tamen priorem illam, quae RITTANGELII eſt, prorſus reiiciendam cenſeo, ſiquidem non tantum ex variis paraphraſeon chaldaicarum locis, colligi poteſt, phraſi iſta, מימרא דיי *verbum domini*, ὑπόστασιν, aut ὑποστατικόν τι denotari, ſed dubium fere omne eximit Ioannes euangeliſta, qui eadem prorſus ratione graeca voce λόγος vtitur, *cap. I, 1, 2.* quod & deinceps in eccleſia chriſtiana vſu receptum fuit. CLERICVS equidem vocem λόγος per *rationem* vertit, nihilque aliud, quam vim intellectus diuini, ſeu ſapientiam, intelligit, quae in opere creationis vel maxime ſeſe exſeruerit; Ioannem praeterea, putat, vocem hancce adhibendo, ad haereticorum, qui eiusmodi voces ex philoſophia Platonica in religionem iudaicam & chriſtianam intulerant, ſermonem alludere, & quo ſenſu vſurpari poſſent, chriſtianos docere voluiſſe; quae forte etiam ex lectione ſcriptorum Philonis illi innotuerit; in *paraphraſi & animaduerſionibus in octodecim priora commata c. I. Ioannis, commentario* eius *in geneſin* ſubnexis, *p. 4. 5.* Verum, quae hic in contrarium moueri poſſunt, adſunt ſane plurima. Quodſi enim vocem λόγος per *rationem* vertas, nullus ſane, aut certe non talis, qui ſcriptorem ſacrum decet, inde reſultabit ſenſus. Sit exempli loco primum comma: *initio erat ratio*, hoc eſt, ante mundum conditum Deus iam fuit ratione praeditus. Quis hac de re dubitaret? num dixiſſet Ioannes aliquid, quod non omnes homines ſciunt? aut, num Deum ante mundum conditum ratione deſtitutum quis cogitare poſſet? *eaque ratio erat apud Deum*; ſi Dei ratio fuit, vtique apud illum fuit. Num vero ſibi quis perſuadere poſſet, rationem Dei apud alium, quam ipſum Deum fuiſſe? In haereticorum vero gratiam, vel vt ab eorum abuſu vocem hancce Platonicam purgaret, eam a Ioanne adhibitam, vnde probabitur? Quis vero credat, Ioannem Philonis ſcripta legiſſe, aut magnopere curaſſe, quid philoſophi Platonici praeſertim, aut agerent aut ſcriberent? Scilicet ab iis, qui toti erant in praedicando euangelio, qui ſimplicitatis ſanctae erant ſtudioſiſſimi, aliosque, vt ſplendida philoſophorum commenta fugerent, admonebant, hoc exſpectandum erat. Non quoque animaduertit vir doctiſſimus, non ſatis inter ſe conſiſtere poſſe, vocem hanc per *rationem* vertere, & tamen eam pro Platonica venditare. Platonicos enim omnino per λόγον, ὑπόστασιν quamdam intellexiſſe, ex iis, quae deinceps dicemus, pateſcet. Sed paradoxa haecce dudum confecerunt alii, ſpeciatim IO. VAN DER WAYEN, in *diſſert. de λόγῳ*, iam antea nobis laudata. Certe, cum phraſis illa, מימרא דיי tam ſaepe apud paraphraſtas chaldaeos occurrat, non video, quid obſtet, quo minus Ioannes in iſta loquendi ratione receptam Iudaeorum, a quibus & haeretici eiusmodi quid accipere potuerunt, ſententiam ſequutus ſit Quod enim vir doctiſſimus, BASNAGE, *hiſt. des Iuifs tom. 3.* ſeu *l. 4. §. 19. p. 74.* huic ſententiae opponit, non adeo magni momenti eſt. Ex hiſtoria euangelica conſtare, ait, Iudaeos tempore Chriſti nullam trinitatis in eſſentia diuina habuiſſe ideam, ſiquidem blaſphemiam a Chriſto proferri exiſtimauerint, cum ſe Dei filium diceret; & ex Ioannis baptiſtae diſcipulis quidam, ſe omnino ne audiuiſſe quidem, an ſpiritus ſanctus ſit, profeſſi ſint, *actor. XIX, 2.* Enimuero quae in paraphraſibus chaldaicis hac de re occurrunt, velut reliquiae quaedam ſunt doctrinae, iam tum valde oblitteratae, & nec ipſis ſatis intellectae paraphraſtis, multo minus in vulgus cognitae. Mirum itaque etiam non eſt, phraſin illam, מימרא דיי aliquando non ita,

Digitized by Google

vt decebat, a paraphraſtis illis adhiberi: multo minus, fuiſſe plurimos in populo iudaico, qui hocce myſterium ignorarent. Praeterea, quod blaſphemiam proferri crediderunt, cum Chriſtus ſe Dei filium diceret, inde etiam fieri potuit, quod Chriſtum, vtpote adhuc ἐν μορφῇ δούλου conſtitutum, talem non eſſe crederent, qui hoc ſibi tribuere deberet. Quod vero diſcipuli Ioannis dicunt, ſe ne quidem audiuiſſe, an ſpiritus ſanctus ſit? id de donis miraculoſis ſpiritus ſancti intelligendum eſſe, ex *verſ. 6.* liquet. Idem vir doctus ex eo ſibi dubium mouet, quod voce שכינה apud paraphraſtas ſpiritus ſanctus deſignari credatur, cum tamen nomen *ſpiritus* apud Ebraeos non minus, quam chriſtianos vſitatum fuerit. Sed fallitur. Etenim שכינה apud paraphraſtas plerumque filium Dei, ſeu Meſſiam, rarius ſpiritum ſanctum denotat, vt praeter alios ALLIXIVS obſeruat, in *indicio veteris eccleſiae iudaicae contra vnitarios, c. 10. p. 121.* it. *c. 21. p. 265.* Non tantum ex libris apocryphis veteris teſtamenti, & paraphraſibus chaldaicis, ſed aliis quoque gentis iudaicae ſcriptoribus, qui poſt Chriſtum natum vixerunt, proferri teſtimonia ſolent, in quibus veſtigia quaedam trinitatis deprehenduntur. Nota ſunt, quae PETRVS GALATINVS, in *arcanis catholicae veritatis*, RAYM. MARTINI, in *pugione fidei*, aliique hac de re collegerunt. Cumprimis autem in doctrina Ebraeorum kabbaliſtica, trinitatis perſonarum in vna eſſentia diuina, ſeſe offerre videntur documenta. Nihil in ea celebrius, quam decem iſtae *ſephiroth*, ſeu numerationes, quae ita diſponi ſolent, vt tres ſuperiores a reliquis diſtinguantur, & eiusmodi efferantur nominibus, quae haud inepte ad perſonas trinitatis quadrant. Prima enim כתר, *corona* vocatur, altera, חכמה, *ſapientia*, & tertia בינה, *intelligentia.* Singulae & aliis nominibus exprimuntur, quae id, quod diximus, confirmare videntur. Hinc non tantum HENR. MORVS, atque RITTANGELIVS, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, trinitatem perſonarum, per tres iſtas ſupremas numerationes exhiberi; ſed IOANNES quoque VAN DER WAYEN, in *diſſert. de* λόγῳ, antea iam laudata, eamdem calculo ſuo comprobat; quod & HVETIVS fecit, in *quaeſtion. Alnetanis, l. 2. c. 3. p. 122.* Cumprimis autem IO. MEYERVS, vir doctiſſimus, harumque rerum peritiſſimus, eam vt euinceret, & luculentiſſimis ſcriptorum ebraeorum teſtimoniis confirmaret, omnem nauauit operam, in *diſſertatione theologica, de myſterio ſacro-ſanctae trinitatis, ex ſolius veteris teſtamenti libris demonſtrato, atque ex veterum ac recentiorum rabbinorum, praeſertim kabbaliſtarum rariſſimis monumentis illuſtrato;* Harderouici, anno 1712. edita. Rurſus tamen non deſunt, qui in iſta *ſephiroth*, ſeu numerationum diſpoſitione, earumdemque nominibus, nulla trinitatis veſtigia ſe deprehendere ſibi videntur, quos inter cumprimis nominari meretur VITRINGA, cuius ſingularis exſtat, *de ſephiroth kabbaliſtarum* diſſertatio, *obſeruat. ſacr. l. 1. p. 128. ſeq.* Cum enim omnia iſta ſephirotharum, ſeu numerationum nomina, de attributis diuinis capi queant, nullam adeſſe rationem putat, cur quaedam prae reliquis perſonas deſignare debeant. Interim ipſe exiſtimat, totam doctrinam ſephiroticam ad Meſſiam ſpectare, qui per primam, ſiue כתר *coronam*, deſignetur, quemadmodum reliquae nouem, attributa Meſſiae, tamquam regis eccleſiae, exhibeant. Verum, id quidem non in quaeſtione eſſe puto, annon ſephiroth, ſeu numerationes iſtae, aliter explicari queant? ſed illud, annon a kabbaliſtis, certe quibusdam, ita explicentur, vt tres ſuperiores, tres perſonas diuinitatis denotent? id quod ipſe abnuere nequit VITRINGA, quin potius diſerte fatetur, kabbaliſtas recentiores tres priores ſephiroth per triadem Platonicam fere expoſuiſſe.

fuiſſe. Atque id profecto negari nequit, quippe quod teſtimonia, a MEYERO adlata, euidentiſſime euincunt. Recte is inter alia obſeruat, kabbaliſtas tres priores ſephiroth a reliquis ita diſtinguere, vt illas, quas & שכליות *intellectuales*, itemque רוחניות *ſpirituales* vocant, ceu perſonas conſiderent, reliquas autem non aliter, quam מדות *modos* vel *attributa* ſpectent. Quod inter alia teſtimonio ex libro מערכת האלהות *fol. 34.* petito, confirmat: השלשה הראשונות הם שכליות ולא נקראו מדות, *Tres primae ſephirae ſunt intellectuales, & non vocantur attributa.* In eo ergo cum viri docti facile tandem conſentiant, kabbaliſtas triadem quamdam admittere, id ſaltem ſupereſt, num ex Platonis philoſophia eam hauſerint, an ex doctrina, apud maiores illorum olim recepta? Prius ſi adfirmetur, quod cum VITRINGA alii quoque adſerunt, cauſſa chriſtianorum non adeo magnum inde capiet praeſidium, cum, vt deinceps oſtendetur, trinitas Platonica a trinitate chriſtianorum multum differat. Quae inde quoque videtur ſententia comprobari poſſe, quod haud raro ita hac de re loquantur, vt inaequalitatem quamdam inter perſonas admittant, ſecundamque & tertiam in rerum creatarum numerum referant, ad Arianorum hoc ipſo accedentes ſententiam. Et ſcio, eſſe viros doctos, qui ex kabbaliſtarum ſcriptis non aliter, quam in ſenſu Ariano, trinitatem perſonarum euinci poſſe contendunt. Poſſet tamen adhuc obuerti, de trinitate quod minus orthodoxe aliquando loquantur, id inde prouenire, quod doctrina, quam a maioribus acceperint, corrupta apud eos fuerit atque deprauata. Et ſane, qui Iudaeorum ſcripta hic in ſubſidium vocant, non id, vt ego quidem puto, ſibi volunt, ac ſi tam clare, tamque euidenter, & eodem plane modo ibi proponatur, ac hodie fit in eccleſia chriſtiana, ſed quod hinc inde rudera quaedam atque veſtigia, ſeu reliquiae veteris doctrinae, ſeſe offerant. Vellem denique, vt paullo adcuratius hoc demonſtraretur, Ebraeos a Platonicis ſua accepiſſe; cum conſtet, ad graecanicorum philoſophorum recipiẽda placita non adeo pronos eos eſſe.

Sed vt eo rectius hac de re pronuntiari queat, paullo adcuratius, qualis iſta Platonis, aliorumque ethnicorum trinitas, quae hic in cenſum venit, fuerit, exponere iuuabit. Sunt namque viri docti, qui chriſtianorum de trinitatis myſterio doctrinae robur aliquod inde accedere putant, quod apud ethnicos, Platonicos maxime, ſimilia de trinitate occurrant. Solent hinc paſſim ethnicorum, cumprimis Platonicorum, effata, cum chriſtianorum doctrina comparari, vt ab AVGVSTINO STEVCHO, *l. 2. de perenni philoſophia, c. 3. ſeq.* MORNÆO, *de veritate chriſtianae religionis, c. 6.* MVTIO PANSA, *de oſculo ethnicae & chriſtianae theologiae, p. 36.* it. *p. 185. ſeq.* factum; quibus & iungendus HVETIVS, in *quaeſtion. Alnetanis de concordia rationis & fidei, l. 2. c. 3. p. 117. ſeq.* Ex veteris quoque eccleſiae doctoribus, exemplum, quod imitarentur, his praeiuere CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. l. 5.* CYRILLVS, *contra Iulian. l. 3. & 4.* EVSEBIVS, *l. 11. praepar. euangel. c. 20.* Quae vt rite diiudicentur, primum de Platone ipſo, tum de Platonicis dicendum. Ad Platonem ipſum quod attinet, occurrunt ſane apud eum loca quaedam, in quibus trinitatis cuiusdam mentio iniicitur, ſed ſubobſcure profecto, vt vix certi quid inde colligas. Patebit id, ſi quis loca iſta conſiderauerit, quae in vnum collecta exhibet IO. BEN. CARPZOVIVS, in *diſſert. de trinitate Platonica*, quae inter reliquas eius *diſputationes academicas*, iunctim editas, exſtat, *c. 2. p. 1080. ſeq.* Locum, qui ex *Epimenide Platonis* a quibusdam adducitur, nihil plane, quod huc faciat, continere, luculenter oſtendit IAC. THOMASIVS, *de*

Digitized by Google

Perſarum, Platonicorumque trinitate &c. in CHR. THOMASII *hiſtoria ſapientiae & ſtultitiae, tom. 3. p. 78. ſeq.* Luculentiora, ni fallor, reliquis ſunt, quae ex *ſecunda epiſtola ad Dionyſium* paſſim proferri ſolent. *Dicendum eſt tibi nunc*, inquit, *per aenigmata quaedam, vt, ſi quid huic tabellae vel mari, vel terrae contingat, qui eam legerit, intelligere non poſſit.* Haec praefatus, ſubiicit: *Eſt autem ita, circa omnium regem cuncta ſunt; ipſius gratia omnia; ipſe pulchrorum omnium cauſſa, circa ſecundum ſecunda, tertia circa tertium.* Tres ita deſignari reges putant; primum, cauſſam rerum omnium eximiarum; ſecundum, rebus ſecundis addictum; tertium tertiis. De Platonicis autem, quando ſermo inſtituitur, remouendi omnino ſunt ſcriptores ſpurii atque ſuppoſititii. Nihil enim ad rem faciunt, quae ex ſybillarum, Hermetis trismegiſti, aliorumque ſcriptis proferri ſolent, quippe quae ab iis, qui iam notitia quadam religionis chriſtianae imbuti erant, conficta fuiſſe conſtat. Praeterea ipſi non prorſus inter ſe conſentiunt Platonici, nec vno eodemque modo hac de re loquuntur; vt in compendio intelligere licet ex iis, quae HVETIVS adfert, in *quaeſtionibus Alnetanis, l. 2. c. 3. p. 118. ſeq.* Trium ὑποστάσεων aliquando diſerte mentionem fecerunt, immo PLOTINVS librum huius argumenti & tituli ſcripſit: περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, *de tribus principalibus hypoſtaſibus*, qui primus eſt in *quinta* eius *enneade*. Illic, poſt ſupremum Deum, quem perfectiſſimum adpellat, ſecundam ponit mentem ab illo genitam, optimam omnium eius imaginem, quae cum eo neceſſario ſit, etſi ſeparata, & diſtincta, eumque intueatur; genitorem autem id amare, quod genuit; generationem illam, quae rerum aeternarum eſt, a generationibus temporalibus nolle diſcrepare. Per *perfectiſſimum* illud itaque, ſi nonnullos audias, patrem intelligit; per *mentem*, filium; & per *amorem* ſpiritum ſanctum. Solent etiam tres iſtae ὑποστάσεις variis apud Platonicos inſigniri nominibus. Namque prima ὑπόστασις, ſeu *primum ingenitum*, etiam *pater* vocatur, ſed ſenſu Platonico, itemque *immobile*, *vnum*, *bonum*, *pulchrum*, *infinitum*, *prima poteſtas*, *Deus primus*, *rex regum &c.* Altera hypoſtaſis, ſeu illud, quod primum ingenitum primo, & immediate genuit, dicitur *filius*, *Deus ſecundus*, *intellectus ſeu* νοῦς, *itemque* λόγος, *imago patris*, *idea*, *mundus intellectualis*, *mundi artifex* ſiue δημιουργὸς &c. Vbi quidem adhuc notandum, voces νοῦς atque λόγος diuerſimode apud Platonicos ſumi; & ad poſteriorem quidem quod attinet, ea & ſpiritus quosuis ſeu angelos, itemque animam humanam quandoque venire, ſed vnum tamen eximium & praecipuum ex huiuscemodi λόγοις, ſumma gloria atque praedicatione efferebant, eique maxima quaeque atque diuiniſſima tribuebant. Legenda, quae erudite atque eleganter hac de re diſſerit STOLBERGIVS, in *diſſert. de* λόγῳ *&* νῷ *Platonico*, addita eiusdem *tractatui, de ſoloecismis & barbarismis graecae noui foederis dictioni falſo tributis, c. 2. p. 204. ſeq.* Vſitatiſſima itaque cum apud Platonicos eſſet vox λόγος, mirum non eſt, quod eamdem in initio euangelii Ioannis deprehendentes, itidem pro Platonica habuerint. Qua de re notiſſimum eſt illud AMELII, philoſophi Platonici, teſtimonium, quod THEODORETVS refert, in *graecar. affection. curat. euangelicaeque veritatis ex philoſophia gentili cognitione. ſerm. 2. tom. IV. oper. pag. 510.* itemque EVSEBIVS, *praepar. euang. l. 11. c. 19. p. 540.* AVGVSTINVS quoque narrat, alium quemdam ex Platonicis, Simpliciano, epiſcopo Mediolanenſi, dixiſſe: *aureis litteris deſcribendum eſſe euangelii Ioannis initium, & in conſpicuis eccleſiarum omnium locis ponendum; de ciuit. Dei. l. 10. c. 29.* Tam egregie nimirum haec Ioannis verba cum Platonica conſpirare philoſophia, exiſtimabat. Circa tertiam

tiam ὑποστάσεων diſcrimen illud, quod inter ipſos Platonicos intercedere antea iam obſervauimus, vel maxime ſeſe exſeruit. Plerique enim per eam animam mundi intelligunt; qui adeo hoc ipſo aperte produnt, quam longe haec Platonica trinitas, a trinitate chriſtianorum diſtet. Praeterquam enim, quod Platonici iſti ὑποστάσεις ita a ſe inuicem ſeparant, easque pro inaequalibus habent, vt pater maior ſit τῷ λόγῳ, λόγος autem anima mundi; abſonum nimis, immo impium foret, per ſpiritum ſanctum animam mundi intelligere; quamuis non deſint, qui nimio conciliandi Platonem cum ſacra ſcriptura ſtudio abrepti, illud faciant. Propius equidem ad chriſtianorum ſententiam accedere videntur, qui tertiam ὑπόστασιν *amorem* vocant, & non a ſola ſecunda deriuabant, ſed quaſi mediam ponebant inter vtramque, & procedentem faciebant ab ambabus. Quemadmodum autem fieri potuit, vt Platonici, qui ita loquebantur, data opera ſcholae ſuae doctrinam ad chriſtianorum placita adcommodare voluerint; ita non minus quam reliqui, ab horum multum diſcrepabant ſententia, dum ipſa principia multiplicabant, adeoque indiuiſam illam in tribus perſonis eſſentiae vnitatem negabant, quod omnibus gentilibus commune fuit. Falluntur itaque maximopere, qui chriſtianos ac Platonicos eadem de trinitate ſentire ac docere, exiſtimant; quod & ex inſtituto oſtenderunt, quos iam laudauimus, IO. BEN. CARPZOVIVS, atque IAC. THOMASIVS, in *diſſertationibus de trinitate Platonica*, antea commemoratis.

De eo itaque nobis ſaltem disquirendum, qua tandem ratione Plato atque Platonici in eam de trinitate ſententiam, qualiscumque demum fuerit, peruenerint? Sunt namque viri docti, qui exiſtimant, id per ratiocinationem quamdam factum eſſe. Cum enim philoſophi veteres in origine mundi inuenienda ingenii vires maxime exercerent, & qui inter eos praeſtabant, *vocem Dei* ſeu *vocem naturae* hac in re ſibi audiendam cenſerent, facile intellexerunt, mundum huncce eſſe opus Dei, qui *bonitatem, ſapientiam*, atque *potentiam* ſuam, in eius productione demonſtrauerit. Ex hiſce itaque virtutibus, ſeu attributis diuinis, *bonitate, ſapientia* atque *potentia*, quae prae reliquis intuitu mundi, praecipue in cenſum veniant, tria tandem orta principia, ſeu tres hypoſtaſes, *bonum*, *rationem* ſeu λόγον, & *animam mundi*. Huc fere redeunt, quae operoſe hac de re commentatur auctor libri: *le Platoniſme deuoilé*, quem SOVVERAINIVM nonnulli vocant, *part. 1. c. 5. & 7.* Nec procul inde diſcedit CLERICVS. Negat enim Platonem in eam ſententiam, quae tres ὑποστάσεις ἀρχικὰς ſtatuit, lectione veteris teſtamenti fuiſſe adductum, ſed ſola ratiocinatione, coniuncta cum diuinorum operum contemplatione, potuiſſe intelligere τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, hoc eſt, eſſe quampiam intelligentem naturam, perfectiſſimam, quae omnia fecerit, & omnia regat, aut per ſe, aut per alios: cum vero videret, mundi opificem non temere & fortuito, ſed ſumma ratione omnia feciſſe, generaque ſingula omnium rerum, pro ſuis quaeque naturis, ſine mutatione conſeruari ac propagari, hinc & alteram ſubſtantiam diuinam, primae illi proximam, collegiſſe, quae vocari poſſet *ratio*, ſeu λόγος, qua continerentur aeterna, atque omnium rerum immutabilia exempla, & per quam omnia eſſent facta. Porro cum Plato animaduerteret, animalia & plantas per omnes terras mirum in modum naſci, augeſcere, vegetari; hinc poſt Timaeum collegiſſe, a *ratione* diuina eſſe mundo *animam* inditam, cuius vi omnia fierent, & totius mundi machina ageretur; & hinc tandem trinitatem iſtam Platonicam reſultaſſe. Ita quidem vir ille doctus cenſet,

in

Digitized by Google

in *hiſtoriae eccleſiaſticae duorum primorum a Chriſto nato ſaeculorum prolegomenis, ſect. 2. c. 2. §. 6. ſeq. p. 62. ſeq.* itemque iam antea in *epiſtolis criticis, epiſt. 7. p. 216. ſeq.* Sunt tamen rurſus alii, qui per traditionem quamdam, cuius prima origo in gente ebraea, aut eius maioribus, quaerenda ſit, notitiam hanc trinitatis ad Platonem, aliosque philoſophos perueniſſe exiſtimant. Ita praeter EVSEBIVM, CYRILLVM, aliosque veteris eccleſiae doctores, quos antea iam laudauimus, plurimi ex recentioribus ſentiunt, interque eos THEOPH. RAYNANDVS, qui tamen inepte addit, potuiſſe ethnicos hoc etiam ex librorum ſybillinorum lectione cognoſcere; ſybillis autem per ſpecialem hoc innotuiſſe reuelationem, in *theologia naturali, diſt. 5. qu. 2. art. 2. p. 550. ſeq.* Eamdem quoque ſententiam defendit CVDWORTHI, vir doctiſſimus, in *ſyſtemate intellectuali rerum vniuerſitatis, l. 1. c. 4.* cuius hac de re mentem fuſe & diligenter ediſſerit BASNAGE, *hiſt. iudaic. l. 4.* ſeu *tom. 3. c. 3. p. 10. ſeq.* Legenda &, quae hanc in rem adfert IO. VAN DER WAYEN, *diſſert. de λόγῳ p. 57. ſeq.* Et ſane licet facile concedam, Platonem, aliosque philoſophos, ita ratiocinari potuiſſe, prout eos ratiocinantes inducunt IO. CLERICVS, & auctor libri: *le Platoniſme devoilé;* hoc tamen nondum ſufficit, vt inde probari queat, eos reuera ita etiam rationes ſubduxiſſe. Certe in locis illis, in quibus Plato trinitatis cuiusdam mentionem feciſſe creditur, vix vlla eiusmodi ratiocinationis occurrunt veſtigia. Praeterea Platonem non primum ſententiae de trinitate quadam, inter ethnicos philoſophos auctorem eſſe, conſtat. Parmenidem namque, quem Pythagoricae ſectae addictum fuiſſe ferunt, aliosque Pythagoraeos, iam ſimile quid docuiſſe, perhibent, a quibus id acceperit Plato. Immo & ipſe Plato, Timaeo, Pythagoraeorum praeſtantisſimo, ſermonem illum in dialogo, qui ab eo nomen ſortitus eſt, tribuit, in quo nonnulli iſtius dogmatis ſe inueniſſe ſibi videntur fundamentum. Pythagoraeos autem plurima per traditionem a gentibus orientalibus accepiſſe, neminem fugit. Legenda, quae hac de re CVDWORTHVS obſeruauit, *l. c.* Pythagoram Aegyptum quoque adiiſſe, & multa ibi didiciſſe a ſacerdotibus, notum eſt. Nec a veri ſpecie abhorrere nonnulli putant, doctrinae, ab Ebraeorum maioribus ad eos propagatae, quasdam apud Aegyptios fuiſſe reliquias. Aliis tamen obſeruatum, quidquid trinitatis in theologia Aegyptiorum deprehendatur, illud longe aliud quid eſſe, quam quod eo nomine deſignatur, apud chriſtianos. *Non nego*, inquit WITSIVS, *in Aegyptiorum theologumenis trinitatis alicuius mentionem fieri, ſed ea mente, quae confirmat id, quod ſupra iecimus, non aliud ab ipſis numen fuiſſe agnitum, quam mundum cum ſuis partibus; aegyptiac. l. 2. c. 5.* Idem & de Perſis cenſendum, apud quos cum tria celebrarentur numina, Oromasdes, Mithras, Arimanius, nonnulli itidem trinitatis quamdam in iis ſe inueniſſe ſibi viſi ſunt imaginem. Sed, quam infeliciter, oſtendit IAC. THOMASIVS, in *diſſert. de Perſarum Platonicorumque trinitate, §. 23. ſeq. p. 67. ſeq.* Atque hinc diiudicanda, quae HVETIVS congeſſit, vt trinitatis veſtigia apud ethnicos demonſtraret; in *quaeſtion. Alnetanis de concordia rationis & fidei, l. 2. c. 3. p. 117. ſeq.*

A Iudaeis & ethnicis tandem ad chriſtianos progredimur. Horum itaque, ſi hac de re ex ſcriptura ſacra, quam amplectuntur, aeſtimanda ſit ſententia, dubitari nequit, quin ita, vt decet, & vti ſupra eſt expoſitum, de trinitatis myſterio cenſuerint. Cum vero fieri queat, vt ſubinde homines a recto ſcripturae tramite abeant, veteriſque eccleſiae, quae poſt apoſtolorum exceſſum ad concilium Nicaenum vsque fuit, magna in hac quaeſtione ſit auctoritas,

ritas, mirum non eſt, nonnullos omnem mouere lapidem, vt euincant, non eamdem eius, ac quae noſtra hodie eſt, de hocce myſterio fuiſſe ſententiam. Nec neo-Arianos ſaltem, ſpeciatim SANDIVM, ſed quoque PETAVIVM, HVETIVM, aliosque, doctrinam quorumdam eius aetatis patrum in erroris ſuſpicionem adducere, ſupra iam ad §. *praecedentem* obſeruauimus. Vt autem eo rectius hac de re ſtatuatur, ordine progredi iuuat. Primo itaque in eo omnes veteris eccleſiae doctores ante concilium Nicaenum, quorum hodie monumenta exſtant, conſpiraſſe, certum, Chriſtum, ſiue τὸν λόγον habuiſſe προϋπάρχειν ante Mariam; id quod teſtimoniis tam luculentiis euicit BVLLVS, in *defenſione fidei Nicaenae*, *ſect. 1. c. 1. & 2.* vt ſummam aut ſtupiditatem, aut malignitatem prodat, qui hoc admittere nolit. Conſenſerunt etiam hac in re cum orthodoxis Ariani: vt adeo eo minus dubitandum ſit, receptam atque catholicam eo tempore totius eccleſiae fuiſſe hancce doctrinam. Hoc ipſo autem dum προϋπάρχειν τοῦ λόγου docuerunt, non potuerunt non reiicere illorum errorem, qui, Chriſtum pro nudo homine habentes, nihil plane trinitatis admittunt. Quos inter cum Paulus Samoſatenus, vt ſupra dictum, emineret, eius impietatem omnes, quotquot orthodoxi & catholici erant, damnauerunt, quod ſpeciatim in ſynodo Antiochena III, anno 270. congregata, factum eſt. Copioſius cuncta EVSEBIVS refert, *hiſt. eccleſ. lib. 7. c. 27. ſeq.* vbi & eos veteris eccleſiae doctores, qui huic ſe maxime oppoſuerunt haereſi, nominat. Eumdem cum deinceps reuocaſſet errorem Photinus, magiſtri ſui, Marcelli Ancyrani veſtigia premens, a catholicis aeque ac Arianis reiectus, atque damnatus fuit, idque in diuerſis ſynodis Antiochena, anno 344. Mediolanenſi, anno 346. Sirmienſi, anno 351. ne quid nunc de ſingulis doctoribus dicam, qui iſtam acriter impugnarunt impietatem. Praeter veteres, conferendi ITTIGIVS, atque LARROQVANVS, qui peculiares *de Photino, eiusque haereſi, & multiplici condemnatione*, ediderunt diſſertationes. Ex eadem porro patrum ante-Nicaenorum, & qui proxime hanc aetatem inſequuti ſunt, ſententia, qua filii προϋπάρχειν adſeruerunt, ſequitur, eos realem perſonarum trinitatis diſtinctionem admiſiſſe, Sabelliique adeo reieciſſe commentum. Hinc &, qui ante Sabellium idem in ſcenam producere auſi ſunt, ſtatim damnati ſunt, atque erroris conuicti. Noeto namque HYPPOLITVS matyr ſe oppoſuit, in *homilia de Deo vno, & de myſterio incarnationis*, *contra haereſin Noeti*. Praxeam porro peculiari libro refutauit TERTVLLIANVS; Sabellium vero ipſum, DIONYSIVS Alexandrinus, ATHANASIVS, BASILIVS, EVSEBIVS, aliique adgreſſi ſunt, quorum nota ſatis in hocce certamine ſunt nomina. Immo, & ipſe IVSTINVS martyr iam contra eiusmodi haereticos, qui eo tempore idem docebant, quod poſtea Sabellius adſeruit, diſputat, in *dialogo cum Tryphone*, *p. 358* recteque ibi contendit, filium eſſe quidem ἀριθμῷ ἕτερόν τι, ſed neutiquam natura diuerſum, quippe qui ex ipſa Dei patris eſſentia progenitus ſit. Damnata atque proſcripta eadem haereſis fuit, in ſynodo quadam Alexandrina, atque Antiochena, itemque, in concilio Conſtantinopolitano; vti ex inſtituto hoc demonſtrat WORMIVS, in *hiſtoria Sabelliana*, *c. 3. §. 6. p. 126. c. 5. §. 8. p. 182. & c. 7. §. 16. p. 285.* Sed in aliis quoque conciliis haud raro Paulo Samoſateno, atque Photino adiungitur Sabellius, atque in haereticorum numerum refertur. Quae omnia qui conſiderauerit, facile perſpiciet, aliena prorſus a recepta atque conſtanti veteris eccleſiae doctrina eſſe Sabelliana iſta commenta.

Supereſt itaque, vt de Arianiſmo diſpiciamus, ſeu, an patribus ante-Nicaenis ea

Digitized by Google

recte tribuatur ſententia, quae poſtea ab Ario nomen ſortita eſt? Ita quidem SANDIO, aliisque videtur. Immo, non deſunt, qui dogma de trinitatis myſterio ſcripturae ſacrae, gentique ebraeae veteri plane, vt putant, incognitum, a Iuſtino martyre demum, aliisque, qui ex Platonica philoſophia illud acceperint, primum in eccleſiam chriſtianam introductum eſſe, ſibi aliisque perſuadere adnituntur; cum eo modo, quo Ariani hoc intellexerunt, explicatum, cum Platonica fere trinitate conueniat. Eo redeunt, quae operoſe hac de re commentatur SOVVERAINIVS, vel quisquis auctor eſt, libri notiſſimi: *le Platonisme deuoilé*, praeſertim *part. 1. c. 9. & 13. p. 91.* item *122. ſeq.* qui tamen praeter alios praeeuntem ſibi hac in re habuit DAN. ZWICKERVM, in *Irenic. p. 18. ſeq.* Quae vt eo rectius diiudicentur, veritasque ex tot nebulis, quae illi obfunduntur, emergat, primo quidem obſeruamus, de patribus apoſtolicis, quorum monumenta exſtant, Ignatio, Polycarpo, atque Clemente Romano, nullo modo adſeri poſſe, quod cum Ario de trinitate ſenſerint, aut ipſum illud dogma de trinitate ex philoſophia Platonica acceperint; qua eos imbutos fuiſſe, nullo, ne leniſſimo quidem argumento demonſtrari poteſt. Quin potius, eos ὁμοουσίαν filii cum patre, adeoque vtriusque, qua ipſam eſſentiam, aequalitatem agnouiſſe, loca in ſcriptis eorum obuia teſtantur luculentiſſime. Ea non adferam, cum apud BVLLVM legi poſſint, in *defenſione fidei Nicaenae, ſect. 2. c. 2. & 3.* Addenda tamen, quae ad haec loca notauit GRABIVS, qui ſpeciatim ad *c. 3. §. 3. p. 60.* de Clemente Romano quaedam, quae lectu digna ſunt, monet. His ſi quis Barnabae atque Hermae teſtimonia, ex ſcriptis, quae ſub eorum nominibus hodie exſtant, iungenda exiſtimauerit, ea apud eumdem BVLLVM, vindicias autem eorum apud GRABIVM, *l. c. c. 2.* inueniet. Nos, quae ab hisce viris doctis iam adlata ſunt, repetere nolumus; de Ignatio tamen id ſaltem monemus, vana prorſus atque ludicra eſſe, quae a WHISTONO adferuntur, vt euincat, breuiores Ignatii epiſtolas ſpurias eſſe, longiores autem illas, ſeu interpolatas, genuinas. Sic vt breuiores illas νοθείας conuincat, inter alia vrget, quod Chriſtus in *epiſt. ad Epheſios num. 7.* γεννητὸς καὶ ἀγέννητος vocetur, putatque, nullo exemplo comprobari poſſe, ab alio quopiam per tria priora ſaecula hanc loquendi rationem adhibitam, cum tamen TERTVLLIANVS diſerte profiteatur: *ita vtriusque ſubſtantiae cenſus, hominem & Deum exhibuit,* HINC NATVM, INDE NON NATVM; *lib. de carne Chriſti, c. 5. p. m. 362.* Pari ratione & illud inter νοθείας documenta refert, quod Chriſtus in *epiſt. ad Magneſianos num. 8.* λόγος ἀΐδιος τοῦ θεοῦ *verbum aeternum Dei* dicatur, audacter adſerens, a nemine chriſtiano ante ſaeculum quartum vocem ἀΐδιος de Chriſto vſurpatam, cum tamen diſerte hoc fecerit CLEMENS Alexandrinus: ἀΐδιος οὗτος Ἰησοῦς εἷς, ὁ μέγας ἀρχιερεὺς θεοῦ τε ἑνὸς τοῦ αὐτοῦ καὶ πατρὸς, ὑπὲρ ἀνθρώπων εὔχεται, *aeternus hic Ieſus vnus, magnus pontifex vnius Dei, qui eſt idem pater, orat pro hominibus;* in *cohort. ad gentes, p. 93.* edit. POTTERI. Nec felicius argumentum procedit, quod ex eodem loco *epiſtolae ad Magneſ. num. 8.* deſumit, quando de Chriſto dicitur; οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, *non a ſilentio progrediens.* Cum enim haecce verba Valentinianos reſpicere videantur, horum autem tempore Ignatii nondum erupuerit haereſis, concludit inde, hanc epiſtolam ab Ignatio non fuiſſe ſcriptam. Quaſi vero iam ſatis certum, euictumque eſſet, haecce verba non aliter, quam de Valentinianis accipi poſſe. Id enim nondum extra controuerſiam poſitum, luculenter oſtendit PEARSONIVS, qui &, quod inde deſumitur contra γνησιότητα epiſtolarum Ignatii argumentum, validiſſime

lidiſſime iam repulit, in *vindiciis epiſtolarum Ignatii, part. 2. cap. 7. p. m. 370. ſeq.* Dixi etiam aliquid hac de re, in *diſſertatione de haereſi Valentiniana* ad §. 3. Ex hiſce autem, quae ſpeciminis loco attulimus, facile intelligitur, cuiusmodi reliqua ſint, quae ad νοθείων breuium, & γνησιότητα interpolatarum Ignatii epiſtolarum euincendam WHISTONVS excogitauit. Deſperatae cauſſae indicium eſt, omnia ſurſum deorſum mouere, ex genuinis libris ſpurios, & ex ſpuriis genuinos facere, modo aliquid, quod ſententiae noſtrae faueat, inueniamus. Nec enim meliora ſunt, quae idem comminiſcitur, vt *conſtitutiones*, quas vocant *apoſtolicas*, in numerum librorum apoſtolicorum, immo canonicorum, euehat. Etenim, ſi quis modo conſtitutiones illas attente legat, multa ſtatim in illis deprehendet, quae ſpiritui apoſtolico plane indigna ſunt, quod & ad oculum demonſtrauit ABR. SCVLTETVS, in *medulla patrum, part. 1. l. II. c. 5. p. 414. ſeq.* Recte autem viri docti iam pridem obſeruarunt, & rationibus luculentis euicerunt, quarto demum poſt Chriſtum natum ſaeculo conſtitutiones haſce apoſtolicas enatas, & deinceps inſuper a quodam Arianae factionis homine corruptas ac adulteratas, cum eas, quas EPIPHANIVS habuit, hocce veneno nondum infectas fuiſſe, conſtet. Id praeter alios IACOBVS quoque VSSERIVS docet, in *prolegom. ad epiſtolas Ignatii, c. 6.* vbi & eumdem maleferiatum hominem, qui ſexto poſt Chriſtum natum ſaeculo, Ignatii epiſtolas, genuinas interpolando, & nouas fingendo, peſſime corrupit, etiam conſtitutiones, apoſtolorum nomen praeferentes, adulteraſſe, non ſine magna veriſimilitudinis ſpecie pronuntiat; conf. & ITTIGIVS, *de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae & apoſtolorum, c. 13. §. 44. & 45. p. 218. ſeq.*

Quod ſi nunc porro ad eos veteris eccleſiae doctores, qui patres apoſtolicos exceperunt, Iuſtinum martyrem, Athenagoram, Tatianum, Theophilum Antiochenum, porro Irenaeum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Cyprianum, Gregorium thaumaturgum, Arnobium denique atque Lactantium progrediamur, non equidem negandum, nonnullos ita hac de re aliquando loquutos, vt ad Platonis, hinc & Arii ſententiam accedere quodammodo videantur. Vt enim Platonici trinitatem quamdam ſubordinatam, eo, quo ſupra expoſuimus, modo, admittebant, & verbum inſuper duplex internum & externum ſtatuebant, & poſterius hocce ex Deo prodiiſſe, cum illi conſtitutum eſſet, hocce vniuerſum condere; ita & quidam ex antea laudatis veteris eccleſiae doctoribus, duplex itidem in Deo ſtatuebant verbum, ſeu λόγον, *internum*, & *externum*, quorum poſterius prodierit, ſeu a ſummo Deo productum ſit, cum hanc rerum vniuerſitatem moliretur. Huc namque redeunt, quae PETAVIVS de patrum iſtorum mente ſummatim diſſerit, *dogmat. theol. tom. 2. l. 1. c. 5. §. 7.* cuius verba, huc ſpectantia, iam ad §. *praeced.* dedimus; fuſius autem cuncta explicat auctor libri; *le Platonisme devoilé, c. 13. p. 122. ſeq.* Ad haec vero vt generatim ſaltem reſpondeamus; cum ſingula patrum iſtorum loca excutere, noſtri non ferat inſtituti ratio, primo quidem obſeruandum, eosdem doctores, qui aliquando cum Arianis facere videntur, ſubinde tamen ita loqui, vt ab eorum errore quam longiſſime abſint. Ex quo manifeſto colligitur, ex verbis, quibus Platonico more de trinitate loquuntur, veram & genuinam illorum ſententiam, quae adeo & totius eccleſiae fuerit, minime colligi poſſe. Sic ipſe IVSTINVS martyr, quem primum tamen fuiſſe putant, qui Platonica chriſtianae religionis dogmatibus admiſcuerit, in loco, quem ſupra iam laudauimus, ſcilicet, *dialogo cum Tryphone, pag. 358. virtutem iſtam, quam ſermo propheticus Deum vocat, de patre genitam eſſe*, ait, οὐ κατ' ἀποτομὴν,

ὀυ ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ πατρὸς ὀυσίας, ὁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα καὶ τεμνόμενα, ὀυ τὰ ἀυτά ἐστιν, ἅ καὶ πρὶν τμηθῆναι· *non per abſciſſionem, tamquam diſpertita eſſet patris eſſentia, prout alia omnia diuiſa & ſecta non eadem ſunt, quae ante fuerunt, quam ſcinderentur.* Aperte nimirum hiſce verbis docet, filium ita a patre eſſe genitum, vt per illam generationem non tamen diuiſus ſit ab eſſentia patris, ſed eamdem cum illo eſſentiam retineat. Pari ratione & ATHENAGORAS, quis ſit filius ille Dei, quem chriſtiani venerantur, ethnicis philoſophis explicaturus, ἀλλ' ἐστιν, inquit, ὁ ὑιὸς τοῦ θεοῦ, λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ· πρὸς ἀυτοῦ γὰρ καὶ δι' ἀυτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ὑιοῦ. ὄντος δὲ τοῦ ὑιοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν ὑιῷ ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος. νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ ὑιὸς τοῦ θεοῦ. *Sed filius Dei eſt verbum patris in idea & operatione. Ab ipſo enim, & per ipſum omnia facta ſunt; cum ſit vnum, pater & filius, & ſit in patre filius, & pater in filio, vnitate & virtute ſpiritus. Mens & verbum Dei, filius Dei eſt; apolog. pro chriſtianis, p. 79, 80.* edit. AD. RECHENBERGII. Licet enim Platonico more loquatur, dum filium λόγον τοῦ πατρὸς vocat, ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ; ſtatim tamen plane ad ductum ſcripturae ſacrae, patrem & filium vnum eſſe, dicit, idque non tantum conſenſu, vt Ariani contendebant, ſed mutua περιχωρήσει, vt theologi loqui ſolent, hoc eſt, vt pater ſit in filio, & filius in patre. TATIANVS eadem plane ratione de filio loquitur, ac magiſter eius, IVSTINVS, martyr. Ex Deo patre enim τὸν λόγον natum dicit, κατὰ μερισμὸν, ὀυ κατὰ ἀποκοπὴν, *per diuiſionem* ſeu participationem, vel eſſentiae diuinae communicationem, *non per auulſionem.* Τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν, inquit, τοῦ πρώτου κεχώρισται, τὸ δὲ μερισθὲν ὀικονομίας τὴν ἅιρεσιν προσλαβὸν, ὀυκ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν ἔιληπται πεποίηκεν· *Quod enim auellitur, a primo ſeparatur; quod vero diuiditur, id functione donatum propria, nihil imminuit illum, a quo vim ſuam ſumſit.* Quod porro exemplo ignis, a quo alius accenditur, declarat; *orat. ad Graecos, p. m. 21, 22.* edit. WILHELMI WORTH. Similia ex THEOPHILO Antiocheno, IRENAEO, TERTVLLIANO, aliisque adferri poſſent, ſi noſtri inſtituti hoc aut requireret, aut permitteret ratio. Atque haec cum ita ſe habeant, non poſſunt non maximopere decipi, qui ex aliis quibusdam locis colligunt, doctores hosce cum Ario ſenſiſſe. Si quod inde enim dubium enaſci poſſit, eam ſententiam, myſteriique huius explicationem, quae cum ſcriptura ſacra conuenit, veram ac genuinam patrum illius temporis fuiſſe, adeoque & pro recepta totius eccleſiae habendam, longe eſt manifeſtiſſimum. Praeterea, ſi quidam ex iſtis doctoribus, ex ſtudio, philoſophiam Platonicam cum ſcriptura ſacra conciliandi, formulis modisque loquendi Platonicis quandoque vſi ſunt, inde nondum ſequitur, eos ipſam Platonis ſententiam plane pleneque adſumſiſſe; quae, vti ſupra demonſtratum, toto, quod aiunt, caelo a doctrina ſcripturae ſacrae diſcrepat. Multo itaque minus admitti poteſt, quod auctor libri: *le Platonisme deuoilé, l. c.* aliique, perſuaſum orbi cupiunt, chriſtianorum de trinitate doctrinam, a Platoniſmo, a patribus ſecundi tertiiue ſaeculi in eccleſiam introducto, deriuandam eſſe. Accedit enimuero, quod recepta atque ſollemnis eccleſiae iſtius aetatis doctrina, non ex vno alteroue doctoris loco, ſed ex omnibus eorum teſtimoniis rite inter ſe comparatis, maxime etiam ex publica fidei profeſſione, quae in ſymbolo apoſtolico conſpicitur, aeſtimanda ſit. Etſi enim ſymbolum hocce, prout exſtat, ab ipſis apoſtolis concinnatum non ſit, nullum plane hodie eſt dubium, quin ex formula baptiſmali, iam apoſtolorum tempore vſitata, ortum ſit; cui ſubinde quaedam explicationis gratia, ad reiiciendos haeretico-

Digitized by Google

haereticorum errores, addita fuerint. Luculenter hoc euicit auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtolici*, *cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis*, *c. 1. §. 26. ſeq.* In hocce autem ſymbolo cum non minus in filium & ſpiritum ſanctum, quam in patrem credere iubeamur, quis tam inſanus fuerit, vt dubitare queat, hoc ipſo doceri, filium pariter ac ſpiritum ſanctum, aeque verum ac aeternum Deum eſſe, ac patrem? Et quis inde non potius, quam ex patrum quorumdam, alibi inſuper plerumque rectam doctrinam profitentium locis, publicam eccleſiae iſtius temporis doctrinam aeſtimet? Quis vero ſibi perſuadeat, ex Platonica philoſophia dogma de trinitate in eccleſiam irrepſiſſe? Quis denique non intelligat, trinitatem, quam vetus eccleſia profeſſa eſt, longe aliam eſſe a Platonica illa? Plura de patribus ante-Nicaenis qui deſiderat, BVLLI adeat *defenſionem fidei Nicaenae*, iam antea quoque nobis laudatam; quam, licet verae trinitatis hoſtes Theonino ſubinde dente adrodant, nemo tamen hactenus fuit, qui ſolide eam refutaret. Quouſque autem, quae idem auctor de ſubordinatione filii docuit, admittenda ſint, antea iam indicauimus. Nec praetermittendus tamen SAM. GARDINERVS, qui *ὑποτύπωσιν*, *ſeu catholicae circa ſacroſanctam trinitatem fidei delineationem*, SANDIO oppoſuit, Londini 1678 editam: ad quam cum SANDIVS in *epiſtola* quadam reſponderet, *adpendici*, *ad nucleum hiſtor. eccleſiaſticae* inſerta, GARDINERVS rurſus in reciproca quadam *epiſtola*, quae itidem in *adpendice* SANDII *p. 106. ſeq.* exſtat, cauſſam ſuam egit: ad quam cum SANDIVS iterum in alia *epiſtola* quaedam regeſſiſſet, in *adpendice p. 119. ſeq.* GARDINERVS tandem in *reſponſione* ſua *valedictoria*, *vna cum adpendice de Cingallo*, (ſub quo nomine SANDIVS latitat) Londini 1681. edita, liti huic finem impoſuit. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

Cum ergo ea de trinitate doctrina, quam Arius inuehere conatus eſt, ante concilium Nicaenum minime in eccleſia recepta fuerit, pro noua illa merito, hactenusque inuſitata habetur. Vnde autem ipſe Arius eam hauſerit? quaeri ſolet. Ex Platonica philoſophia, forte nonnulli reſpondebunt; non inuito SANDIO, qui PETAVII ſententiam, *Arium germanum Platonicum fuiſſe*, prorſus calculo ſuo comprobat, vt ſupra iam ad §. *praeced.* obſeruauimus. Et conuenit ſane Arii doctrina de trinitate cum Platonica in eo, quod & inaequalitatem perſonarum, & earumdem eſſentiale diſcrimen admittat, aeque ac Platonici. An vero in reliquis etiam conſentiat, ita vt per ſpiritum ſanctum nihil aliud, quam animam mundi intellexerit, adſerere non auſim. Vnde & diſcrimen nihiloſecius aliquod inter Arianam atque Platonicam remanebit trinitatem. Noſtrae autem inde inuictum denuo robur accedit ſententiae. A Platonicis enim ſi Arius ſua accepit; ergo non a veteri eccleſia, ſiquidem ſcripturae ſacrae, veteriſque eccleſiae, quam profeſſa eſt, trinitas, a trinitate Platonica multum diuerſa eſt, vt ſaepius iam monuimus. Facile tamen concedo, patrum quorumdam ante-Nicaenorum incaute quaedam, minusque circumſpecte dicta, occaſionem quoque erroris Ario praebere potuiſſe; quemadmodum & contradictionis aeſtus, & ſtudium, a Sabellianiſmo ſeſe remouendi, haud dubio vehementer illum incitarunt, vt praeceps rueret. FAYDIT equidem in eo totus eſt, vt demonſtret, Arianiſmum non ex Platonica, ſed Ariſtotelica philoſophia originem traxiſſe; quem in finem multa congeſſit, in *apologia ſyſtematis ſanctorum patrum de trinitate*, & quidem in *praefat. p. 24. ſeq.* Verum, vt nimis praeclare de Platone, ita nimis abiecte de Ariſtotele ſentit. Quae autem hac de re ex SOCRATE, SOZOMENO, GREGORIO Nyſſeno, aliisque

Digitized by Google

aliiſque adfert, nihil aliud euincunt, quam, quoſdam Arianae factionis principes in Ariſtotelica philoſophia egregie verſatos, & dialectica, arteque ſyllogiſtica, ad errores ſuos propugnandos, ſtrenue abuſos fuiſſe. Quod fieri potuit, etſi vel maxime error Arianorum ex Platonica philoſophia deriuetur. Quemadmodum itaque Arianorum doctrina merito pro noua habebatur, ita eidem inualeſcenti recte ſe opponebant, qui verae veteriſque prae reliquis erant tenaces; eoque res tandem peruenit, vt in concilio Nicaeno, quod primum inter oecumenica locum tenet, anno 325. auctoritate Conſtantini imperatoris congregato, haereſis haecce damnaretur. Ingenti hinc concilium hocce odio Ariani, tum veteres, tum recentiores, proſequuntur; nec vnum eſt conuiciorum genus, quae ad auctoritatem eius imminuendam excogitarunt. Vt enim ea ſaltem, quae ad doctrinam ipſam ſpectant, attingam, mox nouam a concilii iſtius patribus introductam clamitant; mox eoſdem Sabellianiſmi arguunt; vt alii rurſus ex recentioribus, quaſi pugnantia ſecum conſiſtere poſſint, tritheiſmum illis exprobrant. Verum, nouam a concilii iſtius patribus doctrinam neutiquam introductam fuiſſe, ex hactenus dictis abunde conſtat. Addenda autem, quae & erudite hac de re diſſerit B. IO. GVIL. BAIERVS noſter, in *diſſert. pro concilio Nicaeno, contra Dan. Zwickerum & Chriſtophorum Sandium,* cumprimis *c. 2. §. 29. ſeq.* qui & alias iſtorum hominum criminationes, quibus hocce concilium impetunt, repellit. Sabellianiſmus olim ab Arianis ſaepiſſime Nicaenis patribus obiectus fuit, idque maxime ob vſum vocis ὁμοούσιος, qua non recte intellecta & alii, qui ceteroquin cum Arianis non faciebant, ſiniſtri aliquid ſuſpicati ſunt. Sed & hanc criminationem in fumum abire intelliget, qui ea, quae ſupra de hacce voce diſputauimus, conſiderauerit. Tam ſollicite inſuper ATHANASIVS, aliique Nicaenae fidei defenſores ſibi cauent, ne Arianiſmum oppugnando, in Sabellianiſmum praecipites ruant, vt egregie malignum eſſe oporteat, qui ab iſta accuſatione eos abſoluere nolit. Ad tritheiſmum quod attinet, non crederem, exſiſtere quemquam poſſe, qui eum iiſdem patribus obiiceret, niſi a viris quibuſdam cetera doctis hoc factum eſſet, quos ideo ſupra iam atro lapillo notauimus, ad §. *praeced.* cum de tritheiſmo verba faceremus.

Quantumuis autem Arianiſmi venenum longe lateque ſerperet, & magnam chriſtiani orbis partem inficeret, adeo, vt per aliquot ſaecula cum eodem eccleſiae confligendum eſſet; ſtabilita tamen egregie in variis conciliis antiqua veraque doctrina, & ſtrenue etiam a praeſtantiſſimis doctoribus, ATHANASIO, HILARIO, PHOEBADIO, FABIO MARIO VICTORINO, GREGORIO Nazianzeno, AMBROSIO, HIERONYMO, AVGVSTINO, aliiſque defenſa fuit atque propugnata. Spiritus autem ſancti diuinitas, quam Macedonius cumprimis labefactare animum induxerat, adſerta maxime fuit in concilio Conſtantinopolitano, quod ſecundum eſt inter oecumenica; hinc vero ab ATHANASIO, BASILIO magno, AMPHILOCHIO, aliiſque, ſcriptis egregiis confirmata. Licet autem in orientali eccleſia illorum deinde impietas, qui nullam plane perſonarum trinitatem admittunt, in Muhammede reſuſcitaretur; haereticorum ſectis variis valde attritis ac imminutis; qui tamen ſupererant orthodoxi, hoc maxime doctrinae caput ſaluum integrumque conſeruarunt. Atque id etiam in occidentali eccleſia factum; quae, etſi in aliis impuritatem quamdam ſenſim contraheret, hoc tamen de trinitate dogma illibatum ad nos transmiſit. Varias equidem ſcholaſtici doctores, vt circa alia, ita circa hoc, more ſuo, mouebant quaeſtiones, quae

quae plus ſubtilitatis quam vtilitatis habent; nec temperare ſibi potuerunt, quo minus ſpeculationibus ſuis methaphyſicis interdum vltra, quam neceſſe erat, indulgerent; ſedulo tamen ſimul dederunt operam, ne in eo, quod caput cauſſae eſt, a recto deflecterent tramite. Aliter equidem de hisce doctoribus cenſuit FAYDIT, quem aliquoties iam commemorauimus, quippe qui libro, ſub titulo; *alteration du dogme theologique par la philoſophie d' Ariſtote, ou fauſſes idées des ſcholaſtiques ſur la matiere de la religion*, edito, non tantum metaphyſicorum terminorum abuſum in hocce myſterio acriter caſtigauit, ſed eo vsque progreſſus eſt, vt contenderet, ſcholaſticorum de trinitate doctrinam cum ſententia patrum, veteriſque eccleſiae, non conuenire. Quod dum euincere adnititur, ſcholaſticisque ſententiam, quae ad Sabellianismum prope accedit, tribuit, parum abeſt, quin in alterum extremum, ſeu tritheismum prolabatur. Aliorum itaque & ipſe expertus eſt cenſuras, ſcriptoque contra eum anno 1699. edito, ſententiam eius confutauit P. HVGO. Cui cum FAYDIT iterum reſpondit, in *apologia ſyſtematis ſanctorum patrum de trinitate contra tropolatras & Socinianos &c.* ſuſpicionem quidem tritheismi a ſe quouis modo amoliri adnititur; non minus tamen acriter in ſcholaſticos doctores inuehitur, terminosque, & metaphyſicas loquendi rationes, quibus hoc myſterium inuoluant, procul inde cupit remotas. Sed in reſponſione ad hancce *apologiam* P. HVGO oſtendit, auctorem in apologia iſta tritheismum quidem reiicere, quem antea ab eo propugnatum negari nequeat; hinc ſcholaſticorum defenſionem ſuſcipit, & ſpeciatim THOMAM DE AQVINO nihil, quod a mente patrum, aut veteris eccleſiae alienum ſit, de hocce myſterio docuiſſe, demonſtrat. Legenda, quae de hacce controuerſia commemorat DV PIN, *nou. biblioth. auctor. eccleſiaſtic. tom. 19. p. 308. ſeq.* Cum tandem ſaeculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto noua eccleſiae atque litterarum facies orta eſſet, eruperunt quoque ſubinde, qui trinitatis myſterio bellum indicerent, ſiue Pauli Samoſateni, atque Photini impietatem reuocarent, ſiue Arianismum reſuſcitarent, aut Sabellii commenta denuo in ſcenam producerent. Quemadmodum autem hi omnes a Romana non minus, quam Lutherana ac reformata eccleſia conſtanter reiecti ſunt, ita exſtiterunt ſubinde viri longe doctiſſimi, qui hisce auſibus maſcule ſe opponerent, ſcriptisque eruditiſſimis veritatem, ab apoſtolis ad nos transmiſſam atque propagatam, propugnarent fortiter, ac defenderent.

§. LVI. Noſtri autem officii eſt, vt verum Deum, quem cognitum habemus, ceu verum Deum colamus, ne idem, quod olim gentilibus, nobis quoque contingat, *Rom. I, 21.* Gloriam Dei in attributis eius exſplendeſcentem ita conſideremus, vt ſimul, pro modulo nobis conceſſo, in eamdem transformemur, *2. Cor. III, 18.* Summum trinitatis myſterium non curioſe nimis ſcrutemur, ſed pia potius deuotaque mente veneremur; * idque operam nauemus ſedulo, vt, quaenam ſit patris charitas, quae gratia filii, quae ſpiritus ſancti communio, experiundo condiſcamus; *2. Cor. XIII, 13.* Quin & beneficia, in quibus ſingulae perſonae ſe vel maxime manifeſtarunt, creationem patris, redemtionem filii, regenerationem ac ſanctificationem ſpiritus ſancti, ita conſideremus, vt gratum ſimul piumque animum,

mum, obſequio, fide, omniumque virtutum ſtudio indefeſſo, teſtemur, atque demonſtremus; conf. *Mal. I, 6. Tit. II, 14. 1. Cor, III, 16, 17.*

* Obſeruandum & ſedulo eſt illud THOMÆ DE KEMPIS: *Quid prodeſt tibi alta de trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas trinitati.*

LIBRI SECVNDI
CAPVT SECVNDVM
DE OPERIBVS, QVIBVS DEVS IN REGNO NATVRAE SESE MANIFESTAVIT.

Σύνοψις.

Inter opera, quibus Deus ſe manifeſtauit, totus mundus primo ſe offert; cuius creatio, vt recte intelligatur, adſumitur, eum non eſſe aeternum, §. I.

Immo, ne quidem materiam, ex qua ortus eſt, eſſe aeternam, ſeu ſemper exſtitiſſe, §. II.

Per creationem quid intelligatur? §. III.

Is, qui omnia creauit, Deus eſt, qui & ſolus mundum creare potuit, §. IV.

& quidem pater, filius, & ſpiritus ſanctus, §. V.

Modus creationis nobis imperueſtigabilis: hoc ſaltem conſtat, ſolo diuinae voluntatis iuſſu omnia creata, §. VI.

Errant, qui modum creationis per emanationem explicare volunt, §. VII.

Errant &, qui, poſita materia & motu, cuncta mechanica quadam ratione coaluiſſe contendunt, §. VIII.

De temporis, quo creatio peracta fuit, ſucceſſione, §. IX.

Opus primi diei. §. X.

ſecundi, §. XI.

tertii, §. XII.

quarti, §. XIII.

quinti, §. XIV.

ſexti, §. XV.

Sexto die etiam homo creatus, §. XVI.

In operibus a Deo creatis nulla labes erat, nulla imperfectio; ſeptimo autem die Deus quieuit, §. XVII.

Finis creationis, quem & Deus obtinuit, §. XVIII.

Inter res creatas reliquas eminent ſpiritus, nullo cum corpore coniuncti, ſiue angeli, §. XIX.

Spiritus nomine quid hic intelligatur? §. XX.

Spiritus eiusmodi dari, ratio quodammodo docet, clarius autem, atque certius, ſcriptura ſacra, §. XXI.

Angelus eſt materiae expers, hinc & corruptioni non obnoxius, nec certo loco circumſcribi poteſt, §. XXII.

Intellectu quoque praeditus eſt; cuius obiectum deſignatur, §. XXIII.

itemque modus, §. XXIV.

Voluntate itidem, eaque libera, gaudet, §. XXV.

Hinc & affectus, ſed mentales, itemque virtutes, recte angelis tribuuntur, §. XXVI.

Pollent quoque potentia. cogitationes ſuas cum aliis angelis, immo, & cum hominibus, communicandi, §. XXVII.

Porro, potentia agendi in corpora; hinc & varios effectus edendi, ſed ſuis limitibus circumſcripta, §. XXVIII.

De angelorum numero, ordinibus, & differentia,

ferentia, qua dona tum naturalia, tum moralia, §. XXIX.

Duplex angelorum conſiderari poteſt ſtatus, tum ante quorundam lapſum, tum poſt eum; in priori conſtituti, donis variis gratiae gauiſi ſunt, §. XXX.

Poſt quorundam lapſum angeli boni, obedientiae praemium conſequuti, & in bono confirmati ſunt; vnde ſtatus gloriae, §. XXXI.

Operationes angelorum in ſtatu gloriae, §. XXXII.

Beneficia, quae Deus per eos in nos confert, grato agnoſcenda ſunt animo, virtutesque illorum imitandae; nec tamen ipſi cultu religioſo proſequendi, §. XXXIII.

Defectio angelorum malorum: primum illorum peccatum in quo conſtiterit? §. XXXIV.

Principem quemdam angelorum, cum integro exercitu, imperio eius ſubiecto, defeciſſe, ex ſcriptura recte colligitur, §. XXXV.

Per lapſum non tantum dona gratiae amiſerunt, ſed natura quoque illorum intime corrupta; idque tum ratione intellectus, tum ratione voluntatis, §. XXXVI.

Mali angeli iam in ſtatu damnationis viuunt, ſed vt vltimum ſupplicium illis adhuc immineat, §. XXXVII.

Operationes eorum variae, ſed omnes malae, §. XXXVIII.

Speciatim de obſeſſione corporali, de magia, & de ſpectris, §. XXXIX.

Non tantum per creationem, ſed & per rerum creatarum conſeruationem, ac gubernationem, Deus ſeſe manifeſtat: vnde prouidentia, §. XL.

Hocce nomine quid deſignetur, §. XLI.

Solus Deus rebus creatis proſpicit, & proſpicere etiam poteſt, §. XLII.

Dari prouidentiam, probatur, §. XLIII.

Generatim quaedam obſeruantur, vt dubiis omnibus occurri queat, §. XLIV.

Obiectum prouidentiae, ſunt res omnes huius vniuerſi, etiam minimae, cumprimis homines, ſpeciatim fideles, §. XLV.

Actus prouidentiae diuinae a quibusdam duo conſtituuntur, conſeruatio & gubernatio; ab aliis tres, conſeruatio, concurſus, & gubernatio, §. XLVI.

Conſeruatio in quo conſiſtat? §. XLVII.

item, concurſus, §. XLVIII.

& gubernatio, §. XLIX.

Eam prouidentiam, quae ſpeciatim circa hominem verſatur, obſeruare licet circa eius in vitam ingreſſum, §. L.

item, circa progreſſum in vita, & quidem circa actiones tum bonas, tum malas, diuerſa tamen ratione, §. LI.

tandem & circa egreſſum e vita; vbi de vitae humanae termino, §. LII.

Finis prouidentiae diuinae, §. LIII.

Fontes errorum, hic occurrentium, & quidem in doctrina de creatione, §. LIV.

de ſpiritibus, §. LV.

de prouidentia, §. LVI.

Verae doctrinae in hiſce capitibus conſeruatio & propagatio, §. LVII.

Quem in vitae chriſtianae praxi vſum habeat doctrina de creatione, §. LVIII.

de angelis, §. LIX.

de prouidentia, §. LX.

§. I.

Inter opera, quibus Deus hominibus ſeſe manifeſtauit, totus ſtatim ſe nobis offert mundus, creatoris ſui & potentiam, & ſapientiam arguens, *Rom. I, 20.* Hoc vero vt eo rectius intelligatur, primo quidem, ceu longe euidentiſſimum adſumimus, mundum huncce, prouti nunc eſt, neutiquam ſemper exſtitiſſe, ſeu non fuiſſe aeternum. Hoc quippe & ratio docet, & ſcriptura confirmat. *

* Cum de huius vniuerſi initio non vna veterum philoſophorum eſſet ſententia, Ariſtoteles quidem cum ſuis in eam maxime ingreſſus eſt, mundum huncce, prouti nunc

nunc eſt, ſemper exſtitiſſe. Cum enim eius ex fortuito atomorum concurſu ortus, illis nimis abſurdus videretur, ſimul vero illud: *ex nihilo nihil fit*, animo altiſſime infixum haereret; infinitam porro creatoris aut ignorarent, aut non admitterent potentiam; non aliud quid occurrebat, quam, mundum huncce aeternum eſſe, hominumque in eo ſemper fuiſſe genus. Mentem Stagiritae ita exprimit TVLLIVS: *Cum enim tuus iſte Stoicus ſapiens ſyllabatim tibi iſta dixerit, veniet, flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui illum deſipere dicat, neque enim ortum eſſe vmquam mundum, quod nulla fuerit nouo conſilio inito, tam praeclari operis inceptio, & ita eum eſſe vndique aptum, vt nulla vis tantos queat motus, mutationemque moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exſiſtere, vt hic ornatus vmquam dilapſus occidat; academ. qu. l. 4. c. 38.* Sic & LACTANTIVS: *Stoici animantium fabricam diuinae ſollertiae tribuunt, Ariſtoteles autem labore ſe ac moleſtia liberauit, dicens, ſemper mundum fuiſſe; itaque & humanum genus, & cetera, quae in eo ſunt, initium non habere, ſed fuiſſe ſemper, ac fore; diu. inſt. lib. 2. c. 11.* Ariſtoteli Pythagoram iungit VARRO, *l. 2. de re ruſtica, c. 1.* Idem & CENSORINVS facit. *Sed prior illa ſententia,* inquit, *qua ſemper humanum genus fuiſſe creditur, auctores habet Pythagoram Samium, & Ocellum Lucanum, omneſque adeo Pythagoricos; de die natali, c. 4. p. m. 25.* Idem & Platonem hiſce addit, ſed perperam, vti alibi demonſtratur. De recentioribus quibuſdam Ariſtotelicis, ANDREA CAESALPINO, atque CLAVDIO BERIGARDO, qui, cum ſe chriſtianos profiterentur, Ariſtotelis tamen pluris ſibi eſſe, quam ſcripturae ſacrae auctoritatem, demonſtrarunt, dixi in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1. ſect. 1. ad §. 1. p. 61.* vbi & plura huc ſpectantia. Sed haec de aeternitate mundi ſententia, ex gentium ac populorum, regnorum itidem, ac rerum publicarum origine, porro, ex inventione & incrementis artium, atque ſcientiarum, ſolide refellitur. De hiſce omnibus enim hiſtoricorum nos dubitare non ſinunt monumenta. Validiſſimum hinc contra mundi aeternitatem peti argumentum, MACROBIVS, quantumuis & ipſe eidem errori faueat, agnoſcit. *Nam, quis facile,* inquit, *mundum ſemper fuiſſe, conſentiat, cum & ipſa hiſtoriarum fides, multarum rerum cultum, emendationemq; vel ipſam inuentionem recentem eſſe, fateatur? &c.* in *ſomn. Scipion. l. 2. c. 10. p. m. 150.* Reſpondet equidem idem auctor: *res humanas ex parte maxima ſaepe occidere, manente mundo, & rurſus oriri, vel eluuione viciſſim, vel exuſtione redeunte; l. c. pag. 151.* quod & rationibus quibuſdam, ſed oppido infirmis, probare adnititur. Ad Stoicorum nimirum, & aliorum quorumdam, de magnis mundi viciſſitudinibus, quas per eluuiones & exuſtiones ſtatis temporibus, ab omni aeternitate ſubiiſſet, & porro ſubiturus eſſet, ſententiam haud dubio reſpicit; quae, vt omni fundamento deſtituitur, ita inter ſuauia philoſophorum quorumdam referenda eſt ſomnia. Particulares equidem eluuiones ſimileſque caſus, quibus vrbibus quibuſdam atque regionibus magna illata eſt calamitas, ſubinde contigiſſe, negari nequit, & hiſtoriarum quoque teſtantur monumenta: id vero vt vix ad minimam orbis vniuerſi partem pertinet, ita fieri hac ratione nullo modo poteſt, vt hominum omnium, qui antea exſtiterunt, rerumque ab iis geſtarum, artium porro ac ſcientiarum omnis deleatur memoria, ac ſi nihil plane eiuſmodi antea in toto exſtitiſſet mundo. Immo, quo pacto fieri queat, vt totus orbis aqua inundetur, omnibuſque adeo hominibus pereundum ſit, ratio prorſus capere nequit; & profecto, ſine miraculo quodam, ſingularique Numinis diſpenſatione hoc fieri non poteſt. Hinc & non eſt, quod ad diluuium in ſcriptura ſacra commemoratum, prouocent. Accedit vero, quod ſi ſcripturae teſtimonio, in probando diluuio vniuerſali niti,

conſul-

Digitized by Google

conſultum ducant, illud etiam in reliquis, praeſertim & de mundi huius origine, atque vniuerſi creatione, admittere debeant. Plura non addo, cum, quidquid hac de re dici poteſt, iam exſequutus ſim in *theſibus de atheismo & ſuperſtitione, c. 5. §. 9. p. 442. ſq.* itemque *c. 6. §. 3. p. 468. ſq.* Vt ex ſcriptura ſacra probetur, mundum huncce initium habuiſſe, neceſſe non eſt, cum nemo, qui eius auctoritatem admittit, hac de re dubitare queat.

§. II. Immo, nec materiam, ex qua mundus hicce adſpectabilis ortus eſt, aeternam eſſe, ſed initium habuiſſe, & ipſa ratio nos condocet, & luculentius adhuc ſcriptura teſtatur. Initium autem aliter habere non potuit, quam per creationem. *

* Etſi plurimi ethnicorum philoſophorum, ſpeciatim Platonici, Epicuraei, & Stoici, mundi huius ortum, diuerſa tamen ratione, agnoſcerent, in eo tamen omnes conſenſerunt, materiam ſemper exſtitiſſe. Immo vniuerſale hoc totius philoſophiae gentilis fuiſſe principium, idemque & hodie praecipuum atheismi eſſe fundamentum, recte viris doctis obſeruatum eſt. Fuiſſe & inter veteris eccleſiae haereticos, qui eumdem errorem fouerent, notum eſt. Sic, vt reliquos taceam, de Hermogene TERTVLLIANVS: *a chriſtianis conuerſus ad philoſophos, de eccleſia in academiam & porticum, inde ſumſit a Stoicis, materiam cum domino ponere, quae & ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium omnino habens, nec finem, ex qua dominus omnia poſtea fecerit; contra Hermog. c. 1.* Non alia autem magis ratione philoſophi in hanc inducti ſunt ſententiam, quam, quod pro principio certiſſimo, euidentiſſimoque haberent, *ex nihilo nihil quoque fieri poſſe.* Qua in re errarunt turpiter. Etſi enim de cauſſa materiali hoc procedat, minime tamen de cauſſa efficiente infinitae virtutis. Haec enim, quo minus ex nihilo aliquid facere queat, nihil profecto obſtat, etſi ratio modum capere nequeat. Obſeruatum id iam a me in *theſibus de atheismo & ſuperſtit. c. 2. §. 10. p. 237.* Materiam autem, ex qua mundus ortus eſt, non ſemper exſtitiſſe, adeoque aeternam non eſſe, ipſa quoque omnes condocet ratio, ſi modo ad eam attendere velint. Primo namque manifeſtum eſt, ad eſſentiam materiae non pertinere exſiſtentiam neceſſariam. Nec enim in eius conceptu quidquam deprehenditur, quod eam inferat. Nulla quoque prorſus adferri ratio poteſt, cur ea, quae nunc exſiſtit, ſemper exſiſtere debuerit, aut cur non exſiſtere nequeat. Praeterea, ſi omnes materiae proprietates, extenſionem, diuiſibilitatem, facultatem recipiendi motum, conſideres, nihil, quod exſiſtentiam neceſſariam inferat, in iis deprehendes. Neque tantum ex conceptu materiae neceſſaria exſiſtentia non ſequitur, ſed, ſi rem omnem adcurate aeſtimes, eidem vel maxime repugnat. Exſiſtentia enim neceſſaria vti ſumma perfectio eſt, ita non poteſt non attributum eſſe entis omnium perfectiſſimi. At materia cum plurimis imperfectionibus laboret, quod vel ex comparatione eius cum ſpiritu adparet, non poteſt pro ente omnium perfectiſſimo haberi. Ergo nec attributo, quod enti perfectiſſimo tantum competit, ſeu exſiſtentia neceſſaria gaudet. Nec eſt, quod regeras, ſi vel maxime materia non exſiſtat neceſſario, ſufficere tamen, quod ſemper exſtiterit. Quodſi enim hoc negem, vnde probabis? Immo, non exſtitiſſe, ex eo colligere licet, quod mundus hicce non ſemper exſtiterit, vti antea probatum, & praeſtantiſſimi veterum philoſophorum fatentur. Etenim, ſi materia ab omni aeternitate, atque per infinita iam ſaecula fuit, aut & mundum ab omni aeternitate fuiſſe concedendum, aut

ratio danda, cur in certo temporis articulo demum exſtiterit. Poſterius cum atheus facere nequeat, niſi ad ineptias de exuſtionibus & diluuiis recurrere velit, prius autem plane abſonum ſit, & a praeſtantiſſimis philoſophorum reiiciatur, nihil aliud supereſt, quam vt concludamus, materiam non ſemper exſtitiſſe. Dixi hac de re in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. c. 2. §. 2. p. 465. ſq.* conf. & IAC. ABBADIE, *de veritate & certitudine chriſtianae religionis*, *ſect. 1. c. 6. §. 4. ſq. p. 49. ſq.* Si quis ſcire aueat, quo pacto veteris eccleſiae doctores contra haereticos materiae aeternitatem adſerentes, diſputent, praeter TERTVLLIANVM, quem antea laudauimus, EVSEBIVM adeat, *praepar. euang. l. 7. c. 19. & 20. p. 333. ſeq.*

Quod ratio ipſa hic docet, luculentius adhuc ſcriptura ſacra confirmat. Dum enim ex nihilo hocce vniuerſum productum adſerit, materiam quamdam, aut ſimile quid ab aeterno fuiſſe, negat. Ex nihilo autem mundum huncce productum, ex primis Moſis verbis, quibus hiſtoriam creationis incipit, condiſcimus: *in principio creauit Deus caelum & terram*, *Gen. I, 1.* De voce ברא in vtramque partem viri docti diſputant, aliis quidem, quod creationem ex nihilo ſignificet, adſirmantibus, aliis negantibus. Ex horum ordine & CLERICVS eſt, qui fidenter negat, materiam mundi ex nihilo creatam, aut hoc in loco a Moſe doceri, aut ex natiua ſignificatione verbi ברא deduci poſſe. Ebraeos enim veteres, dum hocce vterentur vocabulo, ne cogitaſſe quidem de creatione ex nihilo, ſed idem voluiſſe, quod animo graece aut latine loquentium obſeruatur, vbi vtantur vocibus κτίζειν & *condere.* Loca deinceps quaedam ſcripturae ſacrae profert, vbi verbum iſtud aliter, quam de creatione ex nihilo vſurpetur, ad *Gen. I, 1. p. 3.* Pari ratione & SIMON ſententiam vulgatam de verbo ברא magis ex praeiudicata de creatione ex nihilo opinione, quam ex vi & proprietate vocis prouenire, pronunciat; *hiſt. crit. V. T. l. 2. c. 5. p. 213.* & *l. 3. c. 3. p. 364.* Verum, ſi paullo accuratius cuncta ponderemus, veram & genuinam verbi ברא notionem hanc eſſe deprehendemus, qua rem aliquam nouam & inuſitatam, ſolo nutu & imperio, adeoque per potentiam infinitam & vere diuinam producere ſignificat. Sic *Num. XVI, 30.* Moſes dicit: בריאה יברא, *creationem creabit dominus*, i. e. rem nouam planeque inſolitam diuino nutu & potentia ſua edet, dum faciet, vt ima terrae dehiſcant. Pari ratione & Ieremias: ברא יהוה חדשה בארץ *creabit dominus rem nouam in terra*, *c. XXXI, 22.* hoc eſt, iubebit, vt aliquid exſiſtat, cuiusmodi quid numquam antea exſtitit. Iſtud vero vt prorſus in creationem ex nihilo quadrat, ita propriam hanc atque genuinam vocis iſtius ſignificationem eſſe, manifeſtum eſt. Et ſecundum hancce intelligitur etiam, quo pacto de balaenarum, aliorumque animantium productione *Gen. I, 21.* itemque de productione hominis adhibeatur, *v. 27.* Id vero, quod diximus, de coniugatione *Kal* eſt intelligendum: cum enim verborum ſignificatio pro diuerſitate coniugationnm mutetur, loca, in quibus idem verbum occurrit, ſed in coniugatione *Niphal* aut *Piel*, nos non feriunt. Atque propriam hancce & genuinam verbi iſtius ſignificationem, *Geneſ. I, 1.* obtinere, ex reliquis etiam, quae ibidem Moſes commemorat, luculenter euincitur. Dicitur enim בראשית *in principio creauit.* Cuius quidem vocis בראשית cum diuerſae ſint interpretationes, quas apud TH. GATACKERVM legere licet in *cinno ſiue aduerſariis miſcellaneis, l. 2. c. 1. p. 241. ſq.* id tamen poſitum extra dubium, eam vertendam, *in principio*, ſeu *initio.* Principium autem, ſiue initium, cum relationem, vel aliud quid connotet, hic non poteſt non intuitu originis rerum omnium, accipi, vt ſenſus ſit: in rerum omnium initio, cum hactenus nihil quidquam a Deo creatum eſſet, adeoque nihil praeter Deum exſiſteret. Si ergo nihil

praeter

Digitized by Google

praeter Deum exſtitit, cum Deus mundum conderet, ſequitur, eum ex nihilo conditum eſſe, idque adeo voce ברא innuere Moſen; conf. quae dixi in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1. per. 1. ad §. 2. p. 65.* Idem denique & ex vocibus, *caelum & terra*, quae in principio Deus creaſſe dicitur, comprobatur. Scio equidem, & haſce non vna eademque ratione ab omnibus explicari; ſed praeferenda tamen illorum ſententia, qui iis complexum totius vniuerſi, ſed nondum digeſti, atque ornati, ſignificari contendunt. De terra enim ſtatim Moſes addit, quod fuerit *res informis, atque inanis.* De ipſa ergo ſubſtantia, adeoque & materia caeli & terrae, quod ante dixerat, intelligendum, quae aliter, quam per productionem ex nihilo creari non potuit. Addenda, quae contra CLERICVM ex inſtituto hac de re diſputantur dans *l' hiſtoire critique de la republique des lettres, tom. 4. art. 3. p. 70. ſeq.*

Idem vero & alibi ſcriptura confirmat, cumprimis Paulus, quando, πίστει, inquit, νοοῦμεν, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. *Ebr. XI. 3.* Nimirum per τοὺς αἰῶνας apoſtolus idem intelligit, quod Ebraeorum magiſtri per עולמים *ſaecula*, ſiue *mundos*. Solent enim tres mundos diſtinguere, *imum*, qui eſt plantarum, animalium, hominum; *medium*, in quo ſint ſtellae; & *ſupremum*, qui angelorum & beatarum mentium ſedes ſit. In hiſce mundis καταρτισμὸς apta & concinna partium omnium diſpoſitio, & ad certos fines deſtinatio, conſpicitur: quam, etſi & ratio animaduertat, cumprimis tamen fide, haec omnia verbo Dei facta eſſe, certi reddimur. Neque id modo, ſed &, quod praecipuum eſt, haec ita a Deo condita, vt τὰ βλεπόμενα, id eſt, quae exſtant (more loquendi Ebraeis vſitato, quibus, quae exſtant, הנמצאים, *quae inueniuntur*, dicuntur) μὴ ἐκ φαινομένων, hoc eſt, ἐκ μὴ φαινομένων, *ex non adparentibus*, ſeu, non exſiſtentibus facta ſint. Falluntur magnopere, qui per τὰ μὴ φαινόμενα ſeu *non adparentia*, ipſa elementa, ſeu materiam primam, quae inuiſibilis ſit, intelligi volunt, adeoque haec Pauli verba materiae aeternitati neutiquam contradicere contendunt. Sed, vt τὰ βλεπόμενα interdum vocantur, quae exſtant, *Rom. VIII, 25.* ita contra τὰ μὴ φαινόμενα ea ſunt, quae non exſtant. Nam, φαίνεσθαι quoque ſignificat, *in lucem edi*, adeoque & *exſiſtere.* Sic *Matth. IX, 33.* dicitur: οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ, hoc eſt, numquam eiusmodi quid in Iſraele exſtitit, ſiue factum eſt. Et, quid multis ambagibus opus eſt? cum ipſemet apoſtolus optimus ſui ipſius interpres ſit, ſiquidem creationem *Rom. IV, 17.* deſcribit, quod Deus vocet τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *ea quae non ſunt, vti ſint.* Eumdem plane in modum auctor *l. 2. Maccab. c. VII, 28.* matrem illam ſeptem martyrum, loquentem introducit: *vide caelum & terram, & omnia, quae in iis ſunt, haec omnia Deus* ἐξ οὐκ ὄντων *ex non exſiſtentibus, vel ex nihilo fecit.* Licet enimuero liber iſte apocryphus ſit, quae tamen eccleſiae iudaicae eo tempore hac de re ſententia fuerit, ex eo intelligitur. Hiſce denique & Ioannis teſtimonium addimus, adſerentis, per τὸν λόγον omnia facta eſſe, *Io. I, 3.* hoc eſt, vt Paulus *Col. I, 16.* hoc exprimit, *omnia terreſtria ac caeleſtia, viſibilia ac inuiſibilia.* Si omnia per Chriſtum facta ſunt, ergo nihil eſt praeter Deum, quod factum, ſeu creatum non eſt; ergo & ipſa materia creata eſt. Vnde autem haec? ex nihilo. Nec obſtat nobis, quod *ſap. XI, 18.* mundus a Deo creatus dicatur, ἐξ ἀμόρφου ὕλης, quod vulgatus interpres parum adcurate vertit: *ex materia inuiſa.* Etſi enim aliquis exiſtimare poſſet, auctorem forte ex Platonicorum, materiae aeternitatem itidem adſerentium, hic loqui ſententia; probabilius tamen, eum non de primo rerum omnium exordio, ſed de rerum terreſtrium, ex materia antea iam a Deo creata, productione loqui, adeo per ὕλην ἄμορφον id ſignificare, quod Moſes dixit: *& terra erat* תהו ובהו *informis, & inanis, Gen. I, 2.*

 §. III. Per

§. III. Per creationem * itaque rei cuiuſdam, quae hactenus nondum exſtitit, productionem, infinita Numinis potentia factam, intelligimus. Cum autem quaedam res omnino non fuerint, vt materia, ** & ſpiritus; quaedam non id fuerint, quod poſtea factae ſunt; *** omnes quidem ex nihilo factae ſunt, ſed hae mediate, * illae immediate.

* Vocem hancce in ea ſignificatione, quae apud theologos recepta eſt, accipimus. Apud Latinos enim interdum *creare* idem eſt, ac *gignere*, aut *quocumque modo aliquid facere*, vel *in dignitate aliqua conſtituere*. Immo, cum productio rei cuiusdam ex nihilo ethnicis plane incognita fuerit, dubitari poteſt, an Romani veteres eam, quae hodie obtinet, vocis huius ſignificationem agnouerint? Graecorum *κτίζειν* itidem quamcumque productionem ſignificare, notum eſt.

** Seu id, quod Moſes *Geneſ. I, 1. caeli & terrae* nomine comprehendit. Vbi non deſunt, qui priorem vocem, ſpiritus ſimul, ſeu angelos, caelorum incolas, denotare contendunt.

*** Vt reliqua ſex dierum creationis opera.

* Ex materia ſcilicet illa, quam primo creationis die, Deus ex nihilo produxerat, ſed hactenus inhabili, & ex qua virtute nulla naturali tale quid produci potuiſſet. Vnde & haec creatio infinitam ac vere diuinam potentiam arguit.

§. IV. Is, qui omnia creauit, Deus eſt, & quidem ſolus; ſiquidem hocce charactere vel maxime a diis falſis diſtinguitur, *pſ. XCVI, 5. Ier. X, 11, 12.* * Nemo enim, cum mundus conderetur, praeter Deum exſtitit: nemoque ea pollet virtute, quae ad creationem, ſeu productionem rerum ex nihilo requiritur. Potentiam enim infinitam, quae hoc efficere queat, eſſe neceſſe eſt, ** quae, vti ſoli Deo propria eſt, ita & inde ſequitur, vim aliquid creandi nulli rei creatae tribui, aut cum ea communicari poſſe. ***

* Hinc & Deus ſubinde ſibi ipſi, & quidem ſoli, caeli terraeque creationem vindicat. *Attollite*, inquit, *in ſublime oculus veſtros, & videte, quis creauerit iſta, producens numero ſuo exercitum ipſorum &c. annon nouiſti? annon audiuiſti, Deum aeternum, Iehouam, creatorem extremitatum terrae non defetiſci neque defatigari? Eſ. XL, 26, 28. Ego Iehoua, facio omnia, extendo caelos ſolus, expando terram per me ipſum; c. XLIV, 24.* conf. & *cap. XLII, 5. c. XLV, 6, 7.* item *Iob. IX, 8.* Eamque ob cauſſam & paſſim in veteris teſtamenti libris verus Deus ita deſcribitur, quod ſit creator caeli & terrae; *pſ. CXXI, 1, 2. pſal. CXXIV, 8. pſ. CXXXIV, 3.* Sic & apoſtoli cum ſuis Deum ita adloquuntur: *Tu es Deus, qui feciſti caelum, & terram, & mare, & omnia, quae in iis ſunt; actor. IV, 24.*

** Idque & ſcriptura confirmat, ſummam & immenſam virtutem eſſe docens, qua creata ſunt omnia, *Eſ. XL, 26. Ier. XXXII, 17.*

*** Eximenda tamen humana Chriſti natura, in hypoſtaſin diuinam filii Dei adſumta. Ita ea enim cum πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς habitet, *Col, II, 9.* cum reliquis attributis diuinis eidem & potentia aliquid creandi, ſeu ex nihilo producendi, per vnionis perſonalis gratiam recte adſeritur. Quam diuinam virtutem in variis etiam miraculis demonſtrauit.

§. V. Sicut autem Deus eſt pater, filius, & ſpiritus ſanctus, ita non tantum pater, ſed filius quoque ac ſpiritus ſanctus, ſeu omnes trinitatis perſonae, mundum crearunt. * Hinc & in ſcriptura ſacra non tantum patri,

Rom.

Digitized by Google

Rom. XI, 36. & *1. Cor. VIII, 6.* * * ſed & filio, *Io. I, 3. Eph. III, 9. Col. I, 16. Ebr. I, 2.* * * * atque ſpiritui ſancto, *Gen. I, 2. pſ. XXXIII, 6. Iob. XXXIII, 4.* * tribuitur. Quod non ita capiendum, ac ſi pater filio aut ſpiritu ſancto, tamquam inſtrumento vſus ſit, ſed, quod filius ac ſpiritus ſanctus, non minus quam pater, propria virtute, cum patre, mundum condiderit. * *

* Vt vna eademque cauſſa, & quidem principalis. Erraret itaque, qui tres haſce perſonas tum in hocce, tum in aliis eiuſdem generis operibus, vt cauſſas ſocias, vel omnino ſubordinatas conciperet. Vbi enim vnica tantum natura eſt, ac eſſentia, pluralitas cauſſarum locum non habet.

** Patri quidem interdum praecipua quadam ratione creatio tribuitur, vt etiam in ſymbolo, quod vocatur, apoſtolico; nec tamen hoc ita capiendum, ac ſi filio & ſpiritui ſancto itidem, ceu cauſſae principali, tribui nequeat; ſed quod pater in primo hocce opere ſeſe praecipue manifeſtauerit.

*** Loca haecce, quae laudauimus, ſatis aperte, quod filius non minus quam pater, rerum omnium creator ſit, euincunt. Abſonum vero prorſus eſt, quod FAVST. SOCINVS, & nonnulli, qui ex eius ſchola prodierunt, ſibi aliisque perſuadere conantur, Ioannem *c. I, 3.* itemque Paulum *Col. I, 16.* & *Ebr. I, 2.* non creationem primam, ſeu productionem mundi ex nihilo, ſed creationem ſecundam, ſeu reſtaurationem mundi per euangelium, intelligere. Praeterquam enim, quod verba euidentiſſima hancce explicationem reſpuant; Ioannes de eiuſmodi principio loquitur, quod Chriſti aduentum in mundum antecedit, cuius demum *v. 9.* mentionem iniicit. Creatio etiam, de qua *v. 3.* loquitur, praemittitur illuminationi, de qua *v 4. & 5.* verba facit. Verbum etiam γίνεσθαι vel γενέσθαι proprie ſignificat *fieri, oriri, incipere eſſe*; adeoque de creatione, non autem de reſtauratione intelligendum eſt. Sed, tam inepta eſt iſta SOCINI explicatio, vt plurimis ex iis etiam, qui eum in aliis ſequuntur, diſpliceat.

* Quid *Gen. I, 2.* per *ſpiritum incubantem* aquis denotetur? de eo non vna eademque omnium eſt ſententia. Sed recte ſpiritum ſanctum intelligi, iam docui *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. 1. ad per. 1. ſect. 1. §. 2. p. 69.*

* * Nec mouere quemquam debet, quod *Io. I, 3. Epheſ. III, 9. Coloſſ. I, 16. Ebr. I, 2.* δι' αὐτοῦ, *per illum*, ſcilicet filium, omnia facta dicuntur. Praeterquam enim, quod particula διὰ, non ſemper inſtrumentalem, ſed quandoque principalem cauſſam denotet, & *Rom. XI, 36.* etiam de patre dicatur, quod δι' αὐτοῦ, *per illum* omnia ſint; de Chriſto, ſeu filio Dei, quod *ipſemet terram fundauerit, & caeli ſint opera manuum eius*, ex *pſal. CII, 26.* Paulus adſerit *Ebr. I, 10.* Quia autem filius aeque ac ſpiritus ſanctus a patre eſt, ideo pater etiam per filium & ſpiritum ſanctum creat, quidquid creat.

§. VI. Modum creationis nemo mortalium intellectu ſuo adſequutus fuerit, qua ſcilicet ratione ex nihilo aliquid factum ſit. * Quo quidem intuitu creatio inter myſteria recte refertur, quae non ratione cognoſcuntur, ſed fide creduntur; *Ebr. XI, 3.* Sufficit itaque ſcire, quod ſcriptura ſacra nos hac de re condocet, ſolo diuinae voluntatis iuſſu hanc rerum omnium ex nihilo productionem factam, * * ſiue, quod perinde eſt, verbo, vel nutu diuino; *Gen. I, 3. pſalm. XXXIII, 9. apocal. IV, 11.*

* Nec mundum, nec materiam ſemper exſtitiſſe, hancque adeo, poſtquam exſtitit, ex nihilo productam eſſe, ratio ipſa rite inſtructa, cognoſcere poteſt, vti ad *§. 2.* iam obſer-

Digitized by Google

obſeruauimus. Nec tamen ideo modum, quo ex nihilo aliquid fiat, ſtatim intelligit. Immo, cum nemo mortalium hunc mente comprehendere valeat, inde factum, vt gentilium philoſophi rem ipſam, ſeu creationem ex nihilo, negarent.

** Diuerſimode equidem ſcriptura hac de re loquitur, ſed vt omnia eodem redeant. Moſes per *verbum* hoc exprimit: *dixit Deus, fiat lux, & exſtitit lux; Gen. I,3.* Ita & *pſ. XXXIII, 9,* creatio deſcribitur: *ipſe dixit, & exſtitit, praecepit ipſe, & ſtetit.* Quod tamen ita capiendum, vt ad verbum ὑποστατικῶν ſimul reſpiciatur. Recte namque AVGVSTINVS obſeruat, *Deum in hoc aeterno verbo dixiſſe, eoque dicente, creaturam temporalem factam eſſe; l. 2. de geneſi ad litter. c. 2.* Atque ita etiam intelligendum, quando Deus ſolo nutu, imperio, voluntate, omnia produxiſſe dicitur, iuxta illud: *tu condidiſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt; apoc. IV, 11.* Nec enim vlla alia re, quam ſolo voluntatis nutu Deus opus habebat. Prorſus eleganter MAXIMVS TYRIVS, etſi homo ethnicus, hac de re loquitur: ὁμοῦ δὲ τῷ Διὸς νεύματι γῆ ξυνίστη, καὶ ὅσα γῆς θρέμματα, καὶ θάλαττα ξυνίστη, καὶ ὅσα θαλάττης γεννήματα, καὶ ἀὴρ ξυνίστη, καὶ ὅσα ἀέρος φορήματα, καὶ οὐρανὸς ξυνίστη, καὶ ὅσα ἐν οὐρανῷ κινήματα. ταῦτα ἔργα τῶν Διὸς νευμάτων. *Vna cum nutu Iouis terra conſtitit, & quidquid terra educat; mare conſtitit, & quidquid mare producit; aer conſtitit, & quidquid aer fert; caelum conſtitit, & quidquid in caelo mouetur. Omnia haec opera Iouis nutus perfecit; diſſert. 25. p. m. 256.*

§. VII. Qui modum creationis per emanationem ex eſſentia diuina explicare volunt, non tantum ſcripturae ſuffragio deſtituuntur, nihilque lucis rei, intellectus noſtri vim multum ſuperanti, adfundunt, ſed & erroneis, atque ad ſummam impietatem facile abituris de Deo conceptibus, occaſionem praebent. * Quando autem ſcriptura omnia ex Deo eſſe docet, hoc ſaltem indicat, mundum ex nulla materia antea exſiſtente conditum eſſe, adeoque non tam materialem, quam efficientem cauſſam deſignat. **

* Non heri demum aut nudius tertius iſta de rerum omnium ex eſſentia diuina emanatione, orta eſt ſententia. Sunt, qui in Aegyptiorum, Chaldaeorum, aliarumque gentium orientalium, quae olim philoſophiae ſtudio inclaruerunt, placitis ſimile quid ſibi deprehendiſſe viſi ſunt. Certe, qui ſpiritus, animasque hominum ex Dei eſſentia emanaſſe, & in eamdem iterum reuerti, arbitrabantur, haud procul ab iſto errore abſunt. Qua de re iam aliquid dixi, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione* ad *c. 3. §. 2. p. 255.* item, ad *§. 3. p. 271.* Hinc & Pythagoreis pariter ac Platonicis eiusmodi quid tribui ſolet. Immo, & ipſum Platonem in eadem fuiſſe ſententia, viri quidam docti contendunt; eumque in finem verba, quae in *Philebo* eius exſtant, proferre ſolent, quibus Socrates adfirmat, τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων, τὸ δὲ πέρας; *ex iis quae ſunt, alterum infinitum, alterum manifeſtare finitum.* Nimirum τὸ ἄπειρον materiam primam ſignificare putant, vt adeo materia iſta maneat ἀγέννητος, vti ipſe Deus, etſi eam *manifeſtauerit*, hoc eſt, expulerit ex ſe, atque ita oſtenderit. Verum, an ex verbis hiſce Platonis obſcurioribus certi quid colligi queat, merito dubitaueris. Etſi enim hoc ſententiae eius, de materiae aeternitate, quae cum aliis gentilium philoſophis illi communis eſt, non repugnet, cum hac ratione materia, antequam prodiret, in Deo ipſo exſtiterit; videtur tamen, hoc modo materia nimis arcto vinculo cum Deo connecti, cum PLATO contra

inter gentilium philoſophos hoc praecipui habeat, quod maiorem Deo, intuitu materiae, quam reliqui, libertatem tribuat; vt alibi demonſtratur. Quidquid eius ſit, vt nonnulli gentilium philoſophi, ex eorum videlicet numero, qui mundi huius ortum agnoſcebant, in eam de emanatione rerum ex Deo ſententiam deuenirent, inde factum videtur, quod forte de rerum omnium a Deo productione per traditionem aliquid accepiſſent; ſed cum de modo ſimul certiores facti non eſſent, & creationem adeo ex nihilo ignorarent, aut potius non admitterent, ſpeciem quamdam generationis, ſeu emanationem comminiſci, in animum induxerunt ſuum. A gentilium philoſophis id accepiſſe videntur recentiores quidam Iudaei, ſpeciatim kabbaliſtae, inter quorum dogmata illud de emanatione rerum omnium ex eſſentia diuina, haud vltimum locum tenet; vti a me obſeruatum, in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 328.* Sequuti porro eamdem de rerum omnium ortu philoſophandi rationem ſunt VAL. WEIGELIVS, atque philoſophus ille, vt vocari ſolet, teutonicus, IAC. BOEHMIVS; quorum verba, ex quibus hoc colligi ſolet, refert EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, in *dem hermetiſch-Platoniſchen chriſtenthum, part. 2. c. 2. p. 106.* Nec deeſſe iis ſectatores, qui ſimilia tradunt, notum eſt. Sed reiecta dudum eſt haecce ſententia a recte ſentientibus, atque improbata, idque merito. Ex ſcriptura enim ſacra eiusmodi quid non colligas. Ad loca, quae iſtis prima fronte fauere videntur, mox reſpondebimus. Nec creationis modum hac ratione explicant, ſed inuoluunt potius, & obſcuriorem reddunt. Nimirum, emanationis notio non aliter clare & diſtincte concipitur, quam cum de rebus materialibus vſurpatur. Ergo, aut Deo quoque materia tribuenda quaedam, quod impium pariter ac abſonum, aut dicendum, non ſatis intelligere, quid ſibi velint, qui mundum per emanationem a Deo eſſe contendunt. Et generatim quoque, cum de ſpiritibus ſermo eſt, non niſi improprie dici poteſt, ab illis per emanationem aliquid exſiſtere. Facile denique, qui creationem per emanationem explicant, in eam ſententiam abripi poſſunt, vt id, quod emanat, eiusdem cum principio, a quo emanat, eſſentiae eſſe exiſtimantes, diſcrimen, quod inter creatorem, & rem creatam intercedit, tollant, & ita in Spinozismum praecipites ruant. Et ſane non ſemel haecce impietas illis exprobrata fuit, qui rerum omnium a Deo emanationem defendunt; & recte quidem, ſi ita hoc faciant, vt id, quod emanat, eiusdem cum principio, a quo emanat, eſſentiae eſſe velint. Sin ſecus ſentiant, & illud, quod emanat, a principio, a quo emanat, rite diſcernant, adeoque diſcrimen inter creatorem & rem creatam ſaluum, intemeratumque conſeruent, a Spinoziſmi labe equidem immunes erunt, nec tamen ideo ſententia ipſa approbanda; quippe quae nihiloſecius ceu erronea, ac ſcripturae pariter ac rationi repugnans, facilique negotio incautos ad ſummam impietatem perductura, reiicienda eſt. Saepius iam hac de re dixi, mentemque meam explicavi, in *diſſertatione de Spinozismo ante Spinozam*, quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* exſtat *§. 20.* in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 325.* in *theſibus de atheismo & ſuperſt.* ad *c. 1. §. 6. p. 13.* item ad *c. 2. §. 5 p. 219. &c.*

** Atque ita intelligendum, quod Paulus apoſtolus dicit: ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *Rom. XI, 36.* Particula namque ἐξ non cauſſam, quam vocant, materialem, ſed operantem, ſeu efficientem, denotat: quod & alias non eſt inſolens; conf. *1. Cor. I, 30.* Nec tamen ſine ratione particulam ἐξ hic adhibuit, ſed indicare voluit, res omnes ita a Deo eſſe, vt ex nulla materia, ſed ex nihilo, ab eo ſint

ſint productae. Data opera itaque ita loquutus videtur, vt ſimul eorum, qui materiam Deo coaeternam ſtatuebant, profligaret errorem. Dum vero porro addit: & δι' αὐτοῦ; inſinuat eadem ratione, Deum ita mundum condidiſſe, vt nullo inſtrumento indigeret, cum per ſe ipſum etiam omnia fecerit; quemadmodum & omnia ad ſuam gloriam, ſapientiam, potentiamque manifeſtandum fecit, vnde dicitur: εἰς αὐτόν. Ea ratione de Deo triuno, ſeu omnibus ſimul trinitatis perſonis haec capi poſſunt: quamuis iis refragari nolim, qui ſimul cum, voce ἐξ αὐτοῦ ad patrem, & voce δι' αὐτοῦ, ad filium, & voce εἰς αὐτὸν ad ſpiritum ſanctum reſpicere, exiſtimant. SPINOZA, qui itidem non aliam creationem, quam quae per emanationem eſt, admittit, atque admittere poteſt, cum Deum & mundum pro vna eademque ſubſtantia habeat, impietatis ſuae praeſidium in verbis apoſtoli: *in Deo viuimus, mouemur, & ſumus; actor. XVII, 28.* ſibi inueniſſe viſus eſt. Verba eius haec ſunt: *Deum rerum omnium cauſſam immanentem, non vero transeuntem, ſtatuo. Omnia, inquam, in Deo eſſe, & in eo moueri cum Paulo adſirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis philoſophis, licet alio modo; & auderem etiam dicere cum antiquis omnibus Ebraeis, quantum ex quibusdam traditionibus, tametſi multis modis adulteratis, coniicere licet; epiſt. 21. ad Henr. Oldenburgium, p. 449.* Sed ſi ex hiſce apoſtoli verbis aliquid pro ſua ſententia colligere vult homo impius, ea ita intelligat, neceſſe eſt, nos in Deo, ceu partem quamdam in toto, viuere, moueri, atque exſiſtere. Hanc vero Pauli mentem eſſe, vnde probabit? Certe ex ipſis hiſce verbis nihil eiusmodi colligas. GROTIVS, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam, *in ipſo*, per ebraismum idem eſſe, ac *per ipſum*, *ipſius beneficio* autumat; in *annotat. ad h. l.* Exiſtimant tamen alii, propriam praepoſitionis ἐν ſignificationem retineri poſſe, vt intima Dei ad res creatas omnes praeſentia indicetur; vt adeo ſenſus ſit: omnia ita a Deo eſſe, vt intime ſimul rebus omnibus praeſens ſit. Confirmat equidem apoſtolus, quod dixerat, iſto ARATI, vt putant, teſtimonio: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Quod vtique non in ſenſu Stoicorum, qui homines Dei cognatos vocabant, quod partes eſſent huius vniuerſi, intelligendum; ſed iuxta mentem Pauli, originem, quam homines a Deo per creationem habent, hac ratione deſignantis.

§. VIII. Non minus tamen & illi, vltra, quam decet, ſapiunt, qui poſita materia, motuque, & huius certis legibus, cuncta in iſtam, quam hodie conſpicimus, formam, per ſolas iſtas naturae leges diſponi, ac produci potuiſſe, aut omnino diſpoſita ac producta eſſe contendunt: creationem in naturalem quamdam generationem commutantes, immo, hoc agentes, vt Deum ſenſim ab opere creationis remoueant, mundumque & ſine Deo fieri potuiſſe, ſibi aliisque perſuadeant. *

* Ex ethnicorum philoſophis eos, qui mundi ortum ſtatuebant, creationemque ignorabant, immo, nihil aliud, quam materiam admittebant, vti Epicuri ſectatores, in eam deueniſſe ſententiam, vt mundum huncce ex atomorum concurſu, non tamen neglectis prorſus motus legibus, conſtruerent, mirum non eſt. Quam infeliciter tamen hoc ſucceſſerit, & quantopere iis laborandum fuerit, vt hac ratione rerum omnium, quae cernuntur, originem explicarent, vel ea, quae T. LVCRETIVS CARVS commentus eſt, documento eſſe poſſunt. Sed vt iſtorum hominum merito deploramus

Digitized by Google

mus caecitatem, ita illorum contra deteſtamur audaciam, qui recentiori aetate, poſita & materia, & motu, per leges mechanicas rerum mundi huius adſpectabilis ortum ita explicare voluerunt, vt nihil amplius ad eum requirant. Addunt equidem nonnulli concurſum Dei, ſed ordinarium, qualis & ad generationem requiritur, at neſcio ſane, an ſerio? Exemplum reliquis praeiuit CARTESIVS, ſed iis adhuc modeſtior, cum non dicat, mundum ita factum, ſed tantum, fieri ita potuiſſe. Vlterius deinceps progreſſi ſunt alii, ſuaeque quidvis comminiſcendi libidini frena laxantes, mundum ita quoque, prouti illis viſum, factum confinxerunt. Nota ſunt, & peruulgata, quae BVRNETIVS, in *theoria telluris ſacra*, WHISTONVS, in *theoria telluris noua*, DETHLEVVS CLVVERIVS, in *geogonia*, hac de re commenti ſunt. Scire nimirum iſti homines ſibi videntur, quae hominum ſuperare captum Deus ipſe profeſſus eſt, *Iob. XXXVIII, 3, 4, 5.* Ego vero ita plane cenſeo, ſi ad materiam, motumque nulla ſapientia directrix accedat, monſtrum aliquod, aut, quidvis potius, quam concinne, apteque diſpoſitam omnium rerum, ſua itidem ſtructura ſapientiam conditoris profitentium, varietatem prodituram. Qui vero, non tantum fieri hac ratione potuiſſe rerum omnium productionem, ſed & factam eſſe contendunt, non poſſunt non Moſaicam in dubium vocare narrationem. Mundum ſex dierum, ſcilicet naturalium, ſpatio, cum omnibus rebus, quas continet, productum, diſerte adſerit. Quis vero credat, vnius diei ſpatio, per motum materiae fieri potuiſſe, quae eodem facta narrat? Nec credunt id noui iſti mundorum architecti: hinc narrationem Moſaicam in allegorias conuertunt, & per ſex dies, integros annos, aut omnino ſex annorum millia, intelligunt. Hoc enimuero eſt, quidlibet ex quolibet facere, & non interpretari, ſed peruertere ſcripturam. Legenda, quae contra auſus tam intempeſtiuos diſputat auctor libri: *Moſes vindicatus*, cumprimis *cap. 6. p. 166. ſeq.* Dixi etiam aliquid hac de re, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *period. I. ſect. I. §. 2. p. 69.*

§. IX Etſi Deus vnico momento omnia creare potuiſſet, placuit tamen ei, ſextiduum operi huic impendere: qua de re & eo minus dubitandum, quo clarius hiſtoria Moſaica, allegoricis interpretationibus neutiquam obſcuranda, hoc commemorat. * Ad ſingula autem ſingulorum dierum opera quod attinet, quamuis non deſint, qui ea, quae ex materia, primo die iam producta, adeoque per motum quemdam facta ſunt, temporis quodam interuallo, ſed vnius diei ſpatium non excedente, creata fuiſſe, exiſtimant; ſcripturae tamen verbis, & ipſius creationis indoli conuenientius eſt, ſi haec quoque aeque ac primi diei opus, ſingulis diebus in vnico temporis momento producta adſeramus. **

* PHILONIS, nimio allegoriarum ſtudio in deuia ſubinde abrepti, hanc fuiſſe ſententiam, mundum in momento temporis creatum, ſexque dierum commemorationem ad ordinem rerum, non ad temporis interualla diſcernenda, pertinere, ex eius, *de opificio mundi libro*, itemque *lib. I. allegoriar. p. 39.* conſtat. Nec alienus ab ea fuit AVGVSTINVS, qui tam perplexe hac de re diſputat, vt vix intelligas, quid ſibi velit, *l. 4. de geneſi ad litteram, c. 33. ſeq.* Eadem ſententia & ORIGENI, ATHANASIO, PROCOPIO GAZAEO, itemque THOMAE CAIETANO, aliisque tribuitur. Oppoſiti his e diametro ſunt, & in contrarium currunt, quos antea iam commemorauimus,

Digitized by Google

BVRNETIVS, WHISTONVS, CLVVERIVS, qui, vt, tellurem noſtram mechanica quadam ratione hancce, quam obtinet, formam induiſſe, euincant, ex ſex diebus ſex annos faciunt. Vtrique tamen in eo conueniunt, vt ſenſum proprium ac litteralem narrationis Moſaicae deſerant: quod cum numquam ſine praegnantiſſima ratione facere liceat, minime omnium in hiſtorica narratione, & quidem de re tanti momenti, fas eſt. Et nullo profecto iure Moſes Iſraelitas ad ſanctificandum ſabbathum, ex hocce capite induxiſſet, quod mundo ſex dierum ſpatio condito, Deus quieuiſſet, *Gen. II, 2.* niſi reuera hoc ita, prout ipſemet ſcripſerat, contigiſſet. Per dies autem creationis non annos, aut millia annorum intelligi poſſe, vel inde palam eſt, quod Moſes diſerte dicat: *& fuit veſpera ac mane, factusque eſt dies primus, ſecundus &c.* Quibus verbis aperte naturalem diem deſignat. Iungantur, quae & hac de re dixi, in *hiſtor. eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. I. ſect. I. §. 2. p. 68.* Contra PHILONEM, AVGVSTINVM, aliosque veterum, qui eodem momento omnia creata adſerunt, ex inſtituto diſputat PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. 3. de opificio ſex dierum, l. 1. c. 5. p. 131.*

** Diſceptatum hac de re fuit inter quosdam reformatae eccleſiae theologos; nonnullis quidem, ex eorum maxime numero, quibus Carteſiana philoſophandi ratio placuit, adſerentibus, ſingulis operibus a Deo integros deſtinatos dies; non alium vtique in finem, quam vt in vniuerſi huius productione aliquid motus legibus darent. Solent autem ita procedere, vt fateantur, quae ex nihilo producta ſunt, vti caelum ſupremum, & angelos, mentesque humanas, non niſi in momento creari potuiſſe. Ad ea autem quod attinet, quae ex materia praeexiſtente condita ſunt, quaedam ita comparata eſſe, vt non aliter, quam intercedente motu, fieri potuerint; vti exſiccatio terrae, confluxus aquarum in vnum locum, & quae eiusdem ſunt generis. Motus autem cum in momento, quod vocant, mathematico, excluſa omni ſucceſſione, fieri nequeat, etiam, quae eo modo producta ſunt, in momento temporis creari non potuiſſe. Simul tamen monent, motum hunc plane extraordinarium, longeque celerrimum fuiſſe, nequaquam exigendum ad communes motus, quae nunc obſeruantur, regulas. Hunc fere in modum mentem ſuam hac de re explicat WITSIVS, in *exercitat. ſacris in ſymbolum apoſtol. exerc. 8. §. 69. ſeq. p. 132. ſeq.* conf. & BRAVNIVS, in *doctrina foederum, vol. I. part. II. c. 10. §. 18. p. 168.* immo & WITTICHIVS, in *theol. pacifica, c. 7. §. 72. p. 58. ſeq.* Sed aliis tamen ex eiusdem eccleſiae doctoribus, vt LEIDECKERO, in *face veritat. loco VI. controu. 6. p. 290.* ceterisque, qui Carteſianae ſectae propugnatoribus ſe oppoſuerunt, haec magnopere diſplicent. Et caute profecto hic incedendum, ne frigidam illis ſubfundamus, qui mundum huncce per leges motus mechanica quadam ratione exſtitiſſe exiſtimant; adeoque generationem cum creatione confundunt. Eo minus etiam motus aliquis, eiusque leges hic in cenſum veniunt, quod, quantacumque etiam eius vis ſit ac efficacia, nihiloſecius tamen in vnico die naturali eiusmodi effectus, qualem ſingulorum dierum opera demonſtrant, inde exſiſtere non potuerit. Quare rectius faciunt, qui ſcripturae ductum, miſſis philoſophorum ratiociniis, ſequentes, verbo Dei, hoc eſt, eius nutu, imperio atque voluntate, ſingulis diebus, quae creare voluit, exſtitiſſe, ſtatuunt; quod ſane ſine vlla temporis ſucceſſione factum eſſe, vt credamus, par eſt; vid. *Geneſ. I, 3. 6. &c.* conf. & GRAPIVS, in *theologia recens controverſa continuata, c. 1. qu. 5. p. 18. ſeq.*

§. X. Primi

§. X. Primi diei opera ſunt, *caelum* & *terra*, itemque *lux primigenia*, quae diei & noctis diſcrimen conſtitueret, donec ſol & luna, ceteraeque ſtellae lucem ſuam telluris noſtrae incolis praeberent. Caeli autem & terrae nomine totus huius vniuerſi complexus venit, priusquam cuncta in ordinem redigerentur, & res quaelibet ſuó diſponeretur loco. Mundum ipſum dixeris, etſi nondum exornatum, atque in ſuas claſſes & exercitus diſtributum; * qui, num ratione extenſionis infinitus dici queat? acriter diſputatum fuit. Quod quidem, ſi intuitu noſtrae cognitionis adſeratur, ſeu, quod mundi non capiamus limites, adfirmari poteſt. Secus autem ſi intelligatur, ſeu quod mundus in ſe ſpectatus infinitus ſit, eo minus admittendum, quo propius haec ſententia ab illorum impietate, qui, quae Dei ſunt, mundo tribuunt, abeſt. **

* Sunt, qui per *caelum* & *terram*, *Gen. I, 1.* rudem & indigeſtam quamdam molem, quam veteres *chaos* dixerunt, intelligunt; putantque, quae gentilium philoſophi olim hac de re tradiderunt, ex hacce Moſis eos accepiſſe narratione. Et frequens ſane eius rei apud gentiles ſcriptores mentio iniicitur. SANCHVNIATHONIS, qui primum ob antiquitatem merito obtinet locum, quiue Phoenicum theologiam litterarum monumentis complexus eſt, quae de rerum huius vniuerſi origine fuerit ſententia, PHILO BIBLIVS nos condocet: τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, inquit, ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους καὶ χάος θολερὸν ἐρεβῶδες. *Principium huius vniverſitatis ponit aerem tenebroſum, ac ſpiritu foetum, ſeu mauis tenebroſi aeris flatum, ac ſpiritum, chaosque turbidum, altaque caligine circumfuſum*; apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. l. 1. c. 10. p. 33.* Apud Graecos pariter ac Latinos eamdem non ignotam fuiſſe ſententiam, ORPHEI, HESIODI, MENANDRI, ARISTOPHANIS, EVRIPIDIS, aliorumque, itemque ENNII, VARRONIS, OVIDII teſtimoniis comprobari poſſet. Sed diligenter omnia, quae huc faciunt, collecta exhibet BVRNETIVS, *archaeolog. philoſoph. l. 2. c. 1.* conf. & GROTIVS *de veritate religionis chriſtianae, l. 1. §. 16. p. m. 27. ſeq.* Nec ſane abnuerim, ex Moſaica narratione eiusmodi quid ad ethnicos fuiſſe propagatum, praeſertim, cum de terra dicat, quod תהו ובהו fuerit. Neque in eo ſaltem, quod de chao tradiderunt, ſed in aliis quoque, ad hiſtoriam creationis ſpectantibus capitibus, quae ethnici quidam ſcriptores commemorant, cum Moſaica doctrina conſentiunt; quod ſpeciatim de Heſiodo & Sanchuniathone obſeruauit HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. 1. prop. 4. p. 75. & 101.* Nec tamen prorſus iſta gentilium traditio cum doctrina Moſis conuenit; quae, ſi ad eos peruenit, pura atque illibata non permanſit. Cum enim Moſes caelum & terram, ipſamque adeo materiam a Deo ex nihilo productam, adſerat, gentilium contra philoſophi magno conſenſu materiae aeternitatem ſtatuerunt, vti ſupra iam docuimus; conf. & quae dixi in *hiſtor. eccleſ. V. T. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 1. §. 2. p. 67.* Praeterea, etſi Moſes dicat, terram fuiſſe תהו ובהו *inanem & vacuam*, non tamen eiusmodi chaos fuit, quale gentilium quidam deſcripſerunt. Repugnat, quod Moſes illud, quod Deus primum creauit, diſerte *caelum* & *terram* adpellitet. Quo nomine etſi nonnulli, vti diximus, nihil aliud, quam rudem quamdam & indigeſtam materiae molem, ſeu chaos, intelligant; diſſentiunt tamen alii, & caelum

Digitized by Google

atque terram ſub forma ſua ſubſtantiali, & hoc modo complexum totius vniuerſi, a Moſe hiſce vocibus deſignari, adſerunt. Nec ſine ratione, vt puto. Propria enim vocabulorum, *caeli* & *terrae*, hoc requirit ſignificatio, a qua non temere diſcedendum eſſe, omnes fatentur. Nec praetermittendum, quod Moſes cum ה emphatico dicat: את השמים ואת הארץ, *hoc caelum & hanc terram.* Hoc autem omnino ita capiendum, quod ſimul ipſa materia, & quidem ex nihilo producta fuerit; & quod caelum atque terra ordinata diſpoſitione, atque ornatu adhuc fuerit deſtituta; quia de terra ſtatim addit Moſes: *& terra erat inanis & vacua.* Cum terra autem ſimul coniuncta erat aqua, quippe quae terram adhuc tegebat, & inuoluebat, adeoque ſimul cum terra ex nihilo producta erat. Ad lucem primigeniam, quam Deus itidem primo die creauit, quod attinet, variae itidem de ea exſtant doctorum virorum veterum & recentiorum ſententiae, quas apud PETAVIVM legere licet; *dogmat. theol. tom. 3. de opificio ſex dierum, l. 1. c. 7. p. 133.* itemque apud HOTTINGERVM, in *hiſt. creat. examine theologico-philolog. qu. 38. p. 57.* Corpus aliquod lucidum intelligi, cuius ortus & occaſus triduum emetiretur, donec ſcilicet ſolem, lunam, ceteraſque ſtellas Deus crearet, longe eſt veroſimillimum. Valde etiam probabile eſt, ex corporis iſtius materia, ſolem, ſtellaſque fixas, vtpote proprio lumine gaudentes, creatas eſſe.

** CARTESIO quidem ita viſum, mundum huncce eſſe infinitum. *Cognoſcimus,* inquit, *hunc mundum, ſiue ſubſtantiae corporeae vniuerſitatem, nullos extenſionis ſuae fines habere; princip. philoſ. part. 2. num. 21. p. m. 26.* Eamdem itaque ſententiam propugnant, qui ex ſchola eius prodierunt, quos inter locum haud vltimum tenet WITTICHIVS, in *theologia pacifica, c. 8. p. 59. ſeq.* Reliquos, quorum haud exiguus eſt numerus, mitto. Cum autem facile videant, non ſine multorum offenſione mundum infinitum dici poſſe, vt ſententiam aut emollirent, aut incautis caliginem obfunderent; mundum *indefinitum,* aut *indefinitae extenſionis* eſſe, dicere maluerunt. Sedulo inſuper monent, atque inculcant, non de *perfectione infinita,* quae ſolius *Dei ſit*, ſed de extenſione infinita, vel indefinita, ſermonem eſſe. Hoc enimuero ſi ita intelligerent, quod hominis intellectus totam mundi huius amplitudinem ambitu ſuo plene & perfecte capere nequeat, nihil, quod reprehenſione dignum eſſet, dicerent. *Quis* enim *menſus eſt pugillo ſuo aquas, & caelos ſpithama expandit, aut complexus eſt trientali puluerem terrae? & ponderauit ſtatera montes & colles lancibus? Eſ. XL, 12.* conf. & *Ierem. XXXI, 37.* Verum id quidem non eſt, quod iſti infinitatis mundi adſertores ſibi volunt. Non tam ex humani intellectus anguſtia, quam ex ipſa mundi idea, hoc prouenire putant, quod is infinitus cenſeri debeat. Ita diſerte WITTICHIVS pronuntiat: *Id*, (mundum infinitum eſſe) *non tam ex mentis humanae imbecillitate aut impotentia aliqua proficiſci, quam ex idea mundi, quam quilibet in ſe talem experitur, vt nullos in ea terminos valeamus concipere, quin poſitis quibuscumque mundi terminis, ſemper vltra eos aliquid extenſum concipiamus, quod multi ſub nomine vacui aut ſpatii conſiderant, non attendentes, ſe iſti vacuo ſiue ſpatio reuera adſignare extenſionem, hoc eſt, reale attributum, & per conſequens reuera vt corpus concipere, cum non entis nulla ſint attributa realia; l. c. p. 61.* Vnde ſimul patet, cum mundum indefinitum dicunt, reuera tamen infinitum eum ſtatuere. Nec addita tamen ab auctore ratio id, quod cupit, euincit; ſed hoc ſaltem, humani intellectus eam eſſe anguſtiam, vt, ſi limites ſibi conſtitutos transgrediatur, neſciat tandem, vbi pedem figat.

figat, Concedimus de *extenſione*, non de *perfectione* infinita ſermonem eſſe. Nec opus erat, vt WITTICHIVS tam operoſe probaret, Deum non eſſe extenſum. Hoc enim nemo temere adſeret. Etſi vero Deus non ſit infinitus ratione extenſionis, eſt tamen immenſus. Infinitas autem, quocumque modo concepta, eiusmodi quid eſt, quod ſoli Deo eſt proprium, atque mundo tribui nequit. Idem etiam ſcriptura confirmat. Quod enim de hominibus negatur, eos *pugillo ſuo aquas metiri poſſe, & ſpithama caelos expandere, &c.* id hoc ipſo adfirmatur de Deo, *Eſ. XL, 12.* At, qui facere hoc Deus poſſet, niſi mundus certis limitibus eſſet circumſcriptus. Hinc & Deus *ſupra caelos eſſe* adſeritur, *1. Reg. VIII, 27. Iob. XI, 8. Epheſ. IV, 10.* Quod iterum perperam diceretur, ſi mundus infinitus eſſet. De eo enim, quod omnes fines reſpuit, dici non poteſt, quod aliquid ſupra illud ſit. Conferendi, qui ex inſtituto philoſophiam Carteſianam impugnant, eiusque in theologia abuſum demonſtrant, LEIDECKERVS, in *face verit. loc. VI. controu. 4. p. 269.* HVETIVS, in *cenſura philoſ. Carteſianae, c. 5. §. 5. p. 85.* WITSIVS, in *exercitat. ſacris in ſymbol. apoſt. exercit. 8. §. 51. ſeq. p. 126. ſeq.* WERENFELSIVS, in *dialogo de finibus mundi*, inter *diſſertationes* eius *varii argumenti*, *p. 281. ſeq.*

§. XI. Tum porro Deus, aquas inferiores, ſeu quae in tellure noſtra remanere debebant, a ſuperioribus, ſeu nubibus, interpoſito expanſo aëreo, ſeparauit, atque ita caelum aëreum conſtituit; cui adeo & meteora aërea, & quaecumque aëri originem debent, tribuenda; idque ſecundi diei opus fuit. * Quam luculenter haec & ſapientiam, & potentiam Numinis arguant, & experientia teſtatur, & ſcriptura paſſim docet; *pſ. CXXXVI, 5. ſeq. Iob. XXXVII, 1. ſeq. Eccleſiaſt. XL, 33. ſeq.*

* Vocem רקיע recte per *extenſum* ſeu *expanſum* reddi, notum eſt; eaque omnino hic locum inuenit ſignificatio, quia Deus נטה שמים כיריעה, *extendit caelum inſtar cortinae*, *pſalm CIV, 2.* Parum itaque adcurate LXX interpretes στερέωμα verterunt, & latinus, qui graecam verſionem ſequutus eſt, per *firmamentum.* Haec tamen vocis interpretatio non potuit non illis magnopere placere, qui cum Ariſtotele & ſcholaſticis caelum ex ſolida quadam materia conflatum ſibi perſuaſerunt. Sed haſce ineptias adcuratior philoſophia pridem exploſit. Sunt autem, qui putant, retineri eam ſignificationem, quam ſeptuaginta interpretes, conſtanter hanc vocem per στερέωμα vertentes, ei tribuunt, poſſe, vt nihiloſecius רקיע nihil aliud, quam caelum aëreum denotet. Si enim ponatur, vocem רקע idem eſſe, ac *premere*, *comprimere*, *firmare*, hoc ipſo innui, caelorum aëreorum preſſione orbes firmitatem veluti ſuam ac conſiſtentiam nanciſci; conf. CLERICVS, ad *h. l.* Ad rem ipſam quod attinet, licet & hic magnopere viri docti diſſentiant, quid per *expanſum* Moſes intelligat, vix tamen dubitari poteſt, quin eodem caelum, quod aëreum vocatur, ſignificetur. Cum enim tellus, vt antea iam monuimus, ita producta eſſet, vt aquis inuoluta eſſet, fierique vix aliter poterat, quam vt aquae ſimul denſiores nebulae incumberent: Deus ſecundo creationis die haec ita ſeparauit, vt nebulae iſtae ſurſum ſublatae in nubes condenſarentur; ſubtiliores autem

ſolui dubium poſſe, quod moueri ſolet, cur ſecundi diei operi ſollemnis illa adprobationis diuinae formula: *vidit Deus*, *quod eſſet bonum*, non addatur. Mirifice equidem interpretes, ſpeciatim Ebraeorum doctores, ingenium ſuum exercent, cur ſecundo diei haecce formula addita non ſit. Sunt enim qui ob lapſum angelorum, qui ſecundo creationis die contigerit, aut, quod Deus eodem die gehennam praeparauerit, eam omiſſam, contendunt; ſunt, qui aliud quid comminiſcuntur. At hiſce ambagibus minime opus eſſe, adſerunt illi, quorum ſententiam referre incepimus, ſi admittatur, *v. 10.* demum ſecundi diei opus finiri, ſiquidem tum adprobationis, quae ibi exſtat, ad illud omnino referenda ſit formula. Accedere aiunt, quodſi hac ratione opera creationis non diſtinguantur, non tantum ſecundus dies iſta formula deſtituatur, ſed in tertii diei opere eadem bis repetatur, quod parum illis credibile videtur. Hinc & plurimis haec ſe adprobauit ſententia, vt PETAVIO, *dogm. theol. tom. 3. de opificio ſex dierum*, *l. 1. c. 13. p. 150.* IO. COCCEIO, ad *Iob. XXXVIII, 3.* HEIDEGGERO in *corpore theologiae chriſtianae, loc. 6. §. 54. §. 205*, itemque SALDENO, qui ex inſtituto hocce argumentum tractat, *otior. theol. l. 2. exercit. 4. §. 2. ſeq.* Alii tamen non temere a recepto ordine ſibi diſcedendum putant, formulam adprobationis diuinae ſecundi diei operi ideo non additam, contendentes, quod collectio aquarum inferiorum, quae tertio die fuerit facta, velut continuatio quaedam fuerit, operis ſecundi diei. Moſen itaque, poſtquam integrum opus diuiſionis & collectionis aquarum ſecundo tertioue die abſolutum eſſet, tum demum formulam addidiſſe, quae adeo ad vtriusque diei opus pertineat.

** Collectio iſta aquarum ita haud dubio facta, vt ſimul terra hinc inde ſubſidendo, colles & montes, itemque alueos capaciſſimos, cauernas etiam, & meatus varios ſubterraneos, ad omnes aquas recipiendas, certisque locis includendas, formaret. De aquarum enim collectione quod dicitur, vt de fluuiis etiam, fontibusque, & aquis ſubterraneis intelligamus, par eſt. Et recte ſane diuinus ſcriptor dixit, congregatas eſſe aquas *in vnum locum*. Omnia enim maria, immo omnes fluuii & fontes, vnum velut corpus conſtituunt, & vnum locum occupant, dum per continuos ductus & canales inter ſe iunguntur. Hinc & aquarum omnium in hacce tellure veluti circulatio quaedam conſpicitur, dum omnia flumina in mare abeunt, & ex eo iterum oriuntur; vti & Salomoh teſtatur, *Kohel. I, 7.* Interim & recte Moſes dicere potuit, aquas hoc modo in vnum locum collectas, a Deo dictas ימים *maria*; eo quod mare in diuerſis telluris partibus adparet, hinc & diuerſas, pro locorum, quae adluit, diuerſitate, ſortitur adpellationes. Fontium autem & fluminum, vt ſpeciatim iniiceret mentionem, neceſſe non erat, cum ex mari, vt antea diximus, originem trahant, & in illud iterum reuertantur. Quo pacto autem fieri queat, vt per meatus ſubterraneos, ad loca usque adeo a mari remota, in quibus fontes exſiſtunt, & maximis ſubinde fluminibus originem praebent, tanta aquae copia deuehatur; quod dubium huic vel maxime obſtare ſententiae, & ipſe olim exiſtimaui, in *element. philoſ. theoret. part. 3. c. 1. §. 20.* intelligere ex iis licet, quae DICKINSON hac de re diſſerit, in *phyſica veteri & vera, c. 8. p. 101. ſq.*

*** Inaequalis nimirum illa telluris ſuperficies, quam montes, vallesque conficiunt, vt antea diximus, exorta ſtatim eſt, cum Deus aquam a terra ſepararet, & illi in terra certa receptacula adſignaret. In aliam equidem ſententiam ingreditur BVRNETIVS. Vt enim ea, quam animo concepit, terrae, per certum materiae modum generatio ſibi conſtaret, eiusmodi

Digitized by Google

eius ad diluuium vsque ſuperficiem finxit, quae vbique aequalis eſſet, & in qua adeo nec oceanus fuerit, nec montes, aut valles. Mutato autem tempore diluuii telluris ratione eclipticae ſitu, & cortice exteriori diſrupto, tum demum adparuiſſe oceanum, monteſque, & valles, & alio loca inaequalia in telluris ſuperficie conſpecta fuiſſe. Hanc ſuam ſententiam ipſemet copioſius ediſſerit, in *theoria telluris ſacra, l. 1. c. 8. & 9. p. 43. ſeq.* alibique. In compendio eam exhibui, in *elem. philoſ. theoret. part. 3. c. 1. §. 5. ſq.* Praeeuntem ſibi equidem quodammodo habuit CARTESIVM, a quo tamen in quibuſdam diſſentit. Neque eo vſque progreſſus eſt CARTESIVS, vt reuera telluris noſtrae ſuperficiem ita ortam adfirmaret; ſed tantum oſtendere voluit, quo pacto hoc fieri potuerit. Satis lepide equidem cuncta ſunt excogitata, &, ſi ad ſolius rationis ductum terrae generatio explicanda eſſet, facile admitti poſſent. Sed cum ſcriptura longe rectiora, certioraque hic tradat, merito iſta inter ingenioſa referenda ſunt commenta. Montes ſtatim in prima telluris productione formatos, diſerte *prouerb. VIII, 26.* adſeritur. Et, niſi ante diluuium montes iam fuiſſent, non potuiſſet dicere Moſes, diluuii aquas altiſſimos etiam texiſſe montes, *Gen. VII, 20.* Porro, ſi Deus ipſe collectionem aquarum, die tertio creationis factam, *mare* adpellitauit, non per diluuium demum, & ſuperioris corticis fracturam, illud adparuit. Ceterum, quo pacto terrae formatio per motum materiae explicari queat, vt ſtatim ab initio montes extiterint, oſtendit DICKINSON, in *phyſica veteri & vera, c. 8. ſſ. 2. p. 91. ſeq.*

* Cum nemo temere negauerit, metalla & mineralia a Deo quoque, vt reliqua corpora, condita eſſe; quin tertio die ſimul cum terra, cuius quippe velut partem conſtituunt, producta ſint, non eſt, quod dubitemus. Nec ratio reddi poteſt, cur ad alium potius, quam ad tertium diem eorum referenda ſit productio. Neque DICKINSONO hic ſuffragari poſſum, in *phyſica veteri & vera, c. 8. ſſ. 24. p. 109.* adſerenti, metalla omnino hexaemeri ſpatio non creata, ſed ſenſim atque pedetentim, vertentibus annis, in terra ſpeciali & praeparata, διὰ τὴν ἐπισυναγωγὴν, *per adgregationem*, effecta fuiſſe. Paucos enim in eo ſecum conſentientes habebit, ea ratione quod metalla generentur. Sequeretur etiam inde, rerum creatarum peculiarem eſſe ſpeciem, quam tamen Deus in mundi initio non creauerit. Diſerte autem quod Moſes metallorum mentionem non fecerit, inde haud dubio factum, quod ſub terrae nomine ea ſimul, ceu partem, vel connexum eius comprehenderit; forte etiam, quod ei conſtitutum ſaltem fuerit, ea deſcribere, quae in oculos incurrunt.

** Tria vegetabilium genera in terrae ſuperficie diſtincte Moſes commemorat: דשא *herbam teneriorem*; עשב *herbam grandiorem, ſeminificantem ſemen*, hoc eſt, ſemen ea ratione proferentem, vt conſpici vel deprehendi queat; & denique *arborem, fructum ferentem, fructum ſpeciei ſuae.* Sub *herbae* nomine haud dubio etiam omnia florum genera complectitur. Quando autem Deum dixiſſe ſcribit: תוצא, *emittat terra*; non ita hoc capiendum, ac ſi Deus ipſe herbas, arboreſque non creauerit, ſed terrae ſaltem virtutem eas proferendi indiderit; quae AVGVSTINI eſt ſententia, *de geneſi ad litter. l. 2. c. 12.* Praeterquam enim, quod *v. 24.* de animantium productione eodem modo dicitur: תוצא, *exire faciat terra*; etiam *Gen. II, 5.* Moſes diſerte adſerit: *Deum ipſum feciſſe omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret*; per naturalem ſcilicet generationem. Nullum vero etiam eſt dubium, quin Deus ſpinas, tribulos, & herbas noxias & venenatas ſimul produxerit. Nihil enim

enim in his eſt, quod non in ſe ſpectatum, bonum ſit. Intuitu hominum quandoque mala ſiunt; ſed poſt illorum lapſum. In ſtatu integritatis ſi manſiſſent, nihil inde accepiſſent damni. Rerum omnium enim naturam, indolemque, adeoque & vim ac efficaciam herbarum ita perſpectam habituri fuiſſent, vt, quidquid in illis noxium, facili ratione potuiſſent euitare.

§. XIII. Vt porro incolis telluris eo rectius proſpiceret, die quarto ſolem & lunam, ceteraſque ſtellas non tam adparere voluit, quam reuera creauit * certumque, eumdemque conſtantiſſimum motum, illis indidit, vt temporum menſura inde caperetur; ** quod hominibus ad vitam ordinate inſtituendam, oppido erat neceſſarium. Nec errabimus, ſi inde exemplum capiamus, quod nos condoceat, a nobis quoque cuncta certo ordine eſſe peragenda, nec eum, quem Deus ipſe praeſcripſit, vmquam negligendum.

* Falluntur ergo magnopere, geogoniae iſti, qui noſtra aetate exſtiterunt, conditores, BVRNETIVS, WHISTONVS, CLVVERIVS; qui, cum ſibi perſuadeant, a Moſe noſtrae ſaltem telluris, non tam creationem, quam per certos materiae motus formationem, deſcribi, ſolem, lunam, ceterasque ſtellas, non tum demum productas, ſed dudum antea iam exſtitiſſe, contendunt. Senſum itaque verborum Moſis eſſe putant; *adpareant ſtellae ;* vt diſcuſſa nebula craſſiori, quae telluri hactenus incubuerit, ſidera iſta terrae primum adparuiſſe, conſendum ſit. Sed verbis diuini ſcriptoris vim apertam inferunt. Non enim dicit: *adpareant lumina*, ſed: *ſint lumina*, item: *& fecit Deus duo lumina magna*, & iterum: *& poſuit ea in firmamento caeli.* Quae euidenter docent, lumina haecce eo tempore primum a Deo condita. Ceterum, per *lumina* Moſen generatim omnes ſtellas intelligere, res ipſa docet: immo, & deinceps *v. 16.* diſerte כוכבים *ſtellae* vocantur. Inter ſtellas autem, cum ſol & luna, intuitu noſtrae telluris emineant, hinc & ſpeciatim a Moſe commemorantur, vocanturque *lumina magna*. Atque ſolem quidem ita recte dici, dubio caret. Luna autem non in ſe ſpectata, ita vocatur, ac ſi magnitudine reliquas ſtellas ſuperet; ſed intuitu incolarum noſtri orbis, quibus ob propinquitatem, reliquis ſtellis, ſi a ſole diſceſſeris, maior videtur. Hinc & rurſus cum ſole comparata, ab ipſo Moſe המאור הקטן, *luminare paruum*, adpellitatur.

** Hoc diſerte Moſes indicat, quando dicit, Deum iuſſiſſe, vt lumina in firmamento exſiſterent: *ad diuidendum inter diem, & inter noctem*, item: *vt ſint in ſigna, & in tempora, & in dies, & annos.* Eſt equidem ſiderum caeleſtium, ſpeciatim ſolis & lunae, adhuc alius vſus, ſiquidem lucem, ſine qua nemo in tellure noſtra commode viuere poſſet; ſol inſuper etiam calorem, hominibus praebeant. Sed hoc cum nemini ignotum ſit, finem, ad quem non omnes aeque attendunt, & qui ſummam non minus conditoris ſapientiam arguit, Moſes indicare voluit. Sol namque, atque luna, motu ſuo conſtantiſſimo, quo certas periodos circumſcribunt, annos, menſes, & dies conficiunt; quibus omnia temporis interualla quam adcuratiſſime diſtingui poſſunt. Iſta vero temporum diſtinctione ſi carerent homines, ſumma in toto orbe futura eſſet confuſio. Atque hinc etiam dicitur, lumina haec a Deo condita, vt eſſent לאותות, *in ſigna*, hoc eſt, vt ſigna inde homines caperent, quo, quidue tempore, quo ordine agendum ſit; item-

que למועדים, *in ſtatuta tempora*, vt ſi certi dies negotiis quibusdam deſtinandi ſint, hoc iterum ſecundum iſtam temporum diſtinctionem commode fieri poſſet. Nec abnuerim, Moſen ad dies feſtos Iſraelitarum hic reſpexiſſe, qui & in hacce gente haud leue temporis diſcrimen conſtituebant; conf. *eccleſiaſt. cap. XLIII, 7, 8.* Ad influxum autem in haec inferiora, quem nonnulli ſideribus tribuunt, qui etiam, qua phyſicas quasdam operationes illis denegandus non eſt, quod attinet, eius quidem Moſes nullam hic mentionem facit. Vnde falluntur, qui aſtrologiae, quam vocant, iudiciariae, hic aliquod fundamentum quaerunt; de qua quid ſentiendum ſit, expoſui in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. c. 9. §. 4. p. 711. ſeq.* vbi & de origine eius, atque ſatis dixi. Sunt, qui putant, Moſen de ſideribus caeleſtibus nimis pauca dixiſſe, praeſertim, ſi cum iis comparentur, quae de telluris, & quae in ea ſunt, formatione commemorauit. Caelum enim illud aethereum, cum toto ſiderum, magnitudine tellurem noſtram ſuperantium, exercitu, partem huius vniuerſi longe maximam conſtituere. Sed non cogitant iſti, Moſen homines, hoc eſt, telluris incolas praecipuos, erudire voluiſſe; adeoque locum, qui illis pro habitaculo a Deo conceſſus erat, plenius merito, & copioſius deſcripſit, quam reliquas huius vniuerſi partes. De ſideribus itaque pro inſtituti ratione, ea commemorauit, quae hominibus de iis ſcitu erant neceſſaria, & ad quae ceteroquin attendere non ſolent. Praecipuum autem, quod omnes homines, ſpeciatim Iſraelitas, docere voluit, hoc erat, corpora haecce caeleſtia, aeque ac tellurem noſtram, & quae in ea ſunt, a Deo eſſe condita, fallique adeo maximopere, qui diuinitatem illis tribuant. Qua quidem ratione Iſraelitas ſimul a ſiderum cultu, qui apud ethnicos inualuerat, & inter varia idololatriae genera haud vltimum locum tenet, abſtrahere voluit; conf. *Deut. IV, 19.*

§. XIV. Aquae aërisque incolas, hoc eſt, animalia, & aquatilia, & volatilia, die quinto Deus produxit; & vtrumque hocce viuentium genus facultate ſeſe multiplicandi, inſtruxit. * Ceterum, corpora illorum ita conſtruxit, vt indoli eorum, locisque, in quibus iis degendum eſſet, nutritioniue, conſeruationi, atque propagationi eſſent aptiſſima; argumentum longe pulcherrimum, creatoris ſapientiam admirandi, hominibus exhibens. **

* De aquatilibus dicitur: ישרצו המים שרץ *repere faciant*, hoc eſt, effundant, progignant, copioſe producant *aquae reptile, cui inſit anima viuens; v. 20.* Vbi, quin per *reptile* piſces intelligat cuiusuis generis, nullum plane eſt dubium. Animantia enim, quae ſeſe mouent, & pedibus tamen deſtituuntur, aut ſaltem breuioribus gaudent, repere dicuntur. Hoc ſi non placeat, dicendum, ſignificationem vocis ebraeae שרץ latius patere, quam latinae, *reptile*; nec in lingua latina, forte nec in aliis, vocem reperias, quae ebraeae vocis ſignificationem adcurate exprimat. Piſces autem hic intelligi, eo minus dubitandum, quod Moſes ſtatim ſubiungit; *& creauit Deus cete grandia.* Solos nimirum cetos ſpeciatim memorat, quod in iſtis ſtupendae magnitudinis belluis ſumma Numinis potentia vel maxime eluceſcat; ſimul vero & reliqua piſcium genera a Deo creata, ſignificat. De voce התנינם conf. SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. 1. l. 1. c. 7.* Ad volatilia quod attinet, ſunt, qui verba Moſis ita capiunt, ac ſi aeque ac aquatilia, ex aqua producta ſint. Verba enim textus

tus ebraei vulgatus interpres ita tranſtulit: *producant aquae, reptile animae viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento caeli.* Sed verba ebraea: ועוף יעופף ita potius reddenda: *& volatile volitet ſupra terram.* Sunt equidem rurſus, qui, vt ſententiam iſtam, volatilia ex aqua producta eſſe; cui plurimi veterum, BASILIVS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, IO. DAMASCENVS, aliique, Romanenſes praeterea, in gratiam verſionis vulgatae, nonnulli quoque ex noſtratibus, ſuffragantur; defendant, pronomen relatiuum hic ſubintelligendum contendunt, vt ſenſus ſit: *& volatile,* (quod) *volitat ſupra terram.* Sed nulla nos praegnans vrget ratio, vt ellipſin eiusmodi admittamus; quod & non temere faciendum eſſe, in confeſſo eſt. Nec ſine ratione nonnulli monent, Moſen, diſtincte aquatilium, volatilium, & terreſtrium animalium creationem commemorando, non tam materiam, ex qua creata ſunt, indicare voluiſſe, quam locum, hiſce animalium generibus praecipue deſtinatum. Nec commode materia deſignari poteſt, cum in cunctis animalibus multum ſit materiae terreſtris, etſi in quibusdam plus, in aliis minus, ſimul & aqueae, quod liquores teſtantur, pariter ac igneae, aëreaeque. Volatilia autem ex aqua non eſſe producta, inde quoque conſtat, quod Deus *ex terra omnes beſtias agri, & omnes volucres caeli formaſſe*, adſeratur, *Gen. II, 19.* Dixi etiam hac de re, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1. per. 1. ſect. 1.* ad *§. 7. p. 74.*

** Hoc auctores, qui ex animalium conſideratione exſiſtentiam Numinis demonſtrant, pluribus ediſſerunt. Conferenda, quae hac de re commemoraui, in *theſib. de atheismo & ſuperſtit.* ad *c. 5. §. 5. p. 404. ſq.*

§. XV. Animalia terreſtria, reptilia pariter ac quadrupedia, eaque tum domeſtica ſeu manſueta, tum ſilueſtria, ſeu fera, die ſexto produxit;* de quibus, quod de aquatilibus, volatilibusque diximus, itidem eſt obſervandum.**

* Verba Moſis ſunt: *Producat terra* נפש חיה *animam viuentem, ſecundum ſpeciem ſuam; v. 24.* Per *animam viuentem* quodlibet animal intelligit; cum animal eiusmodi ſubſtantia ſit, quae anima viuente eſt praedita. Quaenam autem animalia iſta ſint, quae ſexto die ſunt producta, ſtatim ipſemet explicat; בהמה *iumentum,* רמש *reptile*, & חיה הארץ *beſtia terrae.* Vox בהמה alias brutum quoduis ſignificat, neque non, terreſtre quadrupes, viuiparum aliquantae molis; ſed quando τῷ חיה opponitur, *iumentum*, ſeu *animal domeſticum* denotat, vt SAM. BOCHARTVS obſeruauit, *hieroz. part. 1. l. 1. c. 2.* Parum adcurate itaque LXX. interpretes hoc loco habent: *τετράποδα.* Vox רמש vt idem BOCHARTVS oſtendit, quoduis animal denotat, quod neque quadrupes aliquantae molis, neque auis, neque piſcis eſt; *hieroz. part. 1. l. 1. c. 4.* Hinc Moſes minima quadrupedum, mures & talpas, *Leuit. XI, 29.* reptilibus accenſet. Tertiam animalium terreſtrium ſpeciem Moſes vocat: חיתו ארץ *beſtiam terrae;* quo nomine iuxta ea, quae iam obſeruauimus, feram beſtiam, quae in ſiluis aut locis deſertis degit, denotat.

** Structuram ſcilicet corporum ipſorum ita prorſus comparatam eſſe, prout eorum conſeruatio, propagatio, locorumque, in quibus illis degendum eſſet, ratio requirebat. Nec vllum ſane in toto hocce orbe eſt animal, cuius conſideratio ſummam Numinis ſapientiam admirandi, non praebeat argumentum. Hoc alii, qui ex inſtituto hoc agunt, ediſſerunt copioſius. In compendio hac de re ipſe dixi, in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. c. 5. §. 5. p. 402.*

§. XVI. Eodem die ſexto Deus hominem quoque, opere, inter res mundi huius adſpectabilis, longe nobiliſſimo, creationi finem impoſiturus, condidit, * ea quidem ratione, vt corpus eius ex terra formaret, digniſſimum menti praebiturum domicilium; ** animam autem, ceu ſpiritum, adeoque materiae expertem, ipſemet naribus eius inflaret. *** Duos autem tantum homines, marem & feminam, ſeu Adamum & Euam creauit, a quibus vniuerſum hominum genus eſſet propagandum. *

* Quod diximus, Deum opere, inter res mundi huius adſpectabilis, longe nobiliſſimo, finem creationi imponere voluiſſe, id ex Moſis narratione abunde intelligitur. Refert enim, quo pacto ſacroſancta trinitas, non ſine praeuia quadam deliberatione, ad hominis creationem acceſſerit. Non enim Deus hic illud, *producat terra;* non illud, *fiat*, repetit; ſed נעשה *faciamus hominem*, *ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram; Gen. I, 26.* Quae autem *l. c.* ſummatim de hominis creatione Moſes dixit, enucleatius deinde explicat, *cap. II, 7.* & ſpeciatim ad feminae creationem quod attinet, *v. 18. ſeq.*

** Hominem, qua corpus ſpectatum, ex terra formatum, teſtatur Moſes: *& formauit Deus hominem*, עפר מן האדמה, *pulverem ex terra.* Vbi quidem nonnulli transpoſitionem particulae מ admittendam cenſent, vt ſenſus ſit: *ex puluere terrae.* Sed retineri etiam prior verborum ordo poteſt, eo modo, quo & *Gen. III, 19.* Deus Adamum adloquitur: עפר אתה *pulvis es tu, & in puluerem reuerteris.* Indicare nimirum Moſes voluit, Adamum qua corpus primo ſpectatum, puluerem eſſe, ſeu, corpus ex terra conflatum habere; ſiquidem ex terra a Deo creatus eſſet. Verbum יצר, quo Moſes vtitur, alias equidem de figulo vſurpatur, vas aliquod formante, ſignificatque adeo, corpus hominis affabre, atque concinne a Deo factum eſſe; nec tamen vltra, quam par eſt, extendendum, ac ſi Deus figuli inſtar primo ex aqua & puluere limum, & hinc ſingula hominis membra effinxerit. Id enim & Deo indignum, & ex verbis Moſis colligi nequit. Fateamur potius, nos modum neſcire, atque id teneamus, quod Moſes diſerte dixit, Adami corpus ex terra formatum. Reliqua, quae de corpore primi hominis, eiusque dotibus, diſputari ſolent, expediemus, cum ſuo loco de imagine Dei, ad quam primus homo conditus eſt, verba faciemus.

*** Cum corporis creationem Moſes deſcripſiſſet, diſtincte etiam de animae productione agit, adſeritque, inſpiraſſe Deum in nares hominis נשמת חיים *animam vitarum*, & ſic factum eſſe hominem לנפש חיה *in animam viuentem; Gen. II. 7.* Vbi quidem obſeruandum, vocem נשמה ſubinde de *reſpiratione*, *halitu*, *flatu*, *adflatu* vſurpari; ſaepius tamen cum de homine adhibetur, animam eius rationalem denotat; conf. *prouerb. XX, 27.* Certe, hoc loco aliquid diſtinctum a corpore, ea voce ſignificari, res ipſa docet. Non enim, vt de brutorum, ita & de hominis creatione Moſes loquitur, vt animae, corporisque creationem coniungat; ſed primo de corporis, tum de animae productione, verba facit, vt ſignificet, plane diuerſum quid a corpore eſſe animam. Praeterea, cum Deus ipſe hanc *animam vitarum* in nares hominis inſpiraſſe dicatur, non poteſt vtique materiale quid intelligi. Cum enim Deus ſpiritus ſit, inſpiratio quaedam materialis de eo cogitari nequit. Sunt equidem,

dem, qui exiſtimant, ex vocibus נשמת חיים immaterialitatem, adeoque & immortalitatem animae humanae probari non poſſe, eo quod *Gen. VII, 22.* etiam animae brutorum hoc nomine veniant. Ita quidem SCHERZERVS, *ſyſtem. theol. loc. V. p. 114.* Sed, qui verba loci citati recte conſiderauerit, deprehendet, *v. 21.* vltimis tantum verſiculi praecedentis verbis וכל האדם reſpondere, adeoque de hominibus intelligendum eſſe. Interim, non ad ſolam vocis huius in ſe ſpectatae ſignificationem, ſed ad totam potius deſcriptionem, cumprimis ad *inſpirationem*, ſeu *inſufflationem*, hic reſpiciendum eſſe, lubentes fatemur. Quando autem Deus homini inſpiraſſe dicitur נשמת חיים *animam vitarum*, voce חיים in multitudinis numero poſita, indicatur, non vegetatiuam tantum ac ſenſitiuam vitam in homine eſſe, vt in brutis atque plantis, ſed aliam adhuc, ſcilicet rationalem. Haud obſcure ergo diuinus ſcriptor docet, vnam quidem in homine eſſe animam, ſed eam diuerſis potentiis, ſeu facultatibus eſſe inſtructam. Additur denique, & ita factum eſſe hominem לנפש חיה *in animam viuentem.* Quibus quidem vocibus, cum Moſes etiam de animantibus brutis vſus ſit, hic tamen pro conditione ſubiecti, de quo ſermo eſt, intelligendae ſunt, vt eiusmodi anima viuens, quae homini propria ſit, indicetur. Vox equidem נפש, &, quae ei apud Graecos reſpondet, ψυχή, ita plerumque ſumitur, vt principium motuum, atque operationum naturalium in quouis animali, qualecumque demum iſtud ſit, ſignificet. (Hinc & נפש הבשר *anima carnis* animalium brutorum) *in ſanguine eius* eſſe dicitur, *Leuit. XVII, 11.* Interdum tamen & pro mente, tamquam principio operationum rationalium adhibetur, vt *pſalm. XXXV, 3.* alibique. Atque ita non tantum originem, ſed naturam ſimul, indolemque animae, nos Moſes condocet. Intelligere namque ex eius verbis licet, I) non plures, ſed vnam animam habere hominem, quae tamen potentiis ſeu facultatibus variis ſit inſtructa; II) eam non ex eſſentia diuina genitam, ſed per inſpirationem ex nihilo productam; III) adeoque nec ex materia quadam creatam, hinc & materiae expertem, ſimulque & immortalem eſſe. Sunt autem haec eiusmodi, vt aliquid de iis adhuc addere, operae pretium fuerit.

Atque ad primum quod attinet, conſtat, fuiſſe, qui homini aut geminam, aut omnino tergeminam animam tribuerent, vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. Eamque non obſcurorum quorumdam, aut infimi ſubſellii, ſed primi ordinis philoſophorum, Platonis atque Ariſtotelis fuiſſe ſententiam, viris doctis obſeruatum eſt. In eo ſane Plato atque Ariſtoteles conſentiebant, quod vterque praeter immortalem illam animam, aliam quoque mortalem, ſiue vnam, vt Ariſtoteles, vegetatiuam cum ſenſitiua coniungens, exiſtimaſſe videtur; ſiue duplicem, vt Plato cenſuit, in homine eſſe putabat: ſed in eo diſſentiebant a ſe inuicem, quod immortalem iſtam Plato quidem iuxta numerum indiuiduorum humanorum multiplicauit; Ariſtoteles contra omnium, quotcumque vel ſunt, vel fuerunt, vel erunt, hominum, non niſi vnicam poſuit numero. Haec nimirum eſt illa anima, quae & *intellectus agentis* nomine illi venit, quaeue & νοῦς, *mens*, ei vocatur; quam ſolam θύραθεν ἐπεισιέναι, *forinſecus accedere, & ſolam diuinam eſſe* profitetur; *lib. 2. de generat. animal. c. 3.* Hanc deinceps, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, Ariſtotelis ſententiam AVERROES maxime iterum in ſcenam produxit, a quo acceptam propagarunt alii, indeque adſeruerunt, (quod & ſponte ſua ex iſta ſententia fluit) animam, quae homini propria eſt, atque cum corpore multiplicatur, mortalem eſſe, atque corru-

ptioni

Digitized by Google

ptioni obnoxiam. Conferenda, quae hac de re dixi, in *theſibus de atheismo & ſuperſtit. c. 3. ſ. 2. p. 261. ſeq.* Scholaſtici autem, quos vocant, etſi Ariſtotelis ſectatores videri vellent, veram tamen & genuinam eius de anima hominis mentem non intellexerunt; hinc & mirum non eſt, eos docuiſſe, hominem vna tantum anima praeditum eſſe. Fuerunt tamen deinceps etiam inter noſtrae eccleſiae doctores, qui plures vna animas homini tribuerent, vt CORN. MARTINI, CONR. HORNEIVS, & alii, licet longe alia ratione, quam Ariſtoteles: immo inter quoſdam Witteberg enſis ac Ienenſis academiae philoſophos acriter hac ſuper re diſputatum fuit. Legi merentur, quae de hacce controuerſia diſſerit IAC. THOMASIVS, in *praefationibus* an. 1681. iunctim editis, *praefat. 46. p. 262. ſeq.* Sed, cum nihil obſtet, quo minus diuerſae illae principii cuiusdam actiui operationes vni, eidemque tribuantur animae, quam & diuerſis potentiis, ſeu facultatibus inſtructam eſſe, Moſes, vt antea obſeruauimus, diſerte docet; ſine ratione animae in vno homine multiplicantur. Ariſtotelis inſuper illa, de vnica numero omnium hominum mente, tam abſona eſt ſententia, vt refutatione eius opus non ſit. In Platonis autem id accedit, quod animam immortalem, ſeu mentem, pro particula animae mundi perperam habeat; qua de re ſtatim plura.

Alterum nimirum hoc eſt noſtrarum obſeruationum caput, animam hominis non eſſe ex eſſentia diuina genitam, ſed per inſpirationem ex nihilo productam. Contrarium plurimis placuit, etiam antiquiſſimis, praeſtantiſſimisque gentilium philoſophis. Immo, ſi dixerim, inter ſententias apud pleroſque gentilium receptas, hanc quoque de diuina animae humanae origine, referendam eſſe, non aberrauero. Cum enim firmum, ratumque apud eos eſſet, ex nihilo non poſſe fieri quidquam; ſociam Deo iunxere materiam, eamque ſemper exſtitiſſe, credidere. Quidquid igitur reliquorum entium, praeter duo haecce exſiſtebant, id alterutri principio, vel vtrique, natales ſuos debere, exiſtimabant. Nonnulli itaque ex materia educebant animas, easque adeo materiales, & interitui obnoxias faciebant, vt Epicurus. Alii autem, cum animas nobiliores exiſtimarent, quam vt pro materialibus habendae ſint, non poterant non ex diuina eſſentia eas deriuare, idque per emanationem quamdam, eo quod creationem ignorarent. Aegyptios primos fuiſſe, qui animam hominis immortalem dixerunt, auctor eſt HERODOTVS, *lib. 2. c. 123. p. 137.* Quod tamen ita intelligendum, nonnulli contendunt, animam, poſt abſolutum per varia corpora circuitum, in Deum ſeu animam mundi reuerti. Confirmat ſane id IAMBLICHVS, ex mente Aegyptiorum ita pronuntians: ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδου ἐπὶ τούτῳ κατέπεμψεν ὁ θεὸς τὰς ψυχὰς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν· *a primo deſcenſu propterea demiſit Deus animas, vt rurſus in ipſum reuertantur; de myſteriis lib. 8. c. 8.* Chaldaeorum, aliarumque gentium orientalium hinc non abludere placita, aliis iam obſeruatum eſt. Atque inde, quid ethnicorum *fons animarum* ſibi velit, cognoſcere licet, de quo exſtat IAC. THOMASII *diſſertatio*, addita eiusdem *exercitat. de exuſtione mundi Stoica, p. 249. ſeq.* vbi & obſeruat, ψυχῆς ὀχετὸν, in *oraculis Zoroaſtris*, & *craterem Platonis*, in eius *Timaeo*, ſimiliaque, huc ſpectare. Pherecydes Syrius, cui CICERO hanc gloriam tribuit, primus, quod animas hominum eſſe ſempiternas dixerit; *quaeſt. Tuſcul. lib. 1. cap. 16.* itemque Pythagoras, quin ab Aegyptiis acceperint ſua, adeoque & eamdem cum illis de animae origine fouerint ſententiam, vix eſt quod dubitemus. CICERO ſane Pythagorae diſerte tribuit, quod *Deum animum eſſe* cenſuerit, *per naturam*

rerum

rerum intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi caperentur &c. de natura deorum, l. 1. p. m. 9. THEODORETVS etiam de Pythagora atque Platone adſerit: θεῖαν γὰρ δὴ μοῖραν τὸν νοῦν ἔφασαν εἶναι, *intellectum enim* (ſiue mentem, hoc eſt, animam rationalem) *diuinam eſſe partem, adſirmarunt.* Hinc & paucis interiectis, addit: καὶ οἱ περὶ Πλάτωνα δὲ καὶ Πυθαγόραν θύραθεν τοῦτον εἰσκρίνεσθαι λέγουσιν. *Platonici vero & Pythagorici extrinſecus inſinuari hunc* (νοῦν intellectum, ſiue mentem) *dicunt; de curandis Graecorum adfectionibus, ſerm. 5. tom. 4. oper. pag. 547.* Iungenda, quae de Pythagora diſputaui, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſt. c. 1. §. 19. p. 57. & c. 3. §. 2. p. 256.* Platonem, eiusque ſectatores animam rationalem pro particula eſſentiae diuinae habere, itidem conſtat, & non tantum THEODORETVS atque CLEMENS Alexandrinus teſtantur, ſed & plurimi veterum pariter ac recentiorum, tanto conſenſu tradunt, vt hac de re dubitare, nefas ſit. Et CLEMENS quidem Alexandrinus, cum adſeruiſſet, Pythagoram dicere, θείᾳ μοίρᾳ τὸν νοῦν εἰς ἀνθρώπους ἥκειν, *mentem diuina ſorte venire ad homines;* idque & Platonem & Ariſtotelem fateri; tum pergit: οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Πλάτωνα νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ θείας μοίρας ἀπόῤῥοιαν ὑπάρχοντας. ψυχὴν δὲ ἐν σώματι κατοικίζουσιν. *Platonici autem mentem quidem ſortis diuinae in anima effluxionem eſſe; animam autem in corpore conſtituunt; ſtrom. l. 5. p. 590.* Plura hanc in rem addere, ſuperuacaneum foret, poſtquam omnia, quae huc ſpectant, diligenter collegit MICH. GOTTL. HANSCHIVS, in *diatriba de enthuſiaſmo Platonico,* Lipſiae anno 1716. edita. Id tamen non monere nequeo, licet magno conſenſu Platoni haec ſententia tribuatur, quod animas ex Dei eſſentia effluxiſſe, ſtatuerit; me tamen hactenus non vidiſſe, aliquod ex ipſo Platone adlatum teſtimonium, quo haec ſententia comprobetur. Video, a viro doctiſſimo, quem laudaui *l. c. ſect. 4. §. 14. p. 61.* proferri teſtimonia EPICHARMI, MENANDRI, DEMOPHILI, PLVTARCHI, aliorumque, ſed ex ipſo Platone nullum deprehendo. Fateor tamen ex principiis philoſophiae Platonicae non poſſe non hanc ſententiam fluere, iuxta ea, quae ſupra obſeruauimus. Sed ita tamen hoc eſt intelligendum, quod cum Platonici τρεῖς ὑποστάσεις diuinas ſibi inuicem ſubordinatas ſtatuerint, vltimam, ſeu infimam, pro anima mundi habuerint, ex qua animae humanae originem trahant. Teſtis huius rei praeter alios MACROBIVS eſt, qui tres iſtas Platonicorum ὑποστάσεις ita enumerat: I.) *Deus ſummus,* II.) *mens ex Deo nata,* III.) *mundi anima, quae animarum omnium fons eſt; in ſomm. Scip. l. 1. c. 6. p. 32.* Diſcrimen itaque aliquod inter Platonicos, & inter eos, qui certas in diuinitate ὑποστάσεις non ſtatuebant, intercedit, quos inter & Stoici erant, qui Deum ipſum pro anima mundi habebant; vti recte IAC. THOMASIO obſeruatum, *l. c. p. 250.* In eo namque cum Pythagoraeis & Platonicis conſentiebant Stoici, quod itidem pro parte quadam diuinae eſſentiae animam haberent. Ita enim diſerte SENECA: *quid eſt autem, cur non exiſtimes, in eo* (homine) *diuini aliquid conſiſtere, qui Dei pars eſt? ep. 92. p. m. 432.* Nec aliter ſentire poterant, qui per Deum nihil aliud, quam animam mundi, per omnes eius partes diffuſam, intelligebant; qua de re copioſe dixi, in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 1. §. 18. p. 53. & c. 3. §. 2. p. 259.* Omnia haecce, quae hactenus diximus, qui paullo adcuratius conſiderauerit, τὸ βάθη ethnicae impietatis, in iſta, de animae humanae ex eſſentia diuina emanatione, facile deprehendet. Cum autem loquendi rationes, quae ex iſta hypotheſi fluxerunt, animam diuinae eſſe originis, particulam eſſe diuinae eſſentiae, diuinae particulam aurae, ex caelo prognatam, & ſimiles, inſignem homini conciliare praeſtantiam, & nobilitatem viderentur; factum, vt ſcriptores quidam chriſtiani, easdem incautius interdum, quam par erat, imitarentur. Huc illud PRVDENTII pertinet:

net: *Deus, ignee fons animarum &c. cathemerin. hymn. 10. p. m. 102.* quo in hymno & alia, plane ex mente Stoicorum dicta, occurrunt. Excuſanda forte talia, ob mentem ethnicorum non recte intellectam, minime laudanda, aut imitanda.

Secus contra de illis cenſendum, qui non tam loquendi formulis ad iſtam gentilium ſententiam accedunt, quam re ipſa eam potius adprobant. Nihil nunc de antiquis haereticis, Marcionitis, Priſcillianiſtis, ſimilibusque dicam. Hi enim, vt ab ethnicis errorem de duplici rerum omnium principio, acceperant, ita in eam quoque, quae cum illo connexa eſt, de animae ex diuina eſſentia origine, non poterant non ingredi ſententiam. Qui ex recentioribus eamdem amplexi ſunt, non vna eademque id fecerunt ratione. Qui ipſum mundum pro Deo habent, non poſſunt non animam quoque hominis, immo, ipſum hominem, pro parte quadam Dei, vti loquuntur, hoc eſt, mundi, habere. Hinc SPINOZA *mentem humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei,* diſerte pronunciat; additque: *ac proinde cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus eſt, ſed quatenus per naturam humanae mentis explicatur, ſiue, quatenus humanae mentis eſſentiam conſtituit, hanc vel illam habet ideam &c. ethic. part. 2. propoſ. XI, p. 50.* Praeterea omnes illi, qui rerum omnium ex Deo emanationem ſtatuunt, quocumq; etiam modo eam explicent, non poſſunt quoque non humanae animae originem ex eſſentia diuina deriuare; quae adeo ſententia BOEHMIO, WEIGELIO, & aliis eiusdem generis hominibus, qui ſanaticorum nomine vulgo veniunt, tribuitur. Recentiori aetate, vt reliquos mittam, eamdem defendendam ſuſcepit POIRETVS, & ita quidem, vt non tantum adſereret, ſed tum rationibus, tum ſcripturae ſacrae dictis probare niteretur, animam hominis ex eſſentia diuina prognatam eſſe. Et rationes quidem eius, quibus pugnat, huc fere redeunt; ex proprietatibus animae humanae colligi, naturam eius diuinam eſſe. Id autem, cuius natura diuina eſt, non poſſe ex nihilo creari, immo, tantum ex ipſo Deo poſſe originem trahere. *Deus,* inquit, *in homine veſtigia viua, ipſamque adeo vitam prototypi, adeſſe voluit, hominem cogitationes habere diuinas, lumen diuinum, amorem diuinum, libertatem diuinam. Deus ſemetipſum homini dare voluit, per verbum & ſpiritum ſuum, per fidem & charitatem: voluitque in homine libere ipſe admitti, vt homo Deum liberum repraeſentaret. Quae cum ita ſiat, cumque dotes & praerogatiuae hominis tantae eſſe debeant, ſequitur vtique, eum non poſſe non eſſe naturae diuinae, & naturae diuinarum facultatum participem; oeconom. diuin. l. 1. c. 10. §. 2. p. 134.* Et iterum: *Illud, quod Deum intra ſe admittere, & poſſidere debet, non poteſt non naturae diuinae eſſe. Cuius rei haec eſt ratio, quoniam Deus non poteſt, niſi in ſe, & in natura ſua habitare, nequaquam vero in rebus externis, abſolute a ſe & natura ſua diuerſis, quarum & natura & ſubſiſtentia omnino ipſi extraneae, & a diuina natura alienae ſint. Atqui ſubiectum, quod naturam diuinam habeat, a nihilo eſſe non poteſt, ſed a ſolo Deo. Ergo ſubiectum hoc, quod extra Deum eſt, & a Deo diuerſum, quodque Deum intra ſe poſſidebit, ac proinde diuinae naturae erit, nequaquam ex ſimplici nihilo prodibit, vti creaturae ceterae, ſed ex Deo naſcetur; l. c. §. 20. p. 144.* Ad ſcripturae vero ſacrae dicta quod attinet, illud cumprimis, de quo antea egimus, Moſis effatum, *Gen. II, 7.* vrget, ſpeciatim, quod Deum non per mandatum, non per formationem aut creationem, ſed per *inſpirationem,* animam produxiſſe narret. *Quae duo profecto,* inquit, *non parum inter ſe differunt. Quisquis enim iubet, is nihil quidquam ex intimis ſuis in re iuſſa producit; & qui format, is ſolam formam, aut modificationem dat materiae iam exſiſtenti; qui creat, is ni-*

hilo

bilo exſiſtentiam dat. At aliud eſt inſpiratione, quae eſt communicatio eius, quod in intimis, ſeu intra cor ſpirantis eſt; l. c. c. 11. §. 3. p. 154. Hiſce & alia quaedam ſcripturae loca, vt *Io. I, 4.* & *Col. I, 15.* addit.

Patronos itaque ſententiae iſtius de origine animae humanae ex ipſa eſſentia diuina arceſſenda, poſtquam paucis indicauimus, quam lubrico haec illorum adſerta innitantur fundamento, vel tribus indicandum eſt verbis. Ethnicorum philoſophorum praecipuum fundamentum erat, ex nihilo non poſſe fieri quidquam. Hinc ergo, cum duo aeterna rerum principia admitterent, materiam, & Deum, & ex materia animam deriuare nollent, nihil aliud ſupererat, quam vt, ex Deo eam fluxiſſe, contenderent. Quemadmodum autem primarium illud ethnicae philoſophiae fundamentum, ex nihilo nihil fieri, ſupra iam deſtruxi, vbi docui, de cauſſa materiali equidem, non autem de efficienti, infinita virtute praedita, hoc procedere, ita etiam facile intelligitur, nihil obſtare, quo minus Deus animam hominis ex nihilo creauerit. Atque hoc eo magis admittendum, quod illa, de emanatione animarum ex Deo, ſententia, non poſſit non pro longe abſurdiſſima haberi. Si enim ex eſſentia Dei emanarunt, aut generatio quaedam animarum ex Deo ſtatuenda, aut adſerendum, eſſentiam diuinam in partes infinitas poſſe diuidi. Quod, quam abſonum ſit, iam ipſe CICERO intellexit, hoc ipſum vel maxime, Pythagorae, quam refert, ſententiae opponens: *non vidit, diſtinctione animorum humanorum diſcerpi & dilacerari Deum; de natura deor. l. 1. p. m. 9.* Euitare equidem hocce voluit POIRETVS. Cum enim dixiſſet, nonnullos mirari, philoſophos quosdam, tum inter gentes, tum inter chriſtianos, animam vocaſſe, *diuinae particulam aurae,* addit, hiſce verbis nihil nunc quidem videri ſibi planius, nihil verius: *non quod vlla ſit in diuinitate extenſio, cuius pars dicenda ſit anima; verum ex ipſa virtute & capacitate Dei infinita, qua ſemet ipſe Deus deſiderat, & ſentit, volente eo, nata fuit cogitatio hominis viua & volens, ſeu capacitas atque facultas, qua Deum ſentiat, & deſideret, aut velit, &c. l. c. c. 10. §. 24. p. 48.* Bene quidem, quod extenſionem a Deo remouet; ſed, an ſine extenſione intelligi queat, quod dicitur, animam diuinae eſſentiae particulam eſſe, valde dubito. Et neſcio ſane, quid vir doctus ſibi velit, quando dicit, *animam eſſe cogitationem hominis viuentem & volentem.* Ergo anima ſubſtantia non eſt, ſed ſaltem modus? Porro, dum dicit, *Deo volente hanc cogitationem natam,* non aliter hoc capio, quam iuſſu, nutu, verbo, & mandato diuino animam exſtitiſſe; qua quidem ratione ex nihilo etiam fieri potuit. Immo, ipſe tandem POIRETVS ingenue fatetur, ſe neſcire, quid ſit emanatio. *At ſi quis,* inquit, *inquirat penitius, quaenam fuerit haec emanatio animae, ex Deo ſuo egredientis & naſcentis? id mihi peculiarius intelligere non licet, neque video, an ab vlla creatura, in hac certe vita, id intelligi poſſit.* Atque hoc ſimul contra BOEHMIVM, WEIGELIVM, ceteroſque notandum, qui ideo animam ex eſſentia diuina non deriuare nequeunt, quod res creatas omnes ex eadem per emanationem eſſe, exiſtimant. Aut enim neſciunt reuera, quid ſibi velint, aut eiusmodi quid admittendum, quod cum notione ſpiritus nequit conſiſtere. Ne dicam, quam prope haec ſententia a Spinozismo abſit. Sed hac de re iam ſupra egimus. Ad rationes autem, quibus POIRETVS pugnat, haud difficulter reſpondere licet. Ex qualicumque enim illa proprietatum animae cum diuinis attributis ſimilitudine, nondum inferre licet, animae quoque naturam diuinam eſſe. Ergo & nihil obſtat, quo minus ex nihilo produci potuerit. Nec verba Moſis, ſententiae eius, vt putat, patrocinantur. Cum enim inſpiratio, vt antea iam obſeruauimus, proprie ſic dicta, intelligi nequeat, niſi Deo materiale quid tribuere velimus,

Digitized by Google

mus, ex ea etiam ipſius eſſentiae diuinae communicatio colligi nequit. Accedit, quod Moſes, *Gen. I, 27.* tribus vicibus diſerte dicat, hominem a Deo creatum; quod de anima non minus, quam de corpore intelligendum, cum ſolum corpus hominem non conſtituat. Inſpirationis autem vocem deinceps adhibere voluit, vt ſignificaret, animam, ceu ſpiritum, neutiquam eo modo, quo corpus, ex materia quadam, ſed modo ſpiritui conuenienti, hoc eſt, ex nihilo productam eſſe. Teſtimonium Ioannis *c. I, 4.* huc non quadrare, quilibet, qui illud conſiderauerit, ſtatim intelliget. Vita in Chriſto erat, quia, ceu verus Deus, fons & ſcaturigo omnis vitae erat, quam adeo & rebus creatis largiri poterat. Num autem eodem modo in hominibus eſt? Hoc Ioannes non dicit: quin contrarium antea iam docuerat, omnia, adeoque & hominem, qua corpus pariter ac animam ſpectatum, per τὸν λόγον creata eſſe; *v. 3.* Cumque porro dicit: *vita haec eſt lux hominum;* hoc ſaltem innuit, quod Chriſtus, qui ipſa vita ſit, immo, fons & ſcaturigo omnis vitae, itidem lux ipſa ſit, eamque adeo ſolus largiri omnibus hominibus queat. Nec locus Pauli *Col. I, 15.* huc quidquam facit. Vocatur equidem Chriſtus ibi πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ſed non eam ob rationem, ac ſi Chriſtus & creaturae eodem modo, per eſſentiae diuinae communicationem productae ſint; hoc enim abſonum, immo, reuera impium foret, cum inde ſequeretur, non animas tantum hominum, ſed res creatas omnes diuinae eſſentiae eſſe participes; ſed quod ante omnes res creatas iam fuerit, per aeternam ſcilicet a patre generationem. Quo ſenſu & Ioannes dicit, *in principio erat verbum*, hoc eſt, cum res creatae a Deo conderentur, iam erat, ſeu, quod perinde eſt, ab omni aeternitate fuit; *c. I, 1.* conf. & *prou. VIII, 22. ſq.* Conferenda, quae contra Poiretum diſputat IO. WOLF. IAEGERVS, in *examine theologiae nouae inprimis Poiretianae &c. contron. XIII. p. 239. ſeq.* itemque IOACH. LANGIVS, in *duabus diſſertationibus, de ortu animae humanae a Deo, non per eſſentialem emanationem, ſed per creationem;* quae IAEGERI *examini* in altera editione additae ſunt, *p. 583. ſeq.*

Tertium denique noſtrarum obſeruationum caput eſt, animam hominis neutiquam ex materia quadam eſſe productam, hinc & materiae expertem, adeoque ſua natura immortalem eſſe. Secus equidem hic plurimi exiſtimant, tum ex ethnicis, tum ex iis, qui chriſtianorum nomine veniunt. Et ad ethnicos quidem quod attinet, qui ex Eleatica ſecta, nihil aliud, quam materiam & inane admittebant, vt Leucippus, Democritus, Epicurus, non poterant non animam materialem, adeoque & mortalem credere. Idque & diſerte non tantum docet, ſed rationibus quoque variis probare adnititur, T. LVCRETIVS CARVS, *de rerum natura, l. 3. p. m. 46. ſq.* Non tantum autem Epicuraei, ſed & Stoici, licet in aliis maximopere ab Epicuraeis diſſentientes, animam hominis materialem eſſe, ſtatuebant. Diuerſimode enim etſi de ea loquerentur, in eo tamen tandem conſentiebant, eam eſſe πνεῦμα πυρῶδες, aut ſubſtantiam, ex aethere ac igne compoſitam, adeoque materialem. Qua de re iam dixi, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. c. 3. §. 3. p. 259.* Immo omnes illi, qui animam hominis pro parte animae mundi habebant, & hanc materialem eſſe credebant, non poterant non illam quoque pro materiali habere. Atque hinc etiam patet, quae SPINOZAE de anima ſententia fuerit, aut eſſe potuerit. Cum enim vnicam ſaltem admittat ſubſtantiam, non poteſt non animam pro materiali, vel potius, pro certa ſaltem materiae modificatione habere. Si enim eam ſpiritum materiae prorſus expertem crederet, diuerſas eum admittere oporteret ſubſtantias. Vnde & animam quaſi *automa* aliquod *ſpirituale* concipiendam contendit; *de intellectus emendatione, oper. poſtum. p. 384.* In eamdem hancce claſſem

Digitized by Google

claſſem & illi referendi ſunt, qui dum animam pro qualitate ſaltem quadam habent, ex materiae certa diſpoſitione orta, reuera hominem anima ſpoliant, ſaltem eam ſubſtantiam quamdam eſſe negant. Exemplum hiſce ex veteribus praeiuit DICÆARCHVS, cuius alias inter peripateticos philoſophos haud ignotum nomen eſt. *Nihil* enim *eſſe omnino animam, & hoc eſſe totum nomen inane*, docuit, *fruſtraque & animalia, & animantes adpellari, neque in homine ineſſe animum, vel animam, nec in beſtia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus; in omnibus corporibus viuis aequaliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe, quippe quae nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus vnum, & ſimplex, ita figuratum, vt temperatione naturae vigeat, & ſentiat; vt* CICERO auctor eſt, *qu. Tuſcul. l. 1. c. 10.* Nec HOBBESII hinc multum abit philoſophia, quippe qui corpora tantum pro ſubſtantiis habet, reliqua omnia in accidentium numerum refert; *Leuiathan. c. 24. p. 183.* Certe, animam pro ſpiritu habere nequit, qui nullos omnino ſpiritus admittit. Immo W. COWARDVS, medicus Londinenſis, eo vsque progreſſus eſt, vt adſereret, doctrinam de anima, inter omnes chriſtianos hodie receptam, quod ſit ſubſtantia immaterialis corpori vnita, a paganis fuiſſe confictam, nec principiis philoſophiae, rationis, religionis, eam eſſe conſonam: iuxta ſcripturam namque animam nihil aliud eſſe, quam vitam hominis, hoc eſt, vnam eamdemque virtutem, qua homo mouetur, viuit, ſentit, ratiocinatur, quaeue in corpore reperiatur, quamdiu viuit; ceſſet vero prorſus, quam primum illud interit; rurſus tamen in vniuerſali corporum reſurrectione exſtitura ſit. Quam viri iſtius ſententiam IO. BROVGHTONVS, *de natura animae rationalis*, aliique, in Anglia acriter, & merito quidem, impugnarunt. Fuit autem & in Germania, qui eamdem fabulam in ſcenam produceret, auctor ſcilicet libelli: *zweyer guter Freunde vertrauter Brieff-Wechſel vom Weſen der Seelen;* quippe qui itidem homines anima deſtitutos ſibi fingit; idque, quod nos animam vocamus, pro facultatibus ſaltem, ex mechaniſmo reſultantibus, habet. Errorem iſtum profligaui, in *programmate, de Arabicorum haereſi*, in *ſyntagmate diſſ. theologicarum p. 742.* Et non multo ſane in hiſce commentis refellendis labore opus eſt. Ex ipſis namque animae operationibus euidenter demonſtrari poteſt, eam ſpiritum, ſeu ſubſtantiam materiae expertem eſſe. Quocumque enim modo materiam, quantumuis ſubtilem, aut ſubtiliſſimam, conſideres, vt tamen eiusmodi quid, quod nos cogitare, intelligere, iudicare, ratiocinari, velle, & quidem libere velle, vocamus, inde reſultet, nulla prorſus ratione fieri poteſt. Sed hoc iam luculenter a me expoſitum, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 5. §. 7. p. 420. ſeq.* Ad rationes vero, quibus T. LVCRETIVS CARVS pro materialitate, hinc & mortalitate animae pugnat, ibidem iam reſponſum, *c. 7.* ad *§. 2. p. 567. ſq.* Ex iisdem vero rationibus etiam ſequitur, animam non qualitatem quamdam, aut virtutem, vel ſimile quid, ſed ſubſtantiam eſſe a corpore diſtinctam. Si enim operationes illae, quae animae rationali propriae ſunt, ex materia, adeoque & corpore, nulla ratione deriuari poſſunt, ſequitur, aliam dari ſubſtantiam, cui tribuendae ſint; niſi admittere velimus, dari accidens ſine ſubiecto, effectum ſine cauſſa, quod vtique abſonum foret. Fundamenta denique, quibus eiusmodi homines ſententiam ſuam ſuperſtruunt, vnicam dari ſubſtantiam, nullos omnino dari ſpiritus, non alias eſſe ſubſtantias, quam corpora, &, quae reliqua ſunt eiusdem generis, vti longe ſunt falſiſſima, ita perperam, ad negandam animae ſpiritualitatem, ab iis adſumuntur. Quae diximus, ſcriptura ſacra etiam ſatis confirmat. Supra namque iam obſeruauimus, quando Moſes tam diſtincte, primo, quo pacto Deus corpus formauerit, deinde,

qua ratione animam produxerit, enarrat; *Gen. II, 7.* diſerte eum innuere, ſubſtantiam animae diuerſam eſſe a ſubſtantia corporis, inſpirationem etiam, per quam eius productionem deſcribit, cum creatione ex materia quadam conſiſtere non poſſe. Hiſce adhuc addi poteſt, quod Moſes hominem ad imaginem diuinam conditum referat; *Gen. I, 27.* quod, quin de anima hominis intelligendum ſit, nullum eſt dubium. Licet autem imago Dei, in ſpecialiori ſignificatione, ſapientiam, iuſtitiam, ceteraſque virtutes denotet, generatim tamen etiam ſimilitudinem quamdam animae, qua ipſam eius eſſentiam, infert; recteque adeo inde concluditur, cum Deus ſit ſpiritus, non minus & animam eſſe ſpiritum, ſeu ſubſtantiam materiae expertem, adeoque & immortalem. Atque ita recte iam EVSEBIVS rationes ſubduxit, *l. II. praeparat. euangel. c. 27.* De immortalitate animae humanae, vt ſpeciatim dicamus, neceſſe non eſt; quippe quae non poteſt non ex eius immaterialitate fluere. Dum ergo probauimus, eam ſpiritum, ſeu ſubſtantiam materiae expertem eſſe, ſimul immortalem eſſe, euicimus. Non tantum equidem Epicuraei, & quicumque diſerte animae materialitatem defendunt, eam pro mortali habeant, neceſſe eſt; ſed illi etiam, qui eam ex Deo, aut anima mundi oriri, & in eam iterum reuerti, vel cum ea phyſica quadam ratione vniri exiſtimant, de eius immortalitate non ita, vt decet, ſentiunt. Licet enim hoc ipſo animam non deſtrui, aut diſſolui fateantur, pro immortali tamen eam non habent, cum in eſſentiam diuinam, aut animam mundi conuerſa, propriam ὑπόςασιν iterum amittat. Ipſum autem ſententiae huius fundamentum cum ſupra iam deſtructum ſit, corruit etiam, quod inde contra animae immortalitatem deducitur. Hanc vero, vt ratio nos condocet, vti ex dictis patet; ita & ſcriptura ſacra tam luculenter confirmat, vt ſine ſumma impietate nemo de ea dubitare queat; conf. *Matth. X, 28.*

Quae de origine animae antea diſputauimus, de Adami, ceu primi hominis, anima intelligenda ſunt. Quaeri autem hoc loco ſimul ſolet, qua ratione & reliquorum hominum, qui per naturalem generationem ab Adamo deſcendunt, animae exſiſtere incipiant. Non vna enim eademque hac de re eſt ſententia. Praecipuas, quae iam in veteri eccleſia fuerunt, paucis hunc in modum complectitur HIERONYMVS: *Super animae ſtatu memini veſtrae quaeſtiunculae, immo maxime eccleſiaſticae quaeſtionis; vtrum lapſa de caelo ſit, vt Pythagoras philoſophus, omneſque Platonici, & Origenes, putant; an a propria Dei ſubſtantia, vt Stoici, Manichaeus, & Hiſpana Priſcilliani haereſis, ſuſpicantur; an in theſauro habeantur Dei, olim conditae, vt quidam eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt; an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, ſecundum illud, quod in euangelio ſcriptum eſt: pater meus vsque modo operatur, & ego operor; an certe ex traduce, vt Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium autumant; vt quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima, & ſimili cum brutis animantibus conditione ſubſiſtat? epiſt. ad Marcellinum & Anapſychiam, oper. tom. 4. part. 2. p. 642.* edit. MARTIANAEI. Eumdem etiam fere in modum varias de animarum origine ſententias exhibet ſummatim AVGVSTINVS, *l. 3. de libero arbitrio, c. 21.* Nos, vt de praecipuis aliquid dicamus, primo quidem loco illos merito prodire iubemus, qui animarum προϋπαρξιν, ſeu praeexſiſtentiam ante corpora, adſerunt; quamuis nec vna eademque id faciant ratione. Inter gentilium philoſophos PLATO hic iterum vel maxime commemorandus eſt, quippe qui animarum illam a condito mundo praeexſiſtentiam, & in corpora, cum ſanctitatem, quam habuerint primum natae, ſua culpa amiſiſſent, deſcenſum, partem fecit philoſophiae ſuae. Cum enim prouidentiam diuinam admitteret, ſimulque hominem, vix in

lucem

Digitized by Google

lucem editum, tot malis circumdari animaduerteret, haec ita demum inter ſe conciliari poſſe putauit, ſi animae, ob peccata, antequam cum corporibus vnirentur, admiſſa, puniri dicerentur. Quae enim ſcriptura de primorum hominum lapſu, malorumque, quibus eorum poſteri premuntur, origine inde deriuanda, nos condocet, illi ignota erant. Nec tamen primus Plato fuit, qui in hanc, de praeexſiſtentia animarum ingreſſus eſt ſententiam: praeeuntem namque ſibi habuit Pythagoram, aut potius Aegyptios, a quibus Pythagoras, immo Plato ipſe, ſua accepiſſe creditur. Aegyptios autem animarum transmigrationem quamdam, ſeu per corpora certa circuitum credidiſſe, donec ad eſſentiam diuinam, ex qua ortae eſſent, reuerterentur, notum eſt, conf. HERODOTVS, *lib. 2. c. 23.* Atque hanc μετεμψύχωσιν Pythagorae quoque atque Platoni placuiſſe, itidem conſtat: quamquam non deſint, qui animarum in brutorum corpora tranſitionem Platoni adſertam negant, & quae apud eum hac de re leguntur, ἀλληγορικῶς interpretanda, contendunt. Quidquid eius ſit, id manifeſtum eſt, omnes eos, qui animarum transmigrationem admittunt, earumdem ſimul adſerere προΰπαρξιν. Non tantum autem inter ethnicos fuerunt, qui, animas ante corpora exſiſtere arbitrarentur, ſed & inter Iudaeos. Immo, MENASSEH BEN ISRAEL opinionem hancce communem omnium Ebraeorum vocat, & ab his ad gentiles manaſſe, autumat; *l. 1. de creat. problem. 15. p. 61.* Qua in re quidem non prorſus ſuffragari ei poſſumus. Non enim omnium Ebraeorum hanc ſententiam fuiſſe dixerim, licet plurimorum fuerit. Veroſimilius etiam, eam Ebraeos ab ethnicis accepiſſe, quam hos ab illis. Sunt etiam, qui obſeruant, Ebraeorum hac de re ſententiam cum gentilium philoſophorum ſcitis non prorſus conuenire. Animas enim, antequam corpora ingrederentur, peccauiſſe, ethnicos quidem, non autem Iudaeos adſerere. Addunt, Iudaeos ſtatuere, animas a Deo creatas, cum Platonicorum contra ſententia fuerit, eas ex ipſa naturae diuinae eſſentia effluxiſſe. Quae, an in omnibus rite procedant, nunc non diſputabo. Certe cum kabbaliſtae quidam itidem rerum omnium ex diuina eſſentia emanationem ſtatuant, nec ab ea illos alienos eſſe ſententia, quae animas ex diuina eſſentia deriuat, colligere licet. Solet & aliud inter Platonicorum & Ebraeorum hac de re ſententiam adferri diſcrimen; ſed hiſce immorari non licet. Quod ſi illud, quod antea poſuimus, diſcrimen admittatur, Ebraeos etiam aliam ob cauſſam, vt eam de animarum praeexſiſtentia ſententiam amplecterentur, quam Platonicos, inductos fuiſſe, vt credamus par eſt. Nimirum, cum animas filiorum ex parentibus traduci, ſibi perſuadere non poſſent, eo quod earum hoc repugnaret immaterialitati; nec tamen nouas quotidie a Deo creari, adſerere vellent, eo quod Deus die ſeptimo ab omni creatione ceſſauiſſe, diſerte dicatur; *Gen. II, 2.* non aliter hinc ſe expedire poterant, quam vt omnes hominum animas ſimul a Deo conditas adſirmarent; aut gentilium, de animarum προΰπαρξει doctrinam, pauliſper immutatam, adſumerent. Neque vero inter ethnicos tantum, atque Ebraeos, ſed inter chriſtianos etiam haec ſententia ſuos nacta eſt defenſores: qui tamen & ipſi inter ſe non prorſus conſenſerunt. Priſcillianus enim cum ſuis ſectatoribus in ethnicorum philoſophorum caſtra tranſiit, & animarum ita adſeruit praeexſiſtentiam, vt eas ſimul ex diuina eſſentia deriuaret. Hoc diſerte teſtatur HIERONYMVS, *loco* antea *laudato,* vbi Priſcillianum ex hocce capite Stoicis atque Manichaeis iungit. Teſtatur idem AVGVSTINVS, de Priſcillianiſtis verba faciens; *Hi animas dicunt eiusdem naturae ac ſubſtantiae, cuius Deus eſt; de haereſib. c. 70.* Origenes autem, qui itidem animarum ante corpora προΰπαρξιν adſeruit, in eo quidem cum Platonicis conſentiebat,

quod

quod eas ante vnionem cum corpore peccaſſe, & vt delictorum poenas darent, in corpora immitti, arbitraretur; ſed rurſus diſſentiebat, quod creatas a Deo eſſe, neutiquam autem ex diuina eſſentia effluxiſſe, cenſeret. Luculentum hac de re exſtat teſtimonium AVGVSTINI: *animas* (quidam) *dicunt, non quidem partes Dei, ſed factas a Deo, peccaſſe, a conditore recedendo; & diuerſis progreſſibus, pro diuerſitate peccatorum, a caelis vsque ad terras, diuerſa corpora, quaſi vincula, meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamque cauſſam mundi faciendi, non vt conderentur bona, ſed vt mala cohiberentur. Hinc Origenes iure culpatur. In libris enim, quos adpellat, περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principiis, hoc ſcripſit; lib. 11. de ciuit. Dei. c. 23.* Non deſunt equidem, qui Origenem arbitratum fuiſſe dicunt, animas omnes, & quaecumque ratione praedita ſunt, ex diuina ſubſtantia prodiiſſe, immo, partem eius eſſe; quos inter & HIERONYMVS eſt, *epiſt. ad Auit. c. 4.* Sed non firmo ſatis hanc adcuſationem niti talo, oſtendit HVETIVS, *Origenian. lib. 2. c. 2. qu. 6. §. 3. p. 91. 92.* Praeexſiſtentiam autem animarum quod Origenes adſeruerit, exploratum eſt, poſitumq; extra controuerſiam. Praeter HIERONYMVM atque AVGVSTINVM, *locis* iam *citatis*, alibique, id teſtatur, EPIPHANIVS, *haereſ. 64.* Ipſius autem Origenis loca, ex quibus illud colligitur, exhibet HVETIVS, *l. c. §. 4. p. 92. 93.* De Flagellantibus, aliiſque, quibus eadem haereſis tribui ſolet, nunc nihil dicam. Recentiori aetate errorem iſtum iterum reuocauit SANDIVS, in *tractatu de origine animae*, Cosmopoli, anno 1671. edito: itemque anonymus quidam, in *diſſertatione ſingulari, de exſiſtentia animarum, antequam in adſpectabili huius vitae theatro compareant; iam pridem e tenebris eruta, & doctorum virorum iudicio expoſita*; quae an. 1672. prodiit. Vt autem in aliis, ita etiam in hocce maxime capite auctores iſti a ſe inuicem diſſentiunt, quod SANDIVS cum Origene faciat, quem & pro maximo eccleſiarum poſt apoſtolos magiſtro habet, animas a Deo creatas adſerens; anonymus autem ille Priſcillianum & Platonicos ſequatur, emanantes a Deo animas introducens; vti IAC. THOMASIO obſeruatum, in *oratione aduerſus adſerentes praeexſiſtentiam animarum*, inter *orationes* eius iunctim editas, *n. 2. p. 484.* vbi vtrumque refutat, quod & BALT. BEBELIVS fecit, in *exercitat. theol. aduerſus praeexſiſtentiam animarum humanarum, errorem Chriſtophori Sandii, & anonymi cuiusdam, nouorum Origeniſtarum*; Argentorati 1675. edita. Non procul ab hacce, quam hactenus commemorauimus, ſententia abſunt, vt ὡς ἐν παρόδῳ hoc moneamus, qui *animam in materiam induci* ſtatuunt. Si enim inducitur, nec a Deo creatur, neceſſe eſt, vt iam antea exſtiterit. Sed forte ab aſtris venit? Ita quidem nonnulli olim ſenſerunt. Tam vero hoc eſt ſtolidum, vt ne refutatione quidem dignum ſit. Nec vt eos, qui animorum προϋπαρξιν defendunt, refellamus operoſe, neceſſe eſt. Si enim rationis iudicio hic ſtandum ſit, nihil omnino ſuccurrit, quo iſta προϋπαρξις demonſtrari poteſt. Quae proferunt argumenta, vt vel ipſorum confeſſione veroſimilitudinem tantum progignere apta ſunt, ita paullo adcuratius examinata, vim omnem prorſus amittunt. Huiusmodi illud eſt; Deus creauit animam, in ſtatu naturali, & optimo; ſtatus autem naturalis & optimus animae eſt extra corpus; in hoc ergo Deus animam creauit. Quod ieiunum prorſus & puerile eſt. Vnde enim probabunt, ſtatum animae extra corpus meliorem eo eſſe, quando eſt in corpore. Haec ipſa adſertio etiam doctrinam de reſurrectione mortuorum labefactat. Si enim ſtatus animae extra corpus perfectior eſt ſtatu in corpore, quid reſurrectione opus? ſiquidem tum hac ratione iterum ex ſtatu perfectiori in imperfectiorem redigentur. Vt autem in ratione nullum erroris ſui praeſidium, qui ita ſentiunt, inueniunt, ita multo minus

ſcriptura

ſcriptura ſacra illis ſuffragatur; immo aperte repugnat. De iis, qui animas ſimul ex eſſentia diuina effluxiſſe dicunt, nunc non agam, cum hicce iam profligatus ſupra error ſit. Cum illis ſaltem res erit, qui animas creatas admittunt. Creationem enim hominis Moſes, *Gen. I, 26. 27. II, 7.* ita deſcribit, vt vnius ſaltem viri, & vnius feminae mentionem faciat. Singulis itaque Deus vnam ſaltem animam conceſſit; idque *Gen. II, 7.* diſerte de viro adſeritur. De omnium animarum creatione nec vola, nec veſtigium exſtat. Praeterea, cum Moſes hiſtoriam lapſus deſcribit, de Eua tantum, atque Adamo loquitur, reliquorum hominum animas ſimul peccaſſe, nullibi memoratur. Immo, ſi omnes hominum animae ſimul peccaſſent, non potuiſſet dicere Paulus, *per vnum hominem peccatum in mundum veniſſe; Rom. V, 12.* Adeoque licet prima fronte videri poſſet, per iſtam hypotheſin doctrinam de peccato originali commode explicari poſſe, vt animae ſimul conſulatur immortalitati; reuera tamen cum ea, prout a ſcriptura ſacra traditur, pugnat. Gentilium equidem philoſophis non adeo vitio verti poterat, quod, cum mala iſta, quibus homo a prima ſtatim natiuitate circumſeptus eſt, cum prouidentia diuina conciliare non poſſent, huc tandem ſe receperint; chriſtiani vero id ſine omni neceſſitate ex mera ingenii petulantia, faciunt, cum originem malorum, ipſis hominibus imputandam, ſcriptura ſacra nos quam luculentiſſime doceat. Nec quidquam huc etiam facit, quod vti putant, ſcriptura ſacra corpus animae carcerem atque ergaſtulum vocet. Praeterquam enim, quod loca, quibus hoc probare volunt, vt *pſ. CXLII, 8. 1. Petr. III, 19. &c.* huc plane non ſpectent, poteſt etiam corpus animae carcer dici, etſi anima ante corpus non exſtiterit, ſed eo ipſo temporis momento, quo vna cum corpore exſiſtere incipit, labem ſimul contrahat.

Non immerito itaque a concilio Bracarenſi I. haec ſententia damnata fuit, *can. VI.* & ab antiquis etiam eccleſiae doctoribus refutata, quorum nomina & loca exhibet BEBELIVS, *l. 1. cap. 1. p. 18. 19.*

Altera ex praecipuis, de animarum origine, ſententia illorum eſt, qui earum per traducem propagationem defendunt. In antiqua eccleſia exſtitiſſe, qui ita ſentirent, vel TERTVLLIANI exemplo condocemur. HIERONYMI verba, quibus hanc ei ſententiam tribuit, iam antea recitauimus. Idem & AVGVSTINVS facit, qui ita hac de re pronuntiat: *Nam & illi, qui animas ex vna propagari adſerunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, ſi Tertulliani opinionem ſequuntur, profecto eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt, & corpulentis ſeminibus exoriri, quo peruerſius quid dici poteſt? Neque hoc Tertullianum ſomniaſſe mirandum eſt, qui etiam ipſum creatorem Deum non eſſe niſi corpus, opinatur; epiſt. 190. tom. 2. oper. p. 55.* edit. quae anno 1700. prodiit. Sed ipſum potius TERTVLLIANVM audire iuuat. De Eua enim verba faciens, *ceterum & ipſam*, inquit, *Dei adflatus animaſſet, ſi non vt carnis, ita & animae ex Adam tradux fuiſſet in femina; de anima, c. 36. p. m. 319.* Euae nimirum animam non a Deo creatam, putat, quia ex anima Adami per traducem ſit propagata. Et hac ratione de poſterorum Adami animabus eum multo magis ſenſiſſe vt credamus, par eſt. Nec tamen TERTVLLIANI auctoritas recentioribus traducis defenſoribus magnum adeo praeſidium adferet; ſiquidem ille animae, aeque ac Deo ipſi, corpus tribuere, nullus dubitat, vti recte ipſi AVGVSTINO obſeruatum, quod tamen hi admittere nolunt. Neque ſolus Tertullianus in ea verſatus eſt opinione, ſed Apollinaris quoque, immo, *maxima pars occidentalium*, VT HIERONYMVS. *loco* antea *citato*, auctor eſt. Hoc ſi ita capiendum.

dum, eos eodem, quo Tertullianus, modo, de traduce ſenſiſſe; ſequetur, eos animam hominis materiae non credidiſſe expertem. Cum Pelagiana deinceps oriretur haereſis, haec de animae origine quaeſtio non poterat non in cenſum venire. Qui enim cum Pelagio faciebant, quia peccatum originale negabant, ſententiae ſuae praeſidium in doctrina de creatione animae inueniebant. Si enim Deus creat animas, non poteſt non innocentes, omnisque vitii expertes, creare. Prorſus hoc ad mentem Pelagii. Illis autem, qui Pelagio ſe opponebant, fauebat magis ſententia de propagatione per traducem. Ita enim explicari commode poterat, qua ratione labes originalis per naturalem generationem a parentibus in liberos transmittatur. Mirum itaque, hanc opinionem non adriſiſſe AVGVSTINO, tam maſcule Pelagianis ſeſe opponenti. Et vidit ſane, doctrinam de creatione animae magnum cauſſae Pelagianae adferre praeſidium, vnde in *epiſtola* antea *citata*, ſatagendum eſſe in hac quaeſtione, dicit, vt *ſalua ſit inprimis fides, qua credimus, neminem naſci ex Adam, niſi vinculo damnationis obſtrictum.* Cum tamen rurſus animaduerteret, ſententiam de traduce, ſaltem prout eam Tertullianus propoſuit, cum animae immaterialitate conciliari non poſſe, nec huic ſuffragari voluit, quin potius conſultum duxit, vt nihil de hacce quaeſtione definiret. Atque, cum deinceps Pelagiana haereſis damnata eſſet, exiſtimari poſſet, propagationem per traducem magis placuiſſe, quam animae creationem. Fuerunt tamen inter ſcholaſticos, qui creationem defenderent, quod ipſum PETRVM LOMBARDVM atque THOMAM DE AQVINO feciſſe conſtat. Neque mirum, Romanae eccleſiae doctoribus hancce probari doctrinam, quippe quae cum Pelagianis erroribus. poſtliminio ab illis reuocatis, quam pulcherrime conſentit. Habuit tamen & ſententia de traduce ſuos defenſores, quam & proxime elapſo ſaeculo ex noſtratibus IO. SPERLINGIVS & IAC. THOMASIVS, philoſophi praeſtantiſſimi, variis ſcriptis ex inſtituto propugnarunt; quibus & haud pauci ex theologorum ordine ſuffragati ſunt, eo quod cum doctrina de peccato originali quam optime conuenire videretur. Atque commendat quidem ſe ex hocce capite iſta ſententia, quae tamen rurſus aliis, ipſique cumprimis AVGVSTINO, ideo non temere admittenda videtur, quod cum immaterialitate animae rationalis non facile conciliari queat. Solent equidem traducis patroni, vt hocce telum declinent, ſedulo monere, ſe neutiquam adſerere, quod anima ex ipſa materia producatur, ſed tantum, quod in materia, vel cum materia exſiſtere incipiat. Hinc traductionem formarum nihil aliud, quam earum cum ſeminibus propagationem eſſe, adfirmant. Verum, ſi anima ex ipſa materia non producitur, nec antea exſiſtit, ſequitur, quod ex nihilo producatur. Productio autem ex nihilo, eſt creatio: quae vt ſoli Deo tribui poteſt, ita reuera, qui hoc modo traducem explicant, a creationis adſertoribus non diſſentient. Aliter de illis ſentiendum, qui animam e potentia materiae educi ſtatuunt, vt ex ſcholaſticis quidam; immo &, ſi nonnullis credimus, AVERROES; qui tamen, iuxta Ariſtotelis diſciplinam, non de *mente* ſeu anima rationali, ſed de anima ſenſitiua, hoc intellexit. Cum enim omnium hominum vnam mentem, νοῦν ſeu animam rationalem ſtatueret, de hac, quod dictum eſt, intelligi nequit. Quidquid huius ſit, qui animam ex potentia materiae educi exiſtimant, eam non poſſunt non pro materiali habere. Fruſtra vero, qui traducem propugnant, ad ſcripturam ſacram prouocant, quippe in qua nihil, quod illis praeſidio ſit, inueniunt. Quando enim e. g. Deus ad primos homines dixit; *creſcite*

& mul

& multiplicamini, Gen. I, 28. verum quidem eſt, quod non ad ſolum corpus, ſed ad totum hominem hoc ſpectet; at non aliud inde colligi poteſt, quam quod vi benedictionis diuinae, poſito actu generationis, nec accedentibus impedimentis, exſiſtere homo debeat; modus autem, quo anima exſiſtere incipit, non determinatur.

Haec itaque de traduce ſententia cum ob rationes adlatas non omnibus placeat, alii in eam ingreſſi ſunt, animas hominum, quotiescumque aliquis naſcitur, ex nihilo produci, ſeu creari, & ita cum corpore coniungi. Iam in veteri fuiſſe eccleſia, qui ita ſentirent, ex HIERONYMI pariter ac AVGVSTINI *locis* antea iam *citatis* condiſcimus. Satis etiam inepte nonnulli, iuxta HIERONYMVM, ex hiſce ſeruatoris verbis: *pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, illud probare voluerunt. A Pelagianis eam adreptam ſententiam, & ſcholaſticis quoque quibusdam doctoribus adriſiſſe, antea iam monuimus. Eamdem porro MELANCHTHONI, GE. CALIXTO, HORNEIO, & noſtrae quoque academiae philoſophis, DAN. STAHLIO, atque IO. ZEISOLDO ſeſe probaſſe, notum eſt. Enimuero & iſtam magnis premi difficultatibus, negari nequit. Animas enim peccatorum ſordibus inuolutas, labeque quadam infectas a Deo creari, dici nequit. Valde hoc impium foret. Si puras itaque, ſordiumque expertes Deus creat, vnde peccatum, quod illis inhaeret? Num a corpore? At ſequetur inde, peccati ſedem propriam, praecipuamque in corpore, ſeu materia quaerendam; quem ſuo tempore ex inſtituto profligabimus errorem. Deinde nec cum ſanctitate, iuſtitia, ac bonitate Dei hoc conciliaueris, quod animas innocentes in corpora intrudat, in quibus non poſſint non peccatorum ſordes contrahere, in plurimis numquam iterum eluendas, per quas etiam eas ſemper miſeras eſſe oportet. Quae hic regeruntur, vtcumque ſeſe habeant, dubium hocce tamen non prorſus ſoluunt. Noui quid ſibi inueniſſe viſi ſunt, qui animas nec a Deo creari, nec per traducem propagari, ſed *vnione produci*, adſerunt. Nimirum tum corporum omnium ſtamina, tum animas totius generis humani a Deo in protoplaſtis conditas, adſerunt; atque hinc tum iſta corporum ſtamina, tum animas, in eorum poſteros propagatas, & quotidie propagari. Latitare itaque & corporum ſtamina, & animas ipſas in ſemine, tum maſculino, tum feminino, quibus rite inter ſe miſtis, anima corpori fetus iungatur, ſiue ouum muliebre & fecundetur, & homo concipiatur. Praeterquam vero, quod hac ratione προΰπαρξις quaedam animarum iterum introducitur, quam facilius adſumunt, quam ex ſcriptura ſacra probant; quo pacto & hoc cum animae immaterialitate & immortalitate conciliari queat, nondum video. Quae enim de ſtaminibus corporum dicuntur, quamquam & haec difficultate non careant, ad animas adplicari nequeunt, niſi & hae quodammodo materiales ſtatuantur. Praeterea, cum hac ratione, vt plurima immo infinita corporum ſtamina, ita & animae innumerae, in quolibet homine admittendae ſint; ſcire velim, ſi homo aliquis nullos liberos gignat, aut non tot liberos, quot in eius ſemine latitant animae, vbi reliquae iſtae animae maneant? Aut enim reuera in ſemine iſto exſiſtunt, aut non exſiſtunt. Si exſiſtunt, nec tamen cum corpore vniuntur, quorſum tandem deueniunt? Si non exſiſtunt, ergo non ſimul in primis parentibus fuere conditae. Recurrit etiam difficultas, de peccato originis, cuius planiorem explicationem fruſtra ſententiae iſtius defenſores ſibi pollicentur. Aut enim animae iſtae cum Adamo ſimul peccarunt, aut non peccarunt. Prius dici nequit, cum corporibus nondum fuerint iunctae, nec adeo conſciae illorum, quae Adamus geſſit. Poſterius ſi dicatur, neceſſe quoque eſt, vt admittatur, eas puras, ſordiumque immunes a Deo pro-

Digitized by Google

productas. Vnde ergo peccatum? Sed, mitto reliqua. Cuncta vero, quae hactenus diſputauimus, ſi adcurate ponderemus, fateamur neceſſe eſt, nullam excogitari ſententiam poſſe, quae non magnis prematur incommodis; immo, animae originem inter myſteria naturae referendam eſſe, in quibus perſcrutandis fruſtra homines ingenii neruos intendunt. Neque enim aliud quid dici poteſt, quam vi benedictionis diuinae, & iuxta ordinem a Deo conſtitutum, poſito, nec impedito actu generationis, ſtatim etiam exſiſtere animas: quomodo autem hoc fiat, ignoramus. Atque ita praeſtantiſſimi quoque theologorum nihil hac de re definire voluerunt; quibus exemplum praeiuit AVGVSTINVS, qui & recte pronuntiat: *ſi origo animae lateat, dum tamen redemtio clareat, periculum non eſt. Neque enim in Chriſtum credimus, vt naſcamur, ſed vt renaſcamur, quomodocumque nati fuerimus; loco ſupra citato* ſiue *epiſt. 190. tom. 2. oper. pag. 533.*

Ex iis, quae hactenus paullo copioſius de anima hominis, eiusque origine, tum primorum parentum, tum poſterorum, qui ab illis deſcendunt, intuitu diſputauimus, facile etiam iudicare licet, num homo pluribus, quam duabus conſtet partibus eſſentialibus? Sunt namque, qui ex tribus partibus hominem compoſitum & velut conflatum contendunt, anima, ſpiritu, & corpore: quamquam, quod nonnulli animam vocant, id alii ſpiritum dicunt. Non enim & in re ipſa, & in modo loquendi ſatis interſe conueniunt. Solent, ceu praecipui iſtius ſententiae auctores laudari paſſim THEOPHRASTVS PARACELSVS, *de creat. hominis, p. 757.* IO. BAPT. HELMONTIVS, *de ſede animae, n. 17.* IOSEPHVS STELLATVS, in *pegaſo ſapientiae* ſiue *introd. ad ſapientiam veterum, cap. 3.* aliique ex illorum ordine, qui fanaticorum nomine veniunt. De IO. AMOSO COMENIO, qui itidem tres hominis partes ſtatuit, aliisque, a me dictum, in *introd. ad hiſt. philoſ. Ebraeor. p. 469.* Immo, omnes illos, qui plures vna homini animas tribuunt, huc referendos eſſe, manifeſtum eſt; quod & ipſum PLATONEM aeque ac ARISTOTELEM diuerſa tamen ratione, facere, ſupra docuimus. Etenim, ſi duas animas homini tribuant, tres inde partes eſſentiales reſultare, neceſſe eſt; ſin tres, quatuor omnino partibus homo conſtabit. Nec tamen vno omnes, eodemque habendi ſunt loco, qui ita ſentiunt, tresue homini partes eſſentiales tribuunt: vti a me iam obſeruatum, in *inſtitut. theol. moral. part. 1. c. 1. ſect. 2. §. 1. p. 60.* Qui enim hoc ita faciunt, vt vnam partem ex eſſentia diuina deriuent, eiusque quamdam particulam eſſe ſtatuant, vt Platonici, & qui horum veſtigia premunt; in grauiſſimo, citra controuerſiam, errore verſantur: id, quod abunde ex iis conſtat, quae ſupra hac de re diſputauimus. Nec minus pernicioſa ſunt, & praecipua ſacrae doctrinae capita labefactant, quae nonnulli inde porro deducunt, iſtam diuinae eſſentiae particulam, vtpote labis expertem, ſalutis eſſe principium; fidem ipſam in ea, & in eius a corporeorum vinculorum liberatione modum perueniendi ad ſalutem, conſiſtere; & quae reliqua ſunt eiusdem generis, quae ſuo loco adcuratius, & ex inſtituto diſcutiuntur. Haec vero, ſimiliaque ab illis non probantur, qui duas quidem homini animas tribuunt, ſed vtramque a Deo creatam contendunt, multo minus ex eſſentia diuina alterutram deriuant, aut ſaltem praeter animam rationalem, principium aliquod effectuum naturalium, qui in corpore humano conſpiciuntur, quodcumque demum illud ſit, admittunt. Quorum licet tolerabilior ſit ſententia, nec tot incommodis, quot prior illa, obnoxia; calculum tamen & ipſa non promeretur, cum nihil obſtet, quo minus vnius, eiusdemque animae diuerſae poſſint

ſint eſſe operationes, etiam intuitu corporis. Idque vt antea iam obſeruauimus, ſcriptura confirmat, quando *Gen. II*, *7.* corporis & animae, vnius nimirum tantum animae, mentio iniicitur; ita quidem, vt dum anima vocatur נשמת חיים *anima vitarum*, hoc ipſo innuatur, eam variis potentiis atque facultatibus inſtructam eſſe. Solent rurſus dicta quaedam ſcripturae in contrarium proferri, inter quae locus ille *1. Theſſ. V*, *23.* eminet. Cum vero per τὸ πνεῦμα haud incommode dona ſpiritualia regenitorum intelligi poſſint, eaque haud infrequens ſit vocis huius ſignificatio, *Ioan. III*, *6. Rom. VIII*, *5. Gal. V*, *17.* ψυχὴ autem animam hominis, cum facultatibus & donis naturalibus denotet, fruſtra hic tres partes eſſentiales hominis quaeri, manifeſtum eſt. Reliqua, ad quae prouocare ſolent, loca, *Matth. XXII*, *37. 1. Cor. II*, *14*, *15. XIV*, *14. Ebr. IV*, *12.* nihil ad rem facere, intelliget, qui ea inſpexerit. Conferri interim merentur, quae ad locum *1. Theſſ. V*, *23.* illuſtrandum, ex Ebraeorum, Platonicorumque philoſophia adfert VITRINGA, *obſeruat. ſacrar. lib. 3. cap. 4. pag. 526.*

* Nemo hac de re dubitabit, niſi qui omnem erga ſacras litteras venerationem exuit. Prae-Adamitas ISAACI PEYRERII, hominis cum ratione inſanientis, quos in *exercitat. ſuper Rom. V*, *12*, *13*, *14.* itemque in *ſyſtemate theologico ex prae-Adamitarum hypotheſi*, in ſcenam produxit, plurimi iam profligarunt, quorum nomina laudaui, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 1. §. 8. p. 81.* In loco, ad quem praecipue prouocat, *Rom. V*, *12*, *13*, *14.* nullum cauſſae ſuae praeſidium invenit; ſiquidem illi, qui non ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ peccarunt, non prae-Adamitae ſunt, ſed poſteri Adami. His enim cum ex ipſa natiuitate labes originalis adhaereat; non eadem vtique, qua Adamus, in ſtatu integritatis conſtitutus, ratione peccant. Repugnat vero tam illepido commento, non tantum narratio Moſaica, ſed Paulus quoque, ex *vno ſanguine* omne genus hominum exortum eſſe condocens, *actor. XVII*, *26.*

§. XVII. Quae Deus creauerat, tam perfecta, tamque concinna, & apte diſpoſita erant, vt ipſemet non poſſet non ea adprobare. Erant enim *valde bona; Gen. I*, *31.* * Et licet tum ex animantibus, tum ex reliquis rebus creatis, quaedam poſt lapſum homini ſint noxia; id tamen, vt hominum culpa factum, ita, ſi in ſe ſpectentur, nihil in iis, quod malum aut imperfectum dici debeat, deprehenditur. ** Omnibus autem rite ex voto peractis, die ſeptimo Deus quieuit. ***

* Non tantum de ſingulorum dierum operibus adſeritur, quod fuerint bona, ſed de vniuerſis idem repetitur; immo additur, quod fuerint *valde bona*, ſeu *optima*, idque ipſius Dei iudicio; quia dicitur: *& vidit Deus*, *quaecumque fecerat;* cui adeo plus tribuendum, quam mortalium ineptis ratiociniis, qui mala ſibi inuenire videntur, vbi nulla ſunt. Et ſane, cum Deus ipſe *bonus*, immo ipſa *bonitas* ſit, nihil niſi bonum ab illo proficiſci poteſt. Vnde ergo, inquis, tot mala? Si modo mala ſunt, quae hoc nomine veniunt, non aliunde, quam ab angelis, hominibusque, libertate ſua abutentibus, proueniunt; qua de re ſuo loco ex inſtituto. Quando autem res creatae bonae dicuntur, ita hoc intelligendum, quod quaelibet in ſuo genere fuerit perfecta, ſeu ita comparata, vt fini, ad quem condita erat, accurate reſponderet, nullumque etiam vitium, nulla labes in ea deprehenderetur. Licet itaque quaedam

res creatae perfectiones quaſdam habeant, quibus aliae deſtituuntur, ideo tamen hae neutiquam imperfectae cenſeri debent. Quaelibet enim eas perfectiones habet, quae ei conueniunt. Sunt itaque plantae in ſuo genere perfectae, licet perfectionibus animalium non gaudeant; & animalia bruta perfecta ſunt, licet perfectionibus hominum deſtituantur.

** Pertinet huc, quod de ſpinis, tribulis, herbiſque noxiis ac venenatis ſupra ad *§. 13.* diximus. Nihil in his, quod abſolute, & in ſe ſpectatum, malum ſit. Quod damnum hominibus quandoque adferant, id ipſorum hominum, ignorantia, aliisque vitiis poſt lapſum laborantium, contingit culpa. Idem de animalibus brutis cenſendum, quorum quaedam quod hodie hominibus noxia ſint, ex lapſu humani generis itidem deriuandum eſt. Si enim in ſtatu integritatis permanſiſſent, vel ſolo nutu ferociſſimas compeſcere potuiſſent beſtias, idque vi dominii, illis a Deo in omnia animantia conceſſi. Cumque & naturam, indolemque omnium animantium habuiſſent perſpectam, venenatorum morſus facili negotio potuiſſent euitare.

***. Hoc diſerte conſtat, ex *Gen. II, 1, 2.* Nec dubium temere cuiquam mouebitur, quod dicitur: ויכל *& perfecit* (Deus) *die ſeptimo opera ſua, quae fecit.* Dudum enim viris doctis obſeruatum eſt, verbum ויכל vertendum eſſe, *& perfecerat. LXX* interpretes habent ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ. Quae lectio ſi vera eſt, videntur ſe ex hocce dubio non potuiſſe expedire. Cum enim concedere nollent, Deum ſeptimo die aliquid creaſſe, ex ſeptimo die ſextum facere, conſultum duxerunt. Sed probabilius, pro ἕκτῃ legendum eſſe ἑβδόμῃ *ſeptima;* cum ita verba haecce citet BARNABAS, *epiſt. cath. cap. XI.* Nec eſt, quod codex Samaritanus quemquam moueat, qui itidem habet, *die ſexto;* cum nulla nos cogat ratio, vt a recepta lectione diſcedamus. Ad rem ipſam quod attinet, cum quieuiſſe Deus dicitur, non aliter hoc intelligendum, quam, quod deſierit aliquid creare. De eiusmodi enim quiete, quae cum quadam defatigatione coniuncta eſt, hoc capere, ſtolidum foret. Dum autem creare deſiit, non deſiit, res creatas conſeruare, earumque prouidam curam gerere; quippe quod ſemper facit, vt ſuo loco demonſtrabitur. Dicitur autem porro, quod *diei ſeptimo benedixerit,* hoc eſt. beatum, laetum, feſtum eſſe voluerit, vt homines eodem in laudes creatoris, ſummam eius bonitatem recolendo, piaque mente celebrando, ſoluerentur; ideoque eum *ſanctificauit,* ſeparauit, ſecreuit velut a reliquis diebus, vt inſignis prae iis, atque maxime eximius cenſeretur. Eamque voluntatem ſuam cum haud dubio primis hominibus ſignificauerit, inſtitutio ſabbati recte hinc colligitur. Sed hac de re alibi ex inſtituto.

§. XVIII. Atque ita finem, quem Deus ſibi propoſuerat, obtinuit, * gloriae ſcilicet ſuae, hoc eſt, bonitatis, ſapientiae, ac potentiae manifeſtationem, intuitu hominum praecipue intelligendam, quippe qui inter res creatas adſpectabiles, ob rationis, quo pollent, vſum, ſoli creatoris & cognoſcere gloriam, & celebrare, & cultu debito eum proſequi, apti erant.

* Nunc de fine loquimur, qui in ſcholis *cuius* vocatur, eoque vltimo, qui omnino eſt gloriae, hoc eſt, bonitatis, ſapientiae ac potentiae diuinae manifeſtatio. *Caeli* namque *enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius adnuntiat expanſum; pſ. XIX, 1.*

conf.

conſ. & *pſalm CIV, 1, 2. ſeq. CXXXVI, 4. ſeq. CXLVIII, 1. ſeq.* Intuitu autem hominum hoc praecipue intelligendum eſſe, vel inde conſtat, quod inter res adſpectabiles ſoli ratione praediti ſunt, adeoque in propria ſignificatione vocibus acceptis, laudare Deum creatorem, eiusque potentiam celebrare queant: reliquae res creatae gloriam creatoris enarrant, quando hominibus occaſionem praebent, atque argumentum, laudes Dei decantandi. Atque id Paulus etiam confirmat, quando ex operibus creationis τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ, hoc eſt, aeternam eius potentiam ac θειότητα cognoſci poſſe, nos condocet; *Rom. I, 20.* Atque hinc etiam intelligitur, quod hominum vtilitas recte pro *fine* creationis *intermedio* habeatur. Nihil enim eſt in vniverſo orbe, ex quo non in hominem, ſiue qua corpus, ſiue qua mentem, commodum aliquod redundet. CARTESIVS equidem, vt illud philoſophiae ſyſtema, quod animo conceperat, eo facilius aliis perſuaderet, hominis cauſſa omnia condita eſſe negauit. In quam ſententiam etiam theologi, qui eius partes ſequuntur, ingreſſi ſunt; conſ. IO. BRAVNIVS, in *doctrina foederum, vol. 1. part. 2. c. 10. §. 16. p. 167.* Emollire tamen eius ſententiam nonnulli adnituntur, atque concludunt, *ſuo quodam ſenſu omnia poſſe dici, facta eſſe propter hominem*, vti WITTICHIVS loquitur; *theol. pacif. c. 9. § 109. p. 80.* Quemadmodum autem Deus omnia ad certum vſum condidit, ita, vt eo rectius ſapientiam, bonitatem & potentiam eius in omnibus rebus creatis intelligamus, noſtrarum eſt partium, fines iſtos ſpeciales, ob quos res quaelibet condita eſt, diligenter inueſtigare. Nec ferenda profecto CARTESII ſententia, qua iſtam finium conſiderationem ex naturalium rerum ſcientia proſcriptam cupit; quam ideo merito, praeter alios, diligenter refellit IO. RAYVS, in *exſiſtentia & ſapientia Dei, manifeſtata in operibus creationis, p. m. 28. ſeq.* Ad reliquas cauſſas creationis quod attinet, vt de iis ſpeciatim dicamus, neceſſe non eſt, cum, quae de iis moneri ſolent, ex antea dictis facile intelligantur. Cauſſam enim efficientem Deum triunum eſſe, conſtat ex iis, quae ſupra §. 5. docuimus. Inſtrumento autem Deus vſus non eſt, nec eodem opus habuit, cum ſolo nutu, imperioque voluntatis omnia effecerit, vti ad §. 6. oſtenſum. Quod & ipſemet teſtatur: *Ego Iehouah facio omnia ſolus, expando terram per me ipſum; Eſ. XLIV, 24.* Cauſſa itaque inſtrumentalis hic locum non inuenit. Quo pacto autem intelligendum ſit, quando *Ioan. I, 3.* alibique, *per Chriſtum* omnia creata dicuntur, dictum ad *§. 5.* Cauſſam creationis impulſiuam ſolam Dei benignitatem eſſe, neminem fugit; conſ. *pſalm. CXXXVI, 5. ſeq.* Addunt nonnulli *cauſſam exemplarem*, ſiue ideas ſingularum creaturarum, in intellectu diuino expreſſas. Cum enim *Gen. I, 31.* vidiſſe omnia dicitur, quae fecerit, eaque fuiſſe valde bona; hoc ita intelligunt, quod omnia formis iſtis rerum, ſeu ideis, in intellectu diuino exſiſtentibus, fuerint conformia. Et ſolent ſane homines, ſapienter aliquid ſuſcepturi, ideam quamdam, ſeu imaginem eorum, quae effecturi ſunt, animo concipere. Nota quoque ſunt, quae Platonici de ideis diſputare ſolent. Sunt tamen omnia, modo, qui Deo conueniat, intelligenda, ne quidquam, quod cum ſumma eius perfectione pugnet, ei tribuatur. Παράδοξον vero plane eſt, quod MALEBRANCHIVS *de nat. & grat. diſc. 1. p. 4. ſq.* & POIRET *oeconom. diuin. l. 1. c. 4.* mundum ad ideam τοῦ λόγου, ſiue Chriſti, tamquam prototypi, conditum eſſe, contendunt; qua de re videatur GRAPIVS, in *theologia recens controuerſa continuata, c. 1. qu. 4. p. 15. ſeq.* De materia & forma creationis nihil addimus: cum, ſi rem ipſam ſpectes, ex antea dictis cuncta intelliguntur. Materia enim reuera creationis nulla

Digitized by Google

nulla eſt, cum omnia ex nihilo ſint producta, quamuis quaedam mediate, quaedam immediate, vti ſupra demonſtratum. Forma autem in ipſa productione ex nihilo conſtitui ſolet; ſimul tamen & modum, & ordinem creationis, antea itidem expoſitum, huc referunt.

§. XIX. Praeter animam hominis Deus etiam alios ſpiritus, nullo cum corpore coniunctos, creauit, qui in ſcriptura ſacra *angelorum*, hoc eſt, nuntiorum, nomine veniunt; * eo quod Deus ſubinde in rebus huius orbis, hominum praecipue, diſpenſandis, illorum vtatur miniſterio. Qui, cum ob naturae ſuae praeſtantiam, primum praecipuumque inter res creatas teneant locum, ** illorumque & alias in ſcriptura ſacra ſaepe mentio fiat, de iis, vt ſpeciatim agamus, res ipſa poſtulat.

* Vocem ebraeam מלאך ſi originem ac deriuationem ſpectes, nuntium, ſiue legatum, ad aliquid exſequendum ab alio miſſum, ſignificare, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Sed & ſi vſum ſpectes, generatim quidem itidem nuntium, ſiue legatum, ſpeciatim tamen eiusmodi ſpiritus, de quibus hic ſermo eſt, denotat. Neque de bonis tantum, ſed & de malis ſpiritibus adhibetur, vt *pſ. LXXVIII, 49.* In generaliori illa ſignificatione etiam Chriſtus vocatur *angelus*, ſeu *legatus Dei, Exod. XXIII, 20.* alibique; itemque, *angelus foederis; Malach. III, 1.* De voce graeca ἄγγελος idem cenſendum. Generatim quemlibet nuntium ſeu legatum denotat; quo ſenſu & Ioannes baptiſta & *Matth. XI, 10.* & *Malach. III, 1. angelus* dicitur; ſpeciatim autem eiusmodi ſpiritus, de quibus hic ſermo eſt, vt *Ebr. I, 14,* & alibi ſaepius. In generaliori itaque ſignificatione vox *angelus* officii; in ſpecialiori, officii itidem, ſimul tamen, & quidem praecipue, naturae nomen eſt.

** Inter res a Deo creatas angelos quoque, ſiue ſpiritus referendos eſſe, nemo, cui vlla ſcripturae ſacrae eſt veneratio, dubitabit. Si enim vel maxime verum eſſet, quod HOBBESIVS audacter pronunciat, *de creatione angelorum in ſcripturis ſacris diſertis verbis nihil tradi; Leuiath. c. 34. p. 186,* non tamen inde ſequeretur, ex ſcriptura ſacra eorum creationem colligi non poſſe. Teſtatur namque ſcriptura, vt ex dicendis patebit, dari ſpiritus, vt a Deo ipſo, ita & ab animabus hominum diſtinctos. Eadem teſtatur, quidquid in hoc vniuerſo eſt, a Deo eſſe creatum. Ergo & ſpiritus iſti a Deo creati ſunt. Sed falſum inſuper eſt, quod ſcriptura hoc diſerte non tradat. Diſerte enim hoc Moſes dicit: *igitur perfecti ſunt caeli & terra*, וכל צבאם, *& omnis exercitus eorum; Gen. II, 1.* Per exercitus caelorum angelos etiam intelligi, ex *Nehem. IX, 6.* conſtat: *Tu ipſe domine, ſolus, tu feciſti caelum, & caelum caelorum, & omnem exercitum eorum, & exercitus caeli a te factus, te adorat.* Exercitus vtique caeli Deum adorans, alius eſſe nequit, quam angelorum, quorum & alibi exercitus commemorantur; *Gen. XXXII, 1, 2. 1. Reg. XXII, 19. Luc. II, 13.* Mitto reliqua. Quaeri etiam ſolet, quo tempore angeli ſint conditi? Eos multis ante huncce orbem conditum, ſaeculis iam creatos, nonnulli veteris eccleſiae doctores exiſtimarunt, ſpeciatim ORIGENES atque HIERONYMVS, quorum loca huc ſpectantia exhibet HVETIVS, *Origenian. l. 2. c. 2. qu. 5. p. 68.* At, intra hexaëmeron eos conditos, non eſt, quod dubitemus. Illud enim, *in principio*, ita intelligendum, quod nulla res creata adhuc extiterit, ſupra iam demonſtrauimus. Finito autem hexaëmero *quieuiſſe* Deus dicitur, hoc eſt, nihil amplius creaſſe. Atque hoc ſimul contra quosdam ex anti-trinitariorum

Digitized by Google

riorum cohorte obſeruandum, qui patribus ante memoratis ideo ſuffragantur, quia inde probare volunt, ex eo, quod aliquis ante mundum huncce conditum exſtiterit, nondum colligi poſſe, eum verum eſſe Deum, cum & angeli ante mundum huncce adſpectabilem exſtiterint. Ita namque argumentum, quod pro diuinitate Chriſti ex eius ante mundum προυπάρξει deſumitur, ſe labefactaturos credunt. Sed hoc, ὡς ἐν παρόδῳ. Quoniam autem, iſtorum ſex creationis dierum, angeli conditi ſint, certo definiri nequit. Recepta, ſimulque valde probabilis illorum eſt ſententia, qui primo ſtatim die, vna cum caelo ſupremo, eos productos, adſerunt. Certe iam aderant, cum terra fundaretur, *Iob. XXXVIII, 4-8.* Non procul hinc diſcedunt, qui primo die, ſed in ipſo ſtatim initio, antequam Deus caelum & terram crearet, angelos productos contendunt, putantque, hac ratione illos veteris eccleſiae doctores, qui non diu admodum ante hexaëmeron eos conditos putant, cum reliquis, qui ad ipſum hexaëmeron illorum creationem referunt, facile conciliari poſſe. Praeſtantiam autem angelorum inde aeſtimare licet, quod inter omnes res creatas, ad Deum, qui itidem ſpiritus, ſed infinitis modis excellentior eſt, proxime accedunt.

§. XX Quid ſpiritus ſit, non aliter, quam ex proprietatibus, & operationibus eius, quae in ſcriptura ſacra commemorantur, intelligitur. Has vero ſi iunctim ſumamus, dici poteſt, ſpiritus nomine nobis venire ſubſtantiam materiae expertem, intellectu & voluntate, itemque potentia quadam agendi in corpora, & hinc varias operationes edendi, praeditam. *

* Recepta dudum ſpiritus fuit definitio, quod ſit *ſubſtantia immaterialis.* Hanc mirum in modum exagitauit ſchola Carteſiana, hac ratione dici equidem adſerens, quid ſpiritus non ſit, non autem doceri, quid ſit? Et fateor, pleniorem dari deſcriptionem poſſe; nec tamen ideo prorſus abſurdum cenſeri debet, ſi duo ſaltem ſint ſubſtantiarum genera, remoto altero, vtcumque, quae alterius indoles ſit, indicare. Nec felicius tamen ipſe CARTESIVS rem expediuit, eſſentiam ſpiritus in cogitatione conſtituens, ſeu ſpiritum per cogitationem definiens. Facile profecto aliquis hinc in eam ingredi ſententiam poſſet, eum vnicam ſaltem agnouiſſe ſubſtantiam, & corpora pariter ac ſpiritus pro modificationibus vnius iſtius ſubſtantiae habuiſſe; quod & non ſine quadam ſpecie illi exprobratum fuit a IO. REGIO, in *Carteſio, vero Spinozismi architecto, c. 3. p. 26. ſq.* Rectius equidem ſibi conſulunt, qui ſpiritum per ſubſtantiam cogitantem definiunt, cum hoc ipſo fateantur, ſe ſpiritum non pro accidente aut modificatione quadam, ſed pro ſubſtantia habere; in eo tamen falluntur, quod cogitationem ipſam ſpiritus eſſentiam conſtituere exiſtimant. Eſt namque cogitatio proprietas quaedam ſpiritus, non autem ipſam eius eſſentiam abſoluit. Accedit vero, quod, ſi eſſentia ſpiritus in cogitatione ponatur, non poſſit non inde conſequi, eum nulla ratione agere poſſe in corpora. Quod ſi admittatur, nihil aliud ſupereſt, quam vt cum BECKERO omnes ſpirituum operationes in dubium vocemus. Non aliunde enim, quam ex hocce fonte, errores eius deriuandos eſſe, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Idque ſatis etiam intelligitur ex iis, quae ipſemet in *mundo faſcinato, l. 2. c. 6. §. 11.* hac de re differit. Quae cum ita ſint, ſimulque conſtet, eſſentias rerum nobis non eſſe perſpectas, tum demum recte incedemus, ſi ex ſcriptura ſacra attributa, ſeu proprietates ſpiritus, inueſtigemus, atque ita demum,

mum, quid ſpiritus ſit, definiamus. Habet equidem vox *ſpiritus* in ſcriptura ſacra diverſas ſignificationes, quarum ſeptemdecim FLACIVS, in *claue ſcripturae* voc. *ſpiritus*, enarrauit. Iſtae autem non inter ſe coniungendae, ſed diligenter ſeparandae ſunt; atque tum loca iſta, in quibus de ſubſtantiis, quae ſpirituum nomine veniunt, agitur, diligenter conſideranda, ac proprietates, quae iis tribuuntur, obſeruandae. Quod ſi rite fiat, tum demum deprehendemus, loqui ſcripturam de ſubſtantiis quibusdam a Deo creatis, & ab anima hominis diuerſis, quae I) & inuiſibiles, & materiae omnis expertes ſint; II) Intellectu tamen & voluntate praeditae; III) facultate quoque in corpora agendi, eaque mouendi polleant. Haec omnia in ſequentibus rite demonſtrabimus.

§. XXI. Dari eiusmodi ſpiritus, etſi ipſa ratio, aut experientia potius, ac totius orbis conſenſus, doceat; * omnium firmiſſime tamen ſcriptura oſtendit, quam in omnibus iſtis locis, in quibus angelorum mentionem facit, allegoricis interpretationibus peruertere, nihil aliud eſt, quam in re ſeria puerorum more ludere. * *

* Etſi omnium euidentiſſime ex ſcriptura ſacra, dari eiusmodi ſpiritus, de quibus hic nobis ſermo eſt, demonſtrari queat, non tamen contemnenda, quae & ratio hac de re ſuppeditat. Haec namque primo euidenter docet, non eſſe ἀδύνατον, vt eiusmodi ſubſtantiae, materiae expertes, exſiſtant; ſi quis enim hoc admittere nolit, luculenta illi adferenda eſt ratio, cur hoc ἀδύνατον ſit. Praeterea, ipſius mentis humanae exemplo illud comprobari poteſt; quam ſpiritum, ſeu ſubſtantiam materiae expertem eſſe, ipſa eius attenta conſideratio quemlibet condocebit. Si ergo eiusmodi ſubſtantiae immateriales, cum corpore coniunctae, exſtant, quid tandem obſtat, quo minus & aliae exſiſtant, nullo cum corpore vnitae? Hoc ergo ſi admittatur, merito poſtulatur ab omnibus, ne temere, & ſine praegnanti ratione, reiiciantur teſtimonia illorum, qui aut per adparitionem eiusmodi ſpirituum, aut alias eorum operationes, de illorum ſe certiores redditos exſiſtentia, adfirmant. Si quis enim omnia iſta teſtimonia reiicere velit, illi adſerendum, eos, qui eiusmodi quid teſtantur, aut animum habuiſſe, alios decipiendi, aut ipſos deceptos fuiſſe. Vtrumque equidem aliquando contingere poteſt, vt aliquis aut decipere alios velit, aut ipſemet deceptus ſit. Sed, ſi quis cogitet, nullam temere totius orbis eſſe gentem, nec vllum inter tot, quae iam praeterlapſa ſunt, eſſe ſaeculum, in quibus non quidam exſtiterint, qui de ſpiritibus eiusmodi, eorumque operationibus, teſtimonium aliquod perhibuerint; quod & vniuerſalis illa, ac per totum orbem diffuſa de iis fama ſatis ſuperque comprobat; is facile intelliget, de tanta teſtium multitudine hoc adſeri non poſſe. Sint, qui decipere alios velint! num de tot hominibus, locorum, temporumue maximo interuallo disiunctis, credendum, eos conſpiratione velut facta, decipere orbem voluiſſe? Sint, qui aliquando decepti ſint! nec enim hoc abnuo; cum non ignorem, quanta vis ſit imaginationis, praeſertim, ſi adfectus vehementiores accedant. Quis vero inde colligat, ſemper erraſſe ſenſus, ſemper deceptos homines fuiſſe per vim imaginationis? Sunt enim profecto quaedam exempla ita comparata, vt nec fallaciae, nec errori aut deceptioni in iis relinquatur locus. Scio, teſtimonia aliorum hominum fidem tantum progignere humanam: quae, licet & hac in re ſufficiat, obſeruandum tamen, per teſtium, qui vera dicere & voluerunt, & potuerunt, multitudi-

multitudinem, eam adeo certam reddi poſſe, vt parum a demonſtratione abſit. Nec, quae ſpeciatim de magorum & ſagarum, cum ſpiritibus malignis commerciis, hinc inde narrantur, omnia inter commenta ſunt referenda. Sunt enim haec aliquando ita comparata, vt ex effectibus, qui a nullo mortalium profecti ſunt, aut proficiſci potuerunt, recte colligatur cauſa, ſeu ſpiritus cuiusdam operatio. Atque idem de obſeſſionibus obſeruandum; in quibus, etſi, quae a melancholia, aut aliis morborum generibus ſunt, caute diſcerni velim ab iis, quae naturae operationes excedunt: talia tamen in iis ſubinde occurrere, quorum nulla, ſi daemonis potentia non admittatur, ratio reddi queat, nemo profecto negare poterit. Sed haec iam ediſſerui, in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 7. §. 3. p. 577. ſeq.*

** Tot exſtant in ſcriptura ſacra de ſpiritibus, ſiue angelis, teſtimonia, vt vix credibile videatur, hominem, qui illius auctoritatem aut admittit, aut admittere vult videri, horum aut exſiſtentiam, aut operationes in dubium vocare poſſe. Id tamen BECKERVS incredibili temeritate auſus eſt: quamquam, quod negari nequit, iam alios, & quidem inter ipſos Iudaeos, Sadducaeos, hac in re praeeuntes ſibi habeat. Ex infinito autem iſto teſtimoniorum & exemplorum numero pauca quaedam ſeligemus, vt ſimul oſtendamus, quam vanus irritusque ſit iſtorum hominum, in iis eludendis, conatus. In primo ſtatim limine ſcripturae ſerpens ille, primorum parentum ſeductor occurrit, *Gen. III, 1. ſeq.* Hic ſolum eiusmodi animal, quod ſerpentis nomine venit, intelligi nequit, niſi dicere velimus, ſerpentes olim & rationis vſu inſtructos, & loquendi facultate praeditos fuiſſe. Non neſcio, quosdam ita cenſuiſſe; an ſerio? merito dubites, adeo hoc omnem fidem ſuperat. Seductor itaque ille, cum nec animal brutum eſſet, nec homo, ſequitur, fuiſſe ſpiritum. Praeter homines enim non dantur ſubſtantiae rationis vſu pollentes, quam ſpiritus. Idque & ſcriptura diſerte, *Io. VIII, 44. apoc. XII, 9*, alibique, confirmat. Quid itaque ad haec BECKERVS? Infernali genio ideo ſeductionem primorum parentum tribui, ait, quod hi ad illius exemplum peccauerint; *mund. faſcinat. lib. 2. c. 20.* Lepide prorſus. Si quis ergo hodie homicidium committat, a Caino ad hoc ſeductus merito dicetur, quia ad exemplum Caini hoc fecit. Sed aliter ſcriptura hac de re loquitur, non ad exemplum diaboli homines peccaſſe, nos condocens, ſed ab eo ſeductos eſſe; *Ioan. VIII, 44. 2. Cor. XI, 3. apoc. XII, 9.* Immo, cum Moſes colloquium ſeductoris cum primis parentibus, & ipſa eius verba referat, nonne ſumma impudentia eſt, adſerere, primos homines ad exemplum diaboli ſaltem peccaſſe? Sed haec Moſis narratio ἀλληγορικῶς forte eſt intelligenda. Id quidem iſti homines vellent. Sed tum nihil firmum, certumque in ſcriptura maneret, ſi eiusmodi narrationes hiſtoricas in allegorias convertere fas eſſet. Alterum exemplum praebet ſollemnis illa trium angelorum adparitio, quae Abrahamo obtigit, *Gen. XVIII, 2. ſeq.* quorum vnus increatus ille, ſeu filius Dei fuit; vt pluribus a me demonſtratum, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 3, §. 17. p. 376.* reliqui vero duo creati, qui Lothum cum familia ex Sodoma vrbe, ne vna cum impiis periret, eduxerunt. Hic vero BECKERVS homines, & quidem prophetas, intelligit, *lib. 2. cap. 14.* Sed, cur vocantur angeli? Nuntii, inquit, ſeu legati Dei erant, vt prophetae eſſe ſolent. Sed angeli nomen non officii tantum, ſed & naturae eſſe, ſi in ſpecialiori ſignificatione ſumatur, ſupra docuimus. Hic vero ita ſumendum, cum ſine omni additamento ponatur, res ipſa docet. Et, quid ambagibus opus? cum non homines, ſed ſpiritus, quos angelos vocamus, fuiſſe, diſerte

Aaa 2 Paulus

Digitized by Google

Paulus apoſtolus doceat, hoſpitalitatis praemia ex eo commendans, quod Abrahamus inſcius etiam angelos conuiuio excepiſſet; *Ebr. XIII*, 2. Quae ratiocinatio inepta foret, ſi homines, & non angeli proprie ſic dicti intelligantur. Friuolum eſt, quod hic regerit BECKERVS, Paulum aut omnes tres angelos, aut duos tantum intellexiſſe. Prius ſi dicatur, non poſſe ex voce יהוה, quae vni tribuatur, probari, eum fuiſſe filium Dei; ſin poſterius, Paulum non recte egiſſe, quod illum omiſerit, qui verus Deus erat, cum argumentum eius longe fuiſſet efficacius, ſi dixiſſet, hoſpitalitate Abrahami effectum fuiſſe, vt ipſum Deus conuiuio exciperet. Nullum enim eſt dubium, quin omnes tres angelos intelligat. Inde autem quo pacto ſequatur, vnum ex iis non fuiſſe verum Deum, nec potuiſſe nomine יהוה inſigniri, non video. Cur enim filius Dei non poſſet vocari angelus, ſi increatus angelus intelligatur, cum & toties etiam in ſcriptura ſacra hocce nomine veniat? Tertium denique argumentum hiſtoria tentationis Chriſti ſuppeditat; *Matth. IV*, 1. *ſeq.* in qua non tantum tentatoris, ſeu diaboli, ſed & bonorum angelorum, qui, finita tentatione, Chriſto miniſtrauerint, mentio iniicitur. Atque per tentatorem homo aliquis intelligi nequit, cum Matthaeus non ſemel, ſed ſaepius eum diſerte *diabolum* vocitet, quo nomine abſolute poſito, non homo aliquis, ſed infernalis genius deſignatur, qui & *v.* 10. *ſatanas* dicitur. Et nulla profecto ratio excogitari poteſt, cur, ſi homo fuiſſet, qui ſeruatorem tentauit, non aperte potius hoc dicere maluiſſet Matthaeus, quam eiusmodi vocibus, vti, quae alias de ſpiritu maligno vſurpari ſolent. Praeterea, quod tentator Chriſtum in pinnis templi conſtituit, aliter intelligi nequit, quam quod eum per aërem in huncce locum deduxerit. Per gradus enim tentatorem hominem vna cum Chriſto huc adſcendiſſe, ſine firmo ſatis fundamento adſeritur. Nec Chriſto indignum erat, vt hac ratione ab infernali genio per aërem circumduceretur. Non enim inuitus hoc patiebatur, ſed vt certamen, quod noſtri cauſſa illi ſubeundum erat, abſolueret. Cumque in ſtatu exinanitionis conſtitutus, longe grauioribus ab hominibus adfectus ſit contumeliis, nemo mirabitur, quod lubens volensque hancce diabolo in ſe ad certum tempus conceſſerit poteſtatem. Denique nec illud in hominem quadrat, quod tentator Chriſto, in monte altiſſimo conſtituto, omnia regna mundi, eorumque gloriam, & quidem ἐν στιγμῇ χρόνου, in *momento* vel *puncto temporis*, vt Lucas refert, *cap. IV*, 5. monſtrauit. Nullum enim eſt dubium, quin illud arte quadam praeſtigiatrice, in aëre omnia regna mundi, velut in tabula quadam repraeſentando, fecerit. Et, quis credat, hominem aliquem, & quidem Iudaeum, tam ſtolidum fuiſſe, vt regna mundi Chriſto polliceri auderet, quae ipſe non habebat? aut tam impudentem, vt a Chriſto poſcere auderet, vt ſe adoraret? Diabolum autem, vtpote τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου, *Ioan. XII*, 31. *XIV*, 30. τὸν θεὸν τοῦ αἰῶνος τούτου, 2. *Cor. IV*, 4. hoc ſibi tribuiſſe, nemo mirabitur. Alia equidem via BECKERVS incedit, adſerens, in imaginatione haec omnia peracta, qua Chriſtus prauas cupiditates ſibi repraeſentauerit, ac ſi per eas tentaretur; *lib.* 2. *cap.* 21. Quod ineptum pariter ac impium eſt. Ineptum quidem, quia ſcriptores ſacri hancce tentationem ita narrant, prout ea omnia, quae reuera contigerunt, narrare ſolent, nec vel minimum indicium praebent, ex quo colligi queat, haec in imaginatione ſaltem contigiſſe. Impium autem, quia eiusmodi tentationes in imaginatione Chriſti ſine peccato repraeſentari non potuerunt. Sequeretur ergo inde, Chriſtum non omnis peccati fuiſſe expertem; cum tamen apoſtolus adſerat,

eum

Digitized by Google

eum in omnibus equidem tentatum, ſicut nos, ſed ſine peccato ; *Ebr. IV*, 15. Non tantum autem diaboli, ſed bonorum quoque angelorum in hacce Chriſti tentatione mentionem fieri, antea obſeruauimus. Vbi quidem iterum abſonum foret, per angelos, qui Chriſto miniſtraſſe dicuntur, apoſtolos intelligere. Cum enim hi alias ſemper aut diſcipuli Chriſti, aut apoſtoli dicantur, quid, quaeſo, Matthaeum permouiſſet, vt nunc angelorum nomine eos deſignare voluerit? Sed, mitto reliqua. Nec plura etiam, aut exempla, aut teſtimonia ſcripturae adferre, neceſſe eſt, cum ea non temere cuiquam, niſi, qui ſcripturam numquam legit, ignota eſſe queant.

§. XXII. Spiritum materiae expertem eſſe, vel ex operationibus, quae illi tribuuntur, intelligitur. Quo pacto enim fieri queat, vt res extenſa cogitet, hoc eſt, intelligat, velit, libereque agat, mens noſtra capere nequit. * Idque & ſcriptura confirmat, ſpiritum, voce pro angelo accepta, generatim cuiuis corpori opponens. ** Ex eo vero, quod ſpiritus eſt materiae expers, ſequitur, eum quoque eſſe ſimplicem, hoc eſt, nec ex materia atque forma, neque ex partibus integrantibus compoſitum; corruptioni, ſeu deſtructioni non obnoxium, adeoque & immortalem ; & denique, certo quodam loco circumſcribi non poſſe. ***

* Res nobis hic cum illis eſt, qui concedunt, dari ſpiritus ; concedunt etiam, eos intellectu ac voluntate praeditos ; (quod & deinceps ex inſtituto demonſtrabitur;) largiuntur denique, eos natura ſua eſſe inviſibiles; ſed materiae omnis expertes eſſe negant. Ita non tantum gentilium quidam philoſophi, Platonici atque Pythagoraei, ſed plurimi etiam ex veteris eccleſiae doctoribus, ſentiebant; vt in ſequentibus dicemus. His ergo hocce, quod ab operationibus ſpirituum deſumitur, argumentum recte opponitur. Nimirum, non aliae nobis de ſpiritibus iſtis innotuerunt operationes, quam, quas in mente noſtra obſeruamus ; ex quibus praecipuae ſunt, intelligere, & velle, ſeu cogitare. Hinc ergo recte concluditur, eos eſſe materiae expertes. In materia enim generatim ſpectata nihil aliud, quam extenſionem, diuiſibilitatem, facultatemque recipiendi motum, variasque figuras, deprehendimus. Haec autem, quocumque modo conſideres, & in quamcumque verſes partem, quacumque ratione diſponas, nihil tamen, quod cogitationi, nedum multis cogitationum modis reſpondeat, inde elicies. Conferenda, quae de anima humana eumdem in modum diſputaui, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 5. §. 7. p. 420. ſeq.* Nec eſt, quod regeras, angelos tamen, noſtra confeſſione poſſe agere in corpora ; vnde ſequatur, ſi vel maxime mentem habeant immortalem, eos tamen corpore quodam ſubtili praeditos eſſe, quae & veterum fuerit ſententia. Verum, cauſſa prius adferenda erat, cur ſpiritus, ſeu ſubſtantia materiae expers nulla ratione in corpus agere queat? Exemplo animae noſtrae contrarium iterum doceri poteſt, quam certos in corpore noſtro motus excitare poſſe, cum ipſa materiae expers ſit, experientia quotidiana omnes condocet.

** Angelos in ſcriptura ſacra ſpiritus vocari, poſitum eſt extra controuerſiam, & vel ex *Ebr. I*, 14. conſtat. Cum autem vox ſpiritus diuerſas in ſacris litteris habeat ſignificationes, vti ſupra obſeruauimus; eam aliquando ita vſurpari, vt materiae expertem ſubſtantiam ſignificet, negari nequit.

quit. Ita ſane Deus ipſe ſpiritus dicitur, *Io. IV, 24.* Nullum itaque eſt dubium, quin eadem ratione vox haecce ſumenda ſit, quando de ſubſtantiis creatis, ratione praeditis, vſurpatur. Hinc & ipſe ſeruator ſpiritum eiusmodi *carnem & oſſa habere* negat; *Luc. XXIV, 39.* Quod non ita intelligendum, ac ſi concedat, ſpiritus habere corpora ſubtiliora; ſed, cum ſpiritum non cuilibet corpori, verum ſuo, quod iam erat glorificatum, opponat, indicat, eos omnis plane materiae expertes eſſe, & ſi forte adpareant, ex aëre ſpeciem ſaltem quamdam corporis formare. Nec praetermittendum, quod Paulus, dum per Chriſtum omnia, tum viſibilia, tum inuiſibilia, condita adſerit, per viſibilia quidem res corporeas, & materiales quasuis; per ἀόρατα autem, ſiue *inuiſibilia*, res omnes incorporeas, atque materiae expertes, quorſum diſerte angelos refert, intelligat; *Col. I, 16.* Dubium equidem aliquod ſuboriri poſſet, ex *pſ. CIV, 4.* vbi dicitur: *qui facit angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem flammantem.* Cum enim nonnulli per רוחות *ſpiritus*, ventum ſeu aërem intelligant, ſenſum huncce eſſe putant, quod Deus angelos fecerit, quorum quidam aërii ſint, alii ignei. Ita GROTIVS ad *h. l.* verba haecce explicat, qui ſimul ad Pythagorae pariter ac Platonis ſcholam, itemque ad Iudaeos non minus ac chriſtianos prouocat veteres, quod angelis corpora, etſi ſubtiliſſima, tribuerint. Alii contra, qui cum BECKERO ſpirituum exſiſtentiam & operationes negant, verborum illorum hunc ſenſum eſſe contendunt: *qui ſpiritus, ſiue ventos, facit nuntios ſiue legatos ſuos*, hoc eſt, iis ad puniendos homines, vel alia opera efficienda, vtitur; & *ignem flammantem*, ſeu fulmina, *miniſtros ſuos*, vt iis etiam ad potentiam ſuam demonſtrandam vtatur. Atque hanc inde confirmant interpretationem, quod in antecedentibus de caelo aërio, nubibusque, quae in eo conſpiciuntur, itemque ventis, auctor pſalmi loquatur, vti in ſequentibus telluris, maris & montium mentionem faciat. Conueniens itaque eſſe, vt, quae *v. 4.* dicuntur, itidem de iis, quae in aëre conſpiciuntur, ventis atque fulminibus intelligantur. Verum, de angelis hic ſermonem eſſe, dubitare nefas eſt, cum id diſerte Paulus apoſtolus doceat, *Ebr. I, 7.* Nec repugnant verba, ſi modo recte explicentur. Ordo enim ipſe, atque poſitus eorum poſtulat, vt *angeli*, itemque *miniſtri* hic ſubiecti loco ſint; de quibus adeo adſeritur, quod Deus eos faciat *ſpiritus*, item *ignem flammantem.* Huncce ſermonis ordinem plane turbant, qui de angelis hic ſermonem eſſe negant, & de ventis dici putant, quod ſint nuntii, deque fulminibus, quod ſint miniſtri. Nec obſtat, quod in antecedentibus caeli aërii, in ſequentibus, telluris, maris, montium, mentio fiat. Cum enim auctor pſalmi in eo ſit, vt generatim opera creationis celebret, iure meritoque & angelorum mentionem facit, qui haud vltimum inter ea tenent locum. Quando autem dicit, quod faciat angelos ſuos *ſpiritus*, hac quidem voce *ventos* deſignari puto, ſed ea ratione, vt angelos, quos & miniſtros Dei vocat, ob ſummam velocitatem, celeritatemque, itemque potentiam, & efficaciam aliquid agendi, partim cum ventis, partim cum igne flammante, comparet. Corruit itaque inde ſententia GROTII, ſpiritus aërios atque igneos ex hisce verbis confingentis.

*** Simplicitas eiusmodi, quae ſpiritibus creatis tribuitur, ex eorum immaterialitate recte deriuatur. Quod enim ex materia & forma, itemque ex partibus integrantibus compoſiti non ſint, eius rei ratio eſt, quod omnis materiae ſint expertes. De aliis compoſitionis modis, e. g. ex ſubiecto & accidenti, hic ſermo non eſt. Hos enim in ſpiritus creatos cadere, nemo ignorat. Sequitur inde porro, ſpiritus corruptioni & deſtructioni non eſſe obnoxios, adeoque

que

Digitized by Google

que & immortales. Deſtructio enim in partium quadam ſeparatione conſiſtit. Quidquid ergo ex partibus compoſitum non eſt, illud quoque deſtrui naturaliter nequit. Atque hinc porro fluit, ſpiritus non *gratia Dei*, ſed *ſua natura* eſſe immortales. Alio tamen ſenſu etiam dici poteſt, eos gratia Dei eſſe immortales; ſcilicet, quod non tantum eiusmodi naturam, quae deſtructioni obnoxia non ſit, munere Dei acceperint, ſed quod is etiam ſpiritus creatos deſtruere nolit, etiamſi id facere poſſet. Atque hoc veteris eccleſiae doctores ſibi voluiſſe videntur, quando principii loco ponunt; *ea, quae initium habuerunt, neceſſario finem habitura*, ſi ſcilicet Deus velit; atque hinc porro collegerunt, angelos non natura, ſed gratia eſſe immortales. Ita praeter alios IO. DAMASCENVS: ἀθάνατος οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι. πᾶν γὰρ τὸ ἀρξάμενον καὶ τελευτᾷ κατὰ φύσιν. *immortalis eſt* (angelus) *non quidem natura, ſed Dei munere, ac gratia. Quidquid enim ortum habuit, finem quoque ſuapte natura habiturum eſt; de fide orthod. lib. 2. cap. 3. p. m. 156.* Enimuero, ſi effatum illud, *quidquid ortum habuit, finem quoque habiturum eſt*, aliter quam diximus capiatur, admitti nequit. Sequetur enim inde, non tantum angelos, ſed & animas hominum natura ſua mortales eſſe. Haud dubio autem patres, qui illo principio vſi ſunt, indicare voluerunt, ſolum Deum independenter, abſolute, & ea ratione immortalem eſſe, vt nullo modo finem habere queat; ſpiritus autem creatos, dependenter, & ex voluntate Dei, ita quidem, vt, licet natura illorum in ſe ſpectata, corruptioni obnoxia non ſit, finem tamen, ſi Deus velit, habere poſſint. Fatendum autem, non ſatis commode eos hac in re loquutos, ſi modo omnino non errarunt. Conferenda, quae LEQVIEN, ad *Damaſceni l. c.* hac de re differit. Ex immaterialitate ſpirituum etiam illud fluit, quod eo modo, quo corpora, in loco non ſint. Nullam enim extenſionem habent, nullasue partes, quibus loci partes reſpondeant. IO. DAMASCENVS hoc ita explicat: Νόες δὲ ὄντες, ἐν νοητοῖς καὶ τόποις εἰσὶν, οὐ σωματικῶς περιγραφόμενοι. οὐ γὰρ σωματικῶς κατὰ φύσιν σχηματίζονται, οὐδὲ τριχῇ εἰσὶ διάστατοι, ἀλλὰ τῷ νοητῶς παρεῖναι, καὶ ἐνεργεῖν, ἔνθα ἂν προσταχθῶσι, καὶ μὴ δύνασθαι κατὰ ταυτὸν ὧδε κἀκεῖσε εἶναι, καὶ ἐνεργεῖν. *Iam vero cum mentes ſint, in huiusmodi quoque locis ſunt, quae mente intelliguntur; non, quod corporeo modo circumſcribantur, (neque enim more corporum, quod ad naturam attinet, figurantur, aut trina dimenſione diſtenti ſunt) ſed quod, vbi ſe conferant, illic ſpiritualiter adſint, & operentur, nec eodem tempore hic atque illic eſſe & operari poſſint; l. c.*

§. XXIII. Intellectu angelos praeditos, ſcriptura teſtatur, quando illis eiusmodi opera tribuit, quae ſine intellectu peragi nequeunt; *Eſ. VI, 3. Eph. III, 10. Ebr. I, 6. 1. Petr. I, 12.* item *2. Sam. XIV, 20.* Nec vllum eſt dubium, quin & ſe ipſos, & Deum creatorem, & res alias, praeter ſe, a Deo conditas, ſiue ſpiritus ſint, ſiue corpora, cognoſcant. * Cognoſcunt etiam ea, quae in hocce mundo geruntur, ſeu eueniunt, etſi non omnia; ſed, quibus aut ipſimet interſunt, aut, quae ratiocinatione, vel alio modo illis innoteſcunt. ** Ex iis, quae Deus ad hominum ſalutem reuelauit, itemque futuris contingentibus, tantum ſciunt, quantum Deus illis reuelauit: abſque reuelatione futura contingentia aut plane neſciunt, aut non, niſi per naturalem ſagacitatem, ac vim coniectandi, qua homines multum ſuperant, ea cognoſcunt. *** Cogitationes etiam hominum

num non niſi ex ſignis & effectibus eos intelligere, vix eſt quod dubitemus. *

* Poſſunt haec omnia, quae de obiecto cognitionis angelicae hic adſerimus, partim ex comparatione eius cum cognitione humana, partim ex ipſa ſpiritus creati notione, ſuffragante & ſcriptura ſacra, demonſtrari. Cum ergo homo ſe ipſum cognoſcat, eorumque, quae in eo ſunt, & ab eo fiunt, ſibi conſcius ſit, id etiam, quin de angelis adfirmandum ſit, nullum plane eſt dubium. Deum quoque, creatorem ſuum, quod cognoſcant, certum eſt, idque tum cognitione *naturali*, quae ex lumine naturae proficiſcitur, & malis, bonisue angelis communis eſt, *Iacob. II, 19.* tum *ſupernaturali*, quae bonis angelis propria eſt; quorſum & intuitiua illa, ſummae illorum beatitudinis partem conſtituens, *Matth. XVIII, 10.* refertur. Quod etiam res alias, praeter ſe, a Deo conditas cognoſcant, ex operationibus, quas ſcriptura illis tribuit, intelligitur. Vnum angelum alios cognoſcere, inde conſtat, quod inter ſe colloqui dicantur; *Eſ. VI, 3. Zachar. II, 3.* Hominum animas cognoſcunt, quia piorum deportant in ſinum Abrahami, *Luc. XVI, 22.* Cumque boni angeli, vt πνεύματα λειτουργικά, a Deo mittantur ad cuſtodiam hominum piorum, *Ebr. I, 14. pſ. XXXIV, 8.* hoc officio fungi non poſſent, niſi ſingulos homines, qua corpora etiam ſpectatos, adeoque res materiales cognoſcerent.

** Quod non omnia, quae in hocce mundo geruntur, cognoſcant, inde manifeſtum eſt, quod intellectus eorum, quantumuis excellens, limitibus tamen certis circumſcriptus eſt, & finitus. Ex eo etiam, quod ea, quae cognoſcunt, non vna eademque ratione cognoſcant, ſequitur, in quibusdam certam, in aliis incertam illorum eſſe cognitionem, atque coniecturis, ſeu argumentis probabilibus ſaltem inniti.

*** Quod ea, quae ad hominum ſalutem, immo & eccleſiae conſtitutionem, ex Numinis voluntate pertinent, non, niſi ex reuelatione diuina illis innoteſcant, conſtat ex *Eph. III, 10.* & *1. Petr. I, 12.* Nec futuros euentus, qui rationis vim ſuperant, eos cognoſcere, notum eſt ex *Marc. XIII, 32.* Rerum praeterea contingentium haec eſt indoles, vt, cum in iis nullum detur medium cognoſcendi, ab intellectu finito, adeoque nec angelico, cognoſci nequeant. Quare etſi angeli multo plura ex futuris, quae ex certis cauſſis, latentibus interdum & occultis, intuitu hominum, ſed non intuitu ſpirituum, dependent, cognoſcere queant, quam homines; eiusmodi tamen futura, quae vere contingentia ſunt, nullo modo cognoſcere poſſunt. Hinc & cognitio futurorum contingentium ſoli Deo, ceu character illi proprius, tribuitur; *Eſ. XLI, 23. XLV, 21.*

* Si enim directe & immediate angeli cogitationes hominum cognoſcere poſſent, ſequeretur, quod in aliis etiam angelis idem poſſent; cum nulla diuerſitatis reddi ratio queat. Non autem credibile, angeli cuiusdam cogitationes aliis angelis ita patere, vt ſine ſignis illis innoteſcant. Accedit, & praecipue rem conficit, quod cordium ſcrutatio, adeoque cogitationum absque ſignis cognitio ſoli Deo iterum, ceu documentum omniſcientiae eius, vindicetur; *1. Sam. XVI, 7. 1. Reg. VIII, 39. 2. paral. VI, 30.*

§. XXIV. De modo cognitionis angelicae ex comparatione cum humana iudicium ferendum, etſi per omnia non conueniant. Quae enim ex corporis commercio aliquid trahit, vt imaginatio, in ſpiritus, nullo

nullo cum corpore coniunctos, non cadit; quippe quibus tantum, quae ad intellectum purum pertinent, tribui poſſunt. * Vt autem intellectus hominis purus etiam per ideas res extra ſe poſitas cognoſcit, ita & cur de angelis aliter cenſere debeamus, nulla praeſto eſt ratio. Immo, cum res plurimas, quibus ipſimet praeſentes non ſunt, cognoſcant, non aliter, quam per ideas eas cognoſcere, manifeſtum eſt. ** Ideas etiam eos inter ſe iungere, hinc & tum iudicare, tum ratiocinari, vel inde colligimus, quod intellectus eorum finitus, ſeu certis limitibus circumſcriptus eſt. *** Qui autem angelos res omnes in eſſentia Dei velut in ſpeculo intueri, adſerunt, neſciunt mea opinione ipſimet, quid dicant, ſtatuantue. *

* Res vtique materiales atque corporeas angeli cognoſcunt, vti antea dictum, ſed non eo modo, ac homines. Imaginatio enim, qua homines res corporeas cognoſcunt, cum ea, quae ſenſibus percepimus, iterum reſuſcitet ac repraeſentet, angelis tribui nequit. Fatendum itaque, modum, quo angeli res corporeas percipiant, & perceptas ſibi iterum ſiſtant, minime nobis exploratum eſſe.

** Vt ſe ipſos angeli cognoſcant, nullis opus habent ideis, cum eorum omnium, quae in illis ſunt, aut fiunt, intime ſibi conſcii ſint. Bonorum angelorum cognitio Dei, quam intuitiuam vocant, quo pacto comparata ſit, intelligetur ex iis, quae ſuo loco de hominum cognitione intuitiua dicemus. Reliqua omnia non aliter, quam per ideas cognoſcere poſſunt, vti vel ex analogia humanae cognitionis intelligitur.

*** Secus ſcholaſtici doctores ſentiunt, incaute intellectum diuinum cum angelico conferentes. Deo equidem eiusmodi idearum comparationes, atque ratiocinationes, tribui nequeunt; immo, Deus nullis plane ideis in rebus, quae actu exſiſtunt, cognoſcendis opus habet. Sed angelicus intellectus cum finitus ſit, adeoque non omnia ſimul complecti queat, longe rectius in hocce etiam capite cum humano intellectu comparatur, quam cum diuino.

* Quorumdam Romanae eccleſiae doctorum hocce commentum eſt, qui hac ratione euincere volunt, angelos in Deo omnia cognoſcere, adeoque & hominum preces ad ſe directas, intelligere, hinc & recte inuocari. Verum, etſi angeli boni faciem Dei ſemper videant; *Matth. XVIII,10.* nullibi tamen dicitur, quod in Deo tamquam in ſpeculo omnia cognoſcant. Quin, ſi hoc eſſet, angeli boni eſſent omniſcii, & nihil omnino ignorarent; quod falſum eſſe, ex antea dictis conſtat.

§. XXV. Voluntate quoque praeditos angelos, ex actibus eius, qui iis tribuuntur, liquet. * Eſtque & alias cum intelligendi facultate ſemper coniuncta voluntas. Vt enim intellectus, quid bonum, quidue malum ſit, cognoſcit, ita voluntas illud adpetit, hoc auerſatur. ** Sed libera quoque eſt angelorum voluntas, etſi pro diuerſo illorum ſtatu, vt deinceps dicemus, diuerſimode haecce libertas ſeſe exſerat. ***

* Quales ſunt adfectus angelorum, de quibus §. *ſequenti* dicemus. Idem vero ex virtutibus etiam eorum, de quibus ibidem verba facimus, liquet. Certe niſi voluntate, eaque libera praediti eſſent, non poſſet bonis obedientia tribui, *pſ. CIII, 23. Matth. VI,10. Ebr. I,14.*; nec dici, malos per inobedientiam lapſos; *2. Petr. II, 4.*

** Vnde recte concluditur, vbi eſt intellectus, ibi etiam voluntas; certe, intellectus nullus vſus eſſet, ſi quis voluntate, ad ea ſequenda, quae ille adprobat, fugienda autem, quae improbat, non gauderet.

*** Libertas a neceſſitate, praecipua eſt voluntatis proprietas; quae, ſi abſit, voluntas vim ſuam atque efficaciam exſerere nequit, adeoque vix digna eſt hocce nomine. Libertatem autem eam intelligimus, quae in indifferentia ad oppoſita conſiſtit. Angelorum autem libertatem aliter ſe habuiſſe, cum omnes in ſtatu, in quo conditi erant, adhuc exſiſterent; aliter, cum quidam eorum lapſi eſſent, ex dicendis conſtabit.

§. XXVI. Voluntatis porro commotiones, quae ex obiecto quodam bono aut malo, ei oblato, excitantur, quaeue adfectuum nomine veniunt, itidem non poſſunt non in angelis exſiſtere. Hinc & ſcriptura adfectus, vt gaudium, *Luc. XV, 10,* ac deſiderium, *1. Petr. I, 12,* illis tribuit; quod tamen de commotionibus mere mentalibus eſt intelligendum * Pari ratione & certae in illis propenſiones, ſeu inclinationes, non tantum naturales, ſed & habituales eſſe poſſunt, quae, ſi in bona ferantur, virtutum, ſin in mala, vitiorum nomine veniunt. **

* De diſcrimine inter adfectus mentales & ſenſuales, quorum illi ſpirituum, hi hominum ſunt, dictum in *inſtit. theol. mor. part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 29. & 30.*

** Cum angeli in eo ſtatu adhuc eſſent, in quo conditi erant, propenſiones illorum bonae erant, & ad bonum quoque finem, gloriam ſcilicet creatoris, vnice comparatae. Poſtquam autem per quorumdam lapſum diſcrimen inter bonos & malos angelos exortum eſt, horum quidem corrupta eſt natura & deprauata, vt nihil niſi malum velint; hinc & omnes eorum propenſiones malae ſunt, ſecundum naturam illam corruptam, conſuetudine & actibus ſaepius repetitis augendae & corroborandae. Quidquid ergo vitiorum cogitari poteſt, in angelis malis eſt; conf. *Io. VIII, 44.* Bonorum contra angelorum, vt ſummus ſemper erga Deum amor fuit, ita ſummum quoque ſtudium, ad eius nutum & voluntatem ſe componendi; hinc & quidquid aut nominari, aut cogitari virtutis poteſt. in iis deprehenditur; idque tum per naturam, accedente per conſuetudinem incremento quodam, tum per gratiam Numinis, praeſertim, poſtquam in bono confirmati ſunt.

§. XXVI. Eſt quoque in angelis potentia, aliorum ſpirituum cogitationes certo modo adficiendi, adeo, vt in illis cogitationes, iis, quas ipſi habent, ſimiles, exſiſtant; quam cogitationum communicationem admodum improprie *loquelam angelorum* vocare ſolent. * Neque tantum hac ratione cum aliis angelis ſuas communicare cogitationes poſſunt, ſed & cum mentibus hominum; quamquam horum etiam mouere queant imaginationem, & hac ratione cogitationes in iis excitare. Modus autem huius communicationis nobis plane ignotus eſt: quemadmodum nec id conſtat, quouſque haec potentia pateat; itemque, an, & qua ratione, ab hominibus praeſertim, impediri queant.

* Quae ſcholaſtici doctores operoſe de loquela angelorum diſputant, ſi non in ineptias, certe meras & inanes coniecturas abeunt. Non itaque eſt, vt iis immoremur.

Non

Digitized by Google

Non autem de iſta loquela angelorum, qua in corpore quodam adſumto cum hominibus colloquuntur, ſed de cogitationum, quae ab iis, ceu ſpiritibus, peragitur, communicatione, nobis ſermo eſt.

** Quod aliquando angeli mali cogitationes ſuas immediate cum hominibus communicare, adeoque in his varias cogitationes excitare poſſint, nemo temere abnuet. Nec dubium, quin in impiis hoc frequentius fiat, quam in piis; numquam tamen tum in his, tum in illis, ſine ſingulari Numinis permiſſione id fieri, vt credamus, par eſt. Pios autem precibus ſuis impedire hancce communicationem poſſe, niſi Deo ob cauſſas grauiſſimas aliter videatur, itidem in confeſſo eſt. Reliqua non ſatis cognita nobis ſunt, atque perſpecta. Conferenda, quae copioſius hac de re dixi in *inſtit. theol. mor. part. 1. cap.* 2. ad *§. 26. ac 27.*

§. XXVIII. Non minus & potentia agendi in corpora, eaque mouendi, variasque operationes hac ratione edendi, gaudent; *Geneſ. XIX, 10, 11*; 2. *reg. XIX, 35. pſal. LXXVIII, 49. actor. V, 19.* * Quod & exempla obſeſſorum, quae magno numero in hiſtoria euangelica occurrunt, confirmant. ** Magna autem licet haecce ſpirituum ſit potentia, ſuis tamen itidem eſt circumſcripta limitibus. *** Hinc, licet mirabilia facere queant, miracula tamen, niſi ex potentia a Deo ſpeciatim conceſſa, facere nequeunt; quippe quod ſoli Deo eſt proprium. *

* Etſi enim modus, quo hoc fiat, vt ſpiritus in corpus agat, ignotus ſit, res ipſa tamen ideo in dubium non vocanda, per luculentiſſima quippe ſcripturae teſtimonia extra controuerſiam poſita. Modus etiam, quo anima noſtra corpus proprium mouet, ſiue, qua ratione ad certos motus mentis, ſeu voluntatis, certi ſequantur motus corporis, itidem nobis cognitus non eſt, nec tamen ideo quis negauerit, ab anima noſtra corpus noſtrum moueri, ſeu, ad certos motus mentis ſequi certos motus corporis. Plus quam decet, ſibi ipſis tribuunt, qui naturam ſpiritus adeo ſibi exploratam intimeque perſpectam credunt, vt fidenter pronuntiare audeant, ſpiritum non poſſe agere in corpus. At, ſi paullo modeſtius de intellectus ſui limitibus ſentirent, rectius etiam ſaperent, & praecipitia, in quae ruunt, facile euitarent. Qui ex Carteſiana ſchola prodierunt theologi, ſpiritus per cogitationem ſaltem & voluntatem operari contendunt. Ita WITTICHIVS, in *theol. pacifica, c. 13. p. 147.* IO. BRAVNIVS, in *doctrina foederum, vol. 1. part. 2. loc. 5. c. 11. p. 174. ſq.* aliique. Sed perperam ceu euictum adſumunt, eſſentiam ſpiritus conſiſtere in cogitatione; quem eorum errorem ſupra iam refutauimus.

** De obſeſſione, magia, & ſpectris, aliisque malorum angelorum operationibus, quibus probari ſolet, eos in corpora agere, & ea mouere poſſe, deinceps dicetur ad *§. 39.* Addi adhuc poſſunt adparitiones bonorum angelorum, ſaepius in ſcriptura ſacra commemoratae, *Gen. XVIII, 2. ſq. Luc. I, 26. ſq. c. II, 9.* alibique. Cum enim corpus aliquod ex aëre formatum adſumſerint, in quo adparuerunt, id ſane ſine quadam in aërem, & quidem craſſiorem, quem hunc in modum diſpoſuerunt, vt corporis figuram atque colores exhiberet, actione fieri nequibat.

*** Magnam angelorum eſſe potentiam, ſcriptura teſtatur, dum eos ob fortitudinem & robur paſſim celebrat; *pſalm. CIII, 20. Matth. XII, 29. Luc. XI, 21.* Immo 2. *Petr. II, 11.* ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες *maiores robore & potentia hominibus* dicuntur. Eadem tamen potentia certis limitibus eſt circumſcripta. Hoc enim ni eſſet, infinita foret; quae ſoli Deo conuenit. Praeterea, cum imperio

Bbb 2

perio diuino ſint ſubiecti, non omnia, quae volunt, eos facere poſſe, manifeſtum eſt.

* Ad miraculum enim requiritur, vt leges naturae a Deo ſtabilitae tollantur, vel ſuſpendantur; quod, cum ſine potentia infinita fieri nequeat, ſequitur, ſolum Deum poſſe miracula edere. Solus quoque Deus leges iſtas conſtituit, ſolus ergo etiam eas tollere, aut ſuſpendere poteſt. Spiritus autem creatus, cum potentia, & agendi celeritate longe maiori, quam homines, polleat, per cauſſarum naturalium, & quidem occultarum, combinationem, atque directionem, efficere equidem aliquid poteſt, quod hominum vires ſuperat, iisque adeo mirabile videtur; id tamen pro miraculo proprie ſic dicto minime habendum. Quodſi dicas, nobis tamen non conſtare, annon Deus angelis poteſtatem, naturae ordinem immutandi, ſaltem aliquando hoc faciendi, conceſſerit? reſpondemus, ſi ex conceſſione diuina miracula faciant, hoc ipſo confirmatur, quod non id faciant propria potentia. Praeterea, malis angelis hanc poteſtatem a Deo vmquam conceſſam, nemo temere dixerit; bonis autem ſi conceſſam dicamus, tum quidem primo diſpiciendum, an miraculum aliquod ab angelo, & quidem bono, fuerit profectum, & an vere miraculum aliquod ſit? & tum demum hoc admitti poſſet; ſed eiusmodi rei cum nullum exemplum proferri queat, fruſtra quoque adſeritur, angelis vmquam a Deo eiusmodi poteſtatem conceſſam eſſe. Conferenda, quae hac de re dixi in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 3.* ad *§. 5. p. 289.*

§. XXIX. Ingentem eſſe angelorum numerum, ſcriptura teſtatur, *Dan. VII, 10. Matth. XXVI, 53. Marc. V, 9.* * Sed certos quoque eorum eſſe ordines, vel ex *Col. I, 16. Eph. I, 21. 1. Theſſ. IV, 16.* conſtat. ** Donis porro tum naturalibus, tum moralibus quosdam praeſtare aliis, a vero non abhorret; ſpecie autem, & eſſentia eos differre, ſine fundamento adſeritur. ***

* Quando *Dan. VII, 10.* dicitur; *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia adſiſtebant ei*; & pari ratione *apocal. V, 11. & erat numerus eorum μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων*, non ita hoc capiendum, ac ſi numerus angelorum ibi determinetur; ſed maximam illorum, & fere innumerabilem eſſe multitudinem, indicatur. Vt autem dici nequit infinitum eſſe angelorum numerum, ita mentis contra infirmitatem proderet, qui numerum illorum, nemini quippe mortalium cognitum, definire aliqua ratione vellet. Placuit tamen nonnullis veterum, eam eſſe rationem multitudinis hominum, ad angelorum numerum, quae eſt vnius ad nonaginta nouem. Id namque parabolam illam hominis ſuadere putant, qui, centum oues habens, vnam amiſit, quam, relictis nonaginta nouem, quaeſitum abit, & inuentam humeris reportat; *Matth. XVIII, 12, 13. Luc. XV, 4.* Ita HILARIVS in *Matth. c. XVIII,* & CYRILLVS Hieroſolymitanus, *catech. XV. p. m. 218.* edit. TH. MILLES. Quae, quam lubrica atque infirma ſint, nemo non intelligit. Legenda porro, quae hanc in rem diſſerit PETAVIVS, *dogm. theol. tom. 3. de angelis, l. 1. c. 14. p. 45.*

** Certum angelorum, tum bonorum, tum malorum, eſſe ordinem, eiusque adeo intuitu diſcrimen aliquod inter eos intercedere, ſcriptura ſacra aperte docet. Et de malis quidem angelis hoc conſtat ex *Luc. XI, 15.* vbi Beelzebub princeps daemoniorum vocatur, & *Matth. XXV, 41.* vbi diaboli, & angelorum eius mentio ſit. Ad bonos quod attinet, apoſtolus *1. Theſſ. IV, 16.* *archangeli* mentionem facit; *idem* vero *principatum, poteſtatem, virtutem, & dominationem*; *Eph. I, 21.* rurſus, *thronos, dominationes, principatus, & poteſtates*; *Col. I, 16.*

memo-

memorat. Etſi vero BEZA, praeeunte ERASMO, vltima haecce loca de angelis intelligenda neget, generatim ſaltem omnium rerum creatarum praeſtantiam vocibus hiſce indicari contendens; quia tamen in priori loco illud, *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις* praecedit, in poſteriori autem haec omnia ad *τὰ ἀόρατα* referuntur, rectius omnino ſentiunt, qui certum inde angelorum ordinem colligunt; quod & magno conſenſu veteris eccleſiae doctores, IGNATIVS, GREGORIVS Nazianzenus, ATHANASIVS, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, aliique faciunt. Hoc ergo vt poſitum extra controuerſiam eſt, ita, in quo ordo iſte conſiſtat, non aeque patet; multo minus certas angelorum claſſes adcurate determinare licet, quod tamen nonnulli faciunt. Et Iudaei quidem, vt rerum, quae inter ſpiritus geruntur, admodum periti videri volunt, ita decem angelorum claſſes, ſeu choros, conſtituunt, quorum ſequentia ſunt nomina: I.) חיות הקדש *animalia ſanctitatis*, II.) אופנים *rotae*, III.) אראלים *praeualidi*, IV.) חשמלים *electra*, V.) שרפים *ſeraphim*, VI.) מלאכים *angeli, ſiue nuntii*, VII.) אלהים *dii*, VIII.) בני אלהים *filii Dei*, IX.) כרובים *cherubbim*, & X.) אישים *viri*; conf. R. MOSES MAIMONIDES, *de fundamentis legis*, *c. II.* & quae ipſe de hacce Ebraeorum ſententia dixi, in *introd. ad hiſt. philoſ. Ebraeor. p. 415.* Nullo autem plane fundamento eam inniti, vel me non monente, quilibet intelligit. Res enim ipſa docet, ex diuerſis nominibus, quibus varias ob cauſſas angeli in ſcriptura ſacra inſigniuntur, quorum etiam quaedam generalia ſunt, omnibusque ſine diſcrimine conueniunt, quaedam autem dubiae adhuc interpretationis, eos ſtatim peculiares angelorum feciſſe claſſes, ordinesque. DIONYSIVS autem, quem vulgo areopagitam vocant, nouem angelorum claſſes conſtituit; tres ſcilicet hierarchias, totidemque in ſingulis angelorum ordines. Ταύτας, inquit, *ὁ θεῖος ἡμῶν ἱεροτελεστὴς εἰς τρεῖς ἀφορίζει τριαδικὰς διακοσμήσεις, has* (naturas caeleſtes) *diuinus noſter ſacrorum initiator, in tres terniones diſtribuit.* Solet enim ordines iſtos *διακοσμοὺς* & *διακοσμήσεις* adpellare. Ad primam itaque hierarchiam, ſiue *τριαδικὴν διακόσμησιν*, eos refert, qui ſemper Deum circumſtant, & de quibus traditum eſt, illos cum eo toto animo, & prae ceteris, nulla re interiecta, coniungi; thronos ſcilicet, cherubim, atque ſeraphim: ad ſecundam, *κυριότητας, dominationes, δυνάμεις, virtutes,* & *ἐξουσίας, poteſtates:* ad tertiam, ſeu infimam, *ἀρχὰς principatus, archangelos,* & *angelos.* De horum omnium nominibus, proprietatibus, functionibus hierarchicis, multa DIONYSIVS iſte diſputat. Triplex autem eſt ei functio ſacra, ſiue hierarchica, quae ab hierarchis in eos, qui illis ſubiecti ſunt, deriuatur, & proficiſcitur: *κάθαρσις purgatio, φωτισμὸς illuminatio,* & *τελείωσις perfectio.* Conſtant haec omnia ex libro eius, *de caeleſti hierarchia, c. 5. p. m. 23, 24.* Eamdem deinceps de nouem angelorum ordinibus ſententiam & alii ex patribus amplexi ſunt, cumprimis GREGORIVS magnus, *homil. 34.* in *Luc. XV, 10*; IO. DAMASCENVS, *de orthodoxa fide l. 2. c. 3.* aliique, magno numero; quam & plurimi ex Romanae eccleſiae doctoribus calculo ſuo adprobant. Nullo autem certo fundamento, nulloue ſcripturae ſuffragio iſtos angelorum ordines niti, adeo manifeſtum eſt, vt nec, qui prudentiores ſunt inter Romanenſes, hoc diffiteri queant. DIONYSIVS namq; PETAVIVS cum obſeruaſſet, eorum, qui a Dionyſio areopagita ordines iſtos angelorum acceperunt, pleroſque in illorum collocatione ab eo diſſidere, addit: *vt in re obſcura fieri ſolet, quae coniectura & hominum opinatione nititur; non liquida diuini auctoritate verbi, vel theologica ratione, quae certam & conſtantem adſenſionem extorqueat; dogm. theolog. tom. 3. de angelis l. 2. c. 3. p. 60.* Immo, inter patres, qui primis quinque poſt Chriſtum natum ſaeculis vixerunt, neminem fuiſſe, qui nouem iſtos angelorum ordines

Digitized by Google

dines agnoſceret, idem PETAVIVS fatetur. Cum enim illorum patrum de angelorum ordinibus, placita recenſuiſſet, addit: *ex horum igitur opinione patrum non eſt certus, exploratusque numerus angelicorum ordinum ac nominum. Neque, qui ex ſcripturis vtcumque colligitur, nouenaria ſumma comprehenditur. Primus Dionyſius nouem angelorum ordines & gradus diſtincte & definite poſuit, idque ſe ab magiſtro ſuo & initiatore didiciſſe, confirmat:* & paucis interiectis: *Nec temere apud antiquiorem aliquem, quique primis quinque ſaeculis vixerit, nouenarium hunc ordinum numerum inuenias; l. c. l. 2. c. 1. p. 58.* Idem vero etiam confirmat DALLAEVS, qui inter alia ex hiſce quoque argumentum capit, quo probet, ſcripta iſta, quae ſub Dionyſii areopagitae nomine circumferuntur, ſuppoſititia eſſe; *de ſcriptis, quae ſub Dionyſii areopagitae, & Ignatii nominibus circumferuntur; l. 1. c. 3. p. 12. ſq.* Et Dionyſii ſane iſtius hodie non temere quemquam mouebit auctoritas. Quae enim ſub hocce nomine exſtant, areopagitae iſti, a Paulo conuerſo, perperam tribui, luculentiſſimis rationibus viri doctiſſimi demonſtrarunt; adeo vt ſagaciſſimi quique in Romana eccleſia viri hoc etiam agnouerint, quos inter NAVNOIVM, LABBEVM, MORINVM, LE COINTE, DV PIN, SIMONEM, TILLEMONTIVM, aliosque laudat ITTIGIVS, in *diſſ. de patribus apoſtolicis, p. 143. ſq.* itemque in *ſelectis capitib. hiſt. eccl. ſaec. 1. c. 1. p. 26. ſq.* Dum vero de angelorum ordinibus verba facimus, nec illud praetermittendum, nonnullos ex iis, qui nouem iſtos Dionyſii ordines admittunt, rurſus diſcrimen facere inter angelos *adſiſtentes*, & *miniſtrantes*. Idque ex verbis illis, quae ex *Daniel. VII, 10.* iam attulimus: *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia adſiſtebant ei;* elicere volunt. Sed vocibus hiſce, *miniſtrare*, & *adſiſtere*, diſcrimen aliquod angelorum indicari, docere nequeunt. Verbum enim *adſiſtere*, praeſentiam ſaltem denotat, quae & miniſtrorum eſt, qui ad mandata domini excipienda, atque exſequenda parati ſunt. Paulus praeterea apoſtolus de omnibus angelis bonis dicit, quod ſint πνεύματα λειτουργικά, *Ebr. I, 14.* Hinc & ipſe iterum PETAVIVS diſcrimen hocce angelorum explodit; *l. c. cap. 6. p. 66. ſeq.*

*** Certe, ex ſcriptura ſacra nihil proferri poteſt, quo probetur, ſpecie aut eſſentia angelos a ſe inuicem differre. Diuerſa namque nomina, quae illis tribuuntur, ordinis ſaltem a Deo, vt credere par eſt, ipſo conſtituti, forte ſimul etiam donorum naturalium & moralium diuerſitatem indicant; ſpeciei aliquod diſcrimen inde colligere non licet. Legenda, quae & hac de re diſputat PETAVIVS, *l. c. l. 1. c. 14. & l. 2. c. 5.* Donorum autem diuerſitas cur iis tribui nequeat, non video; quin immo recte tribui, vel hominum exemplo condocemur.

§. XXX. Duplex angelorum merito obſeruatur ſtatus; alius ante quorumdam lapſum, ſeu *ſtatus gratiae;* alius poſt eum, ſeu *ſtatus gloriae*, ratione bonorum; *damnationis* autem, ratione malorum. * Et in priori quidem variis eos gauiſos gratiae diuinae donis, luce ſcilicet quadam ſingulari, ac ſapientia, qua intellectum; qua voluntatem, amore ſummo Numinis, reliquas virtutes omnes complectente, non eſt quod dubitemus. ** Et hac ratione adſeri ſolet, angelos quoque ad imaginem Dei eſſe conditos. ***

* Praeter ſtatum gratiae ac gloriae, nonnulli ex ſcholaſticorum grege *ſtatum naturae* comminiſcuntur, ſeu *purorum*, vt vocant, *naturalium*, in quo primum angeli conditi fuerint, qui deinde per vſum liberi arbitrii gratiam fuerint conſequuti. Quorſum hoc ſpectet, dicemus ſuo loco, cum ſimile illorum de ſtatu purorum naturalium,

in

Digitized by Google

in quo homo conditus fuerit, commentum explodemus. Scriptura eiusmodi ſtatum naturae ignorat; quin potius, quando *Io. VIII, 44. diabolum in veritate*, hoc eſt, perfectionibus, qua intellectum, qua voluntatem concreatis, *non ſtetiſſe*, dicitur, aperte indicatur, in *veritate*, adeoque & perfectionibus reliquis, qua intellectum & voluntatem beneuole a Deo omnibus angelis conceſſis, eum conditum fuiſſe. Idem etiam exemplo hominis, qui ſtatim cum imagine diuina conditus fuit, rectiſſime comprobatur.

** Finis certe, ob quem Deus angelos creavit, vt per viſionem Dei ſumma & aeterna beatitudine fruerentur, hoc poſtulabat, vt perfectiones, ad eam conſequendam neceſſarias, iis conferret. Abſonum enim foret, ſi quis diceret, Deum velle finem; nec tamen media, quibus obtineri queat, concedere. Finem autem, quem diximus, Deo conſtitutum fuiſſe, exemplo angelorum bonorum luculentiſſime patet. Idem vero etiam iterum exemplo hominis condocemur, quem Deus ita condidit, prout finis, ob quem eum condidit, poſtulabat. Ipſa porro angelorum natura ac indoles, pariter ac eorum cum homine collatio, oſtendit, perfectiones illas, in eos, vt finem huncce conſequerentur, collatas, partim ad intellectum, partim ad voluntatem ſpectaſſe. In intellectu nimirum non poterat non adeſſe *lux*, ſeu *cognitio* longe excellentiſſima, earum praecipue rerum, quae ad finem iſtum conſequendum cognitu erant neceſſariae; quorum etiam *fidem* nonnulli referunt, qua firmiter, & ſine haeſitatione ea omnia credebant, quae Deus iis reuelauerat. Cumque maxima in illis etiam eſſet voluntatis ſanctitas, ſumma inde oriebatur *ſapientia*, in iis omnibus eligendis & conſectandis, quae ad finem conſtitutum faciebant, ſeſe exſerens. Ex iſta praeterea, qua pollebant, luce, ſeu cognitione Dei praecipue, rerumque diuinarum, non poterat non quoque in voluntate illorum ſummus excitari Numinis amor, qui ſimul fiduciam in Deum, obſequium, & reliquas virtutes omnes, quae in eos, ceu ſpiritus, cadebant, complectebatur. Summatim hoc ipſe ſervator indicat, quando *diabolum non perſtitiſſe in veritate* dicit, *Io. VIII, 44.* Etenim ἡ ἀλήθεια veracitas, fidelitas, ſinceritas illa, ſine amore Numinis eſſe non potuit, vti hic per cognitionem ſufficientem, atque effectui reſpondentem, excitatur. Libertate autem voluntatis in hocce ſtatu angelos gauiſos, vel lapſus malorum teſtatur.

*** Diſerte equidem hoc in ſcriptura ſacra non dicitur. Neque ex *Iob. I, 6. cap. II, 1. c. XXXVIII, 7.* hoc colligere licet, vbi angeli *filiorum Dei* nomine veniunt. Ita enim ob creationem etiam vocari potuerunt. Ex fine tamen, ob quem conditi ſunt, ipſaque naturae angelicae indole, ſimulque comparatione cum ſtatu hominum, hoc recte colligitur.

§. XXXI. Status autem ille gratiae deſiit, cum pars quaedam angelorum a Deo deſciſceret; vnde *bonorum, malorumque* ortum eſt diſcrimen. Boni nimirum in ſua erga creatorem obedientia perſtiterunt, praemiumque eius, aeternam beatitudinem acceperunt, & ita in bono ſimul confirmati ſunt. ** Et hac ratione *ſtatum gratiae* excepit *ſtatus gloriae*. ***

* Dicemus hac de re ad *§. 34.*

** Deus namque ex ſingulari gratia, bonos angelos, eo quod in obedientia perſtitiſſent, lumine gloriae impleuit, vt ipſum intuitiue cognoſcere poſſent. Ideoque *faciem patris caeleſtis videre* dicuntur, *Matth. XVIII, 10.* Neque tamen mere ſpeculatiua eſt iſta intuitiua cognitio, quin potius ita comparata, vt ſummum, intentiſſimumque in voluntate producat Numinis amorem. Hinc autem porro gaudium ſummum atque perenne in laudes creatoris perpetuas, & nominis diuini celebrationem erumpens, *Eſ. IV,*

Digitized by Google

IV, 3. &, quidquid omnino ſpiritum aliquem felicem reddere poteſt. Atque haec eſt illa Dei fruitio, indeque reſultans beatitudo, per quam angeli boni ita confirmati ſunt, vt labi amplius nequeant. Qua de re AVGVSTINVS: *Placuit creatori, atque moderatori Deo, vt, quoniam non tota multitudo angelorum Deum deſerendo perierat, ea, quae perierat, in perpetua perditione permaneret; quae autem cum Deo, illa deſerente, perſtiterat, de ſua certiſſime cognita ſemper futura felicitate ſecura gauderet;* in *enchiridio c. 33.* Non omnino nobiſcum hic conſentiunt nonnulli, qui ex Iacobi Arminii ſchola prodierunt, non adeo certo fundamento iſtam angelorum bonorum confirmationem inniti, exiſtimantes. Ita poſt ARMINIVM ipſum EPISCOPIVS, qui tamen probabilius eſſe iudicat, eos ita in bono confirmatos, vt non amplius beatitudinis, quem conſequuti ſunt, ſtatu excidere poſſint; *inſt. theol. lib. 4. ſect. 3. c. 2. p. 349.* Pari ratione & GROTIVS ἀδύνατον haud eſſe exiſtimat, *vt angeli boni fallant, aut aliud euangelium adnuntient;* in *adnotat. ad Galat. I, 8.* Quod vtique cum illorum in bono confirmatione conſiſtere nequit. Diſcedit ab hiſce quodammodo, & propius ad noſtram ſententiam accedit LIMBORCHIVS. Cum enim dixiſſet, probabilius ſibi videri, quod angeli boni obedientiae praemium iam conſequuti ſint, inde concludit, *fieri non poſſe, vt in peccatum incidant.* Rationem addit: *quia Deo non amplius obediunt ſpe praemii, quod iam poſſident, ſed neceſſario, ac naturali quodam impetu, iuſſa Dei promtiſſime exſequuntur, vt pote iam in ſtatu confirmationis.* Aperte etiam ab GROTIO diſſentit, quando ita pergit: *vnde, quod dicitur, Gal. I, 8. ſi angelus de caelo adnuntiauerit euangelium &c. non ita accipi debet, quaſi angelus e caelo ad eiusmodi improbitatem deflectere poſſet; ſed eſt loquutio ab impoſſibili deſumta, etiamſi fieret, angelum aliud euangelium annuntiare, quod tamen fieri nequit, nequaquam eſſe audiendum; theol. chriſt. l. 2. c. 20. §. 12. p. 113.* Et dubitari ſane hac de re nequit, cum *Matth. XVIII, 10.* diſerte dicatur, quod *faciem Dei patris caeleſtis videant;* quae viſio citra controuerſiam ſtatum beatitudinis denotat, quocum confirmatio in bono eſt coniuncta. Idem inde etiam conſtat, quod *angeli electi* dicantur, *1. Tim. V. 21.* hoc eſt, per electionem Dei, gloriae iſtius atque beatitudinis, in qua viuunt, participes facti. Accedit denique, quod beati homines in ſtatu gloriae futuri dicantur ἰσάγγελοι, *Luc. XX, 35.* hoc eſt, ad eum beatitudinis ſtatum euehendi, in quo angeli boni iam verſantur. In bono autem licet ita confirmati ſint, vt peccare amplius nequeant, non tamen omni prorſus carent libertate. Plurima enim ſi illis ſe offerant bonorum genera, fieri poteſt, vt aliquod aut velint, aut nolint, aut prae vno alterum eligant. Peccare autem, ſiue mala eligere quod nequeant, adeo pro defectu quodam, aut imperfectione habendum non eſt, vt ſummae potius perfectionis ſit argumentum. Ceterum, quando angeli boni ad hancce beatitudinem *electi* dicuntur, *1. Tim. V, 21,* non ita hoc intelligendum, ac ſi *merito* quodam ſuo hanc felicitatem conſequuti ſint. Quantumuis enim perfecta fuerit angelorum in ſtatu gratiae obedientia, nihil tamen fecerunt, ad quod non obſtricti eſſent; adeoque meriti ratio ibi locum non habet. Intuitu equidem obedientiae, ceu conditionis cuiusdam, electio iſta facta eſt, ſed abſque omni meriti cuiusdam, aut cauſſae intuitu, adeoque ex mera gratia, atque fauore benigniſſimo. Et eo modo etiam a Deo ab aeterno iſta angelorum quorumdam beatitudo decreta fuit; neutiquam autem abſolute, ſine omni ad conditionem, ex parte ſubiecti, intuitu. Haec ex natura & indole decretorum diuinorum facile intelliguntur.

*** Quodnam inter ſtatum gratiae angelorum & ſtatum gloriae intercedat diſcrimen, ex hactenus dictis manifeſtum eſt. Quae enim in ſtatu gratiae ad ſummam perfectionem deerant, in ſtatu gloriae conſequuti

quuti ſunt. Quamdiu ſtatus gratiae durauerit, certo definiri nequit. Illud dubio caret, angelos malos iam ante lapſos eſſe, quam homines; ſeductore eorum principe id agente, vt in eamdem miſeriam, per diuinae legis transgreſſionem, detrudecrentur; *Gen. III, 4, 5. Ioan. VIII, 44. apocal. XII, 9.*

§. XXXII. Operationes angelorum, in ſtatu gloriae conſtitutorum, partim ad ipſam illorum beatitudinem ſpectant, dum intuitiue Deum cognoſcunt, & amore intenſiſſimo proſequuntur, hinc & beatitudine ineffabili fruuntur; * partim miniſteriales ſunt, quibus Deo, ſpeciatim Chriſto θεανθρώπῳ, * * itemque hominibus inſeruiunt. Et ad homines quidem quod attinet, non tantum piis ſingulis miniſtrant, * * * ſed in ſtatu eccleſiaſtico, * ciuili, * * & oeconomico, * * * conſeruando & cuſtodiendo, iuſſu Numinis diligentem operam nauant. Peculiari quoque officio extremi iudicii tempore, in colligendis piis, iisque ab impiis ſegregandis, ceteriſque, ad exſequutionem iudicii huius ſpectantibus, peragendis, fungentur. *

* Atque in hiſce quidem actionibus ipſa angelorum beatitudo conſiſtit, iuxta ea, quae ad *§. praecedentem* obſeruauimus. His addi ſolent, quae iſtam beatitudinem quandoque augent, ſeu, vt alii loquuntur, accidentalem quamdam beatitudinem in angelis efficiunt; vt cognitio earum rerum, quas Deus iis ſpeciatim reuelat, aut, quae per experientiam illis innoteſcunt, vt myſterium incarnationis, *Luc. I, 26, 31. II, 13.* conuerſio hominis peccatoris; *Luc. XV, 7, 10.* vnde & ſingulari quandoque gaudio perfunduntur; *Luc. XV, 10.*

** Actiones miniſteriales angelorum, intuitu Dei, ſunt, gloriae, atque laudum diuinarum celebratio; *pſalm. CIII, 20. CXLVIII, 2. Eſ. VI, 2. Luc. II, 13. apoc. V, 9.* porro, cultus atque adoratio, quam Deo, & Chriſto etiam ſecundum humanam naturam, exhibent; *pſalm. XCVII, 7. Ebr. I, 6.* Voluntatis denique diuinae exſequutio; *pſalm. CIII, 20. Dan. VII, 10.* quorſum & pertinet, quod iudicia Dei quandoque exerceant, *Gen. XIX, 11. actor. XII, 23.* Refertur quoque huc miniſterium, quod Chriſto, quando adhuc inter homines verſatus eſt, exhibuerunt; *Matth. IV, 11.* item, quando angelus conceptionem eius indicauit, *Matth. I, 20, 21. Luc. I, 32.* natiuitatem adnuntiauit, *Luc. II, 11.* in paſſione eum corroborauit, *Luc. XXII, 43. &c.*

*** Hinc Paulo dicuntur πνεύματα λειτουργικὰ, *adminiſtratorii ſpiritus*, vt vulgatus interpres hoc reddit, *in miniſterium miſſi propter eos, qui haereditatem capient ſalutis; Ebr. I, 14.* In ipſa iam infantia angelos nobis adeſſe, ſeruator docet, *Matth. XVIII, 10.* vnde de vitae progreſſu eo minus dubitandum, *pſ. XCI, 11, 12.* quod & de egreſſu ex hacce vita, vel ex *Luc. XVI, 20.* conſtat. An vero cuiuis homini angelus aliquis a Deo adiunctus ſit, vt eius curam gerat, id vero eſt, de quo non omnes idem ſentiunt. Apud ethnicos peruulgata quidem fuit haec opinio; quod plurimis, ſi opus eſſet, teſtimoniis comprobare poſſem. Geniorum nomine apud Latinos veniebant, vt δαιμόνων apud Graecos. Audire hac de re CENSORINVM iuuabit: *Genius eſt Deus, cuius in tutela, vt quisque natus eſt, viuit. Hic, ſiue quod, vt genamur, curat; ſiue, quod vna genitur nobiscum, ſiue etiam, quod nos genitos ſuſcipit, ac tuetur, certe a genendo genius adpellatur. Eumdem eſſe genium & larem, multi veteres memoriae*

prodiderunt, in queis etiam Granius Flaccus, in libro, quem ad Caeſarem de indigitamentis ſcriptum reliquit. Hanc in nos maximam, quin immo, omnem habere poteſtatem, creditum eſt. Nonnulli binos genios, in iis dumtaxat domibus, quae eſſent maritae, colendos putauerunt. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit adpoſitum, &c. de die natali, cap. 3. p. 16, 17. CENSORINO ex Graecis MENANDRVM addo, cuius hac de re fragmentum CLEMENS Alexandrinus nobis conſeruauit, *ſtrom. l. 5. p. 6.0.* inter reliqua autem eius fragmenta, a CLERICO edita, exſtat *p. 260.* atque ita ſe habet:

> Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται,
> Ἐυθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου
> Ἀγαθός.
> *Genius omni homini adeſt,*
> *Qui nato continuo ſit dux vitae*
> *Bonus, &c.*

Prouocat ad hocce MENANDRI teſtimonium AMMIANVS MARCELLINVS, qui itidem, quod diximus, confirmat. *Ferunt,* inquit, *theologi, in lucem editis hominibus cunctis, ſalua firmitate fatali, huiuſmodi quaedam velut actus rectura numina ſociari, admodum tamen pauciſſimis viſa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula, & auctores docuere praeclari, inter quos etiam eſt Menander comicus, &c. l. 21. c. 14.* Atque huc etiam pertinent, quae de genio Socratis diſputari ſolent; quae eleganti diſſertatione complexus eſt GOTTFR. OLEARIVS, inſerta STANLEII *hiſtoriae philoſophiae, p. 130. ſeq.* Non vna equidem veterum de geniis fuit opinio; dum quidam, animam cuiusque, τὸ κρατοῦν ἑκάστου, alii autem, τὴν ἑκάστου τύχην, hoc nomine deſignarent: plerique tamen philoſophorum, & theologorum gentilium eos inter deos, ſiue daemonas, hoc eſt angelos, recenſuerunt, vt LINDENBROGIVS docet, in *not. ad Cenſorinum de die natali, c. 3. p. 18.* Plura autem de hacce gentilium ſententia exhibent HVETIVS, in *quaeſtionib. Alnetan. l. 2. c. 4. §. 3.* atque PFANNERVS, in *ſyſtemat. theolog. gentilis purioris, c. 6. §. 11. p. 180.* Apud Iudaeos tempore Chriſti atque apoſtolorum, eamdem, de angelis ſingulorum hominum tutelaribus, ſententiam receptam fuiſſe, nonnulli ex *Matth. XVIII, 10.* & *actor. XII, 15.* colligunt. Sed ex priori quidem loco id probari nequit, cum in multitudinis numero dicatur οἱ ἄγγελοι αὐτῶν, quod ita intelligi poteſt, vt vni puero, ſiue infanti plures angeli tribuantur. Ad poſteriorem autem, quod attinet, LIGHTFOOTVS quidem per ἄγγελον αὐτοῦ, angelum intelligit, qui in forma Petri adparuerit, *hor. Ebr. in acta apoſtol. ad cap. XII, 15.* quae etiam B. IO. GERHARDI noſtri ad *eumdem locum*, eſt ſententia. Sed an iſta loquendi ratio: *angelus eius,* hanc explicationem admittat, valde dubito. Longe contra frequentiſſimum eſt, vt per gignendi caſum id, quod alicui proprium eſt, vel quocumque modo ad aliquem pertinet, exprimatur. Alii vero non angelum quemdam, ſiue ſpiritum, qui hoc nomine venit, ſed *nuntium* ſignificari, contendunt, quem a Petro miſſum exiſtimauerint, qui in aedibus Mariae erant congregati. Ita IO. CAMERO, *praelect. tom. 2. p. 471.* cuius veſtigia & HAMMONDVS ad *h. l.* premit. Quis vero ſibi perſuaſerit, eos, qui in aedibus Mariae congregati erant, exiſtimare potuiſſe, a Petro in carcere conſtituto, catenisque vincto, & a militibus cuſtodito, nuntium, & quidem media nocte miſſum? Praeterea ancilla, Rhode dicta, ipſius Petri agnouiſſe vocem, idque reliquis adnuntiaſſe dicitur; vnde de nuntio quodam cogitare non poterant. Vix ergo aliud quid ſupereſt, quam vt eos genium, ſeu angelum tutelarem Petri intellexiſſe dicamus. A Iudaeis ſi ad chriſtianos transeamus, plurimos veteris eccleſiae doctores eiusmodi genios ſeu angelos ſingulorum hominum tutelares admiſiſſe, negari

Digitized by Google

gari nequit. Recitat eorum nomina LINDENBROGIVS, in *notis ad c. 3. Cenſorini de die natali*, *p. 22.* conf. & HVETIVS, *Origenian. l. 2. qu. 5. §. 26. ſeq.* itemque & COTELERIVS, ad *Hermae paſt. l. 2. mandat. 6. c. 2.* & qui ex inſtituto hoc argumentum pertractarunt, quos FABRICIVS indicat, *bibliograph. antiquar. c. 8. p. 280.* In eo autem diſcrimen aliquod inter patres, angelorum tutelarium aſſertores, intercedit, quod nonnulli omnibus hominibus, alii vero piis tantum atque ſanctis, eiusmodi angelum a Deo adiunctum, exiſtimant; qua de re PETAVIVS diſſerit, *dogmat. theolog. tom. 3. l. 2. de angelis c. 7. p. 71.* Romanae eccleſiae doctores, certe plurimos, eamdem, de angelis hominum ſingulorum cuſtodibus, ſequi ſententiam, notum eſt. Nec noſtrates eam prorſus repudiant, praeſertim, ſi & aliorum angelorum miniſterium non excludatur; quamuis certum eius in ſcriptura ſacra non poſſe demonſtrari fundamentum, agnoſcant. Et recte quidem. Saepiſſime enim plurium angelorum, quibus piorum hominum cuſtodiam Deus mandauit, mentio iniicitur, vt *pſ. XCI, 11.* alibique; numquam vnius. Ex *Matth. XVIII, 10.* nihil colligi poſſe, antea iam obſeruauimus. Ex *actor. XII, 15.* id quidem conſtat, apud Iudaeos olim receptam fuiſſe hanc ſententiam; inde autem concludere non licet, eam a ſcriptura ſacra probari. Angelus denique ille ſuſtentator Iacobi, *Gen. XLVIII, 16.* non creatus, ſed increatus angelus, hoc eſt, filius Dei fuit, quippe qui eum redemit ab omni malo.

* Cum angeli ad ea omnia, quibus glória Dei promoueri & amplificari poteſt, efficienda, ſint promtiſſimi, dubium nullum eſt, quin id ſpecialiori quadam ratione in ſtatu eccleſiaſtico agant. Quod doctoribus, cauſſam Dei ſtrenue agentibus, adſint, eorumque curam gerant, vel ex *Zach. III, 7.* conſtat. Cum lex Moſaica in monte Sinai promulgaretur, integri exercitus angelorum aderant. Id Stephanus protomartyr indicat, Iudaeos legem accepiſſe dicens, *εἰς διαταγὰς ἀγγέλων*, hoc eſt, *ἐν διαταγαῖς*, *actor. VII, 13.* Vocem enim *διαταγὴ* militarem eſſe, & aciem inſtructam quandoque denotare, viris doctis obſeruatum eſt. Hinc & eodem fere modo *ὁ νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων* a Paulo dicitur, *Gal. III, 19.* conf. *Deut. XXXIII, 2.* BECKERVS haec omnia de maieſtatis ſaltem diuinae manifeſtatione accipit, quo pacto & locum *Dan. VII, 10.* intelligendum contendit, ſimulque, vt aliis hoc perſuadeat, adſerit, angelorum in hiſtoria promulgationis legis Moſaicae nullam fieri mentionem; in *mundo faſcinato, l. 2. c. 5.* Sed errat BECKERVS. Diſerte enim *Exod. XIX, 16.* dicitur: *Die autem tertio, matutino tempore, fuere tonitrua & fulgura, & denſa nubes ſupra montem, ſimulque vehementiſſimus tubae ſonitus &c.* Vbi per *tubae ſonitum* tonitrua intelligi nequeunt, cum ab iis diſtinguatur; meritoque adeo ad angelorum exercitum hoc refertur, cum & alias per tubae ſonitum militibus ſignum dari ſoleat. Angelorum vero in ſtatu eccleſiaſtico cura inde quoque intelligitur, quod idololatriae ſeſe opponant; *epiſt. Iudae v. 9.* BECKERVS equidem per diabolum, qui de corpore Moſis cum Michaele archangelo diſputauit, doctorem quemdam eccleſiae intelligi poſſe, exiſtimat; ad minimum, locum huncce tam obſcurum eſſe, vt nihil inde certi colligi queat; in *mundo faſcin. l. 2. c. 23. p. 147.* Sed, licet factum iſtud, ad quod Iudas reſpicit, non ſatis nobis cognitum ſit, verba tamen clara ſatis ſunt atque perſpicua. Sunt autem viri docti, qui Iudam ad id reſpicere putant, quod *Zach. III, 1, 2.* legitur. Atque hinc porro colligunt, per *corpus Moſis* indicari rem publicam, & eccleſiam iudaicam, cuius inſtaurationem promouere voluerit Michael; diabolus autem quouis modo impedire. Ita HAMMONDVS ad *h. l.*

Vlterius progreditur IO. CLERICVS, & per ſatanam, ſiue diabolum, praefectos Perſarum intelligit, qui templi Hieroſolymitani exſtructionem impedire quouis modo adniſi ſint. Verum, etſi verba: *increpet te Deus, ſatan, Zachar. III, 2.* exſtent; reliqua tamen non prorſus conueniunt; cum apud Iudam angelus creatus, apud Zachariam autem ipſe dominus, ſiue angelus increatus ille, haec verba proferat. Vnde & dici nequit, quod Iudas non aliud, quam quod a Zacharia narratur, factum innuat. Praeferenda itaque hactenus recepta ſententia, diabolum forte idololatriae cauſſa corpus Moſis proferri voluiſſe, eique ſe oppoſuiſſe Michaelem archangelum, & ita idololatriam impediuiſſe. Ad miniſteria angelorum in ſtatu eccleſiaſtico referri etiam ſolent, quae circa conceptionem & natiuitatem Chriſti praeſtiterunt; de quibus iam antea dictum. Praeſentia angelorum homines cum alias, tum & in functionibus eccleſiaſticis, ad modeſtiam & circumſpectionem impellere debet; *1. Tim. V, 21.* Locum *1. Cor. XI, 10.* lubens praetermitto, cum non neſciam, quae viri docti de eodem diſputent. De illis, qui litterarum, cumprimis ſacrarum, ſtudium tractant, adhuc addendum; cum plurima eccleſiae aut commoda, aut incommoda adferre queant, angelorum eos ſpecialiori quadam ratione curam experiri. Legenda, quae hac de re monet IO. CHR. LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae, c. 5. p. 178. ſeq.*

** Singulorum hominum curam cum Deus angelis demandauerit, ſequitur multo magis, eorumdem in regnorum, rerumpublicarum, integrorumque populorum, hinc & regum ac principum fatis diſpenſandis, opera illum vti; quod & ex *Dan. X, 13. 2. reg. XIX, 35. Eſ. XXXVII, 36.* colligi ſolet. Neque tamen dixerim, ſingulis populis, aut imperiis, vel rebus publicis angelum quemdam a Deo praefectum eſſe. Gentilium rurſus haec fuit opinio, qui, vt omnibus fere rebus, ita ſingulis vrbibus atque populis ſuum genium, ſiue angelum tutelarem praeficiebant. Legendi, quos hac de re laudat LINDENBROGIVS, ad *Cenſorinum de die natali, c. 3.* & FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria, c. 8. p. 280.* Atque videntur ab ethnicis eam ſententiam accepiſſe veteris eccleſiae doctores; qui & haud dubio in ea confirmati ſunt per verſionem LXX interpretum, qui verba Moſis, *Deut. XXXII, 8.* ita reddiderunt: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ, cum tamen iuxta textum ebraeum vertenda eſſent: *conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael.* Nonnulli etiam in loco, *Dan. X, 13.* iſtius ſententiae praeſidium aliquod ſibi inueniſſe viſi ſunt, cum angelus, cum Daniele ibi loquens, dicat: *princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.* Per principem namque regni Perſarum, angelum bonum regni Perſici protectorem, THEODORETVS, GREGORIVS magnus, HIERONYMVS, aliique, intelligunt. Immo & ex Iudaeis nonnulli eidem ſententiae adſtipulantur. Sed cum nihil obſtet, quo minus angelus aliquis malus, cuius magna in aula Perſica fuerit potentia, intelligatur, & illud praeſidium corruit. Malis enim angelis tutelam & cuſtodiam certarum gentium commiſſam, nemo dixerit. Cumque etiam inter malos angelos certus ordo detur, aliquis eorum princeps dici potuit. Is vero, de quo ſermo eſt, cum angelo bono, ſimulque adeo voluntati diuinae reſtiterit, vtique pro bono haberi non poteſt. Conferenda, quae ad *h. l.* copioſe GEIERVS diſſerit.

*** Qui in ſtatu domeſtico, ſeu oeconomico viuunt, coniuges, parentes, liberi, non minus cuſtodia angelorum indigent, quam, qui in reliquis ſtatibus ſunt conſtituti. Hanc ergo nec illis Deus denegat; conf.

conf. *Iob. I, 10.* Liberorum tutelam, quod Deus angelis commiſerit, ſeruator docet, *Matth. XVIII, 10.*

* Hoc ex proceſſu extremi iudicii ſatis notum eſt; *Matth. XXIV, 31. XXV, 21. Marc. XIII, 27. 1. Theſſal. IV, 15. 16.*

§. XXXIII. Beneficia, quae Deus per angelos bonos in nos confert, grato agnoſcere animo, angelosque ipſos, ceu Dei miniſtros amare, virtutes illorum, quae nobis innotuerunt, imitari, operamque dare, ne malis factis eos offendamus, noſtri eſt officii; * at pro mediatoribus ſecundariis eos habere, eorumque expetere interceſſionem, aut omnino adorare, atque cultu religioſo proſequi, impium eſt, & a ſcriptura ipſa damnatum; *apoc. XIX, 10. XXII, 8, 9.* **

* Non itaque omnem honorem, ſed eum, qui ſoli Deo debetur, ſeu adorationem religioſam angelis, aeque ac ſanctis hominibus denegamus. Qui angelos, vt miniſtros Dei, amat, qui virtutes eorum admiratur, easque ſibi in exemplum, quod imitetur, proponit; qui ita eos reueretur, vt ob eorum praeſentiam nihil quod turpe, aut parum decorum ſit, facere audeat, honorem profecto haud exiguum illis exhibet. Atque ita de angelis non minus intelligenda, quae maiores noſtri de ſanctis, & honore his exhibendo profitentur, in *Aug. conf. art. 21. p. 19.* & eius *apolog. p. 223.*

** Pro mediatoribus haberi nequeunt, cum vnicus noſter ſit μεσίτης ſiue mediator, Ieſus Chriſtus; *1. Tim. II, 5.* Nec interceſſione eorum indigemus, cum vnicum habeamus ſacerdotem ſummum, qui pro nobis intercedit; *Rom. VIII, 34. Ebr. VII, 25.* Adoratio porro pariter ac inuocatio, omnisque cultus religioſus, cum ſoli Deo debeatur, *Matth. IV, 10.* nulli creatae rei, ſine piaculo tribui poteſt. Hinc & angelus, qui Ioanni adparuit, eiusmodi cultum admittere noluit; *apocal. XIX, 10. XXII, 9.* Nec negligenda ratio, quam angelus iſte adferebat, quod hominum fidelium σύνδουλος *conſeruus* eſſet. Indicare namque voluit, cultum, qui ſoli domino debetur, non ſine crimine tribui ſeruis eius. Accedit, quod ipſe apoſtolus cultum angelorum in haereticis diſerte damnet; *Coloſſ. II, 18.* *Nemo*, inquit, *vos ſeducat*, θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, *volens in humilitate & cultu angelorum, quae non vidit, ambulans* (ſeu, in ea quae non vidit, penetrans) *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuae.* Per θρησκείαν eum *cultum*, qui angelis exhibebatur, intelligere, ipſa vocis ſignificatio docet. Huncce cultum deinde ἐθελοθρησκείαν *v. 23.* vocat, ſuperſtitionis eum merito arguens, ſimulque, quid illud θέλων ἐν θρησκείᾳ ſit, explicans. Siue autem Simonem, eiusque adſeclas, vt GVIL. CAVEVS, *antiq. ap. in vita Pauli, c. 9. §. 2. p. 196.* atq; BEVEREGIVS, in *not.* ad *conc. Laodic. Synod. tom. 2. p. 196.* cenſent, ſiue Cerinthianos hic Paulus reſpiciat, vt alii putant, quibus & haud obſcure ſuffragatur ITTIGIVS, *de haereſ. ſect. 1. c. 5. §. 5. p. 53.* ſufficit, quod haereticorum quorumdam iam eo tempore haec fuerit ſententia, angelos cultu religioſo proſequendos eſſe, quam apoſtolus atro hic notat lapillo. Atque Simonianos quidem docuiſſe, angelos cultu religioſo proſequendos, quippe qui velut mediatores ſint inter Deum & homines, ex TERTVLLIANO conſtat, *de praeſcript. adu. haeret. cap. 37.* Itemque EPIPHANIO *haereſ. 21.* Eo minus etiam mirum, quod in eam ingreſſi ſint ſententiam, cum mundum quoque ab angelis conditum adſeruerint, quod de Cerinthianis pariter ac Simonianis nos condocet IRENÆVS, *l. 1. c. 20. & 25.* Nec dubium, quin iſti homines a gentilium

 phi-

philoſophis eiusmodi quid acceperint, cum apud Platonem atque Platonicos, aliosque, qui orientalis philoſophiae reliquias conſeruarunt, multa de daemonibus, iisque internuntiis inter deos hominesque, legantur. Reuocata deinceps haecce ſuperſtitio fuit ab Angelicis, vt auctor eſt AVGVSTINVS, *de haereſibus c. 9.* repreſſa vero atque damnata a ſynodo Laodicena anno 365. vel vt alii volunt 367. celebrata, *can. 36.* Sed hac de re deinceps plura. Verba apoſtoli de quibus hactenus diximus, *Coloſſ. I, 18.* cum nimis manifeſta ſint, & angelorum cultum aperte damnent, varia equidem Romanenſes excogitant, vt hocce telum euitent; ſed quam infirma, quamve lubrica ea ſint, praeter alios ſolide oſtendit DALLÆVS, *de cultus religioſi obiecto, l. 3. c. 31. p. 528. ſeq.* Vltimo loco illud addimus, cultum illum, quem angelis Romanenſes deferunt, aut religioſum eſſe, qui ſoli Deo debetur, aut non religioſum, quo res creatas etiam proſequi fas eſt. Prius ſi ſit, a grauiſſimo idololatriae crimine abſolui nequeunt; ſin poſterius, inutilis tamen erit eiusmodi cultus, eoque minus probandus, quod eius nec praeceptum, nec exemplum habemus in ſcriptura ſacra; ne dicam, quod facili negotio in cultum idololatricum degeneret, quod ipſius eccleſiae Romanae, ſi ex plurimorum hominum praxi rem aeſtimare liceat, exemplo conſtat. Diſcrimen, quod Romanenſes inter λατρείαν & δουλείαν conſtituunt, iampridem viri docti ſolide exploſerunt, cumprimis is, quem antea laudauimus, DALLÆVS, *de cultus religioſi obiecto, l. 1. c. 5. p. 19. ſeq.* qui & ſanctorum pariter ac angelorum cultum veteri eccleſiae plane incognitum fuiſſe, ex inſtituto demonſtrat: & ad angelos quidem quod attinet, *l. 3. c. 33. & 34. p. 540. ſeq.*

§. XXXIV. Quosdam angelos in ſtatu gratiae, felicitateque, quae eum comitabatur, non perſtitiſſe, ſed Deo creatori ſuo ſeſe opponendo, & ab eo deſciſcendo, *domicilium ſuum deſeruiſſe, Iud. 6.* iam antea diximus. Vt autem omne peccatum ab amore ſui inordinato originem ducit, eodem modo in angelis lapſis rem ſe habuiſſe, vt credamus, par eſt; amore hocce peruerſo per ambitionem maxime ſe prodente, quae in apertam tandem rebellionem, & a Deo defectionem, erupit. *

* Scriptura ſacra generatim ſaltem de lapſu angelorum malorum loquitur. *Diabolum non ſletiſſe in veritate*, h. e. ſtatu illo gratiae, in quo conſtitutus erat, excidiſſe, virtutesque, in quibus imago Dei exſplendeſcebat, amiſiſſe, Chriſtus pronunciat, *Io. VIII, 44.* Ioannes ipſe, *qui peccatum*, inquit, *facit, a diabolo eſt, quia* ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει, *diabolus peccat ab initio; 1. epiſt. III. 8.* ab initio ſcilicet creationis, ſeu non diu admodum, poſtquam creatus erat. Pari ratione & Petrus Deum *angelis, qui peccauerunt*, (τῶν ἀγγέλων ἁμαρτησάντων) *non peperciſſe* dicit, immo, *eos in tartarearum tenebrarum catenas praecipitatos conieciſſe, ad judicium cuſtodiendos; 2. ep. II, 4.* Iudas denique apoſtolus, *non ſeruaſſe* (malos angelos) τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν, *principatum ſuum*, ait, *ſed dereliquiſſe* τὸ ἴδιον οἰκητήριον, *proprium domicilium ſuum; v. 6.* Vbi quidem nonnulli vocem ἀρχὴν de *principio*, ſiue *origine* capiunt, vt ſenſus ſit, quod originem ſuam ſeu ſtatum originalem, in quo conditi erant, non ſeruauerint. Sed nihil obſtat, quo minus principatus, ſeu dignitas illa caeleſtis, quam per lapſum amiſerunt, intelligatur; immo rectius intelligitur, cum inde ſermoni ſacri ſcriptoris maius robur ac emphaſis accedat. Maximum enim inde angelorum iſtorum peccatum

Digitized by Google

catum fuiſſe cognoſcitur, quod, cum in ſumma dignitate pariter ac beatitudine fuerint conſtituti, vtriusque per ἀποστασίαν ſuam fecerint iacturam. Beatitudinem namque angelorum ab iis amiſſam, indicat, quando addit, eos *domicilium ſuum*, hoc eſt, beatitatis illam ſedem, in qua Deo ipſo, ceu ſummo bono, frui potuiſſent, *deſeruiſſe*. Longe autem cum ſit manifeſtisſimum, Iudam de angelis malis, eorumque lapſu hic loqui; fuerunt tamen, qui verba haecce de exploratoribus illis, quo Iſraelitae ad explorandam terram Canaan miſerunt, per incredibilem plane detorſionem, accipere maluerunt. Refert hanc ſententiam BECKERVS, & haud obſcure adprobat, vt tamen ſimul contendat, nec receptam explicationem ſibi obſtare, cum ex eo, quod apoſtolus addat, angelos iſtos *ſeruari ad iudicium magnae diei, vinctos aeternis vinculis in tenebris*; ſequatur, diabolum iam ad infernum detruſum, nihil prorſus in hocce orbe efficere poſſe; in *mundo faſcinato l. 2. c. 9. p. 51. ſeq.* Verum, vt vltimum illud eo ſaltem pertinet, vt incautis fucum faciat, atque iis perſuadeat, non exſiſtentiam, ſed operationes ſaltem ſpirituum creatorum ſe negare; ita prius illud aperte abſonum eſt. Etſi enim Deus decem illis exploratoribus, qui iniqua ſua reuelatione Iſraelitas ad murmurandum contra Deum & Moſen irritauerunt, denuntiauit, quod in terram Canaan ingreſſuri non ſint, principatu tamen ſuo eos excidiſſe, nuſpiam legitur. Cum dicitur, eos *proprium domicilium deſeruiſſe*, hoc ſi BECKERO credimus, idem eſt, ac quod posſeſſione terrae Canaan exciderint. Sed cum terrae iſtius poſſeſſione nondum gaviſi fuerint, *domicilium* eorum *proprium* dici non potuit, multo minus, quod illud *deſeruerint*, aut poſſeſſione eius exciderint. Nec in textu etiam vel leuiſſimum veſtigium occurrit, quod nos de exploratoribus illis terrae Canaan eum intelligere iubeat. In iis equidem, quae praecedunt, Iſraelitarum, & quae ſequuntur, Sodomitarum & Gomorrheuſium, qui peccatis ſuis iram Numinis in ſe concitauerant, mentionem facit; ſed num ideo etiam angelorum & peccata & poenas commemorare non potuit? Sed, mitto reliqua eiusdem auctoris commenta, inepta profecto ac prorſus friuola.

Quemadmodum autem illud dubio caret, angelos quosdam peccaſſe, & hac ratione beatitudine, qua fruebantur, excidiſſe; ita, quodnam illud peccatum fuerit, ſcriptura diſerte non exprimit. Primum eius initium ab inordinato ſui ipſius amore recte deriuari, non temere quis dubitaverit. Cum enim ſumma legis in perfecto Dei amore conſiſtat; *Matth. XXII, 37.* non poteſt non initium transgreſſionis fieri, quam primum vel leuiſſimo cordis motu ordo hicce turbatur, & aliquis ſe ipſum Deo ceu creatori ſuo praeferre incipit. Inordinatus porro iſte ſui amor cum in hominibus quidem diuerſa ratione ſeſe exſerat, mox per voluptatem, mox per auaritiam, mox per ſuperbiam; duo priora vitia autem quo pacto in merum ſpiritum cadant, vix intelligi queat; nihil aliud ſupereſt, quam vt concludamus, ſuperbiam illud vitium eſſe, quo in malis angelis inordinatus ille ſui amor ſeſe manifeſtauerit, effeceritque adeo, vt ſtatu gratiae exciderent. Atque haec ſententia inde quoque confirmari ſolet, quod diabolus eadem ratione primos noſtros parentes tentauerit, ad ſimilitudinem cum Deo adfectandam, illos incitando, *Gen. III, 5.* itemque, quod *eccleſiaſtic. X, 14.* ſuperbia initium peccati dicatur: ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία. Addunt nonnulli & locum *1. Tim. III, 6.* κρίμα διαβόλου, ſeu peccatum diaboli, in quod ne incidat epiſcopus, Paulus eum non vult eſſe νεόφυτον, τύφον fuiſſe colligentes. Pluribus etiam hoc comprobat BRYANVS TVRNERVS, *de primi peccati introitu, ſiue de lapſu angelo-*

angelorum & hominum, *tentamine*, Londini anno 1691. edito. Nec erit temere, qui hac de re dubitauerit. Quorumdam enim veteris eccleſiae doctorum ſententiam, malignos ſpiritus libidine atque luxuria peccaſſe, ex praua ſpiritus notione, quae animis illorum ſedit, orta, ſponte ſua corruit. Quaeri autem vlterius ſolet, quonam actu externo iſtorum angelorum ſuperbia ſeſe prodiderit? Diuerſa enim id fieri potuiſſe ratione, manifeſtum eſt. Is, quem antea laudauimus, TVRNERVS in eo totus eſt, vt euincat, angelos illos, qui lapſi ſunt, imperium aliquod in reliquos angelos ſibi vindicare voluiſſe. Hinc verba Iudae *ep. v. 6.* μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ita explicat, quod *transgreſſi in aliorum pomoeria inſiluerint, ceteraſque manſiones angelicas inuaſerint, eamque ob rem facti ſint* ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον, *hoc eſt, ſtationis ipſis adſignatae deſertores.* Alii autem ſuperbiam iſtorum ſpirituum in eo ſeſe exſeruiſſe exiſtimant, quod aequalitatem cum Deo adfectauerint, idque ex ea iterum, qua diabolus primos parentes tentauit, ratione *Gen. III, 5.* putant colligi poſſe. Sed nihil certi hac de re definiri poteſt, & recte a nobis ignorantur, quae Deus in ſcriptura non reuelauit. Quae ex LACTANTIO, & quidem *l. 2. inſtitut. diuinar. c. 9.* de malorum angelorum origine proferri ſolent, non tantum παράδοξα, ſed & impia ſunt. Sed cum in codicibus probae notae iſta non legantur, LACTANTIO perperam tribui, viri docti contendunt. Ceterum, angelos iſtos malos, non ex abſoluto quodam Numinis decreto, ſed liberi arbitrii, quocum conditi erant, abuſu, lapſos eſſe, & ipſa indoles eorum, & ſanctitas, iuſtitiaque Numinis euincit; hec etiam in ſcriptura ſacra aliud quid inuenias. De tempore lapſus iſtius diximus ad §. 31.

§. XXXV. Cum autem princeps aliquis malorum angelorum memoretur, *Luc. XI, 15.* qui & κατ᾽ ἐξοχὴν *diabolus* dicitur, *Ioan. VIII, 44.* eique regnum aliquod tribuatur; *Luc. XI, 18.* nullum prorſus eſt dubium, quin praecipuus aliquis ex angelis, ſeu princeps, cum integro angelorum exercitu, qui eius imperio ſubfuiſſe videntur, in Deum rebellauerit, & ita ſibi ſuiſque ſummam attraxerit miſeriam. *

* Hinc etiam angelorum diaboli mentio iniicitur *Matth. XXV, 41.* & *apoc. XII, 7.* Videtur autem princeps ille daemoniorum, qui haud dubio vnus ex praecipuis angelis fuit, auctoritate ſua, ſimulque & exemplo, & ſuaſione reliquos, vt a Deo itidem deſciſcerent, induxiſſe. Quod cum ea ratione factum ſit, vt omnes & ſinguli in defectionem iſtam conſentirent, maximum inde diſcrimen, quod inter lapſum hominum & angelorum iſtorum intercedit, elucеſcit; ſimulque ratio intelligitur, cur hominum Deus miſertus, ſeruatorem illis dederit, non autem diabolorum. Primi nimirum homines a diabolo, ſeu ſerpente illo antiquo ſeducti peccarunt, cum princeps ille contra angelorum malorum, a ſemet ipſo incitatus, defecerit. Poſteri porro Adami actu praeſentes non erant, vt conſentire directe potuiſſent, dignique adeo erant commiſeratione; cum angeli contra iſti, qui nutum ductumque principis daemoniorum ſequuti ſunt, in iſtam defectionem directe conſenſerint. Superſunt tamen in hiſce omnibus plurima, quae religioſa admiratione venerari potius, quam curioſius rimari, praeſtat.

§. XXXVI. Per lapſum iſtum cum dona non tantum gratiae amiſerint, ſed natura illorum intime corrupta ac deprauata fuerit, fieri aliter non

Digitized by Google

non potuit, quam vt in locum lucis, ſeu cognitionis ſpiritualis, ignorantia ac tenebrae, * in locum ſapientiae ſtultitia, ** in locum amoris ordinati, quo Deum ſupra omnia amabant, philautiae prauae velut habitus aliquis, hinc & ſimul, quidquid prauorum adfectuum, quidquid vitiorum, ſeu prauarum propenſionum cogitari poteſt, ſucceſſerit. *** Facile hinc etiam intelligitur, qualis iſtorum angelorum ſit libertas. *

* Cum enim, vti ex dictis conſtat, ſtatu gratiae exciderint, lumine quoque gratiae, multo magis autem gloriae, deſtituuntur. Hinc mera in illis caligo, merae tenebrae. Idque Petrus innuit, quando σειραῖς ζόφου, *catenis* ſeu *funibus tenebrarum* eos in tartarum detruſos, dicit *2. ep. II, 4.* & Iudas: *vinculis aeternis* ὑπὸ ζόφον *ſub caligine* vel *in tenebris* eos ſeruari docens, *v. 6.* Supereſt vtique in iis naturalis quaedam ſcientia. *Credunt* enim *& diaboli; Deum eſſe, & contremiſcunt; Iac. II, 19.* Nec dubium eſt, quin per diuturnam experientiam inſigniter eam augere queant. Hinc ſumma infernalis genii calliditas, ob quam & *antiqui ſerpentis* nomine venit, *apocal. XII, 9.* cuius fructus ſunt, αἱ μεθοδεῖαι τοῦ διαβόλου, *Eph. VI, 11.* Nihilo ſecius tamen eſt, atque manet in caligine, vinctus catenis tenebrarum. Ea enim ſcientia ſiue cognitio, quae cum ſumma voluntatis prauitate coniuncta eſt, miſeriamque eius, qui ea praeditus eſt, non imminuit, ſed auget, lucis nomine minime digna eſt, nec eo in ſcriptura ſacra venit. Atque hinc, qualis theologia illa ſit, quam nonnulli diabolis tribuere non dubitant, facile intelligitur.

** Vt cognitio, ſiue ſcientia atque probitas, ſapientiam gignunt, ita ignorantiae atque improbitatis filia eſt ſtultitia. Cumque ſumma improbitas ſaepe in ſcriptura ſacra ſtultitiae nomine veniat, hanc recte malignis ſpiritibus tribui, inde conſtat. Quod & ex eo patet, quod omnia ea, quae mali iſti genii agunt, aut ſuſcipiunt, ita comparata ſint, vt ſuam ipſi augeant miſeriam. Suam autem quaerere perniciem, miſeriaeque ſibi data opera attrahere incrementum, ſummae ſtultitiae character eſt longe certiſſimus.

*** Ex amore ſui inordinato non poteſt non fluere defectus amoris diuini; immo cum peccatorum conſcientia, poenaeque partim praeſentis, partim imminentis conſideratio, illis Deum vt iratum, ſed iuſtum iudicem repraeſentet, odium Dei intenſiſſimum hinc oritur; quod vt mirum in modum eos excruciat, ita per felicitatis alienae inuidiam, ſimileſque adfectus, dolor, quem inde, vti ex poena, quam ſuſtinent, ſentiunt, ſemper augetur.

* Reuera nulla, vel talis, quae libertatis nomen non meretur. Ea enim illorum eſt indoles, vt non poſſint non ea velle, quae mala ſunt, etſi ex plurimis malis aliquod eligere, vel non eligere, aut vnum alteri quandoque praeferre queant, idque ſub ſpecie quadam boni.

§. XXXVII. Viuunt mali angeli equidem iam in ſtatu damnationis, ſed vt vltimum ſupplicium illis adhuc immineat; * idque aeternum, eo quod redemtore, qui cum Deo eos reconciliaret, carent. **

* In ſtatu damnationis viuunt, non tantum *priuatiue*, vt loqui ſolent, ob donorum gratiae pariter ac gloriae abſentiam, ſed & *poſitiue*, vt dolores infernales ſentiant. Id Petrus innuit, quando *catenis tenebrarum eos in tartarum detruſos* docet, *2. ep. II, 4.* Grauiores tamen poenas illis adhuc imminere, idem apoſtolus ſignificat, quando addit, *eos in iudicium reſeruari.* Quando autem in tartatum detruſi dicuntur, hoc ita

intelligendum, vt illis ſimul concedatur poteſtas verſandi in hocce orbe, variasque operationes edendi. Nec ideo a poena liberantur, cum ob prauos adfectus, &, qui ex iis oriuntur, dolores grauiſſimos, infernum ſimul ſecum circumferant. Perperamque adeo hinc colligit BECKERVS, nullas malorum daemonum eſſe in hocce orbe operationes, eo quod inferno iam incluſi ſint.

** Hoc diſerte Paulus docet, *non angelorum, ſed Abrahami ſemen Chriſtum adſumſiſſe*, adſerens, *Ebr. II, 16.* Hominum ergo ſaltem, non angelorum eſt redemtor. Rationem autem, cur hominibus quidem, non autem angelis lapſis Deus redemtorem dederit, iam ad *§. 35.* indicauimus.

§. XXXVIII. Operationes eorum ita comparatae ſunt, vt ſuum quidem aduerſus Deum & homines odium prodant, ſibi ipſis autem maximopere noceant, ſuamque augeant miſeriam. Nullam itaque praetermittunt occaſionem, damnum aliquod hominibus inferendi, cumprimis in peccata quaeuis praecipitandi, eosque in ſuae, qua ipſimet premuntur, miſeriae conſortium detrudendi; *Ioh. I, 12. ſq. Luc. XXII, 31. Eph. VI, 11, 12.* * Cumque eorum omnium, quae ad hominum ſalutem tendunt, infenſiſſimi hoſtes ſint, mirum non eſt, quod ſtatui eccleſiaſtico, ** ciuili, *** & oeconomico, * diuerſa ratione inſidias ſtruant; Deo tamen ſubinde & ad homines tum pios, tum impios caſtigandos, eorum vtente miniſterio **

* Huc & pertinet, quod Petrus dicit; *Adverſarius veſter* (ὁ ἀντίδικος ὑμῶν) *diabolus, circumambulat, tanquam leo rugiens, & quaerit, quem deglutiat; 1. ep. V, 8.* Ob animum, quem ſemper habet, nocendi hominibus, maxime piis, vocatur ἀντίδικος illorum, alias vero eodem ſenſu *ſatan*; ob iram autem & crudelitatem, cum leone rugiente comparatur. Non autem princeps ſaltem angelorum malorum hic intelligitur, ſed omnes & ſinguli, quorum quidam huic, alii aliis hominibus inſidiantur; & quod eiusdem ſint indolis, merito omnes ἀντίδικοι atque diaboli, dicuntur. Notum autem ſatis eſt, hiſce vocibus in ſcriptura ſacra ſpiritus iſtos malignos, quos diabolos inde vocamus, indicari; quod & ex armis illis, quibus apoſtolus nos contra hunc adverſarium pugnare iubet, quae ſunt *ſobrietas & vigilantia*, itemque *fides, v. 9.* patet. Vnde rurſus magnopere fallitur BECKERVS, homines calumniatores hic intelligi contendens; in *mundo faſcin. l. 2. c. 17. p. 105.*

** Varia quidem ratione, cumprimis inducendo homines in errorem, tenebrasque illorum intellectui obfundendo, ne veritatem perſpiciant, *2. Tim. III, 4.* excitando pſeudo-prophetas, atque haereticos, atque illorum conatus adiuuando, *2. Theſſal. II, 9.* Huc & doctrinae daemoniorum pertinent, *1. Tim. IV, 1.*

*** Idque itidem non vna ratione. Speciatim autem ad praua noxiaue principum conſilia, quibus ſibi & populo perniciem attrahunt, infernalem genium concurrere, non eſt, quod dubitemus. Exemplo Dauidis id patet, *1. chron. XXI, 1.* Vbi quidem non tantum BECKERVS in *mundo faſcin. lib. 2. c. 22. p. 143,* homines prauos intelligit; ſed & CLERICVS conſiliarium quemdam Dauidis innui putat, qui maiorem fiduciam in multitudine, quam in vlla alia re ponendam duxerit, idque perſuaſerit Dauidi; ad *h. l.* Sed admitti eam ſententiam non poſſe, docui in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 2.* ad *per. 2. ſect. 3. §. 9. p. 202.* Referre huc etiam licet exemplum Achabi, *1. reg. XXII, 21, 22.* itemque locum *Dan. X, 13.* de quo ad *§. 32.* diximus.

* Illis, qui in ſtatu oeconomico conſtituti ſunt, nocent, partim ad peccata, quae tranquilli-

quillitatem, felicitatemque huius ſtatus turbant, eos inducendo, partim varia mala illis adferendo. Quae in libro Tobiae de Aſmodaeo exſtant, ex Iudaeorum fabulis petita ſunt, vti dudum viris doctis obſeruatum; conf. quae dixi in *hiſt. eccleſ. Vet. Teſt. tom.* 2. ad *per. 2. ſect. 4. §. 29. p. 611.*

§. XXXIX. Speciatim & potentia, & nocendi animus, qui malignis hiſce ſpiritibus inſidet, in obſeſſione hominum, tum ſpirituali, tum corporali; * in magia, dum ſuam maleferiatis quibusdam, ad nocendum aliis, operam exhibent; ** & denique per ſpectra, quibus hominibus illudunt, *** conſpicitur. Haec enim omnia, qui aut negant, aut ad alias cauſſas ita referunt, vt ſpiritibus malignis nullus plane locus relinquatur, hoc demum agunt, vt ad res euidentiſſimas impugnandas, ſe animum obfirmaſſe ſuum, demonſtrent. *

* Cum improbi homines ab infernali genio ita excaecantur, vt nec, quae ipſa luce clariora ſunt, euidentioraque, agnoſcant, quin potius veritatem apertam reiiciant, exſibilent, explodant, aut ad grauiſſima quaeque ſcelera, ad quae ceteroquin ipſa ratio obſtupeſcit, perpetranda impelluntur; merito pro ſpiritualiter obſeſſis, hoc eſt, talibus, qui, permittente ex iuſto iudicio Numine, ex voluntate & impulſu infernalis genii omnia agunt, habentur; conf. *Eph. II, 2. 2 Cor. IV, 4. Luc. XXII, 3. Io. XIII, 27.* Interdum vero & corpus a diabolo, permittente Deo, inuaditur, & ab eo ita poſſidetur, vt inuito homine in eo & per illud operetur, doloribus quoque variis quandoque illud adficiat, aliaque ratione vim ſuam atque potentiam demonſtret. Et haec eſt *obſeſſio corporalis*; quam, ſi aliunde non conſtaret, ſcriptura ſacra exemplis & teſtimoniis tam luculentis comprobat, vt nemo, niſi qui illi fidem omnem denegat, de ea dubitare queat. Cum vero luculentiſſimum inde pro exſiſtentia & operationibus ſpirituum, argumentum petatur, omnem quidem pneumatomachi mouerunt lapidem, vt hocce telum euitarent. Hinc, quidquid de eiusmodi obſeſſionibus dicitur, ſi modo fraus nulla ſubſit, pro melancholiae aut morborum quorumdam venditare effectibus, non dubitant. Nec hodie demum, aut nudius tertius hanc ſententiam exortam eſſe, ex MICHAELE PSELLO diſcimus, qui ἀλλ' ἕτερ' ἄττα, inquit, πείθουσιν ἡμᾶς φρονεῖν ἰατρῶν παῖδες, οὐ δαιμόνων ἔκγονα τὰ πάθη ταῦτα λέγοντες εἶναι χυμῶν δὲ καὶ αὐχμῶν, καὶ πνευμάτων μοχθηρῶν ἐχόντων. *At alia quaedam, bis diuerſa, medici nobis perſuadere conantur, dum huiusmodi adfectus non a daemonibus procedere dicunt, ſed potius ab humoribus, articulis, & ſpiritibus male adfectis &c. de operat. daemon. p. m. 56.* Nec ego infitiatus fuerim, morborum quorumdam, ſimulque imaginationis vim plane ſingularem quandoque eſſe, fierique adeo poſſe, vt incauti decipiantur, daemonumque viribus tribuant, quod a cauſſis naturalibus erat arceſſendum. Simul tamen fatendum, eiusmodi proſtare exempla, quae cauſſarum naturalium efficaciam multum ſuperant; vt, cum obſeſſi peregrinis, ſibique antea ignotis linguis loquuntur; aut ſciunt, quae eodem, quo hoc eloquuntur tempore, in locis remotiſſimis contingant, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Cumprimis autem exempla & teſtimonia ſcripturae ſacrae rem extra omnem dubitationem ponunt. Luculentum prae reliquis eſt, quod *Matth. VIII, 29. ſ.* exſtat. Ipſi enim daemones ſeruatorem adloquuntur: *Quid tibi nobiſcum rei eſt, Ieſus, Dei fili? Huccine veniſti, ante tempus vexatum nos?* Immo, ab eo petunt, vt ſibi liceat,

liceat, in porcorum gregem immigrare; idque cum impetraſſent, eumdem in lacum praecipitem egerunt. Quis vero hoc de morbo quodam caperet? aut num morbus ad Chriſtum loquutus eſt, dixitque, veniſſe eum, vt ante tempus ſe vexaret? num petit ab eo, vt ſibi in gregem porcorum immigrare liceret? Quid vero ineptius aut dici, aut cogitare poſſet? Non minus vero illuſtria ſunt, quae *Luc. XI, 14. ſeq. Matth. XII, 22. ſq. c. XV, 22. ſq. c. XVII, 15, 18.* leguntur. Non ineptum vero tantum, ſed & plane impium eſt, quod BECKERVS adſerit, haec omnia ex falſa, erroneaque Iudaeorum opinione ita narrari; *mund. faſcin. lib. 2. c. 28. p. 258. ſeq.* Hoc enimuero nihil aliud eſt, quam impiorum hominum ludibrio ſcripturam ſacram exponere. Contingere autem poteſt, vt non tantum impii, ſed & pii homines, iſtam infernalis genii crudelitatem experiantur. Certe, ex Numinis permiſſione diabolum corpora piorum hominum, ad fidem illorum, aliasque virtutes illuſtriores reddendas, adfligere poſſe, non eſt, quod dubitemus; conf. *2. Cor. XII, 7. 9.* itemque *1. Cor. V, 5.* Vt obſeſſi ab iſta poteſtate ac tyrannide diaboli liberentur, vnice precibus ad Deum fuſis obtinendum. Poteſtas illa daemones eiiciendi apoſtolis conceſſa, *Marc. XVI, 17.* hodie ceſſat. Exorciſmi ſine ſuperſtitione adhiberi nequeunt. Neque enim eorum aut praeceptum, aut exemplum a Deo probatum in ſcriptura ſacra habemus. Sed haec huius loci non ſunt.

** Magiae dum hic mentionem facimus, non *naturalem* illam, quam vocant, ſed illiciram, ſeu daemoniacam intelligimus, quando malaferiati quidam homines infernalis genii opera, res quaſdam mirabiles, & quae hominum vires ſuperant, efficiunt, aut eiusmodi quid conſequi adnituntur, quod itidem hominum ope conſequi non poſſent. Licet autem omnes iſti, qui ſpirituum exſiſtentiam & operationes in dubium vocant, eiusmodi magiam dari, ſtrenue negent; id tamen profecto ſine omni ratione faciunt. Quod vt oſtendatur, duo paucis probanda ſunt; primo, fieri poſſe, vt homo ſpiritus cuiusdam maligni opera & auxilio, ad aliquid efficiendum, vtatur; deinde, exempla teſtari, eiusmodi quid reuera factum eſſe. Prius quidem vt euincatur, reuocare nobis ſaltem in memoriam debemus veram & genuinam ſpiritus notionem. Secundum eam namque cum ſpiritus ſit ſubſtantia immaterialis, intellectu & voluntate, ſimulque poteſtate mouendi corpora, variasque operationes edendi, praedita, prouti luculenter ſupra ex ſcriptura ſacra demonſtrauimus; nihil profecto impedit, quo minus eiusmodi ſpiritus hominibus quocumque modo ſe manifeſtare, ſub figura corporis cuiusdam iis adparere, cum illis colloqui, pacta inire, aliquid promittere, & in eorum gratiam praeſtare queant, quod hominum ceteroquin vires ſuperat. Non equidem adſero, quod omnes magi explicite pactum cum ſpiritu maligno ineant; cum etiam eius opera ſine pacto vti queant; nec tamen video, quid obſtet, quo minus duae ſubſtantiae intelligentes, quarum ea, quae inuiſibilis eſt, alteri certo modo ſe manifeſtat, mutuum conſenſum quocumque modo declarare poſſint, & ſibi inuicem aliquid promittere. Stultum equidem omnino eſt, atque ineptum, cum eiusmodi ſpiritibus pactum inire, quibuscum homines nullam habent iuris communionem; vnde & omni obligatione pacta iſta deſtituuntur: ſtolidum quoque, pactis atque promiſſis illorum fidere, qui nullo religionis vinculo, quo minus ea violent, tenentur; immo & impium, malignorum ſpirituum opera quacumque ratione vti velle, quippe quod ſine tacita ſummi Numinis abnegatione fieri nequit; ſed haec omnia non impediunt, quo minus homines cum ſpiritibus iſtis, certo modo ſe manifeſtantibus, pactum inire, aut illorum quocumq; modo vti opera queant. Quodſi quis aliam ſpiritus notionem animo

mo ſuo ſedere profiteatur, noſtramque, ſeu receptam iſtam repudiet, illi quidem luculenter probandum, noſtram hancce, iis ſcripturae locis, in quibus de angelis ſermo eſt, minime conuenientem eſſe. Quod, vt ego quidem exiſtimo, nemo temere praeſtabit. Nec diuerſas vocis ſignificationes coniungere, aut in vnum conflare decet, ſed ſeparare potius, ac diſtinguere, atque hinc ex diuerſis proprietatibus, quas ſcriptura aperte hiſce ſpiritibus tribuit, veram ac genuinam eius notionem eruere, prouti ſupra iam obſeruauimus.

Cum ergo non ſit ἀδύνατον, vt homines quandoque ſpirituum vtantur opera, eorumque commercio gaudeant, ſupereſt, vt oſtendamus, hoc quandoque factum eſſe. Hoc ſcriptura autem tam aperte teſtatur, vt alia eius rei adferre documenta non neceſſe ſit. Huc namque pertinent, quae Moſes de magis aegyptiacis commemorat, virgas ſuas proiicientibus, vt ſtatim in ſerpentes mutatae viderentur; *Exod. VII, 12.* Quod profecto ſine opera cacodaemonis, ſumma celeritate ſerpentum quamdam formam oculis ſpectantium obiicientis, fieri non potuit. Nec eſt, quod dicas, ipſorum magorum ſollertia & praeſtigiis id factum eſſe, vt pro virga ſerpens adpareret, vel alia ratione ſpectatores deciperentur. Diſerte enim Moſes dicit, feciſſe hoc magos iſtos בלהטהם *incantationibus ſuis.* Accedit, quod vix credibile ſit, Moſen iſtam magorum fraudem non fuiſſe manifeſtaturum, cum hac ratione omni eos exuere auctoritate apud Pharaonem potuiſſet. Hinc & merito hanc ſententiam ipſe CLERICVS ad *h. l.* reiicit. Praeterea, cum Moſes *Deut. XVIII, 10.* eos, qui artibus illicitis ac ſuperſtitioſis dediti erant, quosue Deus inter Iſraelitas tolerari nolebat, recenſet, inter alios etiam מכשפים *praeſtigiatores* commemorat, hoc eſt, tales, qui non tantum ſollertia quadam atque agilitate alios decipiebant, ſed &, *qui magica arte ſub oculis rem aliquam mutabant*, vt recte MVNSTERVS ad *h. l.* explicat. Confirmat idem MOSES MAIMONIDES, in *tract. auodah ſarah c. 11. n. 16. Praeſtigiator,* (מכשף) inquit, *lapidatur, nempe, qui reapſe praeſtigioſa* (כשפים) *facit. At, qui oculos eludit,* (האוחז את העינים) *nec ea praeſtat, quae facere videtur, poena rebellium adſicitur.* Duo nimirum ſtatuit praeſtigiarum genera, vnum daemoniacum, alterum illuſorium, vt recte ad *h. l. Maimonidis* obſeruat DION. VOSSIVS, & vtrumque adeo voce מכשף denotari docet. Sed addit quoque Moſes *l. c.* eiusmodi hominum cohorti, ושואל אוב וידעוני ודורש אל-המתים & *interrogantem ob & idoni, & quaerentem a mortuis.* Quae verba LXX. interpretes reddunt: ἐγγαστρίμυθος καὶ τερατοσκόπος καὶ ἐπερωτῶν τοὺς νεκρούς. Vulgatus autem: *neque, qui pythonas conſulat, nec diuinos, & quaerat a mortuis veritatem.* Nimirum, licet vox אוב & in plurali אובות ceteroquin vtrem ſignificet, vt *Iob. XXXII, 19.* & hinc ad ventriloquos ſeu ἐγγαστριμύθους ſignificatio eius translata ſit; in *hocce* tamen *loco*, vti & *Leuit. XIX, 31.* & alibi, ipſe potius ſpiritus malignus denotatur, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui reſponderent ad ea, quae ex iis quaerebantur, aut alia quacumque ratione futura indicaret. Hinc & mulier, quae eam artem tenebat, בעלת אוב *domina ob* ſeu *habens ob* vocatur; *1. Sam. XXVIII, 7.* Non itaque ipſa mulier erat *ob*, ſed per *ob* reſpondebat ad ea, de quibus conſulebatur. Quare & Saul rex eam ita adloquitur: *diuina mihi* באוב *per ob, & fac mihi adſcendere, quem tibi dixero.* Quod quidem argumento eſt longe euidentiſſimo, daemonis maligni operam hic interceſſiſſe. Conſentiunt etiam hac in re praeſtantiſſimi Ebraeorum magiſtri, non diffitente tandem, ſed adeo indignante ANT. VAN DALE, vt hiſce vtatur verbis: *quod minus mirum iis videbitur, qui norunt, Iudaeos poſt natum Chriſtum nihil paene, praeter daemonas, ſeu diabolos ſomniaſſe; de origine ac progreſſu idololatriae ac ſuperſtit. diſſ. 3. c. 9.*

c. 9. p. 607. item *p. 617.* Noſtra autem etiam ex loco *actor. XVI, 16.* confirmatur ſententia, vbi mentio fit puellae, quae habuit ſpiritum Pythonis, quem Paulus ex ea expulit. Certe, ſi ſpiritus maligni opera hic non intercesſiſſet, non potuiſſet eum eiicere Paulus. Conferenda etiam, quae hac de re dixi in *hiſt. eccl. V. T. tom. 1.* ad *per. 2. ſect. 1. §. 36. p. 781.* Signa denique atque portenta pſeudo-prophetarum atque ſeductorum, *Deut. XIII, 1.* non aliter, quam de iis, quae opera cacodaemonis edere ſolent, intelligi poſſunt. Hinc & tempore Chriſti Iudaei non dubitarunt, a ſpiritu maligno, Deo permittente, fieri poſſe τέρατα καὶ σημεῖα. Phariſaei namque Chriſtum accuſabant, quaſi miracula ἐν ἄρχοντι τῶν δαιμονίων faceret; *Matth. IX, 34. c. XII, 24.* neque eos confutat Chriſtus, negando, a diabolo ea fieri poſſe, quae pro miraculis habentur; quinimmo ipſe dicit, venturos pſeudo-Chriſtos & pſeudo-prophetas, qui *edituri ſint ſigna magna, atq; portenta; Matth. XXIV, 24.* & *2. Theſſ. II, 9.*

*** Quaeſtio de ſpectris rurſus eo tendit, an dentur ſpiritus, qui, permittente Numine, quandoque per ſigna externa hominibus ſeſe manifeſtare queant, vt illis illudant, terrorem incutiant, vel alio quocumque modo noceant? Si enim dantur ſpiritus, ſeu ſubſtantiae immateriales, intellectu, voluntate, ac potentia agendi in corpora praeditae, (quod hactenus luculenter euicimus) nihil quoque profecto obſtabit, quo minus aliquando ex Numinis permisſione hominibus, ſiue viſum, ſiue auditum illorum moveant, ſeſe manifeſtare queant. Caute omnino ac circumſpecte hic incedendum, lubens fateor, cum per vim imaginationis, accedente adfectu vehementiori, fieri queat, vt aliquid videre aut audire nobis videamur, quod tamen non videmus, nec audimus; ne quid de aliorum fraudibus dicam, quibus aliquando in errorem aliquis induci poteſt. Nec tamen inde ſequitur, ſemper falli, aut decipi homines; cum aliquando ea rerum ſit ratio, vt nec ſenſuum errori, nec aliorum deceptionibus locus relinquatur. Quid autem ambagibus opus? cum ſacra ſcriptura diſerte, quod ſpectra eiusmodi dentur, teſtetur. Non prouocabo nunc ad locum *ſap. XVII, 3. ſq.* vbi de ſpectris, Aegyptios terrentibus, ſermo eſt, cum non neſciam, quae hic excipi queant. Spectrum illud Endoraeum, quod Sauli vltima fata indicavit, *1. Sam. XXVIII, 7. ſq.* rem omnem conficit. Nec enim de alio, quam infernali genio intelligi poteſt. Ipſam enim Samuelis animam ſi Sauli adparuiſſe dicas, quae Romanae eccleſiae addictorum eſt ſententia, eam artibus magicis e beatorum ſedibus euocari potuiſſe, ſimul concedas, neceſſe eſt; quod nemo, niſi omni ratione deſtitutus, ſibi perſuadebit. Nec te hinc expedias, ſi cum ALEXANDRO *hiſt. eccl. V. T. aetat. mundi 4. diſſ. 23. p. 68.* adſeras, *non artibus pythonicis eam* (Samuelis animam) *euocatam, ſed Dei prouidentia, & imperio.* Cum enim artes necromanticae praeceſſerint, ſequetur, Deum iis hoc dediſſe, vt animam Samuelis e caelo mitteret; quo ipſo & Saul, aliique, in ea confirmati fuiſſent ſententia, ac ſi magicarum artium ea vis eſſet atque efficacia, vt animae beatorum ex caelis iis euocari poſſent; quod cum iuſtitia & ſanctitate Dei non temere conciliaueris. Qui autem ad vatidicae mulieris praeſtigias cuncta referre voluerit, vt BECKERVS, *mund. faſcin. l. 3. c. 6.* & VAN DALE, *diſſ. de diuin. idololatr. ſub V. T.* addita eius *diſſertationibus de origine & progreſſu idololatriae, c. 9. p. 620. ſeq.* & *de orac. veter. gentilium diſſ. 1. c. 2. p. 24.* illi ſimul admittendum, vetulam iſtam ciuilium rerum peritiſſimam fuiſſe, tantaque ſagacitate praeditam, vt promte futura praedicere potuerit; quod omnem fidem ſuperat; ne dicam, quod nulla arte humana Samuelis vocem ita imitari potuerit, quin Saul, cui Samuel notiſſimus erat, quantumuis perterrefactus, ſtatim fraudem animaduertere potuiſſet. Mitto reliqua, quibus ea ſententia

ſolide

Digitized by Google

ſolide deſtrui poteſt, a me iam adlata in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 2. ad per. 2. ſect. 3. §. 27. p. 309.* Exſtant vero & alia in ſcriptura ſacra de ſpectris teſtimonia. Ipſi namque diſcipuli Chriſti, cum magiſtrum in mari ambulantem conſpicerent, ſpectrum ſibi adparere exiſtimarunt; *Marc. VI, 49.* Quae opinio eos quoque inuaſit, cum Chriſtus poſt reſurrectionem illis adpareret; *Luc. XXIV, 37. 39.* Hoc ipſo autem vt ſignificarunt, ſe ſpectra, ſeu ſpirituum adpariciones credere, ita Chriſtum ideo eos reprehendiſſe, non legimus. Quod documento eſt, eos minime ea in re errаſſe. Sunt, qui animabus hominum tribuunt, quae de ſpectris dicimus. Gentilium non tantum quorumdam ea ſententia fuit, animam hominis poſt eius e vita exceſſum quandoque redire, & adparere; ſed eadem etiam ex Iudaeis nonnullos imbutos fuiſſe, MENASSE BEN ISRAEL auctor eſt, *l. 2. de reſurrect. mortuor. c. 6.* Romanenſibus autem eo magis ea ſe adprobat, quo certius in ea praeſidium pro purgatorio adſtruendo ſe inuenire exiſtimant. Placuit tamen etiam aliis, qui Romanae eccleſiae ſacris addicti non ſunt, vt HENR. MORO, *de immortalitate animae, l. 2. c. 16. tom. 2. oper. philoſ. p. 380. ſq.* & IOSEPHO GLANVILIO, in *Sadducaeiſmo triumphato, part. 2. ſect. 24. p. 163.* Cum vero aliunde conſtet, animas piorum in ſedes beatitudinis aeternae, impiorum autem, in cruciatuum infernalium locum deferri; nihil amplius in hocce mundo efficere queunt. De ſpiritibus malignis autem eo minus dubitandum, quo ſaepius ſcriptura eorum, quae ab iis in hocce orbe peraguntur, mentionem iniicit. Vti autem cauſſae variae eſſe poſſunt, cur Deus aliquando illis hoc permittat, ita omnia tandem ad potentiae, iuſtitiaeque diuinae aeque ac ſapientiae manifeſtationem collimare, deprehendimus.

* Non culpandi ſunt, qui ſuperſtitioſa, quae in hiſce omnibus quandoque occurrunt, proſcribunt, atque eliminant: ſed nec excuſandi, qui ad alterum extremum procurrunt, &, quidquid de ſpirituum operationibus dicitur, in dubium vocant. Dumque omnes ſine diſcrimine narrationes de hiſce ſuſpectas reddere conantur, aliis tandem ad ſcepticiſmum viam muniunt; euidentiſſima autem ſcripturae teſtimonia dum eludere adnituntur, ita haud raro hoc faciunt, vt profanorum hominum ludibrio eam exponant. Omnia vero eo tendunt, iis vt gratificentur, qui nullos dari ſpiritus credunt: quod atheis haud ingratum eſſe poteſt. Conferenda, quae dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *c. 3. §. 3. p. 276.*

§. XL. Non tantum per creationem, ſed & per rerum creatarum conſeruationem, ſapientiſſimamque gubernationem, Deus & bonitatem, & potentiam, & ſapientiam ſuam in regno naturae manifeſtat. Quae quidem Numinis opera cum eius prouidentiam arguant, * de ea vt itidem agamus, res ipſa poſtulat.

* Per conſeruationem & gubernationem, qua voce etiam concurſum Numinis complectimur, actus externos prouidentiae intelligimus, vt prouidentia ipſa actus internos, ſeu immanentes, vti mox dicemus, denotat. Patet hinc, quo ſenſu conſeruationem & gubernationem opera Dei vocemus, & quod prouidentiam ipſam arguant, dicamus; ſimulque ordinis, quam hic innuimus, ratio inde conſtat.

§. XLI. Prouidentiae autem nomine, ſi more humano de Deo loqui velimus, & intellectus & voluntatis quidam actus deſignatur. Vt enim pro omniſcientia ſua nouit, quae rerum ab ſe creatarum conſeruationi inſeruiunt, & ad finem, ob quem conditae ſunt vbique, ſecundum ordinem

nem a ſe conſtitutum, obtinendum ſunt neceſſaria; ita, vt haec eueniant, vult, atque ita cuncta conſeruat, dirigit, gubernat. *

* Vox *prouidentiae*, ſi vſum eius, receptumque loquendi morem ſpectes, curam quamdam, qua aut noſtris, aut aliorum commodis ſapienter proſpicimus, denotat. Id enimuero non aliter, vti res ipſa docet, fieri poteſt, quam vt primo rite conſideremus, in quo commodorum iſtorum conſiſtat ratio; ſpeciatim, vt ad ea, quae euenire poſſunt, vt damnum inde aut emolumentum percipiamus, cogitationes noſtras dirigamus. Deinde, poſtquam haecce cognita nobis ſunt, atque perſpecta, vt ea nobiscum conſtituamus, decernamusque, quae ad finem obtinendum ſunt neceſſaria. Atque haec quidem in ipſa hominum mente peraguntur. Vt autem effectus reuera ſequatur, exſequutio eius, quod decreuimus, rite accedat neceſſe eſt. Eodem itaque modo cum & diuinam prouidentiam, ſed θεοπρεπῶς, concipere nobis liceat, tria ad eam requirere ſolent, πρόγνωσιν, ſeu *praeſcientiam*, qua omnia ea, quae rerum creatarum conſeruationi, & ad certum finem directioni inſeruire poſſunt, cognoſcit; πρόθεσιν, qua ea, quae ad finem obtinendum neceſſaria ſunt, decernit; & denique διοίκησιν, qua ea, quae decreuit, exſequitur, dum res creatas conſeruat atque gubernat. Πρόγνωσις itaque atque πρόθεσις, quarum illa ad intellectum, haec ad voluntatem ſpectat, cum actus interni, ſeu immanentes ſint, ſecundum nonnullos proprie prouidentiam abſoluunt; cum διοίκησις ſit actus externus, adeoque effectus potius, atq; documentum prouidentiae diuinae. Alii, ſumta voce in ſenſu latiori, διοίκησιν itidem ad ipſam prouidentiam referunt, aut in ea omnino praecipue prouidentiam conſiſtere autumant. Quae cum circa vocis ſaltem vſum ſit diſſenſio, non adeo magni momenti eſt. IO. DAMASCENNS prouidentiam breviter ita deſcribit: πρόνοιά ἐστιν ἡ ἐκ θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια; *de orthod. fide l. 2. c. 29.* Pari ratione & NEMESIVS: πρόνοιά ἐστιν ἐκ θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια; *prouidentia eſt cura rerum a Deo profecta; de natura hominis, cap. 43. p. m. 166.*

§. XLII. Is, qui rebus creatis hunc in modum proſpicit, & ſolus proſpicere poteſt, ipſe eſt, qui omnia ſolus creauit, atque creare potuit, verus & vnicus Deus, * pater, *Matth. VI, 29.* filius, *Ebr. I, 3. Col. I, 17.* & ſpiritus ſanctus, *Iob. XXXIII, 4.* **

* Eſt enim prouidentia, ſeu rerum omnium conſeruatio ac gubernatio, non minus opus infinitae potentiae, quam creatio. Immo prouidentia eſt quaedam veluti creationis continuatio. Quare, ſicuti ſolus Deus omnia creare potuit, ita ſolus etiam rerum creatarum gerere poteſt curam, vt conſeruentur, & cuncta rite gubernentur. Accedit, quod imbecillitatis documentum eſſet, ab alio, quam opifice, rem foueri atque conſeruari, vti eleganter obſeruat NEMESIVS: ἀνάγκη δὲ καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι ποιητὴν τῶν ὄντων, καὶ προνοητήν· οὔτε γὰρ ἀκόλουθον, οὔτε πρέπον, ἄλλον μὲν ποιεῖν. ἄλλον δὲ τῶν γενομένων ἐπιμελεῖσθαι· ἐν ἀσθενείᾳ γὰρ πάντως ὁρᾶται τὸ τοιοῦτον. *Neceſſe eſt autem, eumdem eſſe, qui res efficiat & effectis prouideat. Neque enim rectum eſt, nec decet, alium efficere, alium ea, quae effecta ſunt, curare. Namque hoc imbecillitatis quidem certe eſt; l. c. c. 43. p. 166.*

** Patri pariter ac filio, diſtincte tamen prouidentia tribuitur; *Io. V, 17. Pater meus,* inquit filius, *operatur vsque huc*, continuo inde ab initio mundi res conſeruando ac gubernando, *& ego operor;* additque porro: *Quaecumque pater facit*, ταῦτα καὶ ὁμοίως *eadem & ſimiliter facit filius; v. 19.* Ad ſpiritum ſanctum referri etiam a quibusdam ſolet locus *pſ. CIV, 30. emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, innouas facies terrae.* Renovatio

vatio enim iſta terrae, de qua ibi ſermo eſt, conſeruationis, atque prouidentiae diuinae ſingulare documentum praebet. Cum vero etiam ſupra demonſtratum ſit, filium & ſpiritum ſanctum non minus ac patrem hocce vniuerſum creaſſe, ſequitur etiam, filio, ac ſpiritui ſancto non minus quam patri, eius conſeruationem ac gubernationem tribuendam. Sunt enim haec ita inter ſe coniuncta, vt ſeparari nequeant.

§. XLIII. Deum rerum creatarum curam gerere, ſeu, quod perinde eſt, dari prouidentiam diuinam, & ex bonitate eius & ſapientia, & potentia; non minus tamen & ex rerum creatarum indigentia, euidenter colligitur. * Idem vero etiam ſcriptura ſacra, *pſalm. CIV, 1. ſeq. Iob. XXXVIII, XXXIX, XL. actor. XVII, 25.* confirmat; confer. & *ſap. XIV, 3.*

* Dari prouidentiam diuinam, ex ipſo rationis lumine non minus luculenter, quam Numinis exſiſtentia, demonſtrari poteſt. Ex ipſa enim idea Dei hoc ſequitur, quam non poteſt non euertere, qui diuinam prouidentiam negat. Iisdem itaque rationibus, quibus, Deum eſſe, probatur, ſimul prouidentia eius euincitur, vti recte iam NEMESIVS animaduertit: ὅτι ἐστὶ πρόνοια διὰ τῶν αὐτῶν ἄν τις ἐπιδείξειε, δι' ὧν ὅτι καὶ θεός ἐστιν, ἐδείξαμεν. *Prouidentiam eſſe, iisdem rationibus quis oſtendat, quibus Deum eſſe probauimus; de natura homin. cap. 42. p. m. 160.* Nimirum, qui Deum eſſe credit, eum quoque ſapientiſſimum eſſe, admittat, neceſſe eſt. Sapientiae autem erat, non tantum mundum condere, ſed ita eum inſtruere, atque adminiſtrare, vt gloria atque honor ſummus inde ad auctorem redundet. Hocce autem fine excideret Deus, niſi mundum ipſe adminiſtraret, eiusque curam gereret. Nulla enim tum cauſſa erat, quae homines, vtpote ſolos rationis vſu inter res adſpectabiles pollentes, ad honorem, cultumque creatori exhibendum, adduceret. Ecquid enim illum aut colere, aut venerari iuuat, quem nulla rerum huius mundi cura tangit, aut a quo nec boni, nec mali quid exſpectandum? Sublata itaque etiam, aut negata prouidentia, omnis Numinis cultus, omnis veneratio, omnisque adeo religio tollitur; nec aut precibus, aut gratiarum actioni, vel laudibus diuinis celebrandis, locus erit. Hinc & omnes, qui Deum colunt, hoc ipſo prouidentiam eius profitentur. Quod & NEMESIO obſeruatum: καὶ τὸ κοινῇ δὲ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμολογούμενον τὸ δεῖν εὔχεσθαι καὶ θεραπεύειν τὸ θεῖον, ἀναθήμασί τε καὶ περιμόλοις προνοίας ἐστὶ δηλωτικόν. ἀπρονοήτου γὰρ ὄντος τοῦ παντός, τίς ἂν ἤ τίνι τις εὔξαιτο; *Atque etiam, quod inter homines conſtat, adhibendas eſſe preces Numini diuino, idque muneribus & ſacrariis colendum eſſe, prouidentiam ſignificat. Si enim nulla prouidentia hoc vniuerſum gubernaretur, quis, aut a quo quispiam precabitur? l. c. cap. 42. p. 162.* Nec eſt, quod Epicuri nobis exemplum obuertas, qui *propter maieſtatem Dei eximiam, ſingularemque naturam eius*, illum ſe colere, videri voluit. Id enim, vt haud dubio ſaltem ad fucum incautis faciendum, prae ſe tulit, ita excellentis cuiusdam, ſed ad nos nihil ſpectantis naturae, conſideratio forte admirationem quamdam; cultum autem, qui ſine amore quodam atque timore eſſe nequit, adeoque religioſam venerationem, numquam excitabit. Non tantum vero *ſapientiae*, ſed *bonitatis* etiam atque *potentiae* diuinae conſideratio, ad prouidentiam diuinam agnoſcendam, nos ducit. Si enim

Deus nullam huius vniuerſi curam gereret, inde hoc contingeret, quod aut non vellet, aut non poſſet hoc facere. Si enim & vellet, & poſſet, certe curam gereret. Eum hoc non poſſe, nemo dixerit, cum Deus perfectus omni ex parte non eſſet, niſi omnia poſſet. Nec, quod non velit, dici poteſt, cum hoc cum ſumma eius pugnaret bonitate. Bonitatis autem diuinae erat, non tantum creare mundum, ſed conſeruare atque dirigere, vt omnia certo ordine ad finem a creatore conſtitutum, deducantur. Quod ſi dicas, Deum equidem & velle, & poſſe conſeruare mundum, ſed hunc conſeruatione ac gubernatione non indigere, cum omnia in eo ſtatu, in quo in creatione conſtituta erant, permaneant, & ſecundum ordinem ſemel a Deo ſancitum, procedant; id quidem *infirmitatem, indigentiamque rerum creatarum* in memoriam nobis reuocat, quae nouum ſimul pro Numinis prouidentia adſerenda, argumentum ſuppeditat. Vt enim res creatae nihil, vt exſiſterent, conferre potuerunt, ita non magis ſe ipſas conſeruare poſſunt. Non minoris vtique potentiae eſt conſeruare, & continuare exſiſtentiam, quam eamdem producere atque largiri. Quodſi autem res creatae ſe ipſas conſeruare non poſſunt, neque ordinem, ſecundum quem omnia eueniunt, conſtituere; ſequitur, a Deo iſta omnia profluere, quippe cuius potentia tantum ad hoc ſufficit. Si ergo dicas, omnia in prima creatione in eo ſtatu conſtituta eſſe, in quo ſemper permanere debeant, vt adeo conſeruatione & gubernatione non indigeant; id adhuc probandum fuerit. Nec de eo quaeſtio eſt, qualem mundum Deus creare potuerit, ſed, qualem creauerit, aut creare voluerit, vt non tantum potentiam ſuam, ſed ſapientiam & bonitatem manifeſtaret. Hoc vero ſi recte conſideremus, facile intelligemus, conuenientius fuiſſe, orbem ita condere, vt conſeruatione & gubernatione opus haberet; vt adeo res creatae omnes, quod a ſe ipſis non habent, nec ſibi ipſis dare poſſunt, id vnice a Deo accipiant, eiusque imputent bonitati.

Iam & ſpecialior iſta rerum creatarum conſideratio, argumenta quam plurima, quibus prouidentia diuina probari queat, ſuppeditat. Siue enim quorumdam corporum, vt caeleſtium, motum conſtantiſſimum, ſiue omnium ac ſingulorum aptiſſimam, & qua ſingulas, etiam minutiſſimas partes, ad certum finem comparatam ſtructuram conſideres, vbique luculentiſſima ſapientiae diuinae deprehendes veſtigia. NEMESIVS, qui ex veteribus diligenter hocce de prouidentia argumentum pertractauit, huc ſpeciatim vultuum & formarum varietatem, qua ſinguli homines a ſe inuicem diſcernuntur, aduocat. *Quis*, inquit, (latino enim ſaltem ſermone breuitatis cauſſa verba eius exhibebimus) *cum videat formas hominum in infinita paene multitudine differentes, neque vsquam penitus easdem eſſe, non admiretur, & ſi cum animo ſuo reputet, non adſequatur, a prouidentia formas rerum ſingularum eſſe diſtinctas? Quod hoc modo licet intelligas. Si eamdem retinerent, ſine vlla variatione figuram, quanta rerum confuſio ſequeretur? Quanta inſcitia, quantae tenebrae hominem occuparent, qui neque familiarem, neque alienum cognoſceret, neque hoſtem aut improbum ab amico aut probo viro diſcerneret; omnia vero ſimul eſſent, vt Anaxagorae fuit opinio. Nam hoc ſi ita eſſet, nihil obſtaret, quo minus cum ſororibus & matribus corpus miſceremus, aut praedaremur, aut aliud quidpiam palam improbe faceremus, ſi id modo eſſet declinatum, ne in ipſo facinore deprehenderemur. Nam poſtea conſpecti, agnoſci non poſſemus. Neque etiam lex aut res publica vlla conſtituta eſſet, neque patres & filii, inter ſe cognoſcerent, neque aliud quidpiam, quod ſit ad hominis naturam, cohaereret. Caecus enim eſſet homo, quantum quidem ad homines diiudicandos*

Digitized by Google

ii dicandos pertinet, neque ei oculorum ſenſus multum adiumenti adſerret. Praeter enim aetatem & magnitudinem nihil diiudicaret; l. c. cap. 42. p. 128. Haec vero omnia, vti & reliqua, quae eiusdem generis ſunt innumera, vti ſummam Numinis ſapientiam euidentiſſime comprobant, ita ad ſolam creationem neutiquam ita referri poſſunt, vt non ſimul rerum creatarum directio atque gubernatio inde elucescat. Fruſtra vero etiam in hisce omnibus ſapientiam ſuam Deus manifeſtaſſet, ſi eam a rebus creatis, rationis vſu pollentibus, non voluiſſet agnoſci. Hoc autem dici non poſſet, niſi earum ſaltem rerum creatarum, quae ratione praeditae ſunt, curam gereret.

Atque in hominibus quidem, tum ſeorſim, tum iunctim, aut in republica, aut eccleſia conſideratis, diuina vel maxime ſe conſpiciendam praebet prouidentia. Ad ſingulos namque quod attinet, multa quotidie circa hominum natiuitatem, educationem, inſtitutionem, ſcholarum atque praeceptorum delectum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, contingunt, quae caſu fortuito contingere nobis videntur; deinceps vero cum Deus per eosdem talia efficit, quae multorum oculos animosque in eos conuertunt, ſi effectus illos cum cauſſis rite comparemus, tum demum aptiſſime cuncta inter ſe conſpirare, deprehendimus, ſapientiſſimamque Numinis directionem merito agnoſcimus. Quod, licet in quibusdam euidentiori quadam ratione ſe prodat, quam aliis, nemo tamen temere reperietur, quin circa ſe ipſum aliquid eiusmodi deprehendere queat. Huc vero & illud pertinet, quod improborum hominum ſcelera occulta, ſingulari ſaepius ratione detegantur, ne poenam promeritam effugiant. Obſeruatum id etiam NEMESIO. *Immo peccatorum ipſorum,* inquit, *detectio, quando, vt nemo ſit, qui ea poſſit arguere, quibusdam circumſtantiis proferuntur, eſſe prouidentiam, declarat. Plenae ſunt eiusmodi hiſtoriis & Ebraeorum ſcripturae, & Graecorum litterae. Nam eiusmodi Suſannae caſus litteris ſanctis mandatus eſt, & apud Graecos, poetae Ibyci.* Recte autem, quibusdam interiectis, addit: *Quodſi non omnium peccata ad eundem modum produntur, immo, aliqui eſſugere videntur, nemo propterea neget eſſe etiam prouidentiam. Non enim vno tantum modo hominibus conſulit, ſed multis & differentibus; l. c. cap. 42. p. 126.* Quodſi nunc integros conſideremus populos, imperiaque orbis, nemo tam imperitus temere, rerumque omnium rudis erit, qui neſciat, multas, magnasque in hisce omnibus mutationes, viciſſitudines, atque conuerſiones, contingere. Quae quidem, licet ſubinde ex cauſſis ciuilibus atque moralibus procedere videantur, vim tamen ſimul ſublimiorem ſubeſſe, peritiſſimi harum rerum viri fateri coguntur. Idque adeo verum eſt, vt nonnulli ex aſtrorum poſitu, aut fati legibus, alii aliunde, mutationum iſtarum cauſſas arceſſere adnitantur. Quo ipſo ſane profitentur, ſolis hominum conſiliis iſta tribui non poſſe. Et qui poſſent? cum experientia quotidiana doceat, ſapientiſſima conſilia effectu carere; feliciter contra procedere, quae non tam conſilio, quam impetu quodam ſuſcipiuntur. Immo, eadem experientia docet, cum regno alicui, atque imperio interitus imminet, prudentiſſimos hominum velut excaecari, vt ſalutaria nec inuenire, nec admittere conſilia queant. In hisce omnibus, qui fatum aut fortunam, aut ſimile quid crepant, neſciunt, quid dicant; cum longe rectius prouidentiam diuinam agnoſcerent. Conſideret, qui velit, ſtatum regni iſraelitici ſub Rehabeamo, iudaici ſub Zedekia, perſici ſub Dario Codomanno, quem Alexander vicit, & veriſſima eſſe, quae diximus, deprehendet. Ad eccleſiam denique ſi transeamus, illuſtre itidem diuinae prouidentiae theatrum ſe nobis conſpiciendum

 praebet.

praebet. Qui tenuem originem, cum incrementis admirandis, hoſtium inſultus cum conſeruatione ſtupenda, perpetuam ſucceſſionem, cum mutationibus, quas ſubiit, ac viciſſitudinibus, vbique autem effectus cum cauſſis rite comparauerit, is ſapientiſſimam in hisce omnibus facile agnoſcet directionem. Sed haec nota ſatis ſunt. Addere hisce nonnulli ſolent, ipſorum gentilium philoſophorum de prouidentia teſtimonia; quorum nonnulli ſplendide admodum hac de re loquuti ſunt. Sed caute admodum hic incedendum eſſe, cum grauiſſimos errores pulcherrimis quandoque tegere ſoleant verbis, iam monui, atque exemplo declaraui, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *cap. 7. §. 1. p. 547.* Speciatim Stoici documento eſſe poſſunt, quos IVSTVS quidem LIPSIVS, ob doctrinam de prouidentia admodum extollit; *phyſiol. Stoicor. lib. 1. diſſ. 11. p. 22.* Sed omnia iſta ad fatum aliquod, in Deum hominesque iniurium, redibant, vti IAC. THOMASIVS oſtendit, *de exuſtione mundi Stoica, diſſert. 13. p. 166. ſeq.*

** Si omnia, quae ſcriptura ſacra, pro adſtruenda prouidentia diuina, ſuppeditat, hic adducere vellemus, magnam eius partem huc transferre neceſſe eſſet. Iuuabit tamen, quaedam ſeligere. Viri ſanctiſſimi, quorum res geſtas commemorat, Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Moſes, Dauid, partim exemplo, partim & teſtimoniis ſuis hoc comprobant, atque condocent, nihil ſine voluntate Dei ſibi contigiſſe, quem & recte factorum remuneratorem, vindicem autem ſcelerum, credebant atque profitebantur. Illuſtre admodum, ſed & notum ſatis eſt exemplum Ioſephi, qui & ad fratres ſuos dicebat: *vos quidem cogitaueratis contra me malum*, (ſed) *Deus cogitauit illud in bonum*, (conuertere) *vt faceret, ſicut eſt die hoc, conſeruando in vita populum multum; Gen. L, 20.* Deus ipſe, apud Eſaiam, *ego*, inquit, *produco lucem & tenebras, ego efficio pacem & creo malum;* (poenae, non culpae, quippe quod ab hominibus ipſis oritur) *cap. XLV, 7.* Pari ratione & Amoſus, *nihil eſſe mali in ciuitate*, ait, *quod dominus exercituum non fecerit; III, 6. Bona & mala prouenire ab altiſſimo*, Ieremias pronuntiat, *threnor. III, 38.* Volucrium caeli, & liliorum agri exemplo, etiam minimarum rerum curam gerere Deum, nos condocet ſeruator optimus, *Matth. VI, 26, 28, 30.* Immo, *ne paſſerculum quidem, niſi volente patre caeleſti, humum cadere*, idem adſerit, *Matth. X, 29.* Quaecumque ex rebus creatis homines percipiunt commoda, prouidae Numinis benignitati imputanda eſſe, Paulus, ad Lyſtrenſes verba faciens, oſtendit: *Tametſi non ſe reliquit non teſtatum, benefaciendo, de caelo nobis pluuias, frugiferaque dando tempora, explendo cibis, & laetitia noſtros animos, actor. XIV, 17.* Sed & in oratione ad Athenienſes idem gentium doctor adſerit, quod *Deus omnibus det vitam, halitum,* καὶ τὰ πάντα, *& omnia*, vt nihil omnino ſit, quod non diuinae prouidentiae imputare homines debeant; additque porro, *eum ex vnius ſanguine creaſſe vniuerſum genus hominum, vt in omni terrae ſolo habitarent, praefinitis eorum ſtatis temporibus, & inhabitandi terminis:* namque & in eo vel maxime diuina prouidentia ſeſe exſerit, quod ſingulis gentibus, qua tempus, quamdiu imperia durare debeant, qua regiones & loca, certos Deus conſtituerit limites. Quem vero in finem haec omnia agat, porro indicat: *vt dominum quaererent, ſi forte eum contrectarent, ac inuenirent.* Luculentius autem adhuc rem omnem exprimit, quando ſtatim ſubiungit: *quamquam non procul ab vnoquoque noſtrum remotum; cum in eo viuamus, moueamur, & ſimus;* intimam Dei praeſentiam, qua omnes res creatas, innuens, ſimul tamen condocens, & exſiſtentiam, & vitam, & motum omnem eas a Deo habere; *actor. XVII,*

XVII, 25. ſeq. Vt reliqua, ſpeciatim loca euidentiſſima, *Coloſſ. I, 17. Ebr. I, 3.* mittam, non vlla magis in re, quam in hominum per Chriſtum redemtione, clariora prouidentiae diuinae veſtigia deprehenduntur. Si enim natiuitatem, ſi vitam, ſi paſſionem & mortem ſeruatoris optimi; ſi porro ſtatum orbis, imperii praeſertim romani, populique iudaici; ſi indolem, conditionemque hominum, quibuscum ſeruatori res fuit, & qui diuerſa ratione aliquid egerunt, vt ea euenirent, quae eueniſſe, pia mente veneramur, ſpectes; ſapientiſſimam vbique Numinis gubernationem prouidentiamque deprehendimus. Prouidentiam, inquam, & gubernationem; neutiquam autem neceſſitatem, ex abſoluto quodam decreto prouenientem. Idque eſt, quod Petrus in concione ſua confirmat, quando Chriſtum *definito Dei conſilio atque prouidentia traditum* dicit; *act. II, 23.* & apoſtoli in precibus ſuis: *Coiuerunt aduerſus ſanctum tuum puerum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Iſraeliticis, facturi, quaecumque tu tua manu conſilioque facienda deſtinaſti; cap. IV, 27, 28.* Atque haec quidem ad adſerendam prouidentiam Numinis ſufficere poſſunt. Ad rationes, quibus oppugnari ſolet, quid reſpondendum ſit, iam indicaui, in *theſibus de atheismo & ſuperſtit. cap. 7. §. 1. p. 548.* Ex iis tamen etiam, quae *§. ſequenti* monebuntur, patebit, quo pacto dubiis, quae hic occurrunt, praecipuis obuiam eundum ſit.

§. XLIV. Quae hic occurrunt dubia, etſi ratio ipſa diluere queat, longe tamen plenius & euidentius hoc facit diuina reuelatio, in ſcriptura ſacra nobis exhibita. * Vtque haec regnum gratiae non minus, quam regnum naturae conſiderare docet, ** ita in vtroque Deus certum agendi modum, ordinemque, eumque vt ſimpliciſſimum, ita & ſapientiae diuinae convenientiſſimum obſeruat; ſecundum quem quidquid contingit, id absque prouidentia diuina contingere, dici nequit. *** Multa denique mala nobis videntur, adeoque cum prouidentia diuina pugnare, quae rectius conſiderata, bona ſunt, & prouidentiam vel maxime comprobant. *

* Vir doctiſſimus, BAELIVS, omnes in id ingenii intendit vires, vt perſuaderet nobis, quae ab Epicuraeis, aliisque, contra providentiam diuinam diſputantur, ita comparata eſſe, vt, qui ſolius rationis ductum ſequitur, nihil ſolidi ad ea reponere queat. Quin, non aliter quemquam, qui ſolo rationis lumine vtitur, hinc ſe expedire poſſe, quam vt abſurdiſſimam Manichaeorum hypotheſin, de duplici principio independente, admittat. Quod vt euincat, ea, quae contra prouidentiam diuinam proferri ſolent, mirum in modum exaggerat, in *dictionar. hiſtorico-critico*, vocibus *Marcionitae*, *Manichaei*, *Pauliciani*, *Origenes*, alibique. Verum, ſi vel maxime ex rationis lumine ſolo difficultates iſtae tolli non poſſent, ideo tamen rem ipſam, ſeu dari prouidentiam diuinam, in dubium vocare non licet. Longe enim eſt iniquiſſimum, ob dubium aliquod, vnde nos expedire non poſſumus, ſtatim veritatem quamdam manifeſtiſſimam reiicere, aut admittere nolle. Praeterea, ipſi rationi longe eſt conuenientius, imbecillitatem eius, limiteſque anguſtos, ſincere agnoſcere, quam ideo, quod dubiis quibusdam circa rem manifeſtam non prorſus ſatisfacere queamus, aliquid admittere, quod ipſius rationis iudicio non poteſt non longe abſurdiſſimum cen-

ſeri, qualis eſt illa Manichaeorum, de duplici principio independente, hypotheſis. Nec tamen, vti puto, BAELIO ſerio conſtitutum fuit, Manichaeorum cauſſam agere; ſed dum id facere videri voluit, prouidentiam ſaltem diuinam impugnauit; dumque rurſus prae ſe tulit, ad rationis imbecillitatem demonſtrandam totam hancce ſpectare diſputationem, cum, quod ratio expedire nequeat, diuina reuelatio praeſtet; id ſaltem ad caliginem incautis obfundendam pertinere, viris doctis dudum obſervatum eſt. Dixi hac de re, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 1.* ad *§. 25. p. 156. ſeq.* Non deeſſe rationi, quae ad argumenta, quibus diuina prouidentia impugnatur, reſpondeat, oſtenſum in iisdem *theſibus cap. 7. §. 1. p. 546. ſeq.* Plenius tamen adhuc, euidentiusque, quae prouidentiae diuinae hoſtes comminiſcuntur, animumque aliquando dubium reddere poſſunt, per lumen reuelationis diſſipari, ex dicendis patebit.

** In vtroque, & naturae, & gratiae regno, ſed diuerſimode, prouidentia ſe diuina conſpiciendam praebet. Vtrumque autem inter ſe comparare decet; cum ſubinde, quae in regno naturae mala nobis videntur, ſi ſecundum regnum gratiae ſpectentur, pro bonis ſint habenda. Solui hinc facili negotio vexata illa quaeſtio poteſt, quae iam antiquiſſimis temporibus, multorum etiam ſanctorum hominum animos ſollicitos tenuit, vt ex *libro Iobi*, itemque *pſ. LXXIII*, 2. condiſcimus: *cur improbis ſubinde cuncta proſpere, atque ex voto ſuccedere videantur, cum piis contra hominibus cum variis conflictandum ſit calamitatum generibus?* de qua & inter ethnicos diſceptatum fuiſſe ſaepius, vel ex SENECAE libro *de prouidentia* patet, quippe in quo ex inſtituto quaerit, *quare bonis viris mala accidant, cum ſit prouidentia?* Habet equidem & ratio, quae hic reſpondeat. Primo namque negari nequit, maiorem plerumque hominum improborum felicitatem videri, quam reuera eſt. Fortuna ſplendidiſſima cum labore incredibili, maximis periculis, curis infinitis, plerumque eſt coniuncta. Quod ſi quis etiam omnia habeat, animi autem deſtituatur tranquillitate, non poteſt non miſerrimus eſſe, quantumuis aliis cenſeatur feliciſſimus. Sic rurſus illorum, qui miſeri eſſe creduntur, longe maior ſubinde miſeria eſſe exiſtimatur, quam reuera eſt. Si quis nullorum ſibi ſcelerum conſcius ſit, animumque adeo tranquillum habeat, quantumuis miſer videatur, felicior tamen erit improbis, qui in maxima rerum omnium abundantia reuera longe ſunt miſerrimi. Deinde & in iudicio, de hominum aut probitate aut improbitate, facile decipimur. Cum dicimus, omnia improbo homini ex voto fluere, probo contra viro cum magnis calamitatibus eſſe conflictandum, conſtare nobis debet, qui pro improbo a nobis habetur, etiam talem eſſe; & reuera etiam probum eſſe, qui talis nobis videtur. Saepe enim contingit, vt hypocritae maximi pro hominibus probis & virtuti deditis habeantur, vti contra nonnulli ſine ratione male audiunt, & cum ſint innocentiſſimi, in ſceleratorum referuntur numerum. Eſto vero, eſſe quoſdam virtuti deditos ſine ſua culpa miſeros, felices contra, qui non aliam, quam cupiditatem prauam, vitae ſuae ponunt regulam; rationi longe eſt convenientius, colligere inde, dari poſt hanc vitam remunerationem recte factorum, ſcelerumque poenas, quam, Deum nullam rerum humanarum gerere curam. Atque ita etiam ratio ſe inde expedire poteſt. Planiora autem adhuc cuncta fiunt, ſi ad ductum reuelationis regnum naturae & regnum gratiae inter ſe conferamus. Hinc enim intelligemus, quae in illo mala nobis videntur, aduerſa quaeuis ac varia calamitatum genera, quibus homines pii aliquando tantum non obruuntur, in hoc omnino

bonorum

bonorum rationem habere, cum ad aeternam iſtorum ſalutem promouendam ſint comparata. Atque hoc eſt, quod Paulus dixit, *Dei amantibus omnia*, (adeoque adverſa quaeuis) *ad bonum conferre ; Rom. VIII, 28.* Immo, *per multas miſerias nos oportere in regnum caelorum intrare*, idem gentium doctor pronunciat ; *act. XIV, 22.* idque ad exempum Chriſti ſeruatoris, *Luc. XXIV, 26.* Atque hoc eſt *myſterium* illud *crucis*, quod homines improbi non capiunt ; illi autem, qui ſeruantur, ſummam Numinis ſapientiam potentiamque in eo agnoſcunt; *1. Cor. I, 18. II, 6, 7.* Adeo ergo calamitates & adflictiones piorum in regno gratiae, malae non ſunt, vt potius diuini amoris ſint documenta; *Ebr. XII, 6, 7.* Atque ita dubium illud, quod omnium maximum videtur, facili negotio, ex vtriusque regni comparatione, tollitur.

*** De regno quidem naturae hoc notum ſatis eſt, Deum certas leges conſtituiſſe, ſecundum quas omnis motus, omnesque operationes rerum creatarum eueniant. In quibus eo magis diuina ſapientia eluceſcit, quo pauciores, quoue ſimpliciores ſunt, ſufficientes tamen, vt omnia per eas fiant, quae totius huius vniverſi, ſingularumque rerum creatarum conſeruatio, & quarumdam propagatio, requirit. Quod ſi obſeruetur, haud difficile fuerit, variis hoſtium veritatis obiectionibus occurrere. Solemne iis eſt, vt ea obiiciant, quae ſine certo ſine, & vſu in orbe contingere videntur. TITVS LVCRETIVS CARVS exempli loco fulmina adfert, quae innocentes non minus quam nocentes feriant, templa Deorum aeque ac alias aedes, immo loca prorſus deſerta; *de rerum natura l. 6. p. m. 706.* Idem & de pluuiis obiici ſolet, iis non tantum loca fertilia, aut ea, quae ab hominibus coluntur, ſed ſterilia etiam, deſerta, immo rupes, & ingentia ſaxa irrigari. Verum, vt varius & multiplex ſaepe rerum creatarum vſus eſt, ita non ſtatim, ſi illum, quem nos iis tribuimus, non adſequantur, inde colligendum, quod omni prorſus vſu deſtituantur. Accedit vero, idque illud eſt, quod hic maxime oſtendere voluimus, Deum in regno naturae cuncta ſecundum leges quasdam vniuerſales dirigere, quarum etiam cum ſit effectus vniuerſalis, fieri equidem poteſt, vt vſus aliquis particularis quandoque ceſſet, nec tamen inde inferre liceat, quod, quae ita fiunt, caſu fortuito fiant. Quare, ſi vel maxime pluuia quandoque eiusmodi loca irriget, quae eadem opus non habent, numquam tamen pluuia cadit, vt non ſecundum leges illas naturae vniuerſales a Deo conſtitutas, hoc fiat; quod ad eius prouidentiam comprobandam ſufficit. Si vero ſemper leges iſtae vniuerſales ſpeciali directione ad hunc vel illum effectum determinandae eſſent, hoc perinde foret, ac ſi quis a Deo poſtularet, vt numquam non miracula ederet. Vt autem in regno naturae, ita etiam in regno gratiae ſe res habet, vt ex iis, quae ſuo loco dicemus, intelligetur.

* Hoc de malis phyſicis eſt intelligendum. Ad mala enim moralia quod attinet, vti ſemper mala ſunt, ita eorum origo non a Deo, ſed ab ipſis hominibus, &, qui hos aſtutia ſua in praeceps dedit, infernali genio eſt repetenda. Nec quidquam hic occurrere, quo Deus, quod lapſum angelorum, hominumque permiſerit, aut non impediuerit, iniuſtitiae argui queat ; patebit ex iis, quae ſuo loco hac de re diſputabimus. Conferri interim poſſunt, quae dixi in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 7.* ad *§. 1. p. 552. ſeq.* Ad mala itaque phyſica quod attinet, haec ſi vere mala ſunt, ex peccato iterum hominum originem trahunt, adeoque nihil inde, quod prouidentiae diuinae repugnet, colligi poteſt. Sed multa habentur mala, quae reuera mala non ſunt. Quae in plantis quibusdam ac animalibus deprehenduntur venena, in ſe ſpectata, minime

Digitized by Google

nime mala ſunt, etſi talia ſint intuitu hominum, aut aliorum animantium. Certa morborum genera ad ſanitatem hominum conſeruandam ſunt comparata, adeoque minime mala. Ex ordine neceſſario, in ſocietatibus, ſpeciatim rebus publicis obſeruando, multa incommoda fluunt; quibus dum premuntur homines, ea mala eſſe putant, cum tamen ſine iis longe miſerior foret illorum conditio. Imaginationis etiam, quod non negandum, in fingendis atque exaggerandis malis, ac calamitatibus, quibus ſe adfligi homines putant, mira eſt foecunditas. Plurimi ſe pauperes eſſe putant, quia tantum non habent, quantum habere vellent. Mirum hinc non eſt, medias inter diuitias quod nonnulli eſuriant. Contemni ſe alii putant, quando honor, quo ſe dignos ipſimet iudicant, iis non tribuitur. Si aliis rurſus non permittitur, vt agere ea queant, quae maleſana libido ſuadet, miſeros ſe & infelices conqueruntur, quod vndique obſtacula ſeſe offerunt, quae ſuperare nequeunt. Et ita in aliis quoque quam plurimis res ſe habet. Quae quidem ab iis vrgeri ſolent, qui, num plus bonorum, quam malorum (phyſicorum) in hocce mundo ſit? diſputant; vti G. G. LEIBNITIVS, in *tentaminibus Theodiceae, de bonitate Dei, libertate hominis, & origine mali, part. 3. §. 251. p. 431. ſeq.* Nec tamen haec vltra, quam par eſt, extendenda ſunt. Quamtumuis enim plurima pro malis habeantur, quae mala non ſint, quamtumuis plurima mala atque calamitates in hominum tantum imaginatione conſiſtant, aut tantae ſaltem non ſint, quantas ſibi eſſe perſuadent; plurima tamen adhuc remanere, quae in ſe ſpectata, reuera mala ſunt, hoc eſt, homines miſeros reddunt, negari nequit. Sed eum iſta mala phyſica ex moralibus, ſeu hominum peccatis, oriantur, facile iterum intelligitur, non Deo, ſed hominibus ipſis eorum originem tribuendam, cunctaque ad primum peccati in orbem introitum redire; de quo ſuo loco ex inſtituto dicetur.

§. XLV. Nihil autem eſt, in toto hocce vniuerſo, quod non providam hancce Numinis curam experiatur, vti nihil omnino eſt, quod non eadem indiget. Homines, bruta, res inanimatae; paucis, res quaeuis, quocumque nomine veniant, hancce Numinis benignitatem loquuntur. Vt enim nihil indignum fuit, quod a Deo crearetur, ita nihil etiam, quod ab eo conſeruetur, ac dirigatur. * Homines tamen, ſpeciatim fideles, primum praecipuumque inter haec omnia tenere locum, negari nequit. **

* Qui inter veteres philoſophos prouidentiam Dei admittebant, non tamen inter ſe conſentiebant, an ea ad omnes, ſingulasque res creatas ſeſe extenderet? Nonnulli, nonniſi magnis ac caeleſtibus rebus Deum prouidere, adſerebant, terrenarum autem nulli: alii terreſtribus equidem aeque ac caeleſtibus, ſed vniuerſis dumtaxat, non autem ſingulis, & vnicuique ſeorſim. Plato prouidentiam trifariam diſtribuebat, & quibusdam ſummum Deum, aliis Deos minores, aliis rurſus daemones praeeſſe, contendebat. Legenda, quae de Platonis, aliorumque philoſophorum ſententiis erudite diſſerit NEMESIVS, *de natura hominis, c. 44. p. 131. ſeq.* Qui prae reliquis ſapiebant, Deum & vniuerſis, & ſingulis prouidere, contendebant. Quod vt ratio ipſa omnes docet, ita & ſcriptura ſacra confirmat. Ipſe namque ſeruator adſerit, ſingulorum paſſerum curam gerere Deum, vt & alendis iis cibum prouideat; *Matth. VI, 26.* & nullus in terram, niſi deſtinato Dei conſilio decidat, *Matth. X, 29.*

Digitized by Google

X, 29. Sed & agreſtium liliorum veſtitum quemdam, atque ornatum, curae eſſe ſummo Numini, idem nos admonuit; *Matth. VI, 29, 30.* Huc & illud *pſalm. CXLVII, 9.* pertinet: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum;* item illud Iobi *cap. XXXVIII, 41.* *Qui praeparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos.* Quae cum admodum luculenta ſint, mirandum omnino, HIERONYMVM in eam deuenire ſententiam potuiſſe, in *Habac. cap. I.* vt generalem ſaltem curam ſingulorum animantium, excepto homine, Deo tribueret. Sed diſcimus, hinc, & HIERONYMVM hominem fuiſſe, nec errare, quod humanum eſt, ab eo fuiſſe alienum.

** Hoc ipſe rurſus ſeruator nos condocet. Cum enim volucrium caeli exemplo prouidentiam diuinam comprobaſſet, diſcipulos ſuos ita adloquitur: *ὀυχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; nonne vos multo eis eſtis praeſtantiores? Matth. VI, 26.* Et cum de liliis agri loquutus eſſet, addit: *Quod ſi terreſtrem herbam, quae hodie eſt, & cras in clibanum coniicitur, Deus ſic veſtit, ὀυ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς non multo magis vos? v. 30.* Rurſus, cum de paſſerculis dixiſſet, nullum eorum ſine deſtinato Numinis conſilio in terram cadere, de diſcipulis ſuis ſtatim ſubiicit: *as veſtrum etiam capilli capitis omnes numerati ſunt; ne formidaueritis igitur: longe paſſeribus antecellitis vos; Matth. X, 30, 31.* Ita ergo ipſemet ſeruator rationes nos ſubducere iubet: cum homines, cumprimis fideles, animantibus brutis, aut gramine etiam, floribusque agri longe ſint praeſtantiores, eo maiorem etiam Deum eorum curam gerere; conf. & *pſ. XXXIII, 18, 19.*

§. XLVI. Pro diuerſis prouidentiae diuinae effectibus diuerſi etiam eius actus, noſtro concipiendi modo, conſtitui ſolent; a quibusdam quidem tres, *conſeruatio, concurſus,* & *gubernatio*; ab aliis duo, ita, vt concurſus ſub gubernatione etiam comprehendatur. *

* Diſtinctius tamen incedunt, qui tres prouidentiae diuinae actus, conſeruationem, concurſum, atque gubernationem, conſtituunt. A gubernatione enim diuerſum eſſe concurſum, ex dicendis patebit. Triplex etiam hicce effectus, ex obiecti, circa quod prouidentia diuina verſatur, diuerſitate quodammodo reſultat. Conſeruatio enim ad res omnes ſpectat; in iis, quae mouentur, ad conſeruationem accedit concurſus; in iis denique, quae ratione vtuntur, ad conſeruationem atque concurſum ſpecialiori quadam ratione gubernatio accedit. Ita adcurate hoſce actus a ſe inuicem diſcernere licet.

§. XLVII. Conſeruari res omnes a Deo, certum eſt, etſi modus nobis non ſatis ſit cognitus. * Diuerſa tamen ratione, tum intuitu ſpirituum, tum intuitu corporum, & quidem tam eorum, quae ſemper permanent, vt caelum, quam eorum, quae intereunt equidem, ſed propagantur, hoc intelligendum eſſe, res ipſa docet. **

* De conſeruatione non vna virorum doctorum eſt ſententia. Sunt, qui eam prorſus negant; conuenientius Deo fuiſſe exiſtimantes, mundum eiusmodi creare, in qua res omnes ſuam per ſe ſtabilitatem habeant, nec indigeant conſeruatione. Verum, non de eo nunc quaeritur, quid facere Deus potuerit, ſed quid fecerit, ſeu, quo pacto mundum creauerit. Eſto, maioris fuiſſe potentiae, mundum eiusmodi producere, qui nulla conſeruatione indigeat; non ideo eſt maioris ſapientiae. Si enim,

enim, quae inter res creatas ratione praeditae ſunt, intelligant, quod exſiſtant, diuinae vnice imputandum benignitati; cum omnia a Deo dependeant, indeque ad colendum, venerandum, celebrandumque Numen concitentur, maius haud dubio gloriae, adeoque & ſapientiae diuinae argumentum exſurgit, quam ſi nulla creatoris conſeruatione, nulloque eius beneficio res creatae amplius opus haberent. Sed hac de re ſupra iam ad §. 43. diſputauimus, cum haec, quae contra conſeruationem adferuntur, generatim prouidentiam quoque diuinam feriant. Alii ad alterum quodammodo extremum procurrentes, conſeruationem *creationis quamdam continuationem* vocant. Qui, ſi vocem creationis proprie capiunt, magnis difficultatibus ſe exponunt, ex quibus non temere ſe expedient. Primo enim Deum ab opere creationis ceſſaſſe, *Gen. II, 1.* dicitur. At numquam ceſſaret, ſi creationem continuando, mundum conſeruaret. Praeterea, ſi conſeruatio eſt creatio quaedam, ſequetur, Deum ſingulis momentis non tantum ipſam rerum eſſentiam, ſed omnem motum, omniaque adeo libere agentium dicta, facta, atque cogitata, producere; adeoque, quidquid mali ab hominibus dicitur, aut peragitur, id ipſum Deum facere. Quod quidem vel cogitare de Deo nefas fuerit. Non procul, vt ὡς ἐν παρόδῳ hoc moneam, ſententia iſta de continuata creatione, diſcedit ab iſto Heracliti ſcito: *vniuerſa decurrere fluminis inſtar:* quod SENECA ita exprimit: *Ego ipſe, dum loquor, mutari iſta, mutatus ſum; hoc eſt, quod ait Heraclitus: in idem flumen bis non deſcendimus. Manet idem fluminis nomen, aqua transmiſſa eſt; epiſt. 58.* conf. DIOGENES LAERTIVS, *lib. 9. ſegm. 8.* & quae ad *h. l.* obſeruauit MENAGIVS, *p. 397.* Si autem creationis vox improprie accipiatur, admitti equidem poteſt, quamuis tum non ſatis clara aut perſpicua ſit eius notio. Idem de voce *influxus* cenſendum, quam nonnulli hic itidem adhibent. Namque hancce proprie accipi non poſſe, manifeſtum eſt, cum ita de rebus corporeis vſurpetur, nec Deo tribui queat. Improprie accepta, obſcuriorem quamdam menti notionem ſuppeditat. Nec magnopere hic laborandum eſſe exiſtimo, cum ſufficiat, dicere, Deum velle, vt res quaelibet, ſecundum cuiusque naturam & indolem, qua ipſam exſiſtentiam, qua operationes, perſiſtat; ſimulque ſecundum omnipotentiam ſuam efficere, vt effectus hicce ſtatim ſequatur; & hac ratione res omnes conſeruare. Hunc diuinae voluntatis & omnipotentiae actum efficacem, ſi quis influxum vocare velit, non repugnabo. Si quis aliud quid ea voce inſinuat, diſpiciat, ne quid, quod Deo indignum ſit, admittat. Quidquid tandem de modo conſeruationis ſit, res ipſa poſita eſt extra controuerſiam. Hoc namque eſt, quod Paulus docet: *in Deo ſumus*, hoc eſt, ab eo habemus, quod exſiſtamus; *actor. XV, 28.* itemque *Ebr. I, 3.* φέρων τὰ πάντα, ſuſtentans omnia, ne callabaſcant; & rurſus, *Coloſſ. I, 17. omnia in eo conſiſtunt;* conf. & *pſ. CXIX, 91. Eſ. XL, 26.*

** Spiritus enim a Deo creati numquam eſſe deſinunt, adeoque & ſemper a Deo conſeruantur. Corpora caeleſtia tam diu conſeruantur, quamdiu Deus ea vult permanere. Reliqua autem corpora qua ſpeciem equidem conſeruantur, dum quibusdam deſtructis, alia iterum naſcuntur, quamdiu Deo ita viſum fuerit; qua indiuidua autem, quamdiu ſecundum leges naturae, a Deo ipſo conſtitutas, perſiſtere poſſunt.

§. XLVIII. Concurſus Dei in iis rebus creatis adſeritur, quae & ipſae facultate ſe mouendi gaudent. Quem, qui ita explicant, quod Deus in

prima

Digitized by Google

prima creatione rebus eiusmodi vim operandi conceſſerit, reuera eum negant. Nec tamen eousque hicce concurſus eſt extendendus, vt res creatae nihil plane, Deus autem omnia immediate agere cenſeatur; quippe quod ſine impietate fieri nequit. Rectius itaque ſentiunt, qui Numinis, ad omnes rerum creatarum motus, atque actiones, concurſum ſtatuunt, vt tamen res creatas ipſas, ſeu cauſſas ſecundas, vi, qua pollent, agendi, atque aliquid efficiendi, non priuent. *

* Duo in hacce quaeſtione, quam haud exigui momenti eſſe, ex dicendis conſtabit, euitanda ſunt extrema. Horum alterum illorum eſt, qui, non aliter Deum ad motus cauſſarum ſecundarum concurrere putant, quam, quod vim agendi, in ipſa creatione iis conceſſam, conſeruet. Inter ipſos ſcholaſticos, quos vocant, doctores fuiſſe, qui huic ſententiae adſtipularentur, auctores *collegii Conimbricenſis* nos dubitare non ſinunt. *Durandus*, inquiunt, *in 2. diſt. 1. quaeſt. 5. & diſt. 37. quaeſt. 1, aliique nonnulli, (quos referunt Henricus Gandauenſis quodl. 14. quaeſt. 1. Magn. Albertus in 1. diſtinct. 37. art. 1, Vdalricus in ſua ſumma lib. 2.) in eam venere ſententiam, vt dixerint, ſolum cauſſas ſecundas per ſe effecta ſua producere, neque aliter cum ipſis Deum ad ea concurrere, quam illud eſſe, & agendi vim, quam eis initio praeſtiterat, conſeruando*; in *lib. 2. phyſic. Ariſtot. c. 7. p. m. 350.* Atque DVRANDVS quidem ille DE S. PORCIANO, paſſim hoc nomine celebratur, cui & NIC. TAVRELLVM nonnulli addunt, κοσμολογίαν forte eius, ſeu *phyſicas atque metaphyſicas diſcuſſiones de mundo* innuentes, in quarum *l. 2. p. 239. ſeq* generatim, contra conſeruationem mundi diſputat. Hoc autem ideo monui, vt intelligatur, vix a recentioribus philoſophis aliquid excogitari, cuius non apud ipſos ſcholaſticos atque peripateticos veſtigia quaedam inueniantur. Non enim multum hinc diſcedunt, quae CARTESIVS in medium attulit. Certe, quae *principior. philoſ. part. 2. n. 36.* hac de re diſſerit, eo fere redeunt, Deum cum ipſa materia motum ſimul atque quietem in principio creaſſe, eumque per concurſum ſuum ordinarium tantumdem motus & quietis in ea tota, quantum tunc creauit, conſeruare. Etiamſi enim motus nihil aliud ſit, quam certus materiae, quae mouetur, modus, nihil tamen obſtare putat, quo minus certam atque determinatam habeat quantitatem, quae ſemper eadem maneat. Deum itaque cauſſam motus vniuerſalem ſeu primariam vocat; pro ſecundaria autem, ſeu particulari, leges illas motus habet, a Deo ipſo conſtitutas, ſeu potius, ex eius immutabilitate, vti loquitur, fluentes. Quae ſi admittantur, Deum ad actiones cauſſarum ſecundarum plane non concurrere, manifeſtum eſt; cum motus omnes particulares tantum a legibus illis motus, in natura conſtitutis, dependeant. Sequuntur hanc magiſtri ſententiam genuini eius diſcipuli, IAC. ROHAVLTIVS, *tract. phyſ. part. 1. c. 10. §. 12. & 13. p. 46.* atque ANDALA, in *exercit. academ. in philoſ. primam & naturalem part. 2. phyſ. gener. exercit. 12. §. 11. ſeq.* Vtque philoſophis hiſce etiam theologum addam, commemorandus nobis hic eſt CLAVDIVS PAIONVS, reformatae eccleſiae doctor, qui tamen, ob ſingulares, quasdam ſententias, varias ſuorum expertus eſt cenſuras. Inter reliqua enim eius dogmata & hocce celebratur: Deum, fontem atque originem huius mundi, talem machinam produxiſſe, quae nobilitate & elegantia ſua conditoris ſummi gloriam manifeſtaret; vnde generalem illi & praeſtantiſſimum motum impreſſerit, ad finem vsque orbis duraturum, cuius virtute inſtrumenta quaeuis,

Digitized by Google

tam rationalia, quam irrationalia moueantur; res creatas omnes actiones ſuas edere ope illius efficaciſſimae virtutis, primo illis inditae ac propagatae, ſine vllo immediato ac proximo conditoris concurſu, quem alii influxum vocent; concurſu tamen remoto, per productionem primaevae virtutis neutiquam excluſo. Conferenda, quae de viro hocce, eiusque placitis, praeter alios diſſerit GRAPIVS, in *theologia recens controuerſa continuata. c. 2. qu. 2. p. 38. ſeq.* Referendi denique huc omnes illi ſunt, qui in rerum naturalium effectibus explicandis, mechaniſmo plus quam decet, tribuunt. Quo maiorem enim legum mechanicarum vim eſſe putant, eo minus Numinis auxilio ſibi opus habere videntur. Haec vero omnia, aeque ac reliqua, quae hactenus commemorauimus, cum eo ſpectent, vt Deus a rebus creatis prorſus remoueatur, eiusque concurſus, ceu ſuperuacaneus, reiiciatur; eo minus admittenda erunt, quo certiori fundamento concurſus iſte Numinis, ad omnes rerum creatarum motus, atque actiones, nititur. Accedit vero, quod variis premantur incommodis; quae non temere remouebunt. Si enim CARTESIVS, & qui cum eo faciunt, adſerant, Deum ab initio omnem motum ſimul creaſſe, non facile aliquis hoc adſequetur; cum motus accidens ſit, corpori inhaerens, adeoque ſine corpore concipi nequit, multo minus ſine eo creari potuit.

Haec itaque, aliaque, cum alii perpenderent, in alterum fere, quod ſupra deſignauimus, prolapſi ſunt extremum, rebusque creatis, ſeu cauſſis ſecundis omnem agendi vim adimentes, quidquid mouetur, aut efficitur, immediate a Deo, & quidem ſolo, moueri atque effici, contenderunt. Qui hoc noſtra aetate adſeruerunt, praeeuntes etiam hac in re ſibi habuerunt quosdam ex ſcholaſticis doctoribus. Audire hac de re iterum iuuat auctores *collegii Conimbricenſis*, qui ita verba faciunt: *Vere illud a quopiam dictum fuit, nihil tam ridiculum & abſurdum eſſe, quin aliquem philoſophorum auctorem & defenſorem aliquando habuerit. Ecce enim, in propoſita quaeſtione non defuerunt, qui adſeuerauerint, res alias infra Deum nihil prorſus moliri, nullamue actionem adminiſtrare, ſed ad earum praeſentiam effecta omnia, quae ab iis oriri videntur, a Deo effici. Quod commemorat praeter alios Albertus magnus, hoc in lib. tract. 2. cap. 3. D. Thomas, 1. part. quaeſt. 105. artic. 5. & 3. contra gentes, cap. 69. Auerroes, lib. 9. metaphyſ. comm. 7. & lib. 12. comm. 18. Quin vero hanc ſententiam iampridem e ſcholis eiectam & ſepultam, ab inferis reuocare, ac tueri velle, aut certe ad eam inclinare videntur Alliacenſis, in 4. ſent. qu. 1. & Gabriel, diſt. 2. qu. 2. & 3. &c. in lib. 2. phyſic. Ariſtot. cap. 7. quaeſt. 11. p. 346.* Commemorant itaque quosdam, qui ita ſenſerint, THOMAS, ALBERTVS, AVERROES, ſed nomina illorum non indicant. Ab auctoribus autem *collegii Conimbricenſis* duo nominantur, qui ita exiſtimauerint, PETRVS ALLIACENSIS, atque GABRIEL BIEL. Sed ad PETRVM ALLIACENSEM quod attinet, eum huic non ſuffragari ſententiae, oſtendit IAC. GVSSETIVS, in *cauſſarum primae & ſecundae reali operatione &c. p. 124. ſeq.* De GABRIELE BIEL autem nullum eſt dubium, quin ita exiſtimauerit; qui & paſſim ideo vapulat. FRANC. SVAREZIVS, cum itidem obſeruaſſet, tribui hanc ſententiam quibusdam a Thoma, Alberto, atque Auerroe, addit: *in eam vero inclinare videtur Philo, lib. 2. allegoriarum, dum ait, Deum vnicam eſſe cauſſam efficientem.* Statim tamen ſubiicit: *ſed haec facile poſſent per autonomaſiam intelligi; tom. 1. diſp. 18. ſect. 1.* At ſi PLATONIS eiusque ſectatorum haec fuit ſententia, vti nonnulli autumant, (ſine ratione tamen, vt exiſtimo) mirandum non eſſet, in eamdem Philonem quoque ingreſſum.

Sed

Digitized by Google

Sed in haec inquirere, nunc non vacat. Offerunt ſe potius nonnulli ex ſchola Renati Carteſii, degeneres quidem, vt genuinis eius ſectatoribus videtur, magiſtri diſcipuli, qui magno conatu hoc egerunt, vt orbi perſuaderent, Deum ſolum immediate omnis motus cauſſam eſſe; cumque res creatae ei occaſionem ſaltem praebeant, hoc aut illud agendi, eas *cauſſarum occaſionalium* nomine inſignire ſolent, ex verarum cauſſarum numero eas hoc ipſo eliminantes, & vnicam adeo ſaltem cauſſam, proprie ſic dictam, admittentes, ſcilicet Deum. Hinc nihil aeque in recentiorum philoſophorum ſcholis celebratum, quam *ſyſtema cauſſarum occaſionalium*. Primum, qui ex CARTESII ſchola in hancce ingreſſus eſt ſententiam, LVDOVICVM DE LA FORGE fuiſſe, oſtendit GVSSETIVS, in *cauſſarum primae & ſecundarum reali operatione*, *&c. p. 6. ſeq.* Licet enim aliquando more recepto loquatur, & cauſſas ſecundas videatur agnoſcere, hoc tamen eum ſaltem facere, vt incautos fallat, idem auctor euincit, *p. 20. ſeq.* Eousque autem progreſſus eſt FORGIVS, vt ipſi menti potentiam producendi cogitationes denegaret; vnde ſequitur, ipſas etiam hominum cogitationes immediate a Deo produci. Forgium ſequutus eſt MALEBRANCHIVS, aperte ſatis, quid ſibi velit, ſignificans, quando principii loco poſuit: *non eſſe vllam cauſſam, quae vera ſit cauſſa, praeter vnam, ſcilicet Deum; de inquirenda veritate, tom. 2. p. 356.* alibique. Immo, adeo hoc verum eſſe credit, vt ſecus ſentientes grauiſſimorum arguere errorum non dubitet; quippe qui ex ſe ipſis Deum faciant, & ethnicismum in corde ſuo foueant. Productionem enim motuum eſſe creationem, itemque productionem idearum; harum autem rerum ceſſationem, eſſe annihilationem. Speciatim de mente hominis iſta ſtatuit, non aliter eam ad productionem idearum ac volitionum ſuarum ſe habere, quam corpus, reſpectu ſuarum figurarum, hoc eſt, nullam in ea eſſe potentiam actiuam, ſed tantum paſſiuam. Copioſius hanc Malebranchii ſententiam ediſſerit GVSSETIVS, *l. c. p. 45. ſeq.* Addit hiſce idem auctor etiam PETRVM SYLVANVM REGIS, quem, licet in quibusdam a Malebranchio differat, in eo tamen, quod caput cauſſae eſt, conſentire, ad oculum demonſtrat, *p. 63. ſeq.* Mitior equidem videtur REGIS, cum nomen *cauſſae occaſionalis* reiiciat, & voce: *cauſſa ſine qua non*, uti malit. Sed rem eodem tandem redire, manifeſtum eſt, cum & per *cauſſam ſine qua non*, eiusmodi quid intelligat, quod verae cauſſae nomen non promeretur. Idem de illis cenſendum, qui *inſtrumenti* vocem adhibent, res creatas intuitu Dei ita dici poſſe, exiſtimantes. Eiusmodi enim ſi intelligas inſtrumentum, cui per ſe nulla vis agendi ineſt, perinde hoc eſt, ac ſi cauſſam occaſionalem dicas. Nihil aliud vero iſti, qui aliter loquuntur, agunt, quam vt caliginem offundant imperitioribus, vt recte obſeruat GVSSETIVS, *l. c. p. 65.* Inter theologos ſcholae Carteſianae celebre nomen conſequutus eſt WITTICHIVS. Is vero itidem hac de re ita loquitur, vt haud obſcure eamdem ſententiam, quae ſoli Deo omnem motum tribuit, adprobet. *Illa operatio*, inquit, *quae angelis, vt & creaturis quibuslibet tribuitur, longe alia eſt ab ea, quae Deo adſcribitur, nec alio ſenſu poſſunt dici operari, niſi quod poſita tali eorum voluntate, aliud quid ſequatur in creaturis, quod tamen totum, quo ad omnem ſuam realitatem, Deus efficit. Si ergo non adparet, quo minus, ſi Deus velit, poſita hac vel illa voluntate angelorum, aliquid inde ſequi poſſit in mente noſtra, quam in aliquo corpore; theolog. pacific. c. 16. §. 237. p. 189.* Quae eius verba clariora ſunt, quam vt in alium ſenſum trahi queant. Nec praetermittendus hic nobis eſt BAELIVS, in cuius ſcriptis ſubinde cauſſarum occaſionalium

nalium ſyſtematis mentio iniicitur, quod & haud quaquam ſibi diſplicere teſtatur; ſed ea tamen ratione, vt generatim a ſpiritu, ſeu intelligentia quadam, omnem motum effici contendat; ſaltem leges mechanicas, absque eiusmodi principio actiuo, ad explicanda naturae phaenomena non ſufficere, arbitratur. Legenda, quae hac de re diſſerit, in *dictionario hiſtorico-crit.* voce *Cainitae p. 760.* item voce *Plotinus p. 2456.* nec non *dans la reponſe aux queſtions d'un prouincial, tom. 3. c. 140. p. 768.* Cumprimis adhuc IO. CHR. STVRMIVS, Altorfinae quondam academiae decus, nobis commemorandus eſt, qui eamdem ſententiam ſummo virium conatu propugnauit. Ex principiis enim quibusdam, quae poſuit, neceſſario hoc fluere putat: *ſolam Dei voluntatem efficaciſſimam eſſe virtutem illam vere agentem, quae non mota moueat, propriiſſime loquendo moueat, vnum corpus per alterum moueat, totum hunc mundum corporeum, partesque eius, vnas per alteras moueat, & hoc pacto, quidquid ſit effectuum naturalium, in omnibus, etiam reconditiſſimis huius vniuerſi angulis, ſua ſolius immediata virtute efficiat; &c.* in *phyſica electiua ſeu hypothetica p. 164.* Immo & ſcripturam ſacram ad partes ſuas vocare, ſuamque eius teſtimonio firmare ſententiam non dubitat. Etſi enim ſpiritus ſanctus receptae hominum concipiendi, loquendique conſuetudini, (quae cauſſis ſecundis veram actionem tribuit) paſſim ſe, vt ipſe quidem putat, adcommodauerit, *non vno tamen in loco eam claris expreſſisque verbis teſtari, Deum operari omnia in omnibus, nubes etiam, pluuias, tonitrua, fulmina, grandinem, gramina procreare &c. l. c. p. 165.* A MALEBRANCHIO tamen, aliisque, in eo diſſentit STVRMIVS, quod menti humanae, adeoque & ſpiritibus cunctis, vim quamdam actiuam tribuat, eamque adeo idearum, ac volitionum ſuarum cauſſam eſſe, agnoſcat; *l. c. p. 172.* Interim, ſi quis cuncta, quae hactenus commemorauimus, paullo adcuratius conſiderauerit, facile animaduertet, nec ea admitti poſſe. Si enim Deus ſolus omnia immediate efficit, nullum erit peccatum, nullumque flagitium, quod non Deus immediate, & quidem ſolus, perpetret. Nec enim vlla rerum creatarum ex illorum hypotheſi, pro cauſſa haberi poteſt. Quod illos cumprimis vrget, qui eousque progrediuntur, vt nec ſpiritibus, adeoque nec menti humanae, vim aliquid agendi, aut cogitationes etiam producendi, relinquant. Ergo non homo eſt, qui cogitat, ſed Deus in homine, aut per hominem; & quando cogitationes impiae, impurae, blaſphemae in homine exſiſtunt, has non homo, ſed Deus ipſe, & quidem immediate, ac ſolus producit. Non ergo homini, ſed Deo iure imputabuntur, qui adeo & ſolus, quidquid malorum in orbe perpetratur, efficiet. Quod quidem tam abſonum, tamque abominabile eſt, vt vel ſola iſtius rei cogitatio impietate non careat. Non equidem iſta admittunt ſententiae iſtius patroni, ſed, quo pacto euitare ea queant, non video. Praeterea, quidquid etiam dicant, aut in quamcumque ſe vertant partem, omnia eo tandem redeunt, vt exploſum dudum Stoicorum, Deum pro anima mundi habentium, errorem poſtliminio reuocent, atque in ſcenam producant. Hunc vero ita comparatum eſſe, vt non procul a Spinoziſmo abſit, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Rationes autem, quae pro ſua ſententia, praeſertim ex ſcriptura ſacra adferunt, ſi quid probant, hoc ſaltem euincunt, cauſſas ſecundas ſine concurſu Numinis, nihil efficere poſſe, ſolum vero Deum immediate omnia agere, non probant. Non ſine ratione itaque hanc ſententiam alii reiecerunt, variisque impugnarunt ſcriptis. Et MALEBRANCHIVM quidem ex inſtituto refutauit PETRVS IVRIEV, in *tractatu* gallicano

gallicana lingua ſcripto, *de natura & gratia*, *tract. 1. c. 1.* itemque ANT. ARNALDVS, in *conſiderationibus philoſophicis & theologicis ſuper nouo ſyſtemate de natura & gratia lib. 2.* DE LA FORGE, REGIS cum MALLEBRANCHIO, GVSSETIVS, in *cauſſarum primae & ſecundarum reali operatione, rationibus confirmata, & ab obiectionibus defenſa;* quo in libro etiam *apologia* continetur, *pro Renato Carteſio, aduerſus diſcipulos eius pſeudonymos.* Perperam namque Carteſium a quibusdam in hanc trahi ſententiam oſtendit STVRMIVM. autem impugnauit GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS, in *natura ſibi & medicis vindicata, c. 5. §. 9. p. 91. ſeq.* Tolerabilior equidem BAELII ſententia cenſeri poteſt, cum non Deum ipſum, ſed ſpiritum quemdam creatum, eum tamen vniuerſalem, omnium motuum auctorem facere videatur, quo ipſo ad Platonicos propius accedit, qui itidem animam mundi a Deo ipſo diſtinguunt: nec tamen hanc quoque difficultatibus ſuis carere ſententiam, conſtat, & ab aliis demonſtratum eſt. Sed haec huius loci non ſunt.

Id vero praetermittere nequeo, quod ſyſtematis cauſſarum occaſionalium patroni maxime vrgere ſolent, & quamdam ſpeciem habere videtur, ſi Deus pro cauſſa vnica motus non habeatur, fieri aliter non poſſe, quam vt mechaniſmo plus quam decet, tribuatur; aut vt ipſi materiae tandem vis quaedam, ſe ipſam mouendi, adſignetur. Quorum vltimum, etſi nullo modo admitti poſſe cenſeant, non tamen adeo abſonum viſum viro doctiſſimo G. G. LEIBNITIO. quippe qui potentiam ſeſe mouendi materiae denegari non poſſe, exiſtimauit; quamue *vim actiuam*, a *potentia nuda* diſtinctam, adpellauit. Exſtant hac de re varia eius ſchediaſmata, in *actis eruditor. Lipſienſibus,* quibus hancce ſuam ſententiam explicauit, illuſtrauit, confirmauit; *an. 1694. menſ. Mart.* item *an. 1695. menſe April.* nec non *an. 1698. menſ. Sept. p. 427. ſeq.* Quae tamen itidem, non niſi caute admodum accipienda eſſe, prudens harum rerum exiſtimator facile perſpiciet. Nihil enim temere gratius contingere atheis poteſt, quam ſi concedatur, motum materiae eſſentialem eſſe, aut ab ea ſeparari non poſſe. Vnica enim haec illis ſupereſt via, argumentum, quo premuntur, validiſſimum a motus origine deſumtum, eludendi. Legenda, quae hac de re dixi, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. c. 5.* ad *§. 3. p. 375.* Quod ſi tamen adferatur, vim iſtam actiuam a Deo ipſo materiae inſitam eſſe, tum nihil inde lucrabuntur athei. Nimirum, vt meam paucis explicem ſententiam, primo quidem aliam ſpirituum, aliam materiae, adeoque & corporum in ſe ſpectatorum hic rationem eſſe, obſeruandum eſt. Spiritibus potentia quaedam agendi, immo & corpora mouendi, denegari non poteſt, cum hoc notioni verae & genuinae ſpiritus nulla ratione repugnet, iuxta ea, quae ſupra de ſpiritibus diſputauimus. Eos enim, qui ipſam ſpiritus eſſentiam in cogitatione ponunt, magnopere falli, oſtenſum eſt. Stolidum vero prorſus eſt, ipſam idearum & volitionum productionem ſpiritibus, adeoque & menti humanae denegare. Sunt enim ideae iſtae atque volitiones, aeque ac omnes motus, non ſubſtantiae, ſed modi, ſeu, vt alias loqui ſolent, accidentia, quorum productio pro creatione quadam haberi nequit. Nec alia, quam quae ſpiritibus creatis a Deo conceſſa eſt, ad hoc requiritur potentia. Et ita quidem manifeſtum eſt, ſpiritus ex numero cauſſarum proprie ſic dictarum excludi non poſſe. Ad corpora quod attinet, de materia quidem in ſe ſpectata dici nullo modo poteſt, quod vi quadam actiua gaudeat, cum notioni materiae hoc prorſus repugnet; prout tamen in certis corporibus, atque cum certa diſpoſitione ſpectantur, tum quidem vis

quaedam

quaedam actiua illi tribui poteſt, quam Deus ipſe iſtis corporibus conceſſit, vt adeo corpora iſta per vim ſibi propriam, ſed a Dei conceſſione deriuandam, agant, & in numerum cauſſarum, proprie ſic dictarum, recte referantur.

Atque hinc etiam, quid de concurſu Dei ad omnes cauſſarum ſecundarum motus & actiones, cenſendum ſit, liquet. Enimuero, etſi cauſſae ſecundae propria quadam vi atque potentia aliquid efficiendi, agendique polleant; Deus tamen ad omnes ſimul atque ſingulas illarum actiones & motus concurrit, ea quidem ratione, vt vna eademque ſit actio, a Deo atque cauſſis ſecundis profluens. Idque cum ex effectuum praeſtantia, nobilitateque, & ſapientiſſima motuum atque actionum directione, ratio ipſa intelligat, luculentius tamen adhuc ſcriptura confirmat. Haec namque diſerte docet, effectus quoslibet, non minus cauſſis ſecundis, quam Deo ipſi tribuendos eſſe. Ita de hominis generatione Iobus loquitur: *manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu; memento, quaeſo, quod ſicut lutum effeceris me: non ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & venis compegiſti me, &c. cap. X, 8. ſeq.* Pari ratione & rex ſanctiſſimus Dauid de corporis ſui in vtero matris formatione, ita verba facit, vt eam Deo ipſi tribuat, *pſ. CXXXIX, 14, 15.* De generatione hominis quod diximus, id de aliis quoque cauſſarum naturalium effectibus teſtatur. De pluuia, rore, atque glacie, Deus ipſe ad Iobum: *Quis eſt pluuiae pater? vel quis genuit ſtillas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies? & gelu de caelo quis genuit? cap. XXXVIII, 28, 29.* Sed & reliqua, quae ibidem ſequuntur, hoc mirifice confirmant. Idem vero & Paulus nos condocet, ad Lyſtrenſes verba faciens: *Tametſi non ſe reliquit* (Deus) *non teſtatum benefaciendo, de caelo nobis pluuias, frugiferaque dando tempora, explendo cibis ac laetitia noſtros animos, act. XIV, 17.* Quae quidem, vt alia eiusdem generis, quo pacto de Deo, niſi ad omnes cauſſarum ſecundarum motus & actiones concurreret, dici poſſent, non video. Quid vero pluribus verbis opus? Diſerte hoc itidem gentium doctor teſtatur, in ſua, quam ad Athenienſes habuit, oratione quando dicit, quod Deus *omnibus vitam, halitum, omnia denique, conferat; act. XVII, 25.* itemque, quod *in Deo viuamus, moueamur, & ſimus;* hoc eſt, quod non minus motum, quam vitam ac exſiſtentiam ab eo habeamus; *v. 28.* Sunt vero haecce omnia de concurſu Dei generali & ordinario, ſecundum certum ordinem a Deo ipſo conſtitutum, intelligenda. A quo ſi ſpecialiori quadam directione, vel ordinis immutatione, aliaque ratione Deus aliquando diſcedit, vt in miraculis fieri ſolet, id quidem documento eſt, quod & ipſa Numinis omnipotentia ſuadet, Deum non neceſſitate quadam, ſed liberrime, ad rerum creatarum motus atque actiones concurrere. Quod, vt iniquis impiorum hominum cogitationibus occurramus, haud perfunctorie obſeruandum. Cumque etiam Deus omnipraeſens non minus quam omnipotens ſit, recte dicitur, immediate eum, ſiue eſſentiam, ſiue virtutem agendi ſpectes, concurrere; quod tamen intuitu cauſſarum ſecundarum, non ipſius effectus, eſt intelligendum. Hic enim mediate, per cauſſas ſecundas, non autem immediate a Deo proficiſcitur.

§. XLIX. Gubernatio eſt actionum omnium, humanarum praecipue, ad certum finem, eumque ex intentione Dei ſemper bonum, directio. * Dirigit autem Deus actiones hominum plerumque mediate, per lumen rationis & reuelationis, itemque per obiecta varia, quae illis offe-

Digitized by Google

offeruntur, aliarumque cauſſarum concurſum; interdum & immmediate, ac praeter ordinem, per certos inſtinctus atque impulſus: ** dirigit tum piorum, tum impiorum actiones, illorum quidem, vt ſemper commodum inde percipiant; horum, vt, ſi ipſimet commodum inde percipere nolint, in poenam promeritam iis cedant; *** vtrorumque autem, vt bonitas, iuſtitia, & ſapientia eius magis magisque manifeſtetur. * Cumprimis autem in diuerſis hominum ſtatibus, eccleſiaſtico, ciuili, & oeconomico, gubernatio iſta diuina luculentiſſima ratione conſpicitur. **

* Gubernationis vox interdum pro ipſa prouidentia, qua omnes eius actus ſpectata; interdum ita, vt concurſum Numinis ſimul connotet; quandoque autem pro directione quadam ad certum finem, accipitur. Vltima ſignificatio nobis hic in cenſum venit; qua quidem ratione, ſpeciatim ad homines, vtpote rationis vſu pollentes, pertinet.

** Cum ad mentem hominis praecipue iſta directio, ſiue gubernatio ſpectet; haec autem intellectu & voluntate, ceu praecipuis facultatibus conſtet; diſtincta quoque ratione directio illa conſiderari poteſt. Intellectus itaque ordinarie per lumen rationis, atque reuelationis, vniuerſalis ſcilicet illius, quae hodie in ſcriptura ſacra continetur, dirigitur. Hinc enim quilibet homo, quid agere, quidue intermittere debeat, condiſcere poteſt, vt & voluntati creatoris morem gerat, & ſuae quoque rite conſulat ſaluti. Vt autem lumen reuelationis ad regnum gratiae, ita ad regnum naturae lumen rationis pertinet; quod, licet hodie non ſufficiat, ad ſalutem conſequendam, poteſt tamen hominem, ad lumen reuelationis quaerendum, ac inueniendum, manuducere, adeo vt per illud merito quilibet ἀναπολόγητος cenſeatur; *Rom. I, 20.* Huc vero & leges illae naturales pertinent, quas hominum cordibus inſcriptas Paulus docet, *Rom. II, 15.* Praeter ordinem vero Deus intellectum per reuelationes ſpeciales dirigit, quae olim ſubinde piis ſanctisque hominibus obtigerunt; *Ebr. I, 1.* & de quibus ſuo loco ex inſtituto dictum. Voluntatem autem hominis mouet ordinarie quidem per varia obiecta, quae illi partim vt bona, partim vt mala, aut etiam vt indifferentia, exhibentur, & quibus aut ad agendum, aut non agendum, ad adpetendum vel auerſandum excitatur. Hinc enim omnes hominum actiones fluunt. Praeter ordinem Deus immediate per inſtinctus atque impulſus voluntatem hominum dirigit. Neque tamen ſtatim quilibet inſtinctus atque impulſus, etiam illi, quorum cauſſam cognitam atque perſpectam non habemus, pro diuinis, ſeu talibus, qui immediate a Deo excitentur, habendi. Poſſunt etiam ſubinde cauſſae naturales ſubeſſe, quae nobis cognitae non ſunt; in quibus tamen ſimul peculiaris quaedam Numinis directio aliquando accedere poteſt. Certe, inſtinctus eiusmodi, ad certum vitae genus eligendum, aut ad ea ſuſcipienda, quae magnam ſaepe in eccleſia aut republica rerum conuerſionem, poſt ſe trahunt, plurimum conferre, ſingularique adeo ratione Numinis prouidentiam in iis ſe exſerere, & experientia docet, & hiſtoriarum monumenta teſtantur. Denique & per aliarum cauſſarum concurſum Deus voluntatem hominis mouet flectitque, atque ita ad id, quod ei conſtitutum eſt, dirigit; cum alii hortando, monendo, ſuadendo, aliaque ratione, vt aliquid aut ſuſcipiat, aut intermittat, eum inducunt.

*** Ad homines pios quod attinet, nullum eſt dubium, quin Deus omnes illorum actiones ita dirigat, vt in eorum commodum cedant; quod & apoſtolus teſtatur, *Rom. VIII, 28.* Quare & cum agunt, quibus calamita-

tes atque aduerſa ſibi attrahunt, non ſine ſapientiſſima, benigniſſimaque Numinis hoc fieri directione cenſendum eſt. Immo & quando Deus permittit, vt in peccata prolabantur, modo in iis non perſeuerent, ſed per poenitentiam ad priſtinum ſtatum redeant, vtilitatem inde capere poſſunt, cum ad maiorem circumſpectionem, ardentiusque vitae ſanctae ſtudium hac ratione excitari queant. Ad impios autem quod attinet, non minus & illi ex iis, quae per directionem Numinis eueniunt, commodum, ſi vellent, capere poſſent; cum Deus per res ſecundas atque aduerſas homines quosuis ad veram perducere poenitentiam, adlaboret. Quod ſi autem ſapere nolint, & ſalutis media reſpuant, non inique Deus agit, ſi ea fieri permittat, ex quibus iuſtitia eius manifeſtetur. Dicentur hac de re plura in ſequentibus.

* Hic namque finis vltimus eſt prouidentiae diuinae, vt deinceps ad §. 54. dicemus; conf. *prou. XVI, 4.* item *Rom. IX, 22. 23.*

** In ſtatu eccleſiaſtico directio haec diuina conſpicitur, quando viros magnis virtutibus, ingeniique dotibus excitat, qui ad eccleſiae propagationem, incrementum, emendationem, plurimum conferunt; itemque, quando permittit, vt per haereſes, ſchiſmata, tyrannorum vexationes, aliaque ratione, eccleſia adfligatur. In ſtatu ciuili, quando ipſius nutu & directione ſumma rerum eiusmodi principibus confertur, a quibus bona aut mala in rem publicam redundant; conf. *1. Sam. IX, 17. c. X, 21. cap. XVI, 7.* In ſtatu domeſtico quam euidenter haecce Numinis directio ſe prodat, vel matrimonia teſtantur. Pertinent huc, quae ſupra diximus ad §. 43.

§. L. Quae ſpeciatim circa homines, praeſertim fideles ſe exſerit, * Numinis prouidentia, tum in ingreſſu ad vitam humanam, tum in eius progreſſu, & denique in egreſſu ex eadem, vel maxime conſpicitur. Et in ingreſſu quidem tum concurſum, * tum gubernationem quamdam ſpecialem, ** facili negotio deprehendere licet.

* Conferenda, quae ſupra ad §. 45. diximus.

** Vti iam ad §. 48. ex *Iob. X, 8. ſq.* itemque *pſal. CXXXIX, 14. 15.* demonſtratum a nobis eſt.

*** Hanc Numinis directionem, in illorum praeſertim infantum, quos Deus rebus magnis gerendis deſtinauit, natiuitate, cumprimis, ſi temporis, aliarumque circumſtantiarum ratio habeatur, luculenter obſeruare licet. Exemplo eſſe poſſunt Moſes, Cyrus, Alexander magnus, aliique.

§. LI. In progreſſu vitae homines, actiones hominum varias deprehendere licet, easque tum bonas, tum malas. Et illarum quidem cum aliae ciuiliter, ſpiritualiter aliae bonae ſint, diuerſimode etiam prouidentia diuina, ſiue concurſum, ſiue gubernationem ſpectes, circa eas occupatur. * Id quod & de malis actionibus eſt obſeruandum; ad quas Deus equidem generatim concurrit, vt tamen nulla peccati in eum redundet culpa. Deus enim nulla ratione cauſſa, auctorque peccati dici poteſt.

* Sermo hic nobis eſt de actionibus, in genere morum ſpectatis. De motibus enim, ſeu actionibus naturalibus, prout moralibus opponuntur, quid cenſendum ſit, ex hactenus dictis conſtat. Morales autem illae actiones cum iterum vel *bonae* vel *malae* ſint; de illis porro obſeruandum, quod in ſtrictiori ſenſu iſtae tantum bonae dicantur

tur, quae ipſum ſpiritum ſanctum auctorem in hominibus, eius operationi non reſiſtentibus, agnoſcunt, hinc & *ſpirituales* vocari ſolent; in latiori autem, etiam hominum irregenitorum, adeoque & gentilium, quae cum lege diuina aliqua ratione conueniunt, ita dici conſueuerunt. Quarum quidem actionum cum interdum in vita ciuili, vt bonum publicum promoueatur, & aliorum commodis conſulatur, haud contemnendus vſus ſit, *ciuiliter bonae* adpellari poſſunt. Atque ad haſce quidem actiones ciuiliter bonas Deus non tantum concurſu generali concurrit, ſed easdem etiam ita dirigit, vt, in quantum bonae dici poſſunt, eas adprobet, promoueat, & ad finem ſibi propoſitum deducat. Hinc & eiusmodi hominibus quandoque Deus, ceu ſeruis ſuis atque inſtrumentis, ad maxima quaeuis perficienda, vtitur, vt vel Cyri, Perſarum regis, exemplo patet; *Eſ. XLV, 1. ſq.* Immo & praemiis quandoque, ſed quae huius ſaltem vitae ſunt, iſtas actiones adficit, largiendo earum auctoribus honores, diuitias, proſperos ſucceſſus, & alia huius ſaeculi commoda. Atque hi ſunt ſerui in domo patris caeleſtis, qui *panibus circumfluunt, Luc. XV, 17.* a filiis, quibus deſtinata eſt haereditas, probe diſtinguendi; conf. *Io. VIII, 35.* Ad eas vero actiones, quae ſpiritualiter, adeoque reuera bonae, Deoque gratae ſunt, quod attinet, diuerſus iterum hominum conſiderandus ſtatus eſt. In ipſo enim conuerſionis actu cum homo nihil, Deus omnia agat, ſoli quoque Deo, quae fiunt, tribuenda ſunt. Atque haec adeo ad *gratiam*, quam vocant, *operantem*, referuntur. Quando autem homo iam per conuerſionem, regenerationemque, vires quasdam ſpirituales accepit, tum quidem ipſe itidem aliquid efficere poteſt, ſed non ſolus, cum & gratia diuina, vt *cooperans*, hic concurrat; immo id, quod praecipuum eſt, peragat. Sed de hiſce ſuo loco agetur ex inſtituto. Conferre interim iuuabit, quae hac de re dixi in *inſtit. theolog. moral. part. 1. c. 1. ſect. 1. §. 40. ſq. p. 50. ſq.*

** In malis actionibus hominum & concurſus Numinis, & eius gubernatio, ſeu directio, conſiderari poteſt. Ad concurſum quod attinet, iamdudum theologi monuerunt, in actione mala duo ſpectari poſſe, motum phyſicum, & ἀταξίαν illi adhaerentem. Atque ille quidem in ſe ſpectatus cum plane indifferens ſit, nihil obſtat, quo minus Deus ad eum concurrat. Concurrere autem omnino, rationes, atque ſcripturae oracula, quibus ad *§. praecedentem* Deum ad omnes hominum motus & actiones concurrere, probauimus, euincunt. Ἀταξία autem iſta actioni adhaerens, cum tantum ab hominis determinatione dependeat, nihil in iſto concurſu, quod ſanctitati Numinis repugnet, deprehendi, manifeſtum eſt. Nonnulli non tantum inter *materiale actionis*, ſeu motum phyſicum, & *formale*, ſeu ἀταξίαν, diſtinguunt, ſed vlterius *materiale proximum* a *materiali remoto* diſcernendum, contendunt. Si enim, inquiunt, Deus concurreret ad materiale proximum peccati, ſequeretur, quod motum phyſicum cauſſae ſecundae, ad ἀταξίαν ſeu formale peccati determinaret; quod de Deo nullo modo cogitandum. Sunt contra, quibus diſtinctio iſta inter *materiale & formale actionis* diſplicet, quiue exiſtimant, non poſſe ἀταξίαν ab ipſo motu phyſico ita ſeparari, vt non ad illam ſimul concurrere Deus cenſeatur, ſi ad hunc concurrat. Hoc mirum in modum vrgent, qui omnem Numinis ad cauſſas ſecundas concurſum negant, quibus & CHAVVINVS ſuffragatur, dum omnem mouet lapidem, vt diſtinctionem hancce explodat; *de religione naturali l. 1. c. 17.* cuius tamen rationibus a me ſatisfactum in *animaduerſionibus* ad eius librum, *c. 6.* in *parergis hiſtorico-theologicis, p. 498. ſq.* Exemplis nimirum oſtendi poteſt, non ſine ratione motum phyſicum ab ἀταξίᾳ illi adhaerente, diſcerni. Si quis enim manum ad committendum furtum extendat, tum quidem extenſio manus eſt motus mere phyſicus, adeoque indiffe-

Digitized by Google

rens, cum etiam aliquis ad laborandum eam extendere queat: determinatio autem iſta, qua ad rem alienam aufferendam extenditur, vti a mente hominis oritur, ita & ſola ἀταξίαν illam, motui huic adhaerentem, efficit. Nec eſt, quod cogitationes malas nobis CHAVVINVS obiiciat, ac ſi in iis *materia a forma, bonum a defectu, ſecerni nequeant.* Namque & cogitatio in ſe ſpectata, vtique motus phyſicus aliquis, hinc & indifferens eſt: quod autem mala euadit, a determinatione mentis noſtrae ad obiectum illicitum, prouenit. Ad gubernationem, ſeu directionem quod attinet, Deus ita circa actiones malas verſatur, vt, cum ipſemet eas deteſtetur; *pſ. V, 5. Eſ. LIX, 2.* homines etiam ab iis quouis modo auocare adnitatur, eumque in finem & prohibeat eas, & poenas grauiſſimas legis transgreſſoribus comminetur; *Exod. XX, 5. 7.* ſubinde & eas impediat; *Num. XXII, 12. ſq. Geneſ. XX, 6. cap. XXXI, 24. 29. pſ. XXXIII, 10*; aliquando etiam permittat, *pſ. LXXXI, 13. actor. XIV, 16. Rom. I, 24. 28.* idque ob cauſſas iuſtiſſimas, ſanctiſſimasque, diuerſas tamen; tum intuitu peccantium, ſiue hi in peccatis perſiſtant, ſiue ad mentem meliorem redeant; tum intuitu illorum, quibus per aliorum peccata incommodum aliquod adfertur. Quod cuncta tandem ad optimum finem dirigat, ex iis, quae generatim de eius gubernatione diximus, liquet. Qui autem diuinam prouidentiam ita circa peccata verſari putant, vt Deus inde auctor eorum dici queat, talia docent, quae cum ſanctitate & iuſtitia Numinis conciliari nequeunt. Reformatae eccleſiae doctores hoc facere, notum eſt; quorum quidam aperte hoc profitentur, alii fruſtra a ſe atque ſuis hoc amoliri adnituntur. Audire ex recentioribus hac de re iuuat GVRTLERVM, qui ita loquitur: *Vt abſque offendiculo doceamus, quaenam ſint vires prouidentiae Dei, in malis hominum actionibus, loquendum eſt ex ſcriptura ſacra, dicente, Deum permittere malum, actor. XIV, 16. pſ. LXXXI, 13. potenti conſilio, aut voluntate definire, actor. IV, 28. c. II, 23. iubere, 2. Sam. XVI, 10. 11. peccatores indurare, Ex. VII, 3. c. X. 1. Deut. II, 30. excaecare, Eſ. VI, 9. 10. tradere in ſenſum reprobum, Rom. I, 28. prauisque cupiditatibus, ad impuritatem, Rom. I, 24. 26. immittere efficaciam erroris, 2. Theſſ. II, 11; inſtit. theol. c. 16. §. 36. p. 392.* Verum, vt de permiſſione, quam primo loco auctor commemorat, ſi recte vox haec accipiatur, nulla inter nos eſt controuerſia; ita ad reliquos loquendi modos quod attinet, iis, ſi ad peccatum ipſum referantur, nihil aliud itidem, quam permiſſionem quamdam denotari, demonſtrari facile poteſt, & ſaepe demonſtratum eſt a noſtratibus. Sic, cum Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populo Iſraelitico feciſſe dicuntur, quae *manus & conſilium Dei προώρισε praedefiniuit, act. IV, 28.* hoc ſaltem indicatur, Deum per manum, ſeu potentiam ſuam facile impedire conatus Herodis atque Pilati, ceterorumque potuiſſe, ſed id non feciſſe, quin potius permiſiſſe, cum viderit, ea ratione perfici poſſe, quae de genere humano redimendo decreuerat. Cum Dauid de Simei dicit, *Dominum dixiſſe ei, vt malediceret Dauidi; 2. Sam. XVI, 10. 11.* nemo profecto ſibi perſuadebit, per reuelationem quamdam peculiarem Deum hoc iuſſiſſe vel praecepiſſe Simei. Vnde longe eſt manifeſtiſſimum, nihil aliud ſibi velle Dauidem, quam hoc, non ſine Numinis voluntate, ac permiſſione fieri, vt Simei ſibi maledicat. Sic & de obduratione, & excaecatione, quod dicitur, id ſemper de hominibus potius, quam de Deo eſt intelligendum. Excaecantur atque obdurantur homines, quando voluntati diuinae reſiſtunt, mediaque gratiae proterue reiiciunt, atque repellunt. Quod, cum Deus non impedit, ſed permittit, hinc & ei illud tribui ſolet. Hoc vel Pharaonis exemplo patet; de quo cum aliquando dicatur, quod Deus eum obdurauerit; non minus tamen, quod & ſe ipſum obdu-

obdurauerit, pronuntiatur; *Exod. VIII, 32.* immo, ſaepius adſeritur, quod obduratus, vel cor eius durum fuerit; *Exod. VII, 13. 14.* conf. & *v. 21.* Atque hinc reliqua facile diiudicare licet; quibus & ideo non immorabimur, quod in ſequentibus iterum, & quidem ex inſtituto, Deum peccati auctorem non eſſe, nobis euincendum ſit. Iuuabit tamen, quae idem GVRTLERVS adfert, paucis expendere. *Conſiderent*, inquit, *iisdem vti nos dictionibus, quibus rem arduam ſacrae litterae declarant, quaeque ſane non otioſam permiſſionem, ſed efficaciſſimos circa peccatum operandi modos, innuunt. An autem crimini nobis eſſe debet, ex ſcriptura loqui & ſapere? l. c. §. 40.* Nos autem illis vitio non vertimus, quod ex ſcriptura loquantur & ſapiant, modo ſcripturam recte intelligant, aut intelligere velint. Scripturae, ad quae prouocauit, dicta, nihil aliud, quam permiſſionem, non excluſa ſapientiſſima directione, indicare, antea oſtendimus. Sed pergit: *Deinde oro, vt ſibi in memoriam reuocent, ad rauim vsque reformatos monere, quod Deus decreuerit peccata, amplificandae gloriae ſuae cauſſa: ſanctam vero eſſe actionem, quae fiat ad Dei gloriam illuſtrandam.* Id vero eſt, quod nos negamus, atque pernegamus, actionem quamdam malam, ſeu illicitam, quantumuis per accidens ex ea aliquid ſequatur, quo gloria Numinis amplificetur, ſanctam dici poſſe. Tandem ſubiungit: *& tertio, eum eſſe peccati auctorem, qui vel peccet, vel peccatum iubeat; quod vtrumque a ſanctiſſimo Deo longiſſime remoueamus: pariter malam eſſe voluntatem, non qua quis vult malum, ſed qua volumus male, adpetendo rem lege vetitam.* Sed antea vir doctus diſerte dixerat, Deum iubere peccatum, item, loquendi rationem, qua ſcriptura vtitur, *efficaciſſimos circa peccatum operandi modos* innuere. Ergo, ipſius confeſſione Deus eſt auctor peccati. Ceterum, ſi quis malum directe ac per ſe velit, non poteſt non quoq; male velle, hinc & eiusmodi voluntas pro bona haberi nequit. Sed haec ἐν παρόδῳ.

§. LII. In egreſſu ex vita humana, prouidentia diuina circa terminum vitae vel maxime ſe conſpiciendam praebet. Vnicuique enim hominum Deus vitae certum terminum praeſtituit; non equidem decreto quodam abſoluto, quod mutari nequeat, ſed ſecundum ordinem naturae, indolemque cauſſarum, quibus aut vita hominum prolongari, aut mors eis accelerari poteſt; ita tamen, vt etiam ordine hocce naturae ſublato, Deus aut prolongare vitam, aut accelerare mortem queat; idque diuerſas ob cauſſas, & ob finem diuerſum, tum piis hominibus, tum impiis. *

* In celebri hacce, de vitae humanae termino, quaeſtione, duo itidem euitanda ſunt extrema; quorum alterum illorum eſt, qui vitae humanae terminum, aeterna quadam & immutabili fatorum lege, aut decreto quodam diuino, ita fixum, firmiterque ſtatutum eſſe exiſtimant, vt nulla ratione mutari queat: alterum vero illorum, qui cauſſis naturalibus, vt vitae rationi, conſtitutioni corporis, aliisque, eum ita tribuunt, vt diuinae prouidentiae nullam habeant rationem. Prior ex hiſce ſententia patronos atque defenſores habet plurimos veterum, inter philoſophos autem, Stoicos maxime, ſuamque ex doctrina de fato, cuius natales deinceps exponemus, trahit originem. Hinc dilemma illud, cuius & CICERO mentionem facit: *Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo conualeſcere, ſiue medicum adhibueris, ſiue non, conualeſces. Item, ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non conualeſcere, ſiue tu medicum adhibueris, ſiue non, non conualeſces; lib. de fato part. IV. oper. p. m. 1282.* edit. GRONOVII. Cuius quidem generis qui plura cupit, IO. BEVERO-

Digitized by Google

VICIVM adeat, ſcabinum quondam, & medicum Dordracenum, qui amicis ſuis hanc quaeſtionem diſcutiendam propoſuit, & cuius binae hac de re exſtant epiſtolae, in *operibus* EPISCOPII *tom.1.p.378.ſq.* Vt autem opinio iſta de fato & antiquiſſima, & inter gentiles admodum recepta erat, ita & error iſte, de fatali vitae humanae termino, non poterat non plurimorum innadere animos. Indeque factum, vt *fato concedere*, probatiſſimis linguae latinae magiſtris idem ſit, ac *mortem oppetere*. Exemplis hoc comprobat NAVDAEVS, in eleganti diſſertatione *de fato & fatali vitae termino*, quae in *pentade quaeſtionum* eius *iatro-philologicarum* quinta eſt, *p.180.* Recte etiam idem obſeruat, hanc loquendi rationem inde procul dubio petitam eſſe, quod crederent veteres, quo temporis puncto quis naſceretur, eo etiam ipſo fataliter conſtitui, quando & quomodo occumbere deberet, iuxta illud MANILII:

Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

Quod & pluribus ibidem confirmat. Ab ethnicis fatalis iſta neceſſitas etiam ad chriſtianos tranſiit, & a reformatae eccleſiae doctoribus, ſub nomine *decreti abſoluti*, retinetur: hinc & fatalem, ſeu fixum atque immobilem vitae humanae terminum non defendere nequeunt; conf. GVRTLERVS, *inſt. theolog.c.16. §.16.p.389.* Cumptimis vero & Muhammedanos error iſte ita adflauit, vt horam, genusque mortis nullo modo declinari poſſe, exiſtimant, nec terminum eius accelerari, quantumuis in maxima, praeſentiſſimaque aliquis ſe coniiciat pericula. Legenda hac de re WARNERI *diſſertatio, qua ex Arabum & Perſarum ſcriptis, de vitae termino, vtrum fixus ſit, an mobilis, diſquiritur;* Amſtaelodami 1642 conf. & BVSBEQVIVS, in *epiſtolis de rebus turcicis, ep. 4. p.365.* item IO. ANDR. BOSIVS, *de imperio turcico §.32.p.59.* Rurſus vero nec defuerunt, qui contrariae ſententiae patrocinarentur, & vitae humanae terminum ex cauſſis naturalibus ita deriuarent, vt omnem Numinis ab eo remouerent prouidentiam. Fuiſſe iam olim homines, qui ita ſentirent, vel ex *ſap. II,1.2.* intelligitur. Epicuraeorum autem, omnem prouidentiam tollentium, gregem, quis ignorat? Ex iis, qui chriſtianorum nomine veniunt, vix quisquam eo vsque impudentiae progreſſus eſt, vt palam, ac aperte hoc profiteretur, niſi ſimul atheus videri vellet; non tamen deeſſe, qui pectore premunt, quod ore profiteri non audent, non eſt quod dubitemus.

Inter duo autem, quae commemorauimus, extrema, media via tutiſſima erit. Et primo quidem vitae humanae neutiquam fixum, immobilemque, atque fatalem eſſe terminum, promiſſiones diuinae, de vita piis prolonganda, *Ex. XX, 12. c. XXIII, 25. 26. Deut. XXX, 20. 1. reg. III, 14.* euincunt. Quae quidem vanae eſſent, ſi fatali quadam & ineuitabili neceſſitate hominibus hoc vel illo tempore moriendum eſſet. Excipit GVRTLERVS, *l.c. §.20.* in hiſce promiſſionibus non intelligi prorogationem termini a Deo conſtituti, ſed longaeuitatem abſolutam, vitaeque extenſionem vltra terminum, quem cauſſae ſecundae minantur. Sed, cum cauſſis ſecundis diuina ſemper adſit prouidentia, rectiſſime Deus illum terminum, qui ex iis ſequuturus erat, conſtituiſſe dicitur; quem liberrime tamen, ad pietatem hominum remunerandam, aut alias ob cauſſas, mutat. Non tantum autem promiſſiones, verum & comminationes diuinae, vanae irritaeque eſſent, ſi fatalis vitae terminus omnibus hominibus eſſet conſtitutus. Comminationes puto de vita impiis abbreuianda; *Deuter. XXX, 17, 18. pſ. LV, 24. pſ. CIX, 8. prou. X, 27. 30.* Excipit equidem rurſus GVRTLERVS *l. c.* dies impiorum, qui abbreuiari dicuntur, non eſſe dies ipſos a Deo praefixos, ſed dies, ad quos pertingere potuiſſent, ſeu, communem vitae humanae terminum. Plane, ac ſi nec communem vitae humanae terminum

Digitized by Google

Deus praeſtituiſſet. Hoc certe negari nequit, niſi ſimul ipſam prouidentiam diuinam infitiari velimus. Preces porro piorum, quibus vel ſibi, vel aliis vitam longiorem a Deo petunt, idem comprobant. Epaphroditum infirmum, mortique vicinum fuiſſe, Paulus adſerit; *Phil. II, 27.* ſed Deum miſertum eſſe illius, vitamque ex mera gratia ei prolongaſſe. Pro filiolo ſuo Dauid oravit, *2. Sam. XII, 16. 22.* Cumprimis vero illuſtre admodum eſt exemplum Ezechiae regis, *Eſ. XXXVIII, 1. ſeq.* Cum enim is percepiſſet, tempus mortis ſuae inſtare, preces ad Deum fudit, quas etiam Deus exaudiuit, adeo, vt ipſius vitae quindecim adhuc annos adiiceret. Non vtique Ezechias vitae prolongationem a Deo petiturus fuiſſet, ſi ſciuiſſet, fato quodam ineluctabili eius terminum eſſe conſtitutum. Vanae enim atque ludicrae fuiſſent preces. Porro, cum Deus precibus hiſce aurem praebuerit, vitamque regis ad quindecim vsque annos prolongauerit, re ipſa demonſtrauit, terminum vitae naturalem mutari poſſe. Qui Deum, cum adnuntiari Ezechiae iuberet, finem vitae inſtare, more humano ſimulatione vſum fuiſſe putant, aliudque prae ſe tuliſſe, aliud autem ſerio decreuiſſe; eiusmodi quid adſerunt, quod & Deo indignum eſt, & verbis apertis ſcripturae ſacrae repugnat, vti a me demonſtratum in *animaduerſionibus ad Petri Chauuini librum de relig. nat. c. 4. §. 10. p. 466. ſq.* Hiſce denique nonnulli addunt, medicae artis vſum & commendationem; *Syr. XXXVIII, 2.* Fruſtra enim morbis medicatas opponi potiones contendunt, ſiquidem & ſine iis mortem euaſuri ſint homines, quando fatalis vitae nondum adeſt terminus; hic autem, ſi adſit, ad vitam prolongandam nihil valeant. Hinc & BEVEROVICIVS, *poſterior*, inquit, *haec opinio* (quae fatalem vitae terminum negat) *medicis magis adridet, quam ad artis ſuae auctoritatem facere arbitrantur; epiſt. 1. ad Sim. Epiſcopium, p. 378.* Sunt tamen, ne quid diſſitear, quae ad vltimum hocce argumentum regeri poſſunt. Inſignis enim, prorſusque egregius medicae artis, in variis morborum generibus, doloribus cumprimis leniendis, & ſanitate conſeruanda, vſus eſſe poteſt; etſi tum, quando fatalis vitae terminus adeſt, ad vitam prolongandam nihil valeat.

Non minus tamen & contraria reiicienda eſt ſententia, quae vitae humanae terminum ex cauſſis naturalibus ita deducit, vt nullus fere diuinae prouidentiae locus concedatur. Refellitur namque iſte error iisdem rationibus, quibus ſupra diuinam prouidentiam adſtruximus. Cum enim demonſtratum ſit, eam ad res omnes, etiam minutiſſimas, pertinere, praecipue autem circa homines, maxime pios, verſari; nullum plane eſt dubium, quin circa finem vitae cuiusuis hominis, ſingulari quadam ratione ſeſe exſerat. Id vero, cum ſecundum ordinem, a Deo ſemel conſtitutum, fiat, cauſſarum ſecundarum efficaciam cum Numinis prouidentia hic coniungendam eſſe, manifeſtum eſt. Simul tamen, cum Deus liberrime agat, non poteſt ita ordini huic adſtringi, vt non integrum illi ſit, vitam nonnumquam aut prolongare, aut abbreuiare. Atque id quidem eſt, quod & ſcriptura ſacra docet; vt, cum *Iob. XIV, 5.* dicitur: *definiti ſunt dies eius*, (hominis) *numerus menſium eius* (eſt) *apud te*; (Deum enim Iobus adloquitur) *ſtatuta eius feciſti, quae non transgredietur.* Diſerte adſerit: dies hominis eſſe חרוצים *definitos, determinatos, certa lege circumſcriptos.* Hanc enim vocis iſtius vim eſſe, viris doctis, etiam Ebraeorum magiſtris, obſeruatum eſt. Idem repetit, quando dicit: *numerum menſium* (hominis) *apud Deum eſſe*; & denuo, ſed ita, vt oratio velut per gradus adſcendat, cum, Deum omnino *ſtatuta feciſſe*, adfirmat, quae homo tranſilire nequeat. Quod tamen non ita capiendum, ac ſi Deus abſoluto quodam decreto terminum vitae immutabi-

mutabilem hominibus conſtituerit: id enim cum ſcripturae ſacrae effatis, quae antea attulimus, conſiſtere nequit; ſed quod Deus ſecundum ordinem naturae, per cauſſas ſecundas ſeſe exſerentem, vnicuique certum terminum praeſcripſerit, quem tamen ipſe, ſi velit, mutare poſſit. Cum ergo dicit, hominem *ſtatuta* iſta non transgreſſurum, ſenſus eſt, quod in hominis viribus vtique poſitum non ſit, vt ipſemet terminum iſtum naturalem mutet: ex quo tamen non ſequitur, quod Deus illum mutare nequeat. Atque ita intelligitur, mediam iſtam ſententiam, quae certum vitae humanae terminum, ſed mobilem, & Numinis voluntate mutabilem, ſtatuit, ceu rationi pariter ac ſcripturae ſacrae conuenientem, reliquis praeferendam eſſe. Atque hanc praeſtantiſſimis etiam ebraeae gentis magiſtris placere, docet R. MENASSEH BEN ISRAEL, *de termino vitae l. 2. ſect. 1. p. 42. ſeq.* Ceterum, naturalis ille vitae humanae terminus, quem Deus conſtituit, tum ſecundum diverſas mundi aetates, tum pro ſingulorum hominum diuerſitate, diuerſus eſt. Antediluuianos enim homines longe maius temporis ſpatium viuendo emenſos eſſe, quam qui poſt diluuium vixerunt, & adhuc viuunt, notum eſt. In cauſſas autem iſtius rei inquirere, noſtri non fert inſtituti ratio. Legenda, quae dixi in *hiſt. eccl. V. T. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 1. §. 40. p. 166.* Ad ſingulos porro homines quod attinet, ob corporis conſtitutionem, conditionem aëris, vitae genus, temperantiam aut intemperantiam, aliasq; cauſſas, tum morales, tum naturales, contingere poteſt, vt quorumdam breuior, aliorum longior ſit vita. Sed huncce terminum Deus iterum varias ob cauſſas aut prolongare poteſt, aut abbreuiare; vtrumque & in piis hominibus, & in impiis. Piorum nimirum vitam nonnumquam in praemium virtutis Deus prolongat; *Ex. XX, 12. prou. III, 1. 2.* ſi ſcilicet videat, hoc ſaluti aeternae eorum non fore noxium. Cum eiusmodi enim conditione promiſſiones iſtae intelligendae ſunt. Idem & quandoque facit ad vtilitatem, quam aut eccleſia, aut res publica ex iis percipere poteſt; *2. Corinth. I. 8, 9. Philip. II, 27.* Rurſus vero & eorumdem vitam abbreuiat, vt a ſeductione improborum conſeruentur; *ſap. IV, 10, 11.* vtque calamitatibus publicis aliisque malis, ſubducantur; *2. chron. XXXIV, 28.* Pari ratione & impiorum vitae filum ante terminum naturalem abrumpit, vt illorum improbitatem hac ratione puniat; *pſ. LV, 24.* Qua in re ſubinde iudicia diuina luculenta quadam ratione ſeſe produnt; etſi haud raro etiam occurrant, quae rationi noſtrae ſunt abſcondita. Speciatim & eorum vitam abbreuiat, quando ex permiſſione diuina eiusmodi delicta admittunt, quae poenam poſt ſe trahunt capitalem; qua quidem vt homicidae adficerentur, Deus ipſe conſtituit; *Gen. IX, 6.* aut aliud quid agunt, quo finem vitae ſibi accelerant. Rurſus tamen & impiorum vitam prolongat, vt peccata peccatis cumulando, grauiori deinceps, ſeueriorique poena adficiantur, aut vt in hacce etiam vita per liberorum calamitates, aliaq; ratione, vindictam Numinis experiantur.

§. LIII. Finis prouidentiae, vt ex dictis liquet, non alius, quam reliquorum operum diuinorum eſſe poteſt: bonitatis, potentiae, ac ſapientiae, immo & iuſtitiae diuinae manifeſtatio, indeque reſultans ſumma Numinis gloria; *prouerb. XVI, 4.* * Idque cumprimis intuitu hominum, qui hac ratione ad quaerendum, hinc & colendum ac venerandum conditorem ſuum, induci debent; *actor. XIV, 16, 17. cap. XVII, 26, 27.* ** Simul tamen haec operum diuinorum conſideratio ad lumen reuelationis inueſtigan-

ſtigandum, ac inueniendum, veramque adeo ſalutem conſequendam, manuductio eſſe poteſt.

* Loquimur de fine vltimo; proximum enim eſſe hominum, piorum praecipue, vtilitatem, ex hactenus dictis abunde intelligitur; conf. *pſ. XXXIII, 19. CXV, 16. Eſ. XLV, 8. Rom. VIII, 28.* De reliquis cauſſis vt aliquid addamus, neceſſe non eſt, cum, quae de iis vulgo dicuntur, aut ſupervacua ſint, aut ex hactenus dictis facile cognoſcantur.

** Inter res enim adſpectabiles huius mundi ſoli homines rationis vſu pollent, adeoque & ſoli gloriam Numinis, ſi proprie loqui velimus, celebrare poſſunt. Conferenda, quae ad *§. 18.* huius capitis diximus. Vt autem ſoli homines inter adſpectabiles orbis incolas Dei gloriam celebrare, hinc & colere eum, & venerari poſſunt, ita ſimul patet, per Numinis prouidentiam, ad cultum debitum illi exhibendum, gloriamque eius hac ratione celebrandam, eosdem vel maxime induci; immo, prouidentia ſi non eſſet, non poſſet non ceſſare omnis Numinis cultus. Vnde prouidentia inter praecipua religionis fundamenta merito refertur, vti iam ad *part. 1. c. 1. §. 6.* obſeruauimus.

*** Pertinent huc, quae de notitia Dei naturali, eiusque, ad reuelationem agnoſcendam paedagogia, diſputauimus, *part. 1. cap. 1. §. 19.*

§. LIV. Qui in operum diuinorum conſideratione a recto aberrant tramite, in duo fere prolabuntur extrema; quorum alterum eorum eſt, qui rationi nimium tribuentes, vel ea potius abutentes, non credunt, quod credere debebant; alterum eorum, qui ſuperſtitione abrepti, quae non credere debebant, credunt. Sic, ad creationem mundi quod attinet, ad priorem claſſem pertinent, qui aut ipſum mundum, aut ſaltem materiam ſemper exſtitiſſe ſtatuunt, * aut mechanica quadam ratione, ſecundum leges motus, eam, quam hodie intuemur, mundi faciem exortam comminiſcuntur; ** vel alia ratione gloriam creatoris imminuunt; *** ad poſteriorem autem, qui, gloriam creatori debitam rebus creatis deferentes, idololatriae, aut craſſioris, aut ſubtilioris crimine ſe obſtringunt. *

* Vti ethnicorum philoſophi; quorum nonnulli, vt Ariſtoteles, &, ſi quibusdam credimus, Pythagoras, ipſum mundum; reliqui materiam ſaltem, ex qua mundus prodierit, aeternam eſſe, & ſemper exſtitiſſe, adſeruerunt. Dictum hac de re iam ſupra, ad huius capitis *§. 1. & 2.* vbi & praeter alios Hermogenem, ex veteris eccleſiae haereticis, eundem fouiſſe errorem, obſeruauimus. Non minus ibidem oſtenſum, ex rationis abuſu, & principio iſto, *ex nihilo nil fit*, non recte intellecto, errorem huncce ortum eſſe. Solet eadem ſententia & recentioribus quibusdam tribui: quam & inter fundamenta atheiſmi dogmatici primum, praecipuumque tenere locum, a me demonſtratum, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 2. §. 10. p. 237. & cap. 6. §. 2. p. 465.*

** Vti olim Epicurus, cum ſuis ſectatoribus; hodie nonnulli, qui ex Renati Carteſii ſchola prodierunt; de quibus dictum, ad capitis huius *§. 8.*

*** Sic plurimos haereticorum veterum, Simonem magum, Menandrum, Saturninum, Baſilidem, Carpocratem, ab angelis mundum huncce conditum, adſeruiſſe, ex IRENAEO, *lib. 1. cap. 21. 22.* aliisque

Digitized by Google

que notum eſt. In quam ſententiam eos ingreſſos, quod mali originem ratione non adſequentes, mundi huius, tot malis, totque imperfectionibus obruti, creationem Deo non conuenire, arbitrarentur; a vero non abhorret. Marcionitas certe, ignorantia verae, de origine mali doctrinae, eo adduxit, vt non tantum duo principia independentia, ſeu duas cauſſas aeternas, Deum & diabolum, admitterent; ſed huic etiam mundi tribuerent creationem, immo & gubernationem, quem & ideo cosmocratorem vocabant, teſte IRENAEO, *lib. 1. cap. 29.* Legenda, quae hac de re diſſerit auctor *hiſtor. ſymbol. apoſtol. cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis, cap. 2. §. 35. ſeq.* qui & non ſine ratione obſeruat, occaſionem eiusmodi haereſium inde enatam, *quod abſurdos & rationi repugnantes boni malique fouerent conceptus. Exiſtimantes enim bonum & malum non modos eſſe rerum, & attributa, verum res, & vt in ſcholis loqui ſolent, ſubſtantias: omnes res in ſe atque ſubſtantia ſua vel bonas eſſe, vel malas, atque adeo originem atque conditorem, diuerſas iſtas naturas ſibi conuenientem neceſſario habere oportere, concludentes, duas aeternas cauſſas inuexere, Deum atque diabolum; alterum in ſe bonum, omnis boni creati cauſſam, atque curam eius gerentem; alterum malum in ſe, omnis mali creati conditorem, principem & gubernatorem. Sicque omnino non in creationem tantum, verum & in prouidentiam Dei, Marcionitae iſti iniurii fuere &c. l. c. §. 36. p. 75. 76.* Sed plura hac de re dicemus, cum infra de mali exponemus origine, & fonte.

* Hoc eſt, quod Paulus apoſtolus dicit, de gentilibus adſerens, eos *gloriam immortalis Dei ad imaginem ſimilem hominis mortalis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentum transtuliſſe; Rom. I, 23.* Idololatra nimirum, tum in craſſiori, tum in ſubtiliori ſenſu ſpectatus, ex creatura, cui plus, quam debebat, tribuit, facit creatorem; adeoque hoc ipſo verum Deum rerum omnium creatorem eſſe negat. Vnde & merito exſecrabile hocce crimen cenſetur, *1. Sam. XV, 23. Ierem. XVII, 4.* Conferenda & quae dixi, in *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 3. ſect. 1.* ad *§. 79.*

§. LV. Pari ratione in doctrina de ſpiritibus alterum extremum eorum eſt, qui ſpiritus exſiſtere negant, aut eorum operationes in dubium vocant, hinc &, quidquid de ſpectris, magia, & obſeſſione dicitur, inter friuola mortalium commenta, aut male ſanae mentis inſomnia referunt: * alterum eorum, qui ſuperſtitione ducti, bonis angelis cultum, illis minime debitum, nec ab iis expetitum, deferunt, ** aut malorum etiam opera, ad facinora praua perpetranda, vti non dubitant. ***

* Inter ipſos Iudaeos iam ante natiuitatem Chriſti fuiſſe, qui nullos ſpiritus creatos admitterent, exemplo Sadducaeorum conſtat. Diſerte namque Lucas: *Sadducaei dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque angelum, μήτε πνεῦμα, neque ſpiritum,* ſcilicet humanum, ſiue, animam hominis non eſſe eiusmodi ſpiritum, qui poſt mortem exſiſtat; *actor. XXIII, 8.* De Samaritanis idem memoriae prodidit LEONTIVS: οὔτε δὲ ἄγγελον δοξάζουσιν εἶναι, οὔτε ψυχὴν ἀθάνατον, οὔτε ἀνάστασιν. *Nec angelum eſſe credunt, nec animam immortalem, nec reſurrectionem; lib. de ſectis cap. 8.* Cum vero ab aliis nihil eiusmodi de Samaritanis commemoretur, facile ſuſpicari aliquis poſſet, LEONTIVM cum Samaritanis confundere Sadducaeos. Idque eo magis, quod in penta-

pentateucho Samaritano, a IO. MORINO edito, non ſemel angelorum iniiciatur mentio, vti viris doctis obſeruatum eſt. At non erraſſe hocce in capite LEONTIVM, cum omnino Samaritani nullos crediderint angelos, luculenter demonſtrat RELANDVS, in *diſſertat. de Samaritanis, part. 2. diſſertation. miſcellan. p. 21. ſeq.* Saepius equidem in pentateucho Samaritano vocem *angelus* occurrere, fatetur, ſed per angelum eos nihil aliud, quam *mandatum, efficaciam, vim Dei*, indicare, oſtendit. Nec adeo dubium eſt, quin & Sadducaei loca illa ſcripturae, in quibus angelorum mentio iniicitur, eadem ratione intellexerint. De Samaritanis quod dixi, iam obſeruatum, in *hiſtor. eccleſ. V. T. tom. 2.* ad *per. 2. ſect. 6. §. 13. p. 1046.* A Iudaeis ſi ad gentiles transeamus, pleroſque horum philoſophos, Aegyptios, Chaldaeos, Pythagoraeos, Platonicos, Stoicos, ſpiritus, ſeu daemones, genioſque admiſiſſe, immo, plus quam decet, iis quandoque tribuiſſe, adeoque ad alterum declinaſſe extremum, non temere quemquam fugit. In compendio, quae hac de re ſcitu digna ſunt, attuli in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 3. §. 3. p. 270. ſeq.* Qui autem nihil aliud, quam materiam, & vacuum admittebant, vt Epicuraei, non poterant non ſpirituum explodere exſiſtentiam. Hinc Epicurus eos, qui genios ſibi adparere commemorant, aut mentiri & fingere, aut melancholicos eſſe exiſtimabat, taleſque, vt aerumnoſum corpus ipſis tum ſuſpendat, tum ad extraordinaria deflectat imaginationem; vid. GASSENDVS, in *ſyntag. philoſoph. Epicur. ſect. 2. cap. 6. p. 295.* De Ariſtotele, num ſpiritus finitos, ſeu daemones, crediderit, inter viros doctos diſputatur. Certe, intelligentias eum admiſiſſe, notum eſt. Has autem cum ſingulis orbibus praefecerit, easque neceſſario vinculo cum iis colligatas exiſtimauerit, non poſſe illas eo loco, quo ſpiritus, angeli, daemones apud nos ſunt, haberi, recte viris doctis obſeruatum eſt, ſpeciatim, G. I. VOSSIO, *de idololatr. gentil. lib. 2. cap. 41.* De reliquis philoſophis vt aliquid dicamus, inſtituti noſtri non permittit ratio.

Transeundum enim nobis eſt ad chriſtianos, apud quos, qui ſtatim ab initio exſtiterunt, haeretici, Simoniani, Cerinthiani, Menandriani, reliqui, orientalium philoſophorum, quae & Platonicorum erant, placitis imbuti, ſpiritibus creatis plus quam decebat, tribuebant; vt deinceps dicemus; tantum abeſt, vt illorum aut operationes, aut exſiſtentiam negauerint. De eccleſiae doctoribus, ſeu patribus, vt vocant, qui apoſtolos inſequuti ſunt, idem obſeruandum. In exceſſu potius, quam defectu peccarunt; cum & ipſi Platonicorum ſcita calculo ſuo adprobarent. Cumque deinceps Romanorum pontificum tyrannis eccleſiae vniuerſae iugum impoſuiſſet, nouae acceſſerunt cauſſae, cur ſpirituum malignorum potentia augeretur potius, quam imminueretur; quippe quod ad ſuperſtitionem, clericorum commodis inſeruientem, alendam, atque fouendam, faciebat plurimum. Praeſertim vero, poſtquam Romanis epiſcopis, & qui ab eorum ſtabant partibus, conſultum viſum, magiae crimen, ſaltem certam eius ſpeciem, pro haereſi venditare, & hinc, qui eius ſuſpecti erant, ad formidandum inquiſitionis tribunal vocare; (qua de re lectu digna ſunt, quae LIMBORCH commemorat, *hiſt. inquiſit lib. 1. cap. 18.*) exſtiterunt, qui nihil intermitterent, vt quosuis homines, etiam innocentiſſimos, in criminis iſtius vocarent ſuſpicionem, & adeo talia tradiderunt, quae huc maxime comparata erant. Cuius rei documenta euidentiſſima in libro cuius titulus: *malleus maleficarum*, conſpicere licet. Huic autem tyrannidi, dum ſe tandem opponebant alii, in ſuſpicionem, ac ſi ſpirituum aut exſiſtentiam, aut operationes negarent, aut omnino magiae ſu-

Digitized by Google

ſcipere patrocinium vellent, adducti ſunt. Id cum aliis, tum & AND. ALCIATO, iureconſulto percelebri, contigiſſe, notum eſt. Eamdem nihilosecius viam ingreſſus eſt auctor libri, cui titulus: *malleus iudicum*, quem *malleo maleficarum* oppoſitum, viri docti docent. Huc porro & IO. WIERI opus, *de praeſtigiis daemonum* ſpectat; cui THOM. ERASTVS anno 1577. *dialogum de lamiis & ſtrigibus* oppoſuit, quemue BODINVS quoque refutandum ſibi ſumſit; qui & in *libris 4. de magorum daemonomania*, quibus confutationem iſtam WIERI ſubiunxit, receptam hactenus de magis atque ſagis ſententiam, acriter, ſummoque ſtudio defendit, adeo, vt ipſe in eiusdem criminis ſuſpicionem veniret, vt THVANVS auctor eſt, *hiſt. lib. 117. p. 774.* WIERO, REGINALDVM SCOTVM iungit IACOBVS, Angliae rex, in *daemonologia*, qui & vtrumque inter magos refert; cum, vt ipſe quidem putat, non aliam ob cauſſam magorum atque ſagarum defenſionem ſuſceperint, quam vt ſuam ſimul cauſſam agerent, & eo tutius latitarent. Sed vtrumque, & Wierum, & Scotum, defendit IO. WEBSTERVS, in *der Vnterſuchung der vermeinten, vnd ſo genandten Hexerey, cap. 1. §. 24. ſeq. p. 26.* Nec defuerunt, qui Wieri veſtigia premerent, quos inter & GOEDELMANNVS, iureconſultus Roſtochienſis, eminet, cuius hac in re ſcripta paſſim laudantur; quemadmodum contra MARTINVS DELRIO, ob *diſquiſitionum magicarum libros ſex*, anno 1599 editos, illis adnumerandus eſt, qui quaeuis, quantumuis abſona, de magis, ſagisque commenta, calculo ſuo adprobant. Fuſius haec omnia ediſſerit CHR. THOMASIVS, in *diſſert. de origine ac proceſſu proceſſus inquiſitorii contra ſagas*, anno 1712. edita. Enimuero, hi ipſi, quos hactenus commemorauimus, AND. ALCIATVS, auctor *mallei iudicum*, WIERVS, REGINALDVS SCOTVS, & GOEDELMANNVS, etſi plurima, quae de magis, ſagisque vulgo narrantur, pro commentis, aut praeſtigiis haberent, hinc & rigorem illum, quem vulgo in torquendis ac puniendis ſagis eo tempore adhibebant, improbarent; non tamen (ſaltem plerique illorum) infitiati ſunt, pactum aliquod homines cum diabolo inire poſſe, multo minus exſiſtentiam, & operationes ſpirituum prorſus negarunt.

Apertius id fecerunt alii, & quidem ex philoſophorum maxime ordine, PETR. POMPONATIVM hoc nomine male audire, notum eſt, ob librum, de *incantationibus*, quippe in quo iis, quae de artibus magicis vulgo narrantur, fidem denegauit; ſoletque etiam alias ob cauſſas inter atheos numerari; a qua tamen accuſatione ab illis eum liberari, dictum eſt in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 1.* ad *§. 24. p. 116. ſeq.* Certe, qui genuina Ariſtotelis principia conſectabantur, vt Auerrhoiſtae, quos inter & Pomponatium fuiſſe conſtat, non poterant ſpiritus eo ſenſu, quo a nobis ſtatuuntur, admittere. Intelligentias enim Ariſtotelis a ſpiritibus in ſcriptura ſacra commemoratis multum differre, antea obſeruauimus. Qui Epicuraeam philoſophandi rationem reſuſcitarunt, & in omnibus ſequuti ſunt, nullos quoque admittere ſpiritus poſſunt: hinc &, quidquid de magis, ſpectris, obſeſſionibus dicitur, pro fabulis, aut meris illuſionibus habent. Atque hanc HOBBESII mentem fuiſſe, notum eſt; conf. quae dixi, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. cap. 3. §. 3. p. 277.* CARTESIVS, etſi luculentum inter corpus & ſpiritum ſibi conſtituiſſe videatur diſcrimen, eiusmodi tamen ſpiritus notionem animo concepit, vt, qui eam ſequitur, non poſſit non omnes tandem operationes ſpirituum, quibus vel maxime manifeſtantur, in dubium vocare; quod & ſupra iam *§. 20.* obſeruauimus. Ex eius itaque ſchola BALTH. BECKERVS prodiit, qui ad impugnandas ſpirituum operationes, atque ex orbe

orbe eliminandas, omnes ingenii atque induſtriae neruos, in *mundo* ſuo, quem vocat, *faſcinato*, intendit. Multa de eius fatis, deque libro eius, & plurimis, quibus refutatus eſt, ſcriptis, dici poſſent, ſed hoc inſtituti noſtri ratio non permittit. In compendio quaedam commemoraui, in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 3. §. 3. p. 278.* De atheis, quod nullos admittant ſpiritus, nullum eſt dubium. Quod adeo etiam de SPINOZA, atheorum, quos recentior aetas tulit, principe intelligendum. BAELIVS equidem in eam ingreditur ſententiam, poſſe aliquem, etſi Spinozae ſententiae adſtipuletur, ſpiritus tamen admittere; immo, non recte ſibi conſtare ſyſtema Spinozae, niſi daemones, ſeu ſpiritus admittat; atque Spinozam, dum eos negauit, oſtendiſſe, quod ſuum ipſemet non intellexerit ſatis ſyſtema; in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Spinoza lit. M. & P. p. 2780. ſeq.* Qua de re quid ſentiendum ſit, iam expoſui, in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 3. §. 3. p. 274.* Ad reliquos quod attinet, DALLONIVM quemdam, ceu ſibi ὁμόψηφον nonnumquam laudat BECKERVS; conf. *mundus* eius *faſcinatus lib. 2. cap. 9. p. 52.* VAN DALE quoque, *de oraculorum ethnicorum origine atque auctoribus*, itemque in *diſſertat. de diuinationibus Iudaeorum idololatricis*, haud obſcure id egit, vt ſpirituum operationes in dubium vocaret; quem & in Gallia ſequutus eſt FONTENELLVS, in *hiſtoria oraculorum*, gallice conſcripta, in qua omnes oraculorum praedictiones pro meris impoſturis habet. Vtrumque refutauit P. BALTVS, Ieſuita, dans *la reſponſe à l'hiſtoire des oracles de Mr. de Fontenelle*, Argentinae, anno 1707. Angelorum quorumdam, vt WAGSTAFFII, & IO. WEBSTERI, qui receptam de magis ac ſagis doctrinam impugnarunt, ſcripta, quae in linguam quoque germanicam tranſlata proſtant, ſatis nota ſunt. De reliquis autem conferenda GRAPII *theologia recens controuerſa continuata, cap. 2. quaeſt. 9. p. 81. ſeq.* Nec tamen omnes iſti, quos hactenus commemorauimus, vno eodemque habendi ſunt loco. Nonnulli namque diſerte ſpirituum exſiſtentiam pariter ac operationes negant; alii operationes ſaltem; & nonnulli iterum non omnes, ſed quaſdam tantummodo; alii denique operationes quaſdam, quas nos angelis malis, ſeu daemonibus tribuimus, ad ſpiritum quemdam naturae referunt; hinc & ſpiritus admittunt, ſed longe alio, quam nos id facimus, ſenſu.

** Exſtitiſſe iam in veteri eccleſia apoſtolica, qui angelis cultum, iis minime debitum, deferrent, iam ſupra ad *§. 33.* ex *Coloſſ. II, 18.* obſeruauimus. Idque tum de Simonianis, tum de Cerinthianis intelligi poſſe, ibidem oſtendimus; cum vtrique, mundum ab angelis conditum eſſe, adſeruerint, teſte IRENAEO, *lib. 1. c. 20. & 25.* Sed alios quoque eiuſdem aeui haereticos, in eo conſenſiſſe, mundum ab angelis creatum, itidem ad *§. proxime praecedentem 34.* docuimus. Nec dubium, quin ex Platonica philoſophia, ſimulque & orientalium, a quibus Platonici multa hauſerant, ſcitis iſte error fluxerit. Angelis ſane, ſeu daemonibus, tum aliarum rerum, tum hominis (qua corpus ſpectati) formationem a Deo commiſſam, ex mente Platonis tradit ALCINOVS, in *lineamentis doctrinae Platonis, cap. 15. 16.* Haec autem, vt itidem antea dictum, eo facilius multis ſe probare poterat ſententia, quod exiſtimarent, ita malorum, quae in hocce mundo deprehenduntur, culpam a Deo quam commodiſſime auerti poſſe. Simul tamen ad angelorum cultum & inuocationem hac ratione via ſternebatur. Accedebat perſuaſio, angelos veluti mediatores eſſe inter Deum & homines, & horum preces ad illum deferre; cuius veſtigia itidem in ſchola Platonica deprehendimus. Ita namque, vt reliquos, qui laudari poterant,

rant, taceam, APVLEIVS: *Sunt quaedam diuinae mediae poteſtates, inter ſummum aethera, & infimas terras, in iſto interſitae aëris ſpatio, per quas & deſideria noſtra, & merita ad Deos commeant. Hos graeco nomine* δαίμονας *nuncupant: inter terricolas, caelicolasque vectores, hinc precum, inde donorum; qui vltro citroque portant, hinc petitiones, inde ſuppetias: ceu quidam vtriusque interpretes, & ſalutigeri; de Deo Socratis, p. m. 45.* Sunt equidem, qui & apud Iudaeos, quae angelorum cultui faueant, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Et negari ſane nequit, habuiſſe Iudaeos iam apoſtolorum tempore nonnulla gentilium philoſophorum ſcita, cum placitis, quae a maioribus ſuis acceperant, commixta; quod & alibi a me ipſo eſt demonſtratum. Eos autem angelos iſta aetate cultu religioſo proſequutos, an probari ſatis queat, dubito: quamuis non neſciam, de Eſſenis ſpeciatim nonnullos hoc adſerere. Immo, generatim Iudaeis hoc exprobrare videtur CLEMENS Alexandrinus, quando ex *praedicatione Petri* haec adducit verba: Μηδὲ κατὰ Ἰουδαίους σέβεσθε, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μόνοι οἰόμενοι τὸν θεὸν γινώσκειν, οὐκ ἐπίστανται, λατρεύοντες ἀγγέλοις καὶ ἀρχαγγέλοις, μηνὶ καὶ σελήνῃ. *Neque colite* (Deum) *vt Iudaei, etenim illi ſolos ſe Deum noſſe putantes, neſciunt, ſe adorare angelos, & archangelos, menſem & lunam; ſtrom. lib. 6. p. m. 760.* edit. POTTERI. Eadem ex *Petri praedicatione* adducit ORIGENES, in *Ioannem p. 212.* edit HVETII. Sed Celſus quoque Iudaeis angelorum cultum exprobrat, apud eumdem ORIGENEM, *lib. 1. contra Celſum p. 20.* Et HVETIVS quidem exiſtimat, cum alias ad ſuperſtitionem proni fuerint Iudaei, facili eo delabi potuiſſe, vt damnoſum & vetitum angelis cultum exhiberent; in *obſeruationib. & notis ad commentaria Origenis, p. 108.* Praeterquam vero, quod *praedicatio* illa *Petri* CLEMENTI atque ORIGENI commemorata, inter ſcripta ſpuria referenda ſit, non ſine ratione SPENCERVS obſeruat, in verbis iſtis adlatis Cerinthi quoque diſcipulos, haereticos ſcilicet ἰουδαΐζοντας intelligi poſſe; in *adnotat. ad Origen. lib. 1. contra Celſum p. 20;* cui etiam ſententiae haud obſcure ſuffragatur IO. POTTERVS, ad *Clementis l. c.* Quidquid huius ſit, ſiue a Iudaeis, ſiue ab ethnicis erroris & ſuperſtitionis origo deducatur, id poſitum extra controuerſiam, fuiſſe haereticos apoſtolorum tempore, qui angelos religioſo, adeoque illicito cultu proſequerentur. Idque, cum plurimi veterum tradant, qui & in Angelicis hunc errorem a ſynodo Laodicena, ſaeculo poſt Chriſtum natum quarto, damnatum referunt; prae reliquis tamen confirmat THEODORETVS. Effatum enim apoſtoli, *Coloſſ. II, 18.* explicans, *qui legem,* inquit, *defendebant,* (breuitatis enim cauſſa verba eius latine ſaltem damus) *eos ad angelos etiam colendos inducebant, dicentes, legem fuiſſe per illos datam. Manſit autem perdiu hoc vitium in Phrygia, & Piſidia. Proinde ſynodus, quae conuenit apud Laodiceam Phrygiae, lege prohibuit, ne precarentur ad angelos, & ad hodiernum vsque diem oratoria ſancti Michaëlis apud illos, illorumque finitimos, videre eſt. Illi ergo, humilitate nimirum ducti, hoc fieri ſuadebant, dicentes, vniuerſorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi poſſe, & oportere per angelos diuinam ſibi beneuolentiam conciliare. Hoc eſt, quod* (apoſtolus) *dicit:* in humilitate & cultu angelorum. *Illud autem,* inflatus, *non eſt contrarium humilitati. Hoc enim prae ſe ferebant, ſed revera inſolentiae vitio laborabant &c.* in *epiſt. ad Coloſſ. II, 18. tom. 3. oper. p. 355.* Eadem ad *cap. III, 17.* repetit, vbi omnia, qua verbis, qua opere, in nomine domini Ieſu Chriſti facienda eſſe apoſtolus inculcat. *Quoniam,* inquit, *enim illi angelos iubebant adorare, ipſe contrarium praecepit, vt & dicta & facta exornent recordatione Chriſti domini; & Deo, inquit, & patri gratiarum*

Digitized by Google

tiarum actionem offerte, per ipſum, non per angelos. Hanc etiam legem ſequens Laodicena ſynodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege ſanxit, non adorandos eſſe angelos, nec relinquendum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; l. c. p. 359. Diſerte hic docet THEODORETVS, tum verba apoſtoli, tum canonem trigeſimum quintum concilii Laodiceni, de eiusmodi haereticis intelligendum eſſe, qui angelos, & quidem bonos, adorabant, adeoque cultum, iis minime debitum, illis exhibebant; docet etiam, haereticos iſtos in honorem angelorum templa, ſeu oratoria, exſtruxiſſe; quod & illis ſollemne eſt, qui in eccleſia Romana itidem angelorum cultum calculo ſuo adprobant: docet denique, haereticos illos ταπεινοφροσύνην, ſeu humilitatem, obtentui ſumſiſſe, ac ſi nos minime deceat, immediate ad Deum accedere, ſed quod per angelos, ceu mediatores, hoc fieri oporteat: & hunc in modum rectiſſime verba apoſtoli interpretantur; qua quidem προφάσει eos itidem, qui in eccleſia Romana angelorum cultum defendunt, vti conſtat. Conferendi & ſcholiaſtae graeci, ad laudatum canonem XXXV concilii Laodiceni; IO. ZONARAS, atque THEODORVS BALSAMON, in *pandectis* BEVEREGII, *tom. 1. p. 458.* Licet autem veteris eccleſiae doctores, vt deinceps ad *§. 57.* oſtendemus, cultum iſtum angelorum reiecerint prorſus, atque damnauerint; nihiloſecius eumdem poſtliminio recepit, atque introduxit eccleſia Romana. Nimirum, vt nimia ſanctorum, martyrum praecipue, veneratio, intempeſtiua oratorum eloquentia aucta, in cultum quemdam religioſum, & idololatriam tandem degenerauit; ita non poterant angelos bonos deteriori loco habere, quam ſanctos homines. Hinc &, licet Romanae eccleſiae error ex alio principio fluxerit, quam veterum illorum haereticorum; non tamen tantum in ipſo iſto angelorum cultu cum illis conſentiunt, ſed eamdem, vti antea dictum, πρόφασιν errori ſuo obtendunt, quod angelorum aeque ac ſanctorum hominum conciliatione quadam nobis opus ſit, quando accedere ad Deum velimus. Quod tamen, quam lubricum ſit, nemo non intelligit. Cetera, quae ad profligandum huncce errorem pertinent, ſupra iam exſequuti ſumus.

*** Immo, non defuiſſe inter gentiles, qui daemones, ſeu malignos ſpiritus colerent, conſtat, & ex inſtituto demonſtrat G. I. VOSSIVS, *de origine ac progreſſu idololatriae, lib. 1. cap. 8. p. m. 21. ſeq.* Idem, cum recte obſeruaſſet, apud nullos ſcriptores gentiles tam multa de ſpirituum cultu reperiri, quam apud Platonicos; quaeſtionem proponit, vtrum bonos coluerint ſpiritus an malos? Ad quam reſpondet: *Quin propoſitum iis fuerit, bonos venerari, non eſt, quod dubitemus. Atque haec etiam cauſſa, cur ieiuniis ſe bona fide praepararent. Sed pro bonis ſe mali ſpiritus oggeſſerunt. Boni enim cultum eiuscemodi, vt Dei proprium, auerſabantur. Et agnoſcit Porphyrius, eos, quibus ſacrificarent, libamine carnium delectari, immo, fumigatione, nidoreque viuere, ac pingueſcere; quae ridicula quidem ſunt, interea tamen, cuiusmodi coluerint ſpiritus, oſtendunt. Praeſertim, cum idem fateatur, omne id genus ſpirituum pro malo habendum, quod ſanguine capiatur victimae, ac cogi debeat, vt faciat, quae homines velint.* Atque hi quidem, qui daemones ſeu malignos ſpiritus colebant, vt iis citra controuerſiam plus, quam decebat, tribuebant; ita non minus idem faciunt, qui illorum, ad aliquid obtinendum, vti opera non dubitant; hinc & incantationibus eos flectere, & ad obſequendum ſibi adducere, in animum inducunt. Hinc enim magia iſta, in qua ſumma hominum impietas pariter ac ſtultitia conſpicitur; cuius quidem originem atque fata paucis, & velut in compendio exhibui

hibui in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. c. 9.* ad *§. 3. p. 695. ſeq.* Conferendus autem & BAELIVS, qui iuſta ſerie atque ordine hiſtoriam magiae exhibet, dans *la reponſe aux queſtions d' un prouincial. tom. 1. c. 37. p. 327. ſeq.* Et antiquiſſimam iſtam infamiam eſſe, & plurimorum ſemper occupaſſe animos, notius eſt, quam vt monere debeam. *Fraudulentiſſima artium,* inquit PLINIVS, *plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque ſaeculis valuit, hiſtor. natural. L. 30. c. 1.* Nimirum ipſe quidem de falſo iactata magia loquitur, cum veram, quae daemonum opera vtitur, non admittat; eſt tamen omnino & de vera intelligendum. Et ſane, Aegyptios, Chaldaeos, Perſas, Graecos, aliasque gentes, olim ſuos habuiſſe magos, hoc eſt, eiusmodi homines, qui artem flectendi daemones ad obſequium ſacrificiis, carminibus, aliaque ratione, profitebantur, ſeque illorum opera vti poſſe credebant, ex hiſtoriarum monumentis abunde conſtat. Et PLINIVS quidem praeſtantiſſimos philoſophorum in eorum numerum, qui magicarum artium periti fuerunt, referre non dubitat. *Certe,* inquit, *Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc* (magiam) *diſcendam nauigauere, exſiliis potius, quam peregrinationibus ſuſceptis. Hanc reuerſi praedicauere, hanc in arcanis habuere*; *loc. cit.* Hinc ergo cum philoſophis iſtis magnam infamiae labem adſpergi nonnulli crederent, non defuerunt, qui eos ab iſta ſuſpicione cenſuerunt liberandos; quod & cumprimis NAVDAEVS fecit, dans *l' apologie pour les grands hommes ſoupçonnez de magie, c. 10. & 12. p. 126. ſeq.* Sed non ſine ratione mihi obſeruaſſe videtur BAELIVS, gentilium animis longe aliam magiae inſediſſe notionem, quam chriſtianorum hodie inſidet, idque non ſatis perpendiſſe NAVDAEVM; *reponſe aux queſtions d' un prouincial, tom. 1. p. 339.* Nimirum, cum hodie magia pro crimine habeatur, quod maximam adfert infamiam; non perinde de ea cenſebant ethnici. Daemones illos, quos flectere, ac in ſuas pertrahere partes adnitebantur, vt eorum opera vterentur; non pro malis, ſed pro bonis habebant; etſi, vti antea quoque obſeruatum, ſi quid obtinebant, non a bonis, ſed malis obtinebant. Praeterea ſacrificiis, ritibus, caerimoniis, aliaque ratione, flectere, ſibique conciliare deos, daemonesque, adeo apud ethnicos turpe non erat, vt pro parte religionis, ſummaeque ſapientiae haberetur. Hinc & eo adducti ſunt, vt ipſam magiam ſapientiae atque eruditionis partem ſingularem conſtituerent, vt mihi itidem iam obſeruatum in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *cap. 9. §. 3. p. 699.* Huc ea praecipue magia, quam theurgiam vocabant, ſpectabat, qua certis quibusdam hoſtiis & ſacrificiis, munditie itidem quadam animae & corporis, aliisque ſacris caerimoniis, bonos ac beneficos daemones inuocabant, eorum adflatu atque auxilio & occulta manifeſtaturi, & futura praenuntiaturi, & miranda edituri opera. De qua theurgia IAMBLICHVS, *de myſteriis*, PROCLVS, libro *de ſacrificio & magia*, PORPHYRIVS, libro *de ſacrificiis*, & ex eo AVGVSTINVS, *de ciuitate Dei lib. 10. cap. 9.* Et ſane, inter cauſſas iſtas ſuperſtitionis haud vltimum profecto locum frequentata illa, in plerorumque philoſophorum, Platonicorum maxime ſcholis, hypotheſis tenet, ſpiritus corpora ſubtilia habere; ſaltem non omnis materiae expertes eſſe, hinc & rebus corporeis adfici, atque commoueri. Quae ſententia, licet plurimis quoque veteris eccleſiae doctoribus ſeſe probauerit, vt deinceps dicemus, ita comparata eſt, vt non poſſit non ad magicam ſuperſtitionem homines adducere. Hinc vero & Platonicis, qui ab orientalibus talia acceperunt, data eſt occaſio, de variis daemonum generibus, eorumdemque variis & mirificis operationibus, multa comminiſcendi,

ſcendi, quae in compendio MICHAEL PSELLVS exhibet, in *dialogo* περὶ ἐνεργείας δαιμόνων, *de operationibus daemonum*, a GAVLMINO Pariſiis an. 1615. edito. Cum deinceps, profligato ethnicismo, religio chriſtiana magnam orbis partem occupaſſet, tantum abeſt, vt impius ille furor ſimul penitus exſtinctus ſit, vt inter ipſos chriſtianos plurimi exſtiterint, qui eumdem propagarent. Hinc & legibus variis, atque canonibus eccleſiaſticis eidem obuiam eundum fuit; de quibus videatur MATTHÆVS BLASTARES, in *ſyntagmate alphabetico rerum omnium, quae in ſacris canonibus comprehenduntur*, in BEVEREGII *pandectis*, *p. 173.* Immo adeo hocce crimen inter chriſtianos incrementum ſumſit, vt de magis, ſagisque talia narrentur, quae apud ethnicos audita non ſunt. Legenda, quae hac de re obſeruat BAELIVS, *l. c. p. 347.* Non vero eſt, quod dubitemus, plurima, quae de hiſce rebus narrantur, inter commenta referenda eſſe, quibus liberaliter admodum indulgebant, qui in gratiam Romanorum pontificum per ſagas atque magos haereticorum augere numerum, & horum delicta mirum in modum exaggerare, pietatis partem eſſe, exiſtimabant; cuiusmodi quidem portenta in *malleo maleficarum*, IO. BODINI *daemonomania*, DELRIONIS *disquiſitionibus magicis*, ſimilibusque ſcriptis, occurrere, ſupra iam obſeruauimus. Nec tamen, dum iſta explodimus, committendum nobis eſt, vt in alterum extremum procurramus, & omnia, quae de magis, ſagisque narrantur, vocemus in dubium, & inter fabulas, inaniaque referamus commenta. Fuiſſe enim, qui malorum daemonum nonnunquam vſi ſint opera, negari nequit; quemadmodum & nonnulli impiae artis myſteria litteris conſignarunt, vt eam ad poſteros propagarent; de quibus dictum in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. c. 9. §. 3. p. 703.* Eos autem, qui de magia, vel potius contra eam, ſcripſerunt, magno numero recenſet IO. AD. OSIANDER, in *tract. de magia, p. 35. 36.*

§. LVI. Sic & in doctrina de prouidentia nonnulli, Epicuri veſtigia prementes, eam aut prorſus negant, caſuique fortuito cuncta adſcribunt; aut valde extenuant, imminuuntue; * alii contra, in alterum extremum procurrentes, fatum aliquod Stoicum, non minore impietate, amplectuntur, aut etiam, quod non magnopere inde abludit, Deo eiusmodi decreta tribuunt, per quae homines omni priuantur libertate, & tantum non abſoluta neceſſitas introducitur. **

* Fuiſſe iam inter Iudaeos, qui prouidentiam diuinam negauerint, vel ex *ſap. II, 2*, conſtat. Qui enim eleganter ibi, οὐκ ὀρθῶς λογισάμενοι, *non recte ratiocinantes* dicuntur, inter alia profitentur, ὅτι αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν, *caſu*, ſine vlla prouidentia diuina, *nati ſumus.* Eadem ſententia & Sadducaeis tribui ſolet, de quibus & FL. IOSEPHVS: τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι, καὶ τὸν θεὸν ἔξω τοῦ δρᾶν τι κακὸν ἢ ἐφορᾶν τίθενται. *fatum omnino negant, & Deum extra omnem mali patrationem, inſpectionemque, conſtituunt; de bello iudaico, l. 2. c. 7.* Ioſephum & alii, praeſertim ex recentioribus, ſequuntur, negatam a Sadducaeis prouidentiam diuinam contendentes. Sunt tamen etiam, qui hac de re dubitant; & quidem, vt ego exiſtimo, non ſine ratione. Ex ſcriptura ſacra certe hoc probari nequit. Licet enim ſaepiſſime in ea Sadducaeorum iniiciatur mentio, & reliqui eorum commemorentur errores; diuinam tamen quod in dubium vocauerint prouidentiam, nullibi memoratur. Quin potius, cum coluiſſe Deum,

eiqueſacra feciſſe legantur, prouidentiam quoque eius illos admiſiſſe neceſſe eſt; cum nemo ſanae mentis eum cultu quodam proſequuturus ſit, qui nulla eius cura tangitur, & a quo nec boni, nec mali quid illi eſt exſpectandum. Nec obſtat, quod nullas, poſt hancce vitam, poenas, praemiaque nulla crediderint. Colere enim nihilo ſecius Deum potuerunt, poenarum pariter ac commodorum huius vitae rationem habentes; vti iam a me obſeruatum, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 3. §. 1. p. 243.* Inter gentiles Epicurus hic ſe nobis offert, cum ſectatoribus ſuis, quorum dogma velvt characteriſticum, quo ab aliis philoſophis diſtinguebantur, fuit, negatio prouidentiae diuinae. Et ſane, tam luculenta hac de re veterum exſtant teſtimonia, vt operam omnem perdant, qui eum excuſare adnituntur, quod & pluribus a me oſtenſum *l. c. cap. 1.* ad *§. 19. p. 66.* Ipſeque hoc adeo non diffitetur GASSENDVS, magnus ceteroquin Epicuri admirator, vt potius hanc eius ſententiam, ceu erroneam, ex inſtituto refellat, in *not. ad lib. 10. Diogen. Laërtii tom. 5. oper. p. 128. & phyſ. ſect. 1. l. 4. c. 6. p. 319.* Animi nimirum tranquillitati, in qua ſummam felicitatem quaerebat Epicurus, nihil magis obſtare videbatur, quam Numinis metus, ob peccatorum conſcientiam apud impios homines mirum in modum augendus. Hinc autem, cum homo ethnicus ſe expedire non poſſet, nihil aliud ſupererat, quam vt prouidentiam ipſam in dubium vocaret. Haec vera erroris origo erat. Cetera enim, e. g. prouidentiam pugnare cum ſumma Dei beatitate, & quae eiusdem erant generis, obtentui ſaltem inſeruiebant. Eſtque haec via proniſſima, qua, qui leuioris ſunt animi, in eumdem errorem praecipites ruunt. Quod ipſimet cupiunt, credunt; hinc &, quod animum excruciat, amoliri adnituntur; neue prouidentia moleſtiam ſibi faceſſat, eam omnino negare, conſultum putant. Aduerſae res piorum, impiorum ſecundae, variique euentus, quorum cauſſae quia latent, caſu quodam fortuito contingere videntur, & eiuscemodi alia argumenta, illorum opinione non contemnenda, praebent, quibus animum in errore obfirment. Ad reliquos philoſophos quod attinet, ſi quis illorum de Deo ſententiam perſpectam habet, facile etiam, quid de prouidentia ſenſerint, intelliget. Inde & patebit, Ariſtotelem prouidentiam, eo modo, quo vocem hanc accipimus, non admiſiſſe, nec admittere potuiſſe. Inter haereticos equidem Manichaei, & qui cum iis faciunt, diuinam acriter impugnarunt prouidentiam; at cum non aliam ob cauſſam id fecerint, quam vt ſuam de principio mali independente ſententiam confirmarent, rectius de iis in ſequentibus, vbi de peccato verba facienda erunt, dicemus. Noſtra aetate BAELIVM, dum Manichaeorum ſe agere cauſſam videri voluit, omnes ingenii vires in id intendiſſe, vt quae prouidentiae diuinae opponuntur, exaggeraret, ſupra iam ad *§. 44.* obſeruauimus.

Sunt etiam plurimi, qui, licet ipſimet non credant, quod diuinam prouidentiam negent, reuera tamen nihil aliud agunt, dum *fortunam* ſemper in ore habent, & huic tantum non omnia, quae eueniunt, tribuunt. Ab ethnicis hocce profectum eſſe, non eſt, quod dubitemus. Apud hos enim longe frequentiſſimum erat, cuncta ad fortunam referre. *Toto mundo*, inquit PLINIVS, *& locis omnibus, omnibusque horis hominum vocibus fortuna ſola inuocatur; vna nominatur, vna adcuſatur, vna agitatur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitiis colitur; volubilis, plerisque vero & caeca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta; lib. 2. hiſt. nat. c. 7. p. m. 10.* Eodem plane modo plurimos chriſtianorum de fortuna loqui, experientia docet; cum tamen,

tamen, qui ita loquuntur, aut aliquid, quod nihil ſignificat, dicant, aut, neſcio quod idolum animo concipiant, cui ea tribuunt, quae Deo tribuere debebant. Nec rectius aut loquuntur, aut ſentiunt, qui aliquid *caſu fortuito* euenire dicunt. Cum enim Deus omnia prouidentia ſua gubernet*, intuitu eius nihil *caſu*, ſeu abſque prouidentia diuina contingere poteſt; etſi intuitu hominum, cauſſas proximas, cur hoc aut illud fiat, ignorantium, aliquid caſu euenire videri queat. Ideo etiam veteris eccleſiae chriſtianae doctores voces illas, *caſus & fortuna*, ab vſu chriſtianorum remotas voluerunt. Sic & BASILIVS magnus, ἀπαιδεύτων, inquit, ἅυται αἱ φωναί, *ineruditorum iſtae voces ſunt*; in *pſ. XXXII. tom. 1. oper. p. m. 173.* Et de voce *fortuna*, AVGVSTINVS: *poenitet me, quod, ſcribens contra academicos, toties vſus ſim vocabulo fortunae. Video enim, homines in peſſima conſuetudine habere, vt, vbi dicere deberent, hoc Deus voluit, dicant, hoc fortuna voluit; l. c. retractat. c. 1.*

** Qui hic in alterum extremum procurrunt, *fatum* aliquod, ſeu fatalem neceſſitatem introducunt. Quae opinio, vt itidem antiquiſſima, ita multorum etiam inuaſit animos. Nec tamen prima eius aeque perſpecta eſt origo. NAVDÆVS in ipſa gentilium idololatria, &, quae cum ea coniuncta erat, diuinatione, illam ſibi inveniſſe viſus eſt. *Profecto*, inquit, *non aliunde venit, quam ex antiqua daemonum & idolorum generatione; quam, dum ſacerdotes populorum mentibus imprimere nouis & incredibilibus miraculis ſubinde vellent, diuinationem, ſeu* μαντικὴν *introduxerunt, id eſt, quemadmodum illam definiebat Chryſippus, apud Ciceronem, vim quamdam cognoſcentem, & videntem, & explicantem ſigna, quae a diis hominibus portenduntur, quibusue praenoſci poſſit, qua ipſi erga homines mente ſint, quidue ſignificent. Ab hac enim cognitione & praenotione rerum futurarum, qua deorum ſacerdotes dolis ſuis occultis mortalium vota in ſui admirationem conuertebant, factum eſt demum, vt philoſophi, quibus velut a natura inſitum eſt, vt numquam ſollicite curent, an res, quemadmodum ab incautis, & plerumque fraudulentis hominibus refertur, ita ſe habeat, ſed tantum quibus de cauſſis ita ſe habeat, aut, quod idem eſt, vt facile de effectu, numquam fere de cauſſa conueniant, cum viderent id, quod etiam Seneca praeclare deprehendit, fortuita & ſine ratione vaga diuinationem non admittere, quoniam, vt inquit Nemeſius, contingens infinitum eſt, infinitum autem incognitum; propterea in hanc opinionem deuenerunt, quod eius rei ſolummodo praedictio eſſe poteſt, cuius eſſet ordo ſempiternus; ex eoque neceſſitatem finxerunt, ſiue caſum dicas, aut Adraſtiam & εἱμαρμένην, quae ordinis illius perpetui, & implexa e rerum omnium ſeriei cauſſa eſſet; in quaeſtion. de fato, & fatali vitae termino*, quae inter *quaeſtiones* eius *iatro-philologicas* quinta eſt, *p. 189. & 190.* Haec vero licet & erudite dicta ſint, & ſpecie non careant, non tamen extra omnem poſita ſunt dubitationem. Non enim video, cur non prouidentiam potius aeque facile inde colligere liceat, quam fatum, ſeu abſolutam neceſſitatem. Mihi opinionis iſtius de fato, ſeu fatalitate, origo, paullo altius, & ex ipſa quidem naturae humanae indole repetenda videtur. Sunt enim homines, vt alibi ex inſtituto docetur, ſecundum naturam ſpectati, in duplici diſcrimine. Alii, per ſummam animi leuitatem, ad ſecuritatem proni, facile, vt antea obſeruauimus, adducuntur, vt ſibi perſuadeant, nullam dari prouidentiam, ſed cuncta caſu fortuito euenire. Alii autem, ad ſeueriorem, ſtrictioremque vitam proni, & profundiori meditatione cuncta ponderantes, cum vitam ſerio ad legem componere volunt, animaduertunt, id non aeque ex voto procedere, ſed maiorem eſſe vim peccati, quam vt ſolis natu-

rae viribus ſuperari queat. Tales cum etiam inter ethnicos eſſent, qui & veram, vt malorum omnium, ita & peccati originem ignorabant, fieri aliter vix poterat, quam vt aut ad abſolutam aliquam fatalitatem, aut ad principium aliquod mali independens, prolaberentur; ſi modo non Deum ipſum peccati auctorem facerent. Vt adeo iſta, quae Pelagianiſmo oppoſita ſunt, extrema, Manichaeiſmus, & fatum Stoicum, errorque illorum, qui Deum peccati auctorem facit, ex vno eodemque fonte originem ducant. Cum vero etiam ſubinde quaedam eueniant, quorum cauſſam ignoramus, & quae euitari non potuiſſe exiſtimamus, haec accedere poterant, vt primi auctores fati eo magis in ſua ſententia confirmarentur.

Iam ad adſertores fati quod attinet, primo loco ſeſe inter ipſos Iudaeos offerunt Phariſaei. His enim inter alia FL. IOSEPHVS tribuit, quod fato, & prouidentia Dei res omnes geri adſeuerauerint, ſecus ac Sadducaei: εἱμαρμένῃ τε καὶ θεῷ προσάπτουσι πάντα. *fato & Deo omnia tribuunt, & facere iuſta, vel ſecus, plerumque in hominum poteſtate eſſe putant, ſed ad ſingula adiuuare etiam fatum; l. 2. de bello iudaico c. 7.* conf. & *l. 3. antiquit. iudaic. c. 9.* & *l. 18. c. 2.* Non vna equidem, eademque ſemper ratione hac de re loquitur IOSEPHVS, dum aliquando omnia eos fato tribuiſſe dicit; aliquando, in quibusdam, non in omnibus illud admiſiſſe. Id tamen eum velle, haud obſcure patet, Phariſaeos ita fatum ſtatuiſſe, ne hominis voluntatem omni prorſus libertate priuarent. Dubitari etiam poſſe, an eorum ſententiam voce εἱμαρμένη *fatum*, recte expreſſerit? obſeruatum, in *hiſtoria eccleſ. vet. teſtam. tom. 2.* ad *per. 1. ſect.* 7. §. *18. p. 1202.* Inter Graecorum philoſophos Heraclitus primum occurrit; quem fatum aliquod admiſiſſe, conſtat: de quo a me dictum, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 1.* ad *§. 20. p. 82.* Cumprimis autem hoc nomine celebrantur Stoici, quorum dogma characteriſticum illud de fato fuit. Nec neceſſe eſt, vt teſtimoniis hocce comprobem, cum hac de re nemo dubitet, & factum etiam hoc a me ſit, in *diſſert. 3. de erroribus Stoicorum in philoſophia morali §. 7.* in *analect. hiſt. philoſoph. p. 178.* M. AVRELIVS ANTONINVS imperator & philoſophus, illud *ſacri nodi* (σύνδεσις ἱερά) nomine deſignat, referendo ſe ad nodum Herculis, vel Iouis catenam Homero memoratam, *de ſe ipſo ad ſe ipſum, lib. 7. §. 7.* Licet autem Stoici ſemper *fati* nomen in ore haberent, non tamen ſatis ipſimet, quidnam eo intelligerent, explicare poterant. Ineluctabilem enim qui dicit neceſſitatem, ordinem immutabilem, aut ſimile quid, nihil tamen, quod intelligi queat, dicit, niſi cauſſam adferat, vnde ineuitabilis illa neceſſitas proueniat. Hanc autem Stoici eo minus adferre poterant, quod Deum ipſum fati legibus ſubiicerent, quemadmodum M. AVRELIVS ANTONINVS, res indicaturus, quae *ſacro nodo* colligatae inter ſe, atque connexae ſint, Deum ceterasque mundi partes nominat; *l. c.* Non ſatis tamen ſibi hac in re conſtabant, dum quidam fatum a Deo diſtinguebant, alii autem fatum & Deum vnum idemque eſſe tradebant; conf. DIOGENES LAERTIVS, *l. 7. ſect. 136.* & CICERO *de natura deor. l. 1. c. 15.* IVSTVS equidem LIPSIVS excuſare Stoicos adnititur, eorumque effata in meliorem interpretari partem, ac ſi per fatum diuinam intellexerint prouidentiam, aut ſaltem fatum eiusmodi quid ſit, quod ex diuina prouidentia fluat; in *phyſiolog. Stoic. l. 1. diſſert. 12. p. 25. ſeq.* Sed reprehenditur hoc nomine, & merito quidem, a IAC. THOMASIO, qui & Stoici fati malignitatem ex inſtituto demonſtrat, & non ſine ratione de eo ita pronuntiat: *Fatum Stoicorum, ſi receſſus eius intimos ſeruteris, impietatum ſentina eſt. Adimit enim homini libertatem, omnipotentiam Deo; de exuſtione mundi Stoica, diſp,*

13. p.

13. p. 166. De Platone, an, & quouſque fatum aliquod admiſerit? viri docti, immo ipſi Platonici, inter ſe diſſentiunt, vt apud NAVDÆVM videre licet, *loco* antea *citato, §. 28. p. 270.* qui & *§. 15. p. 202.* de Ariſtotele diſquirit, cum *fatum* aliquod *phyſicum* admiſiſſe, oſtendens; quod cum illorum ſententia, qui, Ariſtotelem diuinam prouidentiam negaſſe, adſerunt, minime pugnat.

Ab ethnicorum autem philoſophis in ipſam quoque eccleſiam chriſtianam haecce ſententia tranſiit. Et VINCENTIVM quidem LERINENSEM ſi audiamus, ipſe hic commemorandus veniet Simon magus, quippe quem docuiſſe adſerit, *quod Deus omnium ſcelerum, & flagitiorum cauſſa ſit, quippe qui manibus ipſe ſuis hominum naturam talem creauerit, quae proprio quodam motu, &* NECESSARIÆ VOLVNTATIS *impulſu nihil aliud poſſit, nihil aliud velit, niſi peccare, eo quod furiis omnium vitiorum exagitata, & inflammata, in omnia turpitudinem barathra inexhauſta cupiditate rapiatur; commonit. c. 34.* Sed cum Simon iſte inter illos referatur, qui duplex principium independens ſtatuerunt, ſententia eius eo modo, quo hoc VINCENTIVS facit, proponi nequit. Rectius ex *Iac. I, 13.* colligitur, in eccleſia apoſtolica fuiſſe, qui Deum auctorem peccati facerent; cum apoſtolus iſtum errorem ibi diſerte profliget. Vix autem aliunde, quam ex hypotheſi de abſoluta quadam neceſſitate iſte prouenire potuit. Cumque iidem auctores & fatum aliquod aſtrologicum admiſiſſe videantur, & illud idem apoſtolus reiicit; *v. 17.* conf. BVLLVS, *harmoniae apoſtol. Iacobi & Pauli diſſert. 2. c. 15.* Qui duplex aliquod principium inter haereticos veteres ſtatuebant, quod & Simon magus feciſſe dicitur, aut materiam pro cauſſa omnis mali habebant, non poſſunt non, iuxta ea, quae antea obſeruauimus, huc referri. Vix enim alia iſtius erroris ratio adferri poteſt, quam quod homines fatali quadam neceſſitate ad peccandum compelli arbitrarentur, cauſſam autem iſtius rei ipſi Deo tribuere nollent. Quo quidem pacto & Hermogenes hic locum inveniet, qui materiam, ceu principium aeternum, non aliam magis ob cauſſam Deo adiunxit, quam, quod huic originem mali tribuere nollet, vt diſerte TERTVLLIANVS teſtatur, *aduerſus Hermogenem, tom. 1. oper. p. 266.* Solet & Bardeſani, qui ceteroquin Valentinianis adnumeratur, haec ſententia tribui, quod fatum aliquod adſeruerit. Immo, AVGVSTINVS auctor eſt, eum, cum in reliquis cum Valentino faceret, *hoc de ſuo addidiſſe, vt fato adſcriberet conuerſationes hominum; de haereſib. c. 35.* Sunt vero, qui erraſſe hac in re Auguſtinum exiſtimant, deceptum forte titulo libri, quem Bardeſanes de fato ſcripſit; quibus & ipſe calculum meum adieci, in *diſſert. de haereſi Valentiniana §. 18. p. 513, 514.* Atque hi hoc maxime vrgent, quod praeter Auguſtinum, nemo veterum de Bardeſane eiusmodi quid memoriae prodiderit. Defendunt tamen alii Auguſtinum, atque obſeruant, a Diodoro Tarſenſi etiam Bardeſanem iſtius erroris argui, apud PHOTIVM, *cod. CCXXII.* conf. ITTIGIVS, in *adpendice ad diſſert. de haereſiarchis §. 87. p. 64.* De Marcionitis, atque Manichaeis, vtpote duorum principiorum adſertoribus, quid ſentiendum ſit, ex antea dictis patet. In horum vero locum, mutata quodammodo ſcena, ſucceſſerunt deinceps Praedeſtinatiani, & qui cuncta ad abſolutum aliquod Numinis referebant decretum. Nimirum, qui abſurda, quae ex Manichaeorum fluebant ſententia, perſpiciebant, & nihiloſecius hominem omni prorſus libertate priuabant, malique illi incumbentis grauitatem nimis exaggerabant, non poterant non tandem ad decretum aliquod abſolutum ſe recipere, adeoque hoc ipſo fatum aliquod

quod ſub alio nomine iterum introducere. Idque ab iis cumprimis factum, qui Pelagianis ſeſe erroribus opponentes, ad alterum extremum, vt fieri adſolet, declinarunt. Qua de re ſuo loco ex inſtituto. Atque hinc ipſae quoque Pelagianae controuerſiae ſcholaſticis, qui deinceps ſucceſſerunt, doctoribus itidem occaſionem inter ſe diſſentiendi praebuerunt, nonnullis ad alterum, ad alterum aliis propius accedentibus extremum. IO. DVNS SCOTI, a quo Scotiſtarum familia in hocce grege originem ducit, haec fertur ſententia: *Quidquid Deus operatur, circa creaturas, operatur beneplacito voluntatis ſuae, vt ſuper hoc non ſit aliqua ratio, vel cauſſa petenda.* Praeterea, cum BONAVENTVRA *praeſcientiam fieri* diceret *per ideas*, THOMAS DE AQVINO per *actualem rerum omnium exſiſtentiam in aeternitate*, SCOTVS atque DVRANDVS per *liberam voluntatis determinationem* eam fieri contenderunt. Atque haec ipſa eſt ſententia, quam Dominicani deinceps amplexi ſunt; quae, vt omni prorſus libertate hominem priuat, ita ſimul fatalem quamdam neceſſitatem introducit. Atque hanc reformatae etiam eccleſiae doctoribus plerisque atque praecipuis ſeſe probaſſe, notum eſt; quorum nonnulli & eousque progreſſi ſunt, vt adſererent, *prouidentiam Dei neceſſitatem omnibus cauſſis ſecundis, & effectis imponere, & reſpectu cauſſae primae omnia immutabili neceſſitate euenire, omnia fieri ex decreto abſoluto, etiam peccata, &c.* Conferenda quae hanc in rem collegit CALOVIVS *ſyſtem. theol. tom. 3. art. 6. c. 1. p. 1150.* Sic & ex recentioribus NIC. GVRTLERVS, *fatum*, inquit, *admittamus, quatenus eſt ſententia, quam libere fatus eſt Deus, de omnibus & ſingulis mundi euentibus, ſapienti rectoris ſupremi ordinatione ſecum inuicem colligatis; inſtit. theologic. c. 16. §. 91. p. 401.* Talem vero eum ſententiam, ſeu decretum Numinis intelligere, quod cum hominis libertate conſiſtere nequeat, facile colligas ex iis, quae §. 59. p. 397. adſeruit: *Si prouidentiam Dei cum libertate hominis conciliare nequimus, cogitandum eſt, & ipſum Dauidem huius rei cognitionem rapuiſſe in admirationem: & multa ſimul conſiſtere, quae finita mente componere haud poſſimus.* Ceterum auctores, qui tum ex veteribus, tum recentioribus, de fato ſcripſerunt, ex inſtituto recenſet PET. FRID. ARPE, in *theatro fati, ſiue notitia ſcriptorum, de prouidentia, fortuna, & fato.*

§. LVII. Media vero inter hoſce ſcopulos via, vt tutiſſima & optima, rationique pariter ac ſcripturae ſacrae eſt conueniens; ita omni tempore a ſapientiſſimis viris adprobata, hinc & defenſa ſemper ac propugnata fuit, &, per varia licet fata, in eccleſia ad noſtram vsque aetatem propagata. *

* Veram de creatione doctrinam vniverſa eccleſia chriſtiana ſemper profeſſa eſt, atque profitetur, quando numquam non illud *ſymboli*, quod vocant, *apoſtolici*, repetit: *Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem caeli & terrae.* Hiſce namque verbis primo ſignificatur, illum Deum, qui eſt creator caeli & terrae, vnum ſaltem, ſeu vnicum eſſe; quod adeo & diſerte in *ſymbolo Nicaeno* exprimitur: *Credo in vnum Deum.* Atque id TERTVLLIANVS confirmat, quando regulam fidei eſſe ait, *qua creditur, vnum omnino Deum eſſe, nec alium praeter mundi creatorem; de praeſcript. p. 73.* Et alibi, credendum eſſe, dicit, in *vnicum Deum, omnipotentem mundi conditorem; de virginib. vel. pag. 84.* Pari ratione & ORIGENES fidem catholicam, Marcionitarum erroribus oppoſitam, expoſiturus, ἕνα θεὸν, inquit, καὶ

κτίστην

κτίςην καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων ἕνα πεπίςευκα. *credo in vnum Deum, omnium creatorem atque cauſſam; dialog. contra Marcionit. ſect. 1. p. 3.* conf. & CYRILLVS Hieroſolymitanus, *catecheſi 6. p. m. 85. ſq.* Valentinianorum nimirum hac ratione proſternebantur errores, qui, dum triginta aeones ſtatuebant, totidem introducere deos videbantur; de quibus a me ex inſtituto dictum, in *diſſert. de haereſi Valentiniana.* Simul tamen Cerdonianis, Marcionitis, ceterisque omnibus, qui duo rerum principia ſtatuebant, haec oppoſita erant. Cum vero idem ille verus Deus etiam *pater*, & quidem *omnipotens*, dicatur; priori quidem voce non tantum verum illum Deum rerum omnium eſſe fontem, atque originem, ſed praecipue, eumdem Deum, caeli terraeque conditorem, non alium eſſe, quam patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, indicatur. De voce *omnipotens* autem nonnulli obſeruant, ea & infinitam Dei potentiam, & prouidentiam quoque, atque immenſitatem, ſignificari. Quod, vt non negauerim, ita infinitam eius potentiam hic vel maxime in cenſum venire, exiſtimo. Haec vero in eo praecipue ſe exſeruit, atque demonſtrauit, quod Deus mundum ex nihilo creauerit, itemque, quod nullius opus habuerit in mundi creatione auxilio. Eos itaque hocce verbum ferit, qui Deo materiam adiungebant, quorum inde ortum errorem ſupra docuimus, quod crederent, Deum non poſſe ex nihilo facere aliquid. Quo ipſo in omnipotentiam diuinam erant iniurii. Ferit ſimul eos, qui Deo angelos in mundi creatione adiungebant, aut, mundum per angelos conditum adſerebant, vt Simon, Menander, Saturninus, & alii, quos ſupra iam ad *§. 54.* notauimus. Idem vlterius confirmatur, dum Deus, *creator caeli & terrae* dicitur. Creatio enim non alia apud veteres chriſtianos intelligebatur, quam, quae productionem ex nihilo ſignificat. *Caeli* autem, & *terrae* nomine res omnes huius vniuerſi, materiales & immateriales, viſibiles & inuiſibiles donotantur; vt illi adeo iterum redarguantur haeretici, qui res materiales ab angelis productas ſtatuebant, quos itidem Paulus *Coloſſ. I, 16.* atro notat lapillo. Hinc & in ſymbolo Nicaeno hoc ita exprimitur: *factorem caeli & terrae, viſibilium & inuiſibilium.* Quae diximus hactenus in compendio, fuſius edifferit auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtol. cum obſeruat. eccleſiaſt. & critic. c. 2. §. 13. ſeq. p. 51. ſeq.* Simul tamen intelligitur, per hancce totius eccleſiae chriſtianae confeſſionem non tantum atheos, ſed & gentilium philoſophos, omnesque eos, qui materiae aeternitatem adſerunt, vel alio quocumque modo gloriae creatoris detrahunt, reiici, atque damnari. Non minus vero & alterum illud extremum, quando gloria creatori debita per turpiſſimam idolatriam rebus creatis defertur, exploditur atque improbatur.

Iam ad angelos, ſeu ſpiritus finitos atque creatos, eosque ab anima hominis diuerſos, quod attinet, eorum exſiſtentiam non chriſtiani modo doctores, ſed Iudaei quoque, ſi a Sadducaeorum atque Samaritanorum turba diſceſſeris, immo ethnicorum philoſophi, magna vtique conſenſione confirmant. Nec inter veteres haereticos quisquam fuit, qui hoc in capite a catholicae eccleſiae ſententia diſcederet, vti ſupra iam obſeruauimus. Rurſus tamen non haereticos modo, ſed plurimos etiam patres ex orthodoxorum numero error iſte inuaſit, quod corporibus angelos conſtare arbitrati ſunt; ſed iisdem aetheriis, ac ſubtilibus, quae nihil, quo minus ſpiritus adpellentur, prohibere poſſet. Quam quidem ſententiam ex ſchola Platonica eos accepiſſe, non eſt quod dubitemus. Et IVSTINVS quidem martyr adeo corpore praeditos eſſe angelos putat, vt

vt ali etiam illos, veſcique in caelo velit, ignoto nobis & inuſitato ciborum genere, cuiusmodi manna fuit, quod Iudaeis in deſerto pluebat e caelo; in *dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. m. 171.* edit. quae Londini anno 1719. prodiit. Immo, idem IVSTINVS angelos, inferiori huic mundo praepoſitos, cum mulieribus ſtupri habuiſſe conſuetudinem, ex eoque ſatu procreatos fuiſſe daemones, autumat; *apol. 2. p. m. 11.* edit. quae Londini an. 1703. prodiit. Quam quidem ſententiam etiam ATHENAGORAS, IRENÆVS, CLEMENS Alexandrinus, TERTVLLIANVS, LACTANTIVS, aliique, calculo ſuo adprobarunt. Vnde & eo minus dubitari poteſt, quin angelos, daemonesque corporeos crediderint. Memoratu dignum, quod ex IOANNE, epiſcopo Theſſalonicenſi, in ſynodo Nicaena ſecunda hunc in modum recitatum eſt: *de angelis, & archangelis, & eorum poteſtatibus, quibus & noſtras animas adiungo, ipſa catholica eccleſia ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes, & inuiſibiles, vt vos gentiles dicitis, verum, tenui corpore praeditos, & aërio, ſiue igneo, vt ſcriptum eſt: qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros eius ignem vrentem. Sic autem multos ſanctorum patrum ſenſiſſe cognouimus, quorum eſt Baſilius, cognomento magnus, & beatus Athanaſius, & Methodius &c. act. V. p. 797.* Sed non eſt neceſſe, plura addere, cum nemo temere tam hoſpitem ex antiquitate retulerit animum, qui iſta ignoret. Si quis tamen plura hac de re velit, is PETAVIVM adeat, *dogmat. theolog. tom. 3. l. 1. de angelis c. 2.* HVETIVM, *Origenian. l. 2. c. 2. qu. 5. §. 8. p. 71.* NIC. LE NOVRRY, *diſſert. in Tatianum c. 2. §. 3.* Haec autem, cum non tantum falſa ſit opinio, ſed aliis, iisque graviſſimis erroribus occaſionem praebeat; merito deinceps ad ductum ſcripturae ſacrae emendata fuit. Recte contra iidem veteris eccleſiae doctores cenſuerunt, dum negarunt, angelos bonos cultu religioſo proſequendos eſſe; idque ad exemplum Pauli *Coloſſ. II, 18.* Certe, quam procul veteres ab ea ſententia, quae deinceps Romanam eccleſiam inuaſit, abſuerint, vel ex Smyrnenſis eccleſiae epiſtola, de martyrio Polycarpi, ad eccleſias Ponti ſcripta, intelligitur, quae apud EVSEBIVM exſtat, *hiſt. eccleſ. l. 4. c. 15.* Diſerte enim ibi haecce eccleſia negat, ſe alium quemquam, praeter ſeruatorem, adorare. Τοῦτον γὰρ, inquit, υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν. τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ κυρίου, καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου, τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ μαθητὰς γενέσθαι. *Illum enim, qui Dei filius eſt, adoramus: martyres autem, vt diſcipulos, & imitatores domini, propter incredibilem eorum beneuolentiam, quam in proprium regem atque magiſtrum declarauerunt, merito amplexamur, quorum nos cum in pietate diſcipulos, tum conſortes in gloria fore, optamus.* Solum ergo Chriſtum, non martyres, adeoque neque angelos, ſe colere, atque adorare, integra haec eccleſia a Polycarpo, Ioannis euangeliſtae ac apoſtoli diſcipulo, inſtituta, diſerte profitetur. Immo, paullo ante in eadem epiſtola haecce eccleſia dixerat, ſe οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν, *neque alium quemquam colere*, praeter Chriſtum. Non minus vero illuſtre eſt illud IRENAEI teſtimonium: *Nec inuocationibus angelicis facit aliquid*, (eccleſia) *nec incantationibus, nec reliqua praua curioſitate: ſed munde & manifeſte orationes dirigentes* (aut potius *dirigens*) *ad dominum, qui omnia fecit, & nomen domini noſtri Ieſu Chriſti inuocans; lib. 3. adu. haereſ. c. 58.* Sic & TERTVLLIANVS angelorum cultum ceu idololatriam damnat: *Simonianae autem magiae diſciplina, angelis ſeruiens, vtique & ipſa inter idololatrias deputabatur, & a Petro apoſtolo in ipſo Simone damnabatur; de praeſcripſit. adu. haeret. c. 33.* Simonianos namque

que, quod mundum huncce ab angelis conditum adſererent, eo deueniſſe, vt illos adorarent, ſupra iam nobis obſeruatum eſt, ad *ſ. 33.* Cumprimis & ORIGENES ex inſtituto id agit, vt doceat, angelos neutiquam eſſe adorandos; *l. 5. contra Celſum p. m. 239.* & *l. 8. p. 416.* Hiſce & ATHANASIVM & LACTANTIVM & AVGVSTINVM, aliosque, addere poteram, niſi res iſta prorſus in aprico poſita eſſet. De *canone 35.* concilii Laodiceni, in quo cultus angelorum damnatus fuit, ſupra itidem ad *ſ. 33.* & *55.* iam diximus. Plura tamen qui & hic deſiderat, IO. GER. VOSSIVM adeat, *de origine & progreſſu idololatriae, l. 1. c. 9. p. 25. ſq.* & DALLÆVM, *de obiecto cultus religioſi, l. 3. c. 33.* & *34. p. m. 540. ſeq.* Qui autem malos angelos, ſeu daemones, coluerunt, aut eorum quacumque ratione ad aliquid obtinendum abuſi ſunt opera, non tantum ab omnibus, qui ſcripturae ſacrae admiſerunt auctoritatem, ſed iis quoque, qui rectae rationi iuſtum ſtatuerunt pretium, ceu impii, mortaliumque perditiſſimi, fuerunt reiecti. Et ſcripturae ſacrae quidem quibus vlla eſt veneratio, aliter ſentire nequeunt, cum Deus ipſe eiusmodi homines nulla ratione in gente Iſraëlitica tolerari voluerit; *Leuit. XX, 27. Deuter. XVIII, 10.* quemadmodum & artes magicae inter grauiſſima referuntur crimina; *1. Sam. XV, 23.* In veteri quoque eccleſia chriſtiana haeretici quidam, vt ipſe Simon haereſiarcha, atque Marcoſii, qui ex Valentinianorum erant numero, non alio magis nomine male audiebant, quam quod magicas adhibere artes crederentur. Quo pacto deinceps canonibus conciliorum, variisque legibus, huic crimini obuiam itum ſit, ſupra iam obſeruauimus. Nec aliter etiam ſentire poſſunt, qui vel ipſum rationis lumen conſulunt. Ethnicorum equidem alia erat ratio, quippe qui, errore quamuis turpiſſimo deluſi, exiſtimabant, bonos angelos certa ratione ſe conciliari ſibi poſſe; id vero cum exorta per chriſtianorum doctrinam luce clariori, nemo ſibi amplius perſuaſurus ſit, non poteſt non, vel ipſa ratione iudice, cenſeri, malignorum ſpirituum vti opera atque miniſterio velle, ſummum eſſe atque deteſtandum ſcelus. Poſtquam etiam paullo adcuratius, quid ſpiritus ſit? innotuit; nemo, niſi qui omnem rationis vſum amiſit, crederet, ritibus, caerimoniis, verbis, characteribus, aliisq; rationibus flecti ſpiritus ad obſequium, aut omnino cogi poſſe. Quidquid ergo faciunt, libere faciunt, vt homines in ſuperſtitione ac impietate confirment. Vnde iterum, quam graui ſcelere homines, qui eiusmodi quid moliuntur, ſe obſtringant, patet. Haec omnia autem copioſius demonſtrant, qui ſubinde ſcriptis ſuis artes magicas impugnarunt; de quibus hic dicendi locus non eſt; conf. quae dixi ad *ſ. 55.*

De prouidentia denique vt multa addamus, neceſſe non eſt. Totus orbis, quacumque patet, & omnes res creatae, vnico veluti ore clamitant, Deum omnia benigne atque ſapienter dirigere. Hinc & fieri aliter non potuit, quam vt conſtanti & continua ſucceſſione haec quoque doctrina ad nos transmitteretur. Epicuraeis plurimi ex ipſis gentilium ſeſe oppoſuerunt philoſophis, etſi nonnulli incaute in alterum extremum procurrerent. Inter chriſtianos variae quidem exortae ſunt haereſes; ſed fuiſſe quamdam, quae diſerte prouidentiam diuinam negaret, omniaque caſui aut fortunae tribueret, mihi non conſtat. Et fieri hoc non potuit, quin ſtatim omnis religionis, multo magis chriſtianae, fundamenta concuterentur penitus, atque labefactarentur. Hoc, quod ſupra etiam obſeruatum, recte confirmat CLEMENS Alexandrinus: ἧς (προνοίας) ἀναιρεθείσης, μῦθος ἡ περὶ τὸν σωτῆρα οἰκονομία φαίνεται. *qua (prouidentia) ſublata, ſeruatoris oeconomia fabula eſſe videtur; ſtrom. l. 1. p. m. 347.* edit. POTTERI. Immo, alibi idem CLEMENS, eos, qui prouidentiam diuinam negant, non refutatione, ſed poena dignos eſſe, pronuntiat: ἔστιν δὲ ἃ καὶ κολάσεως ἄξια

ὁποῖόν ἐστιν τὸ αἰτεῖν ἀποδείξεις, εἰ πρόνοιά ἐστι; *Sunt etiam quaedam* (quaeſtiones) *dignae, quae puniantur, cuiusmodi eſt, quaerere probationes, an ſit prouidentia? l.5. ſtrom.p. 646.* Quae quidem cum ita ſe habeant, omnino in hocce doctrinae capite, non tantum ad eccleſiae, ſed & totius humani generis, paucos ſi exceperis atheos, atque Epicureos, teſtimonium prouocare licebit. Qui vero ad alterum extremum prolapſi, fatum aliquod, ſeu fatalem neceſſitatem introduxerunt, plures equidem non tantum inter ethnicos, ſed & ipſos chriſtianos nacti ſunt ſectatores, atque defenſores; idque eo magis, quod haec ſententia ſub ipſo prouidentiae, aut decretorum diuinorum ſplendido nomine incautos falleret. Longe tamen plures exſtitere, qui huic errori ſe omni tempore oppoſuerunt, cumprimis in eccleſia chriſtiana, vbi primo quidem contra Marcionitas ac Manichaeos, ceteroſque duorum principiorum adſertores; (quorum errorem cum doctrina de fatali quadam neceſſitate coniunctum fuiſſe, ſupra demonſtrauimus;) deinde contra Praedeſtinatianos veteres ac recentiores, acriter ſtrenueque pugnatum fuit. Cum autem, quae hac de re hic dici poterant, in ſequentibus, cum de origine mali, deque gratia, ac libero arbitrio dicendum fuerit, recurrant, immo, ex inſtituto ibidem tractanda ſint, hic nihil addimus.

§. LVIII. Ex eo, quod Deus omnia creauit atque conſeruat, ſua ſponte imperium fluit, quod ei in homines pariter ac ſpiritus, ceu rationis vſu pollentes, competit. Cum enim & quod ſint, & quod viuant, non minus ac omnia, quae habent, Dei vnice benignitati imputent, adeoque ab eo plane pendeant; facile intelligunt, Deo ius faſque eſſe, leges illis praeſcribendi, & ab illis exigendi, vt ad ipſius ſe componant voluntatem; *Ier. X, 7, 11, 12.* Cum vero Deo etiam potentia tanta ſit, cui nemo reſiſtere poſſit, ad plenum ei nihil deeſt imperium. * Oritur hinc obſequium, ad quod tum ſpiritus, tum homines, vtpote ratione gaudentes, ſunt obligati: ad quod etiam, ſi ſapiunt, tanto promtiores erunt, quanto maiora ſunt, quae per creationem a Deo acceperunt beneficia, & quo plures, quae eos ad hoc adducere debent, concurrunt cauſſae. ** Contenti porro ſint donis, a creatore benigniſſimo in eos collatis; *Eſ. XLV, 9.* nec iis ſe efferant, cum nihil habeant, quod non acceperint; *1. Cor. IV, 7. pſ. VIII, 5.* quin potius grato ſubinde, quae per creationem acceperunt, recolant animo; *pſ. CXXXIX, 14.* ſeque ipſos ad ſpem & fiduciam in Deo ſolo collocandam, creationis recordatione, excitent; *pſ. CXLVI, 5, 6.* Et ita efficere poſſunt, ne Deum poeniteat, quod homines fecerit; *Gen. VI, 6.*

* Duo enim ad imperium aliquod requiruntur, cauſſa iuſta, cur ab aliis obſequium exigimus, & potentia, reluctantes cogendi. Conferenda quae iam ſupra hac de re dicta ſunt, ad *part. 1. cap. 2. §. 12.*

** Imperio reſpondet ex parte inferiorum obſequium. Hinc eaedem cauſſae, quae imperanti facultatem praecipiendi, legeſque ferendi, concedunt, inferiores ſimul ad obſequium obſtringunt. Accedunt tamen & in obſequio, quod Deo debemus, aliae cauſſae; quas inter praecipua eſt, quod aeterna pariter, atq; ea, quae huius vitae eſt, felicitas, ſine iſto obſequio ſibi non conſtet.

§. LIX. Vt

§. LIX. Vt inter res creatas omnes ſpiritus, nullo cum corpore coniuncti, ſeu angeli, primum, praecipuumque locum tenent; ita maximum etiam potentiam, ſapientiamque Numinis concelebrandi nobis praebent argumentum; conf. *pſ. CIV, 4.* Erga bonos angelos noſtro etiam tum demum recte fungemur officio, ſi illorum imitemur virtutes, & in hacce vita incipiamus tales eſſe, quales aliquando erimus, ſi ſcopo noſtro non excidamus, *ἰσάγγελοι; Luc. XX, 36.* Quas quidem inter virtutes angelicas humilitas eminet, quam adeo illorum exemplum nobis egregie commendat; *Eſ. VI, 2.* Malorum autem angelorum eo nos facile adducet conſideratio, vt vitia eorum fugiamus; non alio, quam vt infenſos Dei hominumque hoſtes decet, eos habeamus loco; hinc & ab illorum nobis caueamus inſidiis; inſultibus autem eorum fide & precibus fortiter reſiſtamus; *1. Petr. V, 8. 2. Cor. II, 11. Ephеſ. VI, 11. ſeq.*

§. LX. Quemadmodum denique diuinae prouidentiae negatio proniſſima ad peſſima quaeuis via eſt; *ſap. II, 2. ſeq.* ita ſine vera eius, viuaque agnitione vera religio Numinisque cultus ſibi non conſtat. * Namque & fidem excitat, atque corroborat, &, vt in Deo ſolo fiduciam noſtram collocemus, efficit; *1. Petr. V, 7.* Efficit etiam, vt iis, quae nobis obtigerunt, ſimus contenti, & auaritiam, ceu radicem omnis mali, fugiamus; *Matth. VI, 25. ſeq. 1. Tim. VI, 10.* Efficit porro, vt res creatas, quarum opera Deus vtitur, non alio, quam inſtrumentorum loco habeamus, nec ea, quae ſoli Deo propria ſint, illis tribuamus. Efficit tandem, vt omnes, quae in ſtatu aut ciuili, aut eccleſiaſtico contingunt, mutationes, aequo feramus animo; cum certi ſimus, Deum omnia ad bonum finem dirigere.

* Secundum ea, quae ad *part. 1. cap. 1. §. 6.* alibique monuimus.

LIBRI SECVNDI CAPVT TERTIVM
DE BEATITVDINE HOMINVM, CETERISQVE, QVAE EO PERTINENT.

Σύνοψις.

Beatitudo hominum conſiſtit in eorum communione cum Deo, §. I.
Quae in hacce vita incipit, §. II.
in futura autem continuabitur, augebitur, & conſummabitur, §. III.
Idque ſpeciatim intuitu cognitionis noſtrae; cuius indicatur modus, §. IV.
obiectum, §. V.
Voluntatis quoque vel maxime huc ſpectat perfectio, inque ea amor, §. VI.
Vnde & perfectiſſima ſequitur cum Deo communio, itemque, imaginis diuinae perfecta reſtauratio, §. VII.
Voluptas porro, & ineffabile gaudium, §. VIII.
Corporum denique ſplendor, gloriaque, §. IX.
Quae de ſenſuum externorum delectatione dicuntur, cum grano ſalis ſunt accipienda;

 ſed

Digitized by Google

ſed & generatim in dogmatis huius explicatione caute verſandum, §. *X.*

Beatorum, & qua corporum claritatem & qua dona accidentalia, quaedam erit inaequalitas, §. *XI.*

Electorum beatitudini opponitur damnatorum miſeria, quae itidem in hac vita incipit, & ex defectu communionis cum Deo oritur, §. *XII.*

Hinc poenae illorum priuatiuae intelliguntur, §. *XIII.*

Poſitiuae poenae tum priuatiuis, tum iis, quae ex peccato naturaliter fluunt, opponuntur; eiusmodi poenas dari, probatur, §. *XIV.*

Poenae poſitiuae, praeſertim, quae priuatiuis opponuntur, qua mentem, tum ad intellectum, tum ad voluntatem ſpectant, §. *XV.*

Poenae poſitiuae intuitu corporis, quae indirecte ſimul ad mentem pertinent, §. *XVI.*

Poenarum infernalium gradus, duratio, locus, §. *XVII.*

Cauſſae damnationis, §. *XVIII.*

Tranſitus ad beatitudinem pariter ac aeternae damnationis ſtatum, fit per mortem temporalem, cuius itidem variae ſunt cauſſae, §. *XIX.*

Status animae pariter ac corporis poſt mortem, §. *XX.*

Vt corpus aeque ac anima recte aut ſecus factorum praemium aut poenam ferat, mortuorum futura eſt reſurrectio; hinc & animae cum eodem corpore, quod habuimus, coniunctio, §. *XXI.*

Omnes itaque, ſine diſcrimine homines, impii pariter ac pii, reſurgent, §. *XXII.*

De cauſſis reſurrectionis quid obſeruandum, §. *XXIII.*

Mortuorum reſurrectionem excipiet extremum iudicium, quod aliquando fore, ſcriptura diſerte teſtatur, §. *XXIV.*

Iudex generatim quidem Deus, qua omnes perſonas ſpectatus, ſpeciatim autem Chriſtus erit, magna cum gloria adpariturus; adſeſſores autem ſancti homines, §. *XXV.*

Indicabuntur omnes homines ſuper omnibus factis, dictis, cogitatis; ſententia autem intuitu fidei, & incredulitatis finalis feretur, §. *XXVI.*

Proceſſus iudicii iſtius, §. *XXVII.*

Locus, tempus, item, antecedentia & conſequentia, §. *XXVIII.*

Fontes errorum in doctrina de beatitudine & damnatione aeterna, §. *XXIX.*

item, in doctrina de morte temporali, reſurrectione mortuorum, & extremo iudicio, §. *XXX.*

Verae doctrinae conſeruatio ac propagatio, §. *XXXI.*

Quem in vitae chriſtianae praxi vſum habeat doctrina de aeterna beatitudine & damnatione, §. *XXXII.*

item, doctrina de morte temporali, reſurrectione mortuorum, & iudicio extremo, §. *XXXIII.*

§. I.

VTi Deus, quem hactenus qua eſſentiam & attributa, qua opera etiam in regno naturae ſpectata, conſiderauimus, ſummum hominum bonum eſt; * ita ſumma illorum felicitas, ſeu beatitudo, in *communione* cum Deo, quam & *fruitionem* vocant, conſiſtit. **

* Quod ad *c. 1.* libri huius §. *1.* ex inſtituto demonſtrauimus.

** Felicitas enim, ſeu beatitudo, in boni cuiusdam poſſeſſione conſiſtit. Hoc facile per inductionem probatur, ſi, eundo per exempla, quaeramus, cur homines aut ſe ipſos, aut alios, pro beatis reputent? Summa itaque illa, de qua hic ſermo eſt, beatitudo, non poteſt non in ſummi boni, quod ſolus Deus eſt, poſſeſſione conſiſtere. Quae quidem poſſeſſio ſine κοινωνίᾳ quadam eſſe nequit; qua voce ſcriptura ſacra beatitudinem

nem iſtam exprimit, *1. Io. I, 3.* Alias *fruitionem Dei* vocare ſolent, voce ex AVGVSTINO petita. Hic enim, cum diſcrimen, quod inter *frui* & *vti* intercedit, oſtendiſſet; *res igitur*, inquit, *quibus fruendum eſt, pater & filius, & ſpiritus ſanctus eſt, eademque trinitas vna quaedam ſumma res, communisque omnibus fruentibus ea &c. de doctrina chriſt. lib. 1. cap. 5.*

§. II. Quamprimum homo per veram fidem, quae cognitionem ſufficientem includit, cum Deo vnitur, communio etiam haecce cum eo, ſeu beatitudo, initium capit, *1. Io. I, 3.* Ex fide enim ſequitur amor Dei ſincerus, virtutes omnes, quocumque nomine veniant, complectens; *2. Pet. I, 5. ſq.* quemadmodum rurſus credentes a Deo ſe amari ſciunt, cuius quippe per fidem facti ſunt filii, *Io. I, 12.* adeoque & haeredes vitae aeternae, *Rom. VIII, 17.* Hinc manentes in amore Dei, manent in Deo, & Deus in iis; *1. Ioan. IV, 16.* ſimulque hac ratione in iis reſtauratur imago Dei, ad quam magis magisque transformantur, *2. Cor. III, 18.* Qua quidem ratione non poteſt non in iis eſſe animi magna tranquillitas, *Rom. V, 1.* gaudiumque; *Rom. XIV, 17.* etiam in ipſis calamitatibus, quas euitare prorſus nequeunt, *Rom. VIII, 36.* *

* Dubitari itaque nequit, quin credentes in hac etiam vita, ſeu, in ſtatu gratiae adhuc conſtituti, poſſint vocari beati, immo, reuera beati ſint; etſi beatitudo haec ſaltem inchoata ſit, non conſummata, eaque valde imperfecta, hinc & multis paraſangis a beatitudine, quae eſt futurae vitae, ſeu in ſtatu gloriae, diſtans. Adeſt enim in hacce quoque vita ipſum ſummum bonum, ſeu Deus, quem non tantum, pro ſtatu huius vitae, cognoſcunt, ſed & per fidem cum eo vniuntur, vnde & κοινωνία cum Deo, ſeu fruitio eius, & hinc porro amor Dei, ceteraeque virtutes; quae omnia, vbi adſunt, ipſam quoque beatitudinem adeſſe neceſſe eſt. Accedunt reliqua bona, quae ſtatum gratiae comitantur, liberatio a maledictione legis; *Rom. VIII, 1.* & *34. Gal. III, 13.* ab imputatione peccati, ſeu iuſtificatio; *pſ. XXXII, 1. 2. Rom. IV, 7. 8.* adoptio in numerum filiorum Dei; *Io. I, 12. Gal. IV, 26.* hinc & ſpiritus τῆς υἱοθεσίας; *Rom. VIII, 15, 16.* inhabitatio totius ſacro-ſanctae trinitatis, *Ioan. XIV, 23. 1. Cor. III, 16. c. VI, 19. 2. Cor. VI, 16.* Atque haec quidem ita comparata ſunt, vt ipſius etiam ſpiritus ſancti iudicio beatus cenſendus ſit, qui tot, tamque eminentibus cumulatus eſt bonis. Diſerte namque *beatus* vocatur, qui remiſſionem peccatorum a Deo impetrauit, *pſal. XXXII, 1. Rom. IV, 7.* Atque ſeruator ipſe *vitam aeternam*, hoc eſt, beatitudinem iam habere dicit, qui in illum credunt: *qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam aeternam &c. Ioan. VI, 54.* Immo, habent credentes in Chriſtum ipſum *regnum Dei*, quippe *quod eſt iuſtitia & pax, & laetitia in ſpiritu ſancto; Rom. XIV, 17.* conf. & *Matt. V, 3. ſq.* Nec obſtat, quod imperfecta ſit iſta beatitudo, itemque, quod occulta ſit, ſuumque nondum exſerat ſplendorem. Vera enim eſſe poteſt, licet ſit imperfecta: quemadmodum nemo negauerit, nos vero cognoſcere Deum, quamuis haec cognitio adhuc ſit imperfecta. Occulta quoque licet ſit, reuera tamen adeſſe poteſt: namque adeſt omnino, quod occultum eſt; quod & diſerte docetur *Col. III, 3. 4. 1. Ioan. III, 2.* Et licet non plene ſuum exſerat ſplendorem; ſufficit tamen, quod eodem non deſtituantur; quin potius ad imaginem Dei transformantur, & quidem ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *a gloria ad gloriam, 2. Cor. II, 18.* Ita autem in adſerenda iſta credentium in hac

 vita

vita beatitate verſandum eſt, vt neutiquam nimis extenuetur, nec tamen diſcrimen, quod inter eam, & beatitudinem in ſtatu gloriae intercedit, tollatur, vel eneruetur.

§. III. Atque haecce beatitudo, qua credentes in Chriſtum iam in hacce vita fruuntur, poſt mortem non tantum continuabitur; ſed augebitur etiam atque conſummabitur. Quae enim eam in hacce vita circumſtant imperfectiones, plane remouebuntur, vt illud ἐκ μέρους, *1. Cor. XIII, 9.* ceſſet, nihilque amplius ei addi queat; habita vtique naturae humanae ratione. *

* Longe itaque maior, eminentiorque erit beatitudo, quam adhuc in ſtatu gloriae exſpectamus, ea, qua credentes in hacce vita potiuntur. Idque eſt, quod Ioannes indicat, quando dicit: *nondum manifeſtum eſt, quod erimus, 1. ep. III, 2.* Ideoque & beatitudo iſta, ſeu vita aeterna, ceu ingens aliquod praemium, vel βραβεῖον rite in ſtadio currentibus; *Philip. III, 14.* itemque ceu corona, ita pugnantibus, vt & vincant, *2. Tim. II, 5. apocal. II, 10.* proponitur. De diſcrimine autem beatitudinis, quae huius, & quae futurae vitae eſt, quando quaeritur, num gradu ſaltem, an etiam ſpecie differat? diuerſa vocis diſtinguenda eſt acceptio. Si enim in ſtrictiori ſignificatione accipiatur, prout intuitiuam Dei cognitionem, amoremque ſummum, perfectiſſimumque, & reliqua, quae ſtatui gloriae propria ſunt, denotat; facile conceſſerim, ſpeciei eſſe, quod hic intercedit, diſcrimen, adeoque eos, qui in ſtatu gratiae adhuc conſtituti ſunt, hoc ſenſu nondum beatos dici poſſe. Cum autem nihiloſecius ſcriptura ſacra illis etiam, qui in ſtatu gratiae adhuc conſtituti ſunt, beatitudinem quamdam tribuat, vt antea oſtendimus; manifeſtum eſt, in latiori ſignificatione hancce vocem accipiendam eſſe: qua quidem ratione, quae huius & quae futurae vitae eſt, beatitudo, non ſpecie, ſed gradibus ſaltem differet. Eſt namque vtrobique idem obiectum, Deus, ceu ſummum bonum; eſt vtrobique ſummi huius boni fruitio. Non minus enim in hac, quam in futura vita Deum cognoſcimus, licet, quae futurae vitae eſt cognitio, perfectior ſit, immo, ſi modum ſpectes, quodammodo diuerſa ab ea, quae eſt huius vitae, *1. Cor. XIII, 12.* Non minus quoque Deum in hac vita amamus, quam in altera vita amaturi ſumus, licet perfectiori modo amaturi ſimus, quam nunc amamus. Iuſtitia, pax & laetitia in ſpiritu ſancto non minus in hanc, quam in futuram vitam quadrant, *Rom. XIV, 17.* Eadem itaque vtrobique eſt beatitudo, licet gradibus plurimum differat. Et ita quidem facili negotio haecce componi poterit controuerſia.

Ceterum, exſpectandum eſſe poſt hanc vitam eiuſmodi ſummae felicitatis ſtatum, in quo homines probi recte factorum accepturi ſint praemia, ipſa quodammodo nos docet ratio. Ex iuſtitia namque, atque prouidentia diuina hoc colligere libet. Cum enim viris probis, virtutique deditis, in hacce vita cum variis calamitatum generibus conflictandum ſit, cum improbis contra cuncta ex voto fluant; aut admittendum eſſet, Deum nullam rerum humanarum curam gerere, quod impium pariter atque abſonum foret, aut concedendum, recte factorum praemia, poenasque peccatorum, poſt hanc vitam homines manere. Ceteroquin enim iuſtitiae diuinae ſibi non conſtaret ratio. Ethnicorum hinc etiam plurimos aeternam poſt hanc vitam agnouiſſe felicitatem, notum eſt; quamquam & per traditionem hac de re quaedam accipere potuerint. Teſtimonia eorum exhibent PFANNERVS, in *ſyſtem. theologiae gentilis purioris, c. 20. §. 19. ſq.* & HVETIVS, in *quaeſt. Alnetanis, l. 2. c. 24. p. 297. ſq.* In ſcriptura ſacra

ſacra autem, noui praeſertim inſtrumenti, tam ſaepe beatitudinis iſtius mentio inicitur, vt nemini, qui eius auctoritatem admittit, dubium vllum ſupereſſe queat. Diuerſis autem inſignitur nominibus. Subinde namque *vitae aeternae* nomine venit, eo quod felicitas illa ſumma, ſeu beatitudo, vitam aeternam electorum comitatur; *Matth. VII, 14. cap. XXV, 46. Ioan. III, 15. c. XVII, 3.* quandoque & *caeli*, vt locus felicitatis iſtius, pro re ipſa ponatur; *Matth. V, 12. Marc. X. 21.* aut *regni caelorum*, *Matth. V, 20.* Vocatur & βραβεῖον; *Phil. III. 14.* *corona* vincentibus deſtinata; *2. Tim. II, 5. apoc. II, 10.* *haereditas* ἄφθαρτος, ἀμίαντος & ἀμάραντος; *1. Petr. I, 4.* & quae aliae ſunt loquutiones eiusdem generis, quae rem ſimul extra omnem dubitationem ponunt. Nec in veteri teſtamento ignotum fuiſſe hoc dogma, vel ex *ep. Iudae v. 14.* intelligitur. Cum extremo enim iudicio non poteſt non coniunctus eſſe ſtatus & gloriae aeternae, & aeternae damnationis; conf. & *pſ. XVI, 11. Eſ. LXV, 17, 18. Dan. XII, 2. 3.* In explicanda autem iſta beatitudine aeterna, cuius notionem generalem iam tradidimus, ita verſandum, vt ex altera parte craſſiores hominum plebeiorum conceptus euitemus, ex altera autem τὸ καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης, *2. Cor. IV, 17.* recte repraeſentemus. Non enim ab omnibus hoc obſeruari, experientia docet.

§. IV. Non amplius itaque *ἐκ μέρους* Deum cognoſcemus, neque *δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι*, ſed *a facie ad faciem* eum videbimus; *1. Cor. XIII, 2.* immo, *videbimus eum ſicuti eſt*, *1. Ioan. III, 2.* Vnde colligere licet, ſine interuentu idearum, quas effectus ſuppeditant, adeoque immediate Deum nos cognituros; quam quidem cognitionem *intuitiuam* vocare ſolent: certe, tam perfectam eam fore, vt omnis *γνῶσις* multo ſtudio adquiſita, immo, ipſa etiam fides, prouti cognitioni intuitiuae opponitur, aut, quidquid in humana cognitione imperfectionem quamdam arguit, ab ea quam longiſſime ſit remouendum. *

* Cognitio haec, quae beatitudinis in ſtatu gloriae partem conſtituit, *viſionis* nomine in ſcriptura ſacra exprimitur. *Beati, mundi corde*, inquit ſeruator, *quoniam Deum videbunt*, *Matth. V, 8.* Et Paulus apoſtolus: *nunc per ſpeculum cernimus in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem*, *1. Cor. XIII, 12.* Et iterum: *ſine ſanctimonia nemo dominum videbit*, *Ebr. XII, 14.* Quibus denique & Ioannes ſuffragatur: *ſcimus, quod ſi adparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, *1. ep. III, 2.* Atque haecce quidem effata de mentis, non de corporis viſione, hoc eſt, de cognitione intellectuali, capienda eſſe, non temere quis abnuerit. Certe, vt mundities illa cordis, de qua loquitur ſeruator, *Matth. V, 8.* non corporis, ſed animae eſt mundities; ita & viſio illa Dei, quae eam ſequetur, non de corporis, ſed de animae viſione intelligi poteſt. Sic & cognitio illa imperfecta *per ſpeculum in aenigmate*, *1. Cor. XIII, 12.* citra controuerſiam intellectus, non oculorum corporis eſt cognitio: hinc &, quae ei opponitur, cognitio a facie ad faciem, non alia, quam intellectualis eſſe poteſt. Diſquiri etiam omnino ſolet, an oculis corporeis eſſentiam Dei viſuri ſimus? Quod licet nonnulli, iique minime contemnendi, viri ex noſtratibus adſerant, rectius tamen eos ſentire exiſtimo, qui hocce negant. Nullo namque idoneo ſcripturae teſtimonio probari hoc poteſt. Ad locum enim *Iob. XIX, 25. 26.* quod attinet, ibi viſionem Dei ad גאלי ſiue redemtorem referendam, manifeſtum eſt; qui, cum ſimul homo ſit, corpusque

que adeo humanum, etſi gloria caeleſti perfuſum, colluſtratumque habeat, oculis quoque corporis conſpici atque videri poteſt. Praeterea, cum Deus ſpiritus, & quidem infinitus ſit, quo pacto oculis corporis videri queat, nemo intelliget. Quod autem de oculis glorificatis, & ad eiusmodi perfectionem eleuatis, vt ſpiritum videre queant, dicitur, id eiusmodi eſt, vt itidem dubitem, an a quoquam capiatur. De intellectuali itaque cognitione cum ſcripturae dicta antea adlata loquantur, vlterius obſeruandum, per viſionem illam beatorum ſummam cognitionis perfectionem indicari. Quod cum itidem poſitum ſit extra dubitationem, illud ſaltem ſupereſt, qualis iſta cognitio futura ſit, & num ſpecie ſaltem, an gradu a cognitione huius vitae differat? Hoc autem vtcumq; diiudicare licebit, ſi eam, quae huius vitae eſt, cognitionem conſideremus. Haec vero ſi ad ſubſtantias referatur, duplici modo ſeſe habet. Vel enim ex effectibus ideas nobis formamus, quae ſubſtantiae cuiusdam naturam & attributa exhibeant; vel eamdem immediate, & in indiuiduo percipimus. Priorem cognitionem *abſtractiuam*, poſteriorem *intuitiuam* vocare ſolent. Deum itaque, cum in hac vita non aliter, quam per effectus cognoſcamus, manifeſtum eſt, eam cognitionem etiam eſſe *abſtractiuam*. Immo etiam ſpiritus generatim non aliter in hac vita cognoſcimus, quam abſtractiua iſta cognitione. Intuitiua autem cognitio in ſubſtantiis corporeis tantum locum habet, quippe quas immediate, ac in indiuiduo, & quidem per ſenſus percipimus; vnde & hoc intuitu *ſenſitiuam* vocare licet. Facile tamen aliquis in hanc ingredi ſententiam poſſet, eadem ratione, qua nos ſubſtantias corporeas percipimus, ac intuitiue cognoſcimus, etiam vnum ſpiritum alterum cognoſcere, quae cognitio *intuitiua intellectualis*, ſeu ſpiritibus propria, dici poſſet. Cum enim credibile non ſit, vnum ſpiritum alterum in indiuiduo non cognoſcere; non aliter, quam eiusmodi cognitione intuitiua intellectuali (quam ſenſitiuae hic opponimus) hoc fieri poteſt: etſi fatendum ſit, nemini mortalium indolem iſtius cognitionis exploratam eſſe, cum nemo eam in hac vita expertus ſit, aut experiatur. Cum vero in altera vita futuri ſimus ἰσάγγελοι, veroſimile admodum videtur, quod tum & homines iſta cognitione intuitiua non tantum angelos, ſed & Deum ipſum ſint cognituri. Atque hoc eſt, quod ex inſtituto ſibi demonſtrandum ſumſit vir clariſſimus C. A. HEVMANNVS, in *meditatione, de modo, quo viſuri ſumus Deum in vita aeterna*, quae in *actis erud. Lipſ.* exſtat *an. 1714. menſe Mart. p. 108. ſeq.* Nec contemnenda eſt haec ſententia. Etſi enim ἰσαγγελία illa non adeo vrgenda ſit; cum non deſint, quae adhuc excipi queant, quod oſtendit auctor *obſeruationum* in hancce *meditationem*; in *bibliotheca nouiſſima obſeruationum, ſect. 6. n. 4. p. 265. ſq.* ſcripturae tamen dicta, quae hancce vitae aeternae cognitionem per *viſionem* deſcribunt, cognitionem quamdam, non modo cognitione huius vitae longe perfectiorem, ſed ab ea quodammodo diuerſam, innuere videntur; quod & ſpeciatim loquendi iſta ratio a Paulo vſurpata: *a facie ad faciem*, *1. Cor. XIII, 12.* haud obſcure confirmat. Quod ſi diuerſa eſt, nihil probabilius de eius modo dici poteſt: quamuis nihilominus iſte nobis in hac vita adhuc obſcurus ſit, quippe quem, vt antea iam monuimus, nemo mortalium eſt expertus. Quod enim myſtici quidam dicunt, ſe Deum intuitiue in hac vita cognouiſſe, aut eo, vt ita cognoſcant, peruenire poſſe; eiusmodi eſt, vt non temere cuiquam hoc ſint perſuaſuri. Iſta autem, de qua loquimur, cognitio, cum naturae, quantumuis perfectae, & in priſtinam integritatem reſtitutae, vires ſuperet, recte adſeritur, lumine quodam gloriae ad eam opus eſſe, qua Deus intellectum perfundit, & ad intuitiuam illam ſui cognitionem aptum reddit.

Vt

Digitized by Google

Vt enim in ſtatu gratiae lumen aliquod gratiae, quod obiectis ſpiritualibus cognoſcendis ſufficiat, requiritur, *1. Cor. II, 14.* ita & in ſtatu gloriae ſeſe res habet. Poteſtque de vtroque ſtatu intelligi, quod *pſalm. XXXVI, 10.* dicitur: *in lumine tuo videbimus lumen.*

§. V. Neque Deum tantum, tum qua eſſentiam, atque perſonas, tum qua attributa, ſeu perfectiones, ſed & qua opera adcurate, pro modo tamen & indole humanae naturae, cognoſcemus; adeoque & res plurimas extra Deum, eas praeſertim, quarum ad beatitudinem, omnibus numeris conſummatam, aliquid cognitio confert. * Neque ſpeculatiua mere, aut theoretica haec erit cognitio, quippe quae ſola hominem minime beatum redderet; ſed practica, & cum amore coniuncta, eumque & incendens magis magisque, & augens. ** Hinc vero & ſummam ſapientiam hominibus beatis nemo denegabit, quippe quae ex iſta intellectus perfectione, cui & voluntatis disſpoſitio reſpondet, non oriri nequit. ***

* Vt enim Deus, qua eſſentiam, & attributa, atque perſonas, itemque, qua opera ſpectatus, obiectum praecipuum eſt cognitionis noſtrae, in ſtatu gratiae, ita multo magis erit in ſtatu gloriae; ſed ita, vt haec omnia longe perfectius, & quidem vi luminis gloriae, cogniturі ſimus. Ea autem, quae a libera Dei voluntate dependent, eousque cognoſcemus, quousque aut a Deo fuerint reuelata, aut per effectus ipſos nobis innotuerint. Quantumuis enim perfecta futura ſit hominum in ſtatu gloriae conſtitutorum cognitio, non tamen erit infinita. Ceteroquin namque dicendi forent omniſcii; quod tamen ſoli Deo conuenit. Hinc & de rebus creatis quaedam ignorare poſſunt; conf. *Eſ. LXIII, 16.* Non enim credendum, praeſtantiorem fore beatorum hominum cognitionem ipſa cognitione angelorum; qui itidem quaedam ignorant; *1. Petr. I, 12. Marc. XIII, 32.* Nec tamen rurſus aliarum rerum, extra Deum, hominem praeſertim, & quidem eorum, qui eiusdem beatitudinis ſunt participes, illis deneganda eſt cognitio. Praeterquam enim, quod nulla adſit ratio, cur denegari debeat; eo magis potius illis adſerenda venit, quo inſignior ad beatitudinem eorum augendam inde fieri poteſt acceſſio, & quo vberius etiam laudes Dei celebrandi, eiusque amplificandi gloriam, inde enaſci poteſt argumentum.

** Cognitio vtique mere theoretica atque ſpeculatiua neminem beatum reddit. Poteſt enim aliquis miſerrimus eſſe, etſi praeſtantiſſima, accuratiſſimaque multarum rerum ſcientia ſit inſtructus. Hinc & in ſtatu gratiae ea demum veri nominis cenſetur cognitio, quae cum fide & amore eſt coniuncta, *Io. XVII, 3. 1. Io. II, 4.* Immo & ipſa Dei cognitio, qua & ſe ipſum, & res a ſe creatas cognoſcit, eodem modo eſt comparata, *2. Tim. II, 19.* Multo itaque magis & cognitio beatorum hominum talis erit, hoc eſt, practica, & ad Numinis amorem ſummum eosdem excitans. Idque etiam Paulus confirmat, quando de cognitione beatorum verba faciens, *tunc cognoſcam*, inquit, *quemadmodum cognitus ſum*, *1. Cor. XIII, 12.* Nimirum, cognitus a Deo ita erat, vt beneficiis ſimul ab eo cumulatus, vim amoris diuini experiretur; vnde & iterum Deum ſe cogniturum profitetur, perfecte quidem, ſed ea ſimul ratione, vt & ipſe ea cognitione ad vehementiſſimum

tiſſimum eius amorem impellatur.

***Vbi perfecta eſt cognitio intellectus, & ſumma ſimul ſanctitas voluntatis, non poteſt non conſummata inde effloreſcere ſapientia, vt alibi a me demonſtratur. Atque pertinet ſapientia iſta etiam ad imaginem Dei, cuius reſtauratio, vti in haece vita inchoatur, ita in futura conſummatur, perficiturque. Hinc & eminentiſſimo, perfectiſſimoque modo ibi conſpicietur, quo pacto Chriſtus nobis a Deo factus ſit *ſapientia*, *1. Cor. I, 30.*

§. Cognitio haecce Dei eo comparata eſt, vt, qua voluntatem, amor eius magis magiſque, ſemota itidem omni, quae in hac vita ei adhaeret imperfectione, incendatur, in quo praecipuum beatitudinis caput conſiſtit. Ex voluntate enim, aut recte, aut minus recte diſpoſita, omnis hominum aut miſeria, aut felicitas oritur. * Amor autem hicce, qui & omnes virtutes modo longe eminentiſſimo complectitur, non tantum tam ſtabilis & firmus erit,** vt numquam iterum ab eo homines dimoueri queant; *** ſed cum libertate, quae ſtatui beatorum conuenit, nec imperfectionem quamdam inuoluit, erit coniunctus. * Quod de amore diximus, & de *amore concupiſcentiae*, quem vocant, & *complacentiae* intelligi poteſt **

* Diſceptare inter ſeſe ſcholaſtici doctores ſolent, num beatitudo praecipua quadam ratione ad intellectum, an ad voluntatem pertineat? ſeu, quod perinde eſt, num in viſione Dei potius, quam eius fruitione, ſeu amore, conſiſtat? Nec mirum, eos hac in re diſſentire, ita vt alii pro intellectu, pro voluntate alii militent, eum & alias longe ſit frequentiſſimum, vt quidam plus intellectui, alii autem voluntati, tribuant. Recte ſentiunt, qui, vtramque facultatem concurrere debere, contendunt, ſi homo beatus dici debeat. Praecipua tamen quadam ratione in voluntate, adeoque & amore, beatitudinem conſiſtere, negari nequit. Cum enim beatitudo ſummi boni poſſeſſione, atque fruitione, abſoluatur, vti ſupra ad §. 1. docuimus, ſequitur, quod per voluntatem, ſeu amorem, praecipue reddamur beati; cum nemo intellectu Deum poſſideat, eoque fruatur, ſed voluntate, ſeu amore. *Frui* namque *bono*, vt recte AVGVSTINVS docet, nihil eſt aliud, quam *amore ei inhaerere propter ipſum; lib. 1. de doctrina chriſtiana, cap. 3.* Bona praeterea & mala proprie obiectum voluntatis conſtituunt; vt verum & falſum obiectum intellectus. Ex bonorum autem & malorum praeſentia, omnis felicitas & miſeria hominum oritur. Hinc & voluntas a quibuſdam haud inepte facultas ἀγαθοειδὴς *boniformis*, adpellatur. Cognitio praeterea omnis eo comparata eſt, vt voluntas ad bonum amplectendum, malum autem auerſandum, impellatur, quia hoc praecipue ad hominis felicitatem, ſeu beatitudinem pertinet. Vnde etiam, quod & antea iam obſeruauimus, ea demum cognitio recte ſe habet, quae voluntatem, prout decet, mouet. Quo ſenſu & Ioannes *eum, qui diligit, Deum recte cognoſcere*, pronuntiat, *1. ep. IV, 7, 8.* Idem porro mirifice hoc confirmat, quando beatitudinem praecipua quadam ratione in eo conſtituit, quod Deo ſimiles futuri ſimus; cauſſam autem eius rei adfert: ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι. *quia videbimus illum ſicuti eſt*, *1. ep. III, 2.* Nimirum intuitio, ſeu viſio Dei ad ipſam equidem beatitudinem itidem pertinet; ſed ſi praecipua quadam ratione in ſimilitudine Dei, qua amorem, virtuteſque inde fluentes, ponatur,

Digitized by Google

tur, ſuo modo etiam cauſſa iſtius beatitudinis cenſetur. Idque ſibi vult Ioannes.

** Quod amor Dei omnes virtutes in ſe complectatur, notum eſt, & vel ex eo conſtat, quod in eo ſumma totius legis conſiſtat, *Matth. XXII, 37.*

*** Vnde ἀναμαρτησία, ſiue impeccabilitas, hominibus beatis tribui ſolet. Ex perfectiſſima enim Dei cognitione non poteſt non oriri amor perfectiſſimus, intenſiſſimusque, hinc & conſtantiſſimus. Accedit, quod nullae in ſtatu gloriae futurae ſint tentationes, ſatanae inſidiis ceſſantibus, mundi ſeductionibus remotis, carnis motibus prauis eradicatis.

* Etſi enim peccare nequeant, inde tamen libertas, circa plura, quae iis ſe offerunt, bona, diuerſimode ſe gerendi, non tollitur. Illud autem, *non poſſe peccare*, tantum abeſt, vt defectum quendam arguat; vt ſummae potius perfectionis atque beatitudinis ſit indicium.

** Diuerſae iſtae amoris, quo Deum amamus, ſpecies, cum ex diuerſa diuinarum perfectionum ad nos relatione oriantur, nihil obſtat, quo minus in ſtatu gloriae, ſed modo longe perfectiori, eminentiorique, quam in ſtatu gratiae, locum inveniant. Repetenda hic ſunt, quae de hisce amoris ſpeciebus dixi *inſtit. theol. mor. part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 116. ſeq.*

§. VII. Perfectiſſima hinc & conſequitur communio cum Deo, * ſimulque plena & perfecta imaginis diuinae, ad quam olim homo conditus fuit, reſtauratio. *Similes* enim *Deo erimus*, *1. Io. III, 2.* prout naturae humanae hoc conuenit conditioni; ** hinc & eminentiori quodam modo *participes τῆς θείας φύσεως, 2. Pet. I, 4.* *** Haereditatemque adeo, quam vt filii Dei in hac vita exſpectamus, *Rom. VIII, 17.* re ipſa poſſidebimus; neque amplius *in ſpe*, ſed re ipſa beati erimus. *ib. v. 24.*

* Cuius ſaltem initium aliquod in hacce vita datur, *1. Ioan. I, 3.*

** Erit enim in hominibus beatis perfecta cognitio, vt demonſtrauimus *§. 4.* ſumma ſapientia, *§. 5.* amor Numinis intenſiſſimus, ex quo ſumma ſanctitas, iuſtitia, ceteraeque virtutes fluunt, vt *§. praeced. 6.* obſeruauimus. Haec autem, vt imaginem Dei abſoluunt, ita oſtendunt, quo pacto homines *ſimiles Deo* dici queant. In homine autem virtutes iſtae atque perfectiones nihiloſecius finitae ſunt, cum in Deo nullis limitibus aut terminis circumſcribantur.

*** Quod ſecundum hactenus dicta de virtutibus iſtis, quibus Deo ſimiles reddimur, intelligendum eſt.

§. VIII. Voluptas hinc orietur animi incredibilis ac ineffabile gaudium, vltimumque velut complementum ſummae beatitudini addet. Quod quidem gaudium vt maximum, ita puriſſimum erit, perpetuum etiam, & nullo viciſſitudinis metu interturbandum; abunde itaque & calamitates & adflictiones, quas pro Chriſto fideles in hac vita ſubierunt, compenſaturum. *

* Si enim beatitudo fidelium in hac vita, cum gaudio quodam in ſpiritu ſancto coniuncta eſt, *Rom. XIV, 17.* multo magis perfecta illa atque conſummata beatitudo futurae vitae; conf. *Io. XVI, 22. 1. Io. I, 4.* Ex cauſſis etiam, quae hocce gaudium progignunt, illud & ſummum, & puriſſimum fore, facile colligitur. Hinc & adflictiones, calamitatesque, quae beatis hominibus in hac vita ſubeundae fuerunt, eodem

multis modis compenſantur. Intelligeturquetum abunde, verum eſſe, quod Paulus dixit, *calamitates huius vitae non dignas eſſe, quae comparentur cum gloria iſta, quae in beatis reuelabitur; Rom. VIII, 18.*

§. IX. Ne quid autem beatitudini conſummatae deſit, corpora quoque noſtra, corpori ſeruatoris, maxima gloria & claritate ſplendenti, ſimilia erunt, *Phil. III, 21.* Corpora namque ſortiemur πνευματικά, *1. Cor. XV, 44.* omnis non tantum imperfectionis expertia, ſed & ſubtilia maxime, atque agilia, vt motu celerrimo ab vno loco in alium transferri queant; nullis inſuper morbis & mutationibus, multo minus morti, aut deſtructioni obnoxia; ingenti denique claritate, ſeu ſplendore fulgentia. *

* Quod cum Paulo apoſtolo ex *1. Cor. XV, 44.* diximus, corpora beatorum fore πνευματικὰ ſeu *ſpiritualia*, non ita intelligendum, quod ipſa illorum eſſentia futura ſit ſpiritualis, vel quod in ſpiritus ſint conuertenda; ita enim non amplius eſſent corpora; ſed quod qualitatibus ſpiritualibus, ſubtilitate ſcilicet, atque ſumma agilitate gauiſura ſint. Hinc vero reliquae etiam illorum virtutes fluunt. Quia enim ſpiritualia erunt, ſequitur, ea nullis mutationibus, doloribus nullis, nec deſtructioni fore obnoxia. Cum vero ipſe apoſtolus, quae corporum noſtrorum in ſtatu gloriae futura ſit conditio, egregie prorſus *l. c.* ediſſerat, ipſum hac de re audire iuuabit. *Seritur*, inquit, *corpus ἐν φθορᾷ, in* aut *cum corruptione, ſuſcitatur cum incorruptione; v. 42.* hoc eſt, antequam corpus in terram cadit, iterum reſuſcitandum, numquam non quaedam eius particulae diſcedunt, aliae accedunt, & ita comparatum eſt, vt diſſolui penitus in particulas minutiſſimas, & ita deſtrui poſſit; ſed poſt reſurrectionem ita ſtabile atque firmum erit, vt eiusmodi mutationi ac diſſolutioni non amplius futurus ſit locus. *Seritur ἐν ἀτιμίᾳ, in turpitudine, v. 43.* hoc eſt, foedum, vlceribus ſaepe, cicatricibus, variis morborum generibus deformatum, & poſt mortem ob putredinem horrendum; *ſuſcitatur in gloria, ἐν δόξῃ,* ob pulchritudinem atque decus commendabile, vitii omnis atque naevi expers, immo, ſingulari ſplendore coruſcans; vnde & antea *v. 40.* apoſtolus corpora beatorum cum ſideribus caeleſtibus comparauerat. *Seritur ἐν ἀσθενείᾳ, in infirmitate*, cum ſaepius defatigetur, ac laſſitudinem contrahat, viribusque ita exhauriatur, vt laboribus non amplius ſufficiat; *ſuſcitatur ἐν δυνάμει, in potentia*, ſeu *potens*, vt ſine virium defectu, ſine vlla defatigatione, functionibus vitae beatae ſufficiat, nec requie vlla opus habeat. *Seritur corpus ψυχικὸν, animale; v. 44.* hoc eſt, ſtatui huius vitae adcommodatum, quo homo, aeque ac alia animalia cibo atque potu indiget, ſtimulisque ad humani generis propagationem agitatur; *ſuſcitatur corpus πνευματικὸν, ſpirituale*, non amplius functionibus, quae homini cum animalibus communes ſunt, ſed caeleſtibus, quae ſpirituum ſunt, inſeruiens, adeoque nec cibo potuque indigens; ſubtilitate inſuper ſumma, agilitateque praeditum. Diſcrimen hocce confirmat apoſtolus, quando addit: *eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale*, hoc eſt, alia ratio eſt corporis animalis, alia corporis ſpiritualis. Originem autem immutationis in corporibus beatorum, eleganter ex communione Chriſti & ſpiritus eius deriuat *v. 45; ita enim ſcriptum eſt, factus eſt prior homo Adamus*, parens atque caput reliquorum hominum omnium, *εἰς ψυχὴν ζῶσαν, in animam viuentem*, hoc eſt, praeſtantiſſimum, quod habuit, fuit anima,

ma, fons vitae animalis ſeu naturalis; *poſterior Adamus*, Chriſtus, caput eorum, qui ſeruantur, *εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν in ſpiritum viuificantem*, hoc eſt, ea conditione naturam humanam induit, vt homo quidem eſſet, ſed & ſimul *ſpiritus*, viuificandi vim habens, qua & ſe ipſum, & alios a mortuis reſuſcitare poſſet. *Primus homo*, pergit apoſtolus, *v. 47. e terra*, *χοϊκός*, *terrenus*, hoc eſt, ex terra, qua corpus, formatus, in terram etiam ſeu puluerem redire potuit; *poſterior homo ipſe dominus e caelo*, hoc eſt, verus Deus, adeoque vitam ſponte ſua equidem dimiſit, morti autem ipſemet obnoxius non eſt. *Qualis terrenus ille, tales & terreni ſunt;* mortales ſcilicet, tum propter eiusdem naturae, tum propter peccati communionem; cum peccato enim & mors ad omnes Adami poſteros peruenit; *Rom. V, 12. & qualis caeleſtis ille, tales & caeleſtes*, propter communionem gratiae atque ſpiritus Chriſti, per quam in eum ſtatum deducentur, vt mori amplius nequeant; ita quidem, vt, quemadmodum eiusdem cum illo ſpiritus participes facti ſunt; *pſ. XLV, 8. Ebr. I, 9.* ita & τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως αὐτῶν, σύμμορφον erit τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, *Philipp. III, 21.* Eaque ratione *geremus imaginem caeleſtis* (hominis, hoc eſt Chriſti) *ſicut geſſimus imaginem terreni*, hoc eſt, Adami. Rationem denique grauiſſimam, cur haec ita fieri oporteat, addit: *quia caro & ſanguis non poſſunt regni Dei haereditatem conſequi; v. 50.* vbi per *carnem* & *ſanguinem* naturam humanam, non tantum, quatenus per peccatum corrupta eſt, ſed & in ſe ſpectatam, prout multis imbecillitatibus obnoxia eſt, multaque, quae homini cum animalibus communia ſunt, habet, intelligit. Ita enim ipſe hoc explicat, quando ſtatim ſubiicit: *neque corruptio*, ſiue quod *corruptibile* eſt, *τὴν ἀφθαρσίαν incorruptibilitatem haereditabit;* conf. & *verſ. 53, 54.*

§. X. Quae de ſenſuum externorum delectatione dici vulgo ſolent, cum grano ſalis accipienda ſunt, ne beatis in caelo triumphantibus aliquid tribuamus, quod ab illorum ſtatu plane alienum eſt, aut carnis voluptatibus in beatitudine iſta longe puriſſima, locum faciamus. * Eſt enim ſedulo in dogmatis huius explicatione cauendum, ne craſſiori quadam, atque carnali ratione beatitudinem futuram concipiamus. ** Quod oculis corporis Chriſtum viſuri ſimus, dubio caret; iisdem vero etiam ipſam Dei eſſentiam nos viſuros, parum commode dicitur. ***

* Etſi enim ſtatus ille beatorum in ſcriptura ſacra ſub ſchemate *conuiuii*, *Luc. XXII, 30.* & *nuptiarum*, *Matth. XXII, 2. apocal. XIX, 7.* deſcribatur; haec tamen modo ſpirituali intelligenda eſſe, manifeſtum eſt. Auribus autem, oculisque quin talia percepturi ſint beati homines, quae inſignem illis voluptatem adferant, negandum non eſt.

** Iudaeis paſſim talia tribui ſolent; ſed effata eorum, ex quibus iſtud colligitur, metaphorice capienda, contendunt alii. Certe ſapientiores inter eos, craſſos iſtos atque carnales, de vita aeterna conceptus neutiquam probare, conſtat; conf. MENASSEH BEN ISRAEL, *lib. 2. de reſurrect. cap. 19.* Quo pacto autem duo hic ſedulo euitanda ſint extrema, ſupra iam monuimus, ad *§. 3.*

*** Ex loco enim *Iob. XIX, 25, 26.* probari poteſt, ſeruatorem nos oculis corporeis viſuros, non autem ipſam eſſentiam diuinam.

Digitized by Google

diuinam. Reliqua loca, quae de viſione Dei agunt, de viſione intellectuali, quae & intuitio vocatur, intelligenda ſunt; ſed dictum iam hac de re ſupra ad *§. 4.*

§. XI. Non omnium beatorum, quoad corporum claritatem, donaque, quae vocant, accidentalia, eadem erit conditio. Vt enim ſidera caeli luminis ſplendore ab ſe inuicem diſtinguuntur, vnumque altero praeſtat; ita diuerſa erit corporum poſt reſurrectionem claritas, *1. Cor. XV, 41.* Quod &, quo minus de donorum diuerſitate intelligatur, non eſt, quod obſtet; certe proportio, quae inter labores & praemia intercedere debet, id vel maxime ſuadet. *

* Si beatitudo in ſe ſpectetur, prout in viſione atque fruitione Dei conſiſtit, beatorum quamdam diſparitatem aut inaequalitatem fore, dici nequit. Qui enim Deum videbunt, illum eodem modo videbunt; quod, licet de viſione intellectuali intelligendum ſit, exemplo tamen viſionis corporalis declarari poteſt. Namque etiam, qui oculis corporis aliquid vident, ſi modo oculos recte diſpoſitos habeant, vnum idemque obiectum, etiam eodem modo, vident. Licet autem intuitiuae cognitionis indoles non ſatis nobis explorata ſit, non aliter tamen, quam ex natura & indole viſionis, de ea iudicare licet. Quodſi ergo vna eademque ratione Deum cognoſcemus, eodem etiam modo eo, ceu ſummo bono, fruemur. Certe contrarium ex ſacra ſcriptura probari nequit. Qua corporis autem qualitatem, aut dona, quae vocantur accidentalia, diſcrimen aliquod atque inaequalitatem fore, poſitum eſt extra controuerſiam. Et ſane, verba apoſtoli *1. Cor. XV, 41. ſeq.* non tantum corporum aliquam diuerſitatem, ſed & vnius prae altero ἐξοχὴν atque praeſtantiam, aperte indicant. Solis enim lumen non tantum diuerſum eſt a lumine lunae, ſed maius etiam eodem, atque praeſtantius. Idem patet ex *Dan. XII, 3.* De doctoribus enim, atque iis, qui multos erudiuerunt ad iuſtitiam, propheta ibi ita loquitur, vt praecipuam quamdam prae reliquis eorum fore gloriam, ſeu claritatem, indicet. Neque enim ceteroquin cauſſa fuiſſet, cur ſpeciatim doctorum facere voluiſſet mentionem. Poſſem addere verba Chriſti: *In domo patris mei multae ſunt manſiones, Io. XIV, 2.* Certe, veteris eccleſiae doctores magno conſenſu non tantum *amplam caeli capacitatem*, ſed *gloriae* quoque *diuerſitatem* hiſce verbis indicari, contendunt. Non autem negligenda ſunt loca, in quibus Deus *vnicuique ſecundum opera ſua retribuere* dicitur, *Matth. XVI, 27. Rom. II, 6. 1. Cor. III, 8. 2. Cor. V, 10. apocal. XXII, 12.* Quod non ita capiendum, ac ſi operibus noſtris certum gloriae gradum mereri queamus; hoc enim abſonum eſſe, ſuo loco demonſtrabitur; ſed, quod tanta Dei ſit benignitas, atque δικαιοκρισία, *Rom. II, 15.* vt ex gratia omnia atque ſingula opera, obſeruata in praemiorum diſtributione proportione, remunerari velit.

§. XII. Quanta electorum beatitudo ſit, eo clarius eluceſcet, ſi damnatorum conſideremus miſeriam. Quae quidem, vti itidem in hacce vita iam initium habet, in iis, qui non credunt; ita fontem & ſcaturiginem praecipuam agnoſcit defectum communionis cum Deo, *Eſ. LIX, 2.* Hinc etiam *mors* illa *ſpiritualis; Epheſ. II, 1. Coloſſ. II, 13.* cuius deinceps mors *aeterna* quaedam velut eſt continuatio, ideo *mors ſecunda* dicta, *apoc. II, 11.* *

* Vt

* Vt beatitudo per *vitam* & quidem *aeternam*, ita & ſtatus damnationis hominum impiorum ſaepiſſime per *mortem* in ſcriptura ſacra deſcribitur; conf. *Ezech. XVIII, 23. XXVIII, 10. Matth. IV, 16. Io. VIII, 51, 52. Rom. I, 32. VI, 23* & alibi. Quo ipſo & res ipſa, & fundamentum praecipuum damnationis, adcurate exprimitur. Quemadmodum enim ex ſeparatione animae & corporis mors naturalis ſequitur, ita ſeparatio hominum a Deo praecipuum omnis miſeriae, cui damnati ſunt expoſiti, eſt fundamentum. Sua ſponte vero etiam inde ſequitur, quod homines impii, *qui alieni ſunt a vita, quae ex Deo eſt, Eph. IV, 18.* initium aliquod damnationis iam in ſe ipſis in hacce vita habeant. Mors enim aeterna eſt continuatio quaedam mortis ſpiritualis, in qua iam in hacce vita ſunt conſtituti. Idem etiam ex analogia mortis ſpiritualis, & poenarum infernalium, praeſertim priuatiuarum, intelligitur. Plurima tamen accedunt, quae non tantum miſeriam, cui iam in hac vita obnoxii ſunt homines improbi, infinitum in modum augent, ſed nouos inſuper, eosque maximos, qua animam pariter ac corpus, dolores in iis procreant. Quae cum ita ſint, non adprobanda eſt ſententia illorum, qui mortis vocabulum, de damnationis impiorum ſtatu adhibitum, ita interpretantur, ac ſi deſtructionem, vel annihilationem illorum ſignificet. Ingreſſus inter alios in eam eſt LOCKIVS, philoſophus ob ingenii acumen celebris, hinc & verba, *Gen. II, 17. quo die de arbore ſcientiae boni & mali comederis, morte morieris*, non aliter, quam de morte proprie ſic dicta, hoc eſt, deſtructione totius hominis, accipi poſſe contendit; *de rationabilitate religionis chriſtianae, cap. 1.* Idemque & Paulum confirmare putat, quando *per vnum hominem peccatum in mundum intraſſe*, ſcribit, *per peccatum* autem *mortem*, *Rom V, 12* Nec enim vero-ſimile eſſe exiſtimat, legislatorem aliter loqui, quam vt ab omnibus intelligi queat. Mortis autem, ſi quis vtatur vocabulo, & tamen vitam, aerumnoſam licet, & cum doloribus maximis coniunctam, ſignificet, eum a nemine, nedum ab omnibus, intelligi poſſe. Per Chriſtum itaque hocce omnibus hominibus contingere beneficium, quod a mortuis reſuſcitandi ſint: ſed iudicio extremo peracto, iuſtorum hominum vitam felicem & beatam continuandam, improbos autem aeterna mortis nocte conſepeliendos eſſe. Verum, haec iis ſcripturae dictis, quae damnatorum cruciatus numquam finiendos confirmant, e diametro aduerſantur. Maximos enim ſcriptura ſacra hominibus in aeterna damnatione conſtitutis, tribuit cruciatus, ὀδύνας, *dolores exquiſitiſſimos, Luc. XVI, 24. 25.* βασάνους, *tormenta* grauiſſima, qualia ſunt flagitioſorum, qui a carnifice torquentur, *Luc. XVI, 23. apocal. XIV, 10. XX, 10.* Immo, cruciatus iſti deſcribuntur per *ignem, qui non exſtinguitur, ac vermem, qui non moritur, Eſ. LXVI, 24. Marc. IX, 44, 45. 46.* Haec vero cum annihilatione, vel deſtructione conſiſtere nequeunt; ſiquidem ille, qui non amplius exſiſtit, nullum quoque ſentire poteſt dolorem. *Mortis* autem quod *Gen. II, 17.* alibique de poenis impiorum adhibetur vocabulum, non ex noſtra loquendi ratione, ſed ex vſu, atque conſuetudine ſcriptorum ſacrorum, interpretari debemus. Praeeuntes LOCKIVS hac in re ſibi habuit quosdam ex Socini ſchola: non enim omnes idem hac de re ſentiunt, vt ex RVARI epiſtola ad Calouium, lectu vtique digna, patet, quae exſtat in *epiſtolis* eius *ſelectis centur. 1 p. m. 218.* Haud dubio autem in hancce ideo inducti ſunt ſententiam, quod exiſtimarent, poenarum infernalium aeternitatem cum iuſtitia diuina conciliari non poſſe; qua de re deinceps. Occurrunt vero in ſcriptura ſacra & aliae voces, quibus poenae

Digitized by Google

nae infernales damnatorum deſcribuntur: vt ἀπώλεια, *perditio, Matth. VII, 13. X, 28. Ioan. XVII, 12. act. VIII, 20. Rom. IX, 22.* ὄλεθρος, *interitus, 1. Theſſ. V, 3. 2. Theſſ. I, 9. 1. Tim. VI, 9. lacus ſine aqua, Zach. IX, 11.* φυλακή, e qua non datur egreſſus, *Matth. V, 26. Luc. XII, 58. 1. Petr. III, 19.* τόπος τῆς βασάνου, *Luc. XVI, 28.* ἡ κάμινος τοῦ πυρὸς, vbi *erit clamor & ſtridor dentium, Matth. XIII, 42.* λίμνη τοῦ πυρὸς, *apocal. XIX, 20. XX, 10, 14, 15.* κόλασις αἰώνιος, *Matth. XXV, 46.* σειραὶ ζόφου, *2. Petr. II, 4.* ζόφος τοῦ σκότους, *v. 17.* & *ep. Iudae v. 6, 13.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Atque ex hisce locis cum etiam luculentiſſime pateat, eiusmodi damnationis ſtatum impiis hominibus certo imminere, vt vlterius hoc demonſtremus, neceſſe non eſt. Ipſa vero etiam hoc nos condocet quodammodo ratio, & iisdem quidem argumentis, quibus euincit, probis hominibus aeternam exſpectandam eſſe beatitudinem, quae ſupra retulimus. Loca autem ſcriptorum gentilium de poenis infernalibus, qui legere cupit, PFANNERVM adeat, in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris, cap. 21. §. 6. ſeq. p. 463. ſeq.* & HVETIVM, in *quaeſtionib. Alnetanis, lib. 2. cap. 24. p. 297. ſeq.*

§. XIII. Sequitur inde, damnatos omnibus iſtis, quae communionem cum Deo conſequuntur, ſiue mentem, ſpeciatim intellectum & voluntatem, ſiue corpus, & reliqua ſpectes, deſtitui. Quae tantae gloriae priuatio haud exiguam miſeriae illorum, in qua verſantur, partem conſtituit. *

* Nimirum, qua intellectum, remoti erunt a viſione Dei, deſtituenturque lumine gloriae, immo & gratiae. Quidquid autem habent cognitionis naturalis, aut naturae viribus adquiſitae, id ad augendum ſaltem illorum dolorem pertinebit, vt mox dicemus. Idque *tenebrae* illae indicant, per quas ſtatus damnatorum, & hominum, & angelorum, paſſim deſcribitur, *Matth. VIII, 12. XXII, 13. XXV, 30. 2. Petr. II, 4.* & *17. Iud. ep. v. 6, 13.* Qua voluntatem autem, non poteſt non in iis eſſe abſentia amoris diuini, adeoque & bonorum iſtorum omnium, quae ex eo fluunt, hominemque beatum reddere poſſunt. Hinc & eminentiori quodam modo de damnatis dici poterit, quod de hominibus nondum conuerſis Paulus dixit, quod *alieni ſint a vita, quae ex Deo eſt, Eph. IV, 18.* Non ſine ratione etiam huc retuleris abſentiam obiectorum omnium, quae impiis hominibus in hac vita delectationem quamdam adferre ſolent, & in quibus etiam, ceu ſummo bono, animi quietem quaerunt. Hisce obiectis dum iis carendum eſt, nec vllam ſpem obtinendi ea habent, non poteſt non ingens illud, ſed fruſtraneum deſiderium, delectationis inde percipiendae, maximum adferre dolorem. Immo, eo vehementiorem, quo acriores cupiditates, ex propenſionibus habitu quodam confirmatis, oriri ſolent, & quo moleſtius iis obiectis caremus, quae ob diuturnum vſum quodammodo neceſſaria nobis videbantur, & ſine quibus vitam omnem iniucundam, planeque miſeram reputabamus. Non incommode hoc per *ſitim* illam exprimitur, quam diues iſte in inferno conſtitutus, ſenſit, hoc eſt, vehementiſſimum recreationis cuiusdam deſiderium, *Luc. XVI, 24.* Ad corpus denique quod attinet, dotibus iis, quae beatis, qua corpora illorum, propriae ſunt, damnatos carituros, res ipſa docet. Erunt quidem & illorum ita comparata corpora, vt deſtrui, vel diſſolui nequeant; ſed hoc ipſum miſeriam illorum augebit, dum ſpem liberationis adimet. Atque hae erunt poenae damnatorum priuatiuae.

§. XIV. Quae *poſitiuae* vocantur poenae, duplicis generis ſunt; vel enim *priuatiuis* opponuntur, vel iis, quae per conſequentiam naturalem ex vitiis mortalium fluunt, adeoque ex ſupremi Numinis arbitrio ad augendam damnatorum miſeriam, conſtitutae ſunt. Cuiusmodi quidem poenas dari, etſi ipſa quodammodo ratio videat, euidentius tamen, & ſcriptura ſacra condocet; *Matth. III, 12. X, 28. XXV, 41. Rom. II, 8, 9.*

* Vitia hominum ita comparata eſſe, vt pleraque incommoda varia ſecum coniuncta habeant, aut poſt ſe trahant, notum eſt. Quae quidem incommoda cum malum aliquod paſſionis ſint, quod malum actionis inſequitur, ſimulque Numinis, ceu iuſti iudicis, hic intercedat prouidentia, ſapientiſſimaque directio, merito pro pœnis diuinis habentur, ſed pro talibus, quae per conſequentiam naturalem ex peccato fluunt. Inter haec vero incommoda cum non vltimum locum quietis ſeu tranquillitatis animi defectus teneat, quem etiam poſt mortem eminentiori quadam ratione homines improbi ſentient, recte quidem adſeritur, damnatos in inferno poenis eiusmodi, quae naturaliter e peccatis fluunt, obnoxios eſſe. Praeter haſce autem & alias poenas experientur, quae naturaliter ex peccato non fluunt, ſed libera, iuſtiſſima tamen Dei voluntate, ſunt conſtitutae. Et has quidem itidem *poſitiuas* vocare ſolent, aeque ac illas, quae priuatiuis opponuntur. Dari autem eiusmodi poenas, vtroque ſenſu poſitiuas, ex adlatis ſcripturae ſacrae locis recte probatur. Diſerte enim ignis infernalis in iis mentio iniicitur; quo nomine cum dolor aliquis exquiſitiſſimus, quem damnati, etiam qua corpus, ſentient, denotetur, manifeſtum eſt, poenas infernales neutiquam in nuda quadam priuatione, ſed bonorum quorumdam abſentia, conſiſtere. Simul vero, cum ignem iſtum infernalem, per conſequentiam naturalem ex peccato fluere, adſeri nequeat, poenas altero quoque ſenſu poſitiuas dari, recte inde concluditur. Accedit, quod ignis iſte, diabolo & eius angelis *praeparatus*, diſerte dicatur, *Matth. XXV, 41.* Idque & iuſtitiam diuinam exigere, ipſa quodammodo intelligit ratio. Confirmant idem gentilium ſcriptorum teſtimonia, quae auctores antea laudati ſuppeditant.

§. XV. Poenae poſitiuae, praeſertim, quae priuatiuis opponuntur, ad mentem pariter atque ad corpus ſpectant. Et mentis quidem, ſiue intellectum, ſiue voluntatem conſideres, non vna erit adflictio. Intellectus enim, ſiue Deum, ſiue ſe ipſos, ſiue alios homines, tum beatos, tum, qui eiusdem damnationis ſunt participes, contemplentur, vbique noui doloris atque cruciatus argumentum deprehendet.* Hinc vero cum non poſſit non auerſatio, odium, triſtitia, inuidia, furor, deſperatio oriri, voluntaria inde augebitur miſeria.** Quare & in malo ſemper occupata voluntate, damnati non quidquam aliud, quam quod Deo diſpliceat, agere poſſunt.***

* Deum non aliter, quam iuſtum, ſed iratum iudicem contemplari poſſunt. *Ira* enim *Dei manet ſuper eos, Ioan. III, 36.* Ad ſe ipſos ſi ſe conuertant, non poſſunt non

pudore grauiſsimo ſubfundi, ob admiſſa ſcelera, ſtultitiam ſuam damnare atque deteſtari, ob neglectum tempus gratiae, ad deſperationem etiam impelli, ob ſuppliciorum grauitatem. Beatos ſi intueantur homines, inque iis deprehendant, quos contemtui habuerunt in hac vita, non poteſt non ira & indignatio inde oriri. Sin inter miſeriae ſocios videant, quos peccatorum ſocios habuerunt, vel quos dilexerunt, aut a quibus ad peccata ſeducti ſunt, vel quos ſeduxerunt ipſi, diuerſus inde adfectuum variorum, nouum dolorem adferentium, orietur conflictus.

** Vel vnicus in hac vita adfectus nonnumquam tam moleſtus eſt, vt homines vel vitae iactura ab eo ſe liberare cupiant. Non enim aliunde, quod quidam violentas ſibimet ipſis manus inferant, prouenit. In damnatis autem plures, iique vehementiſſimi adfectus, diuerſi etiam, pro obiectorum diuerſitate, concurrent, & ad homines iſtos miſere excruciandos conſpirabunt.

*** Diſputari ea de re ſolet, an damnati nouis indies peccatis vetera ſint cumulaturi? Sunt, qui hoc adfirmant, immo eousque progrediuntur, vt contendant, eos numquam non Deum blasphematuros. Sunt contra, qui eos ita compeſcendos, coercendosque putant, ne amplius peccare poſſint. Id quidem certum, nihil eos agere, aut cogitare, vel ſuſcipere poſſe, quod Deo placeat. Vnde hocce quidem ſenſu, quod peccent, negari nequit. Eos autem Deum etiam blasphematuros, dubito, an ſolide probari queat. Certe, *apoc. XVI, 11.* de damnatis ſermo non eſt. Et durum profecto, nec temere concoquendum, maximam hominum partem, vna cum angelis malis, in omnem aeternitatem creatorem ſuum blasphematuros. Hoc enim, quo pacto cum ſapientia Numinis, ad gloriam ſuam cuncta dirigentis, immo & cum ſanctitate, iuſtitia & bonitate eius conciliari queat, non video. Ceterum, vt haecce omnia ad poenas poſitiuas, prout priuatiuis opponuntur, ſpectant, ita pleraque ita comparata ſunt, vt per naturalem conſequentiam ex peccato etiam fluant, & hactenus ad poenas poſitiuas, quae his opponuntur, referri nequeunt.

§. XVI. Corporibus damnatorum excruciandis deſtinatus, immo, praeparatus eſt ignis infernalis, *Matth. XXV, 41.* Quo quidem exquiſitiſſimi dolores, quos in corporibus experientur, deſignantur. * Idque adeo ad poenam poſitiuam, non tantum quae priuatiuae, ſed & quae naturali opponitur, pertinet. ** Simul tamen & haec in ipſam mentem redundabit poena, cuius dolores & adfectus ex doloribus corporis non poſſunt non inſigniter augeri. *** Senſus externos poenarum non expertes fore, admodum credibile: nec tamen, vt coniecturis noſtris nimium hic indulgeamus, conſultum. *

* Nec enim dubium, quin ignis, cuius in cruciatibus damnatorum mentio iniicitur, proprie ſic dictus intelligendus ſit, ſed talis, qui in corpora hominum, qualia poſt reſurrectionem futura ſunt, agere, & dolorem in illis, ſine eorum deſtructione, excitare poteſt. Quem adeo a noſtro igne, ſeu eo, qui nobis notus eſt, diuerſum eſſe, manifeſtum eſt.

** Quo pacto poena haecce poſitiua priuatiuae opponatur, facile intelligitur. Naturali vero quod itidem opponatur, inde conſtat, quod oſtendi nequeat, quo pacto iſti corporum cruciatus per natura-

lem

em conſequentiam ex peccato fluant. Qui ergo non alias, quam naturales poenas admittunt, cruciatus iſtos corporum, ignemque adeo infernalem negare, aut ſaltem hunc in ſenſu metaphorico accipere, neceſſe eſt.

***. Atque hinc intelligitur, quo pacto poena poſitiua, quae naturali opponitur, etiam certo modo ad mentem, quamuis indirecte, pertineat.

* De ſenſu tactus res poſita eſt extra controuerſiam. Hoc enim dolores corporis ſatis ſuperque teſtantur. De reliquis ſenſibus tutius eſt, nihil definire; cum, quae de iis adferri ſolent, certo deſtituantur fundamento.

§. XVII. Vt poenarum infernalium diuerſos ſtatuamus gradus, ipſa aequitatis diuinae ratio poſtulat. At enim delicto reſpondeat poena, par eſt. * Si durationem ſpectes, aeternas fore damnatorum hominum, aeque ac angelorum malorum poenas, ſcriptura tradit. ** Locus in hac vita fruſtra quaeritur, etſi certum iis deſtinatum, dubitari nequeat. ***

* Cum maxima, immo fere infinita illorum, qui damnantur, ſit diuerſitas, & quidam plura, grauioraque admiſerint peccata, quam alii; quemadmodum & longe maior nonnullis opportunitas, media gratiae, per quorum vſum aeterna euitare ſupplicia potuiſſent, obtinendi, oblata fuit, quam aliis; aequitas ſane ipſa, immo, iuſtitia poſtulat, vt magnam quoque poenarum infernalium ſtatuamus diuerſitatem. Quod enim proportio quaedam inter poenam atque delictum intercedere debeat, ipſa ratio omnes euidenter docet; conferenda, quae dixi *inſtitut. theol. mor. part. 2. c. 4. §. 14.* Idem vero & ſcriptura ſacra luculenter confirmat. Incolarum enim vrbium Sodomae atque Gomorrhae, itemque Tyri & Sidonis, tolerabiliorem fore conditionem, quam illorum, qui, reiecta clariſſima euangelii luce, perſeuerare in tenebris maluerunt, diſerte ſeruator ipſe pronuntiat; *Matth. X, 15. XI, 22, 24.* Si ergo quorumdam tolerabilior erit conditio, quam aliorum, certos poenarum gradus eſſe, neceſſe eſt. Pari ratione & ſeruum illum, qui, cum domini ſui voluntatem cognitam haberet, eidem tamen morem non geſſit, plures accepturum plagas, itidem ſeruator ipſe docet; *Luc. XII, 47.* conf. & *Matth. XXIII, 15.* Atque hoc eſt, quod & ſcriptura ſacra tam diligenter inculcat: Deum vnicuique redditurum ſecundum opera ſua; quod ſane, niſi proportione quadam inter poenam atque delictum obſeruata, fieri non poſſet; conf. *Rom. II, 6. 2. Cor. V, 10.* Gradus equidem iſtos, ſeu proportionem definire, noſtrum non eſt: id tamen certum, eam in omnibus tam exactam fore, vt Deus, iudex ille iuſtiſſimus, nullius prorſus iniuſtitiae argui queat. Eſtque hoc haud perfunctorie obſeruandum, vt variis dubiis, quae hic a quibusdam moueri ſolent, eo rectius occurrere queamus. Speciatim de infantibus gentilium multa diſputari ſolent. Sunt enim magni nominis theologi, qui eos, praeterquam, quod viſione atque fruitione Dei illis carendum ſit, aliis poenis adfligendos, adſerere nolunt: alii vero ſpem omnem ſalutis, per gratiam quamdam Dei extraordinariam illis neutiquam denegandam, exiſtimant. Sed cum illud, quod de gratia Dei extraordinaria dicitur, incerto admodum nitatur fundamento, nec integrum nobis ſit, de mediis ſalutis aliud quid ſtatuere, quam quod ſcriptura ſacra ſtatuere iubet, tutius omnino erit, ſi dicamus, ſtatum, conditio-

nemque illorum infantum, etſi a beatitudine excluſorum, admodum tolerabilem fore.

** De aeternitate poenarum infernalium cum noſtra aetate diſputatum ſit, paullo adcuratius de ea nobis dicendum erit. Inter veteres ORIGENES vel maxime hoccenomine male audit, quod poenarum infernalium finem aliquando fore, adſeruerit. Cum autem non omnibus vera & genuina Adamantii ſententia perſpecta ſit, iuuabit eam verbis HVETII, qui omnium diligentiſſime in eam inquiſiuit, exprimere. Cum enim is copioſe eius de poenis atque praemiis mentem expoſuiſſet, ita hac de re loquitur: *Satis ex ſuperioribus, etiam me ſilente, colligitur, damnatorum poenis modum aliquando & finem ex decreto Origenis impoſitum iri. Cum enim futurum ratus ſit, vt, quemcumque teneant ſtatum, animae, peccare poſſint, & re ipſa perſaepe peccent, ac pro peccatis vel meritis perpetuo circuitu ab imis ad ſumma, a ſummis ad ima reuoluantur, ipſiusque diaboli auerſa a Deo voluntas conterenda ſit, & Deo patri regnum Chriſtus ſit traditurus, tumque exiſtimauerit, plenam omnium ἀποκατάστασιν ac perfectam felicitatem futuram, cum Deus erit omnia in omnibus; conſequitur illinc, neceſſario deſitura damnatorum ſupplicia, eaque noxarum dumtaxat expurgandi cauſſa a Deo hominibus infligi;* in *Origenian. l. 2. c. 2. quaeſt. 11. §. 16. pag. 151.* Fuerunt quidem nonnulli, qui dubitarent, num recte haec ſententia, de damnatorum liberatione Origeni tribuatur: ſed hoſce idem vir doctus conticeſcere iubet, quando ſtatim ſubiicit: *Hominis eſſet intemperantis, neque ſatis tempori parcentis ſuo, quaecumque veſania hac oblita in Origenianis commentariis reperiuntur, lectori recenſenda obiicere, adeo multus eſt in hoc dogmate prodendo, & odioſus Adamantius.* Et eiusmodi ſane profert loca ex ſcriptis Origenis, quae prorſus aliquem hac de re dubitare vetant. Eſt vero nec illud praetermittendum, non poenarum dumtaxat, ſed felicitatis etiam tempus, certis circumſcriptum eſſe terminis, voluiſſe Origenem, animasque ad perfectionis culmen euectas, & peccati ac corporeae molis ſordibus expurgatas, ſtatim atque a virtute in vitium deflexerint, in craſſioris corporis carcerem compingi. Ad originem autem iſtius ſententiae quod attinet, praeterquam, quod teſtimonia quaedam ſcripturae perperam intellecta occaſionem ei in illam ingrediendi praebere potuerint, gentilium philoſophorum, Platonicorum maxime, de animae circuitu, placitis, in eam inductus videtur; quod &, quem iam laudauimus, HVETIO, recte obſeruatum, *l. c. §. 20.* Plurimum vero etiam eo contulit perſuaſio, poenas, quae hominibus poſt hancce vitam imminent, piaculares eſſe, ſeu purgatorias: quod verbis Pauli *1. Cor. III, 12, 13.* defendere voluit, in quibus vniuscuiusque opus igne examinandum eſſe apoſtolus confirmat. Facile autem, qui expenderit, quae diximus, animaduertet, qui recentiori aetate ἀποκατάστασιν vniuerſalem defendunt, non vsque quaque cum Origene conſentire; vnde &, quousque ad eius hac in re prouocare conſenſum queant, diiudicare licebit. HVGO GROTIVS, dum hac de re diſputat, Origenem non primum fuiſſe dicit, qui inter chriſtianae eccleſiae doctores deſitura aliquando quorumdam ſupplicia exiſtimauerit; cum ſimilia fere apud IVSTINVM martyrem, THEOPHILVM Antiochenum; TATIANVM, ARNOBIVM, IRENAEVM, legantur, in *not. ad Matth. XXV, 46.* Et IVSTINVS ſane ita hac de re loquitur, vt finem quemdam poenarum infernalium admittere videatur. Verba eius haec ſunt: Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀποθνήσκειν φημὶ πάσας τὰς ψυχὰς ἐγώ. ἕρμαιον γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς τοῖς κακοῖς. ἀλλὰ τί; τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχο-

ἐκδεχομένας χρόνον τότε. ὄυτως ἁι μὲν ἄξιαι τοῦ θεοῦ φανεῖσθαι, ὀυκ ἀποθνήσκουσιν ἔτι ἁι δὲ κολάζονται ἐς τ᾽ ἀυτὰς καὶ εἶναι, καὶ κολάζεσθαι ὁ θεὸς θέλη. *Verum enimuero non mori vniuerſas animas adſirmo, lucroſum namque hoc eſſet reuera malis. Quid igitur? Piae quidem in loco quodam meliore manent, iniuſtae vero & prauae, in deteriore, iudicii tempus exſpectantes. Hoc namque modo, quae dignae ſunt, vt coram Deo adpareant, non moriuntur amplius, illae autem excruciantur, quoad eas & eſſe & excruciari vult Deus;* in *dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. m. 20.* edit. IEBBII, quae Londini 1719. prodiit. Nimirum, dum IVSTINVS dicit: *quoad eas & eſſe, & excruciari vult Deus;* haud obſcure innuere videtur, exſiſtentiae, adeoque & cruciatuum illis imminere finem. Quo ipſo alia, quam ORIGENES, ratione poenarum infernalium finem adſerit, & ad illos potius accedit, qui damnatos homines tandem annihilandos ſtatuunt. IEBBIVS tamen, hanc IVSTINI mentem eſſe negat; idque eum ſaltem innuere putat, non per ſe ipſas animas exſiſtere, ſed propter Dei voluntatem, quem penes eſt, & interficere, & in nihilum illas redigere, quandocumque voluerit, in *notis ad Iuſtini l. c. p. 21.* Sed hoc adcuratius diſcutere, huius loci non eſt. Id quidem negari nequit, plurimos veteris eccleſiae doctorum loco iſto *1. Petr. IV, 6.* inductos, ſtatuiſſe, vita defunctis apud inferos euangelium adnuntiatum fuiſſe. *Quae opinio,* inquit B. ITTIGIVS, *loco* deinceps *citando, §. 11. quam frequens ſit in antiquis patrum monumentis, dici vix poteſt.* Et fuerunt ſane, qui adſererent, per Ioannem baptiſtam, per Moſem atque Eliam, per apoſtolos, cumprimis per ipſum ſeruatorem, mortuis euangelium adnuntiatum eſſe: quamuis, ad liberationem ex inferno quod attinet, diſſenſio quaedam inter eos intercedat, dum iuxta nonnullos haec tantum ad quosdam, iuxta alios autem, ad omnes, qui tempore Chriſti in inferno fuerunt, pertinet. Atq; eos quidem, qui poſterius adfirmabant, AVGVSTINVS pariter atq; PHILASTRIVS, inter haereticos referunt, ille quidem *haereſ. 79.* hic autem *haereſ. 121.* Sed ISIDORVS rurſus Hiſpalenſis eos inter haereticos numerauit, qui in Chriſti ad inferos deſcenſu animarum liberationem factam negant; *l. 8. origin. c. 5.* Legenda, quae hiſce porro ex patribus addit, quem ante iam laudauimus, ITTIGIVS, in *exercit. theolog. de euangelio mortuis adnuntiato,* quae exſtat in *enneade exercit. theologicar. §. 11. ſeq. p. 277. ſeq.* Hi ergo, licet non plane cum ἀποκαταςάσεως vniuerſalis adſertoribus conſentiant, hactenus tamen conueniunt, quod liberationem quamdam ex inferno admittant. A patribus ſi ad ſcholaſticos transeamus, IOANNES ille DVNS SCOTVS ſe nobis offert, ſubtilitatis elogio clarus, quem inter alia paradoxa & hoc adſeruiſſe, quod malignitas pariter ac poenae diabolorum deſiturae ſint, ex GEORGII MACKENZIE *vitis celebriorum ſcriptorum Scotiae* obſeruat DE LA ROCHE, dans *la bibliotheque Angloiſe, tom. 2. part. 2. art. 5. p. 355.* Nec Romanae eccleſiae addictis adeo improbari hocce dogma poteſt, cum purgationem poſt hanc vitam & quidem per poenas, admittant. Si enim quorumdam hominum delicta purgari hoc modo poſſunt, non video, cur non & de reliquis, etſi multorum demum ſaeculorum interuallo, idem admitti queat. Nec praetermittendum, quod ipſemet HVETIVS, *loco* ſupra *citato,* obſeruat, haud vltimam rationem, quae Origenem induxerit, vt in eam de ἀποκαταςάσει ſententiam ingrederetur, hanc fuiſſe, quod poenas piaculares & purgatorias ſtatueret; quas & eum itidem ex *1. Cor. III, 12, 13.* quo ex loco Romanenſes purgatorium ſuum adſtruere notum eſt, probare voluiſſe, antea docuimus. Socinianis, immo, omnibus illis, qui rationis lumen reuelationi praeferunt, hanc non

poſſe diſplicere ſententiam, facile intelligitur. Aeternitatem enim poenarum infernalium cum iuſtitia & bonitate diuina conciliari non poſſe exiſtimantes, quidam illorum annihilationem potius damnatorum, quam aeternitatem poenarum admittere maluerunt, vti ex RVARO iam ad *§. 12.* oſtendimus. LOCKIVM eamdem ob cauſſam eidem ſuffragari ſententiae, ibidem obſeruauimus. ERNESTVS autem SONERVS, magni quondam nominis in academia Altdorfina philoſophus Ariſtotelicus, quem tamen Socinianorum addictum fuiſſe partibus, deprehenſum fuit, ex inſtituto *demonſtrationem contra aeternitatem poenarum* ſcripſit G. G. LEIBNITIO etiam memoratam, in *tentamine Theodiceae, part. 3. §. 266. p. 451.* Quae autem ex iſta, de poenarum infernalium aeternitate, contra bonitatem & iuſtitiam Dei, necti dubia poſſint, BAELIVS quoque, magna ingenii oſtentatione, ſubinde exponit, praeſertim dans *la reponſe aux queſtions d' un prouincial tom. 3. c. 144. p. 812.* item *c. 178. p. 1221. ſeq.* Quibus quidem vix aliter occurri poſſe nonnulli exiſtimarunt, quam vt poenae infernales damnatorum admodum imminuantur, aut earum ſtatuatur finis. Legenda, quae hanc in rem diſſerit LEIBNITIVS, in *tentamine Theodiceae, part. 1. §. 17. p. 125.* it. *part. 2. §. 133. p. 272. ſq.* item *part. 3. §. 266. p. 451. ſeq.* Certe IO. CLERICVS, contra Petrum Baelium diſputans, ſyſtemati Manichaeorum opponit ſyſtema Origenis, ἀποκατάστασιν vniuerſalem ſtatuentis, *Parrhaſian. tom. 1. p. 303. ſeq.* GVIL. KINGIVS, difficultatem, quae hic ſe offert, probe ſentiens, poenas infernales, non tam vindicandi, quam aliorum vtilitatem promouendi conſilio, infligi arbitratur. *Quis ſpondeat*, inquit, *poenam aeternam impiorum nihil facere ad bonos in electione debita confirmandos? adpend.* ad *libr. de origine mali, p. 269.* Quae tamen non omnibus ſeſe probabit ſententia. Alii, vt hinc ſe expediant, contendunt, cum ratio poenarum infernalium non ſatis nobis perſpecta ſit, non poſſe quoque de earum cum bonitate diuina conuenientia ferri iudicium; forte enim ſolam boni aeterni priuationem, omnes damnatorum poenas abſoluere. Ita IS. IAQVELOTVS hac de re pronuntiat, de *conuenientia rationis & fidei, p. 217.* Alii rurſus, & quidem ex Angliae theologis, cum non diſſimulent, aeternitatem poenarum infernalium rationi admodum repugnare, credi poſſe, putant, poenas iſtas minarum inſtar a ſummo Numine praenuntiatas eſſe, vt homines eo magis rectiusque in officio contineantur; etſi Deo interim, ceu ſummo legis auctori, quocumque tempore illi libuerit, clementiae relaxare habenas, poenisque modum ac limites ponere, ſi bonitatis eius hoc poſtulauerit ratio, integrum ſit. IO. TILLOTSONVM ex hypotheſi de fine poenarum infernalium contra incredulos diſputare, obſeruat vir doctiſſimus PFAFFIVS, in *inſtit. theol. dogmat. & mor. part. 2. cap. 12. §. 1. p. 608.* Tillotſono HENR. MORVM, aliosque adhuc itidem ex Anglia theologos, qui eamdem, de fine poenarum infernalium ſententiam aut adprobauerint, aut non temere reiiciendam exiſtimauerint, adiungit auctor *diſcurſus de libertate cogitandi*, quem ANT. COLLINVM eſſe ferunt, *ſect. 2. p. 102. ſeq.* Reformatae vtique, quam vocant, eccleſiae doctoribus, particularis praeſertim gratiae rigidis adſertoribus, haec de fine poenarum infernalium ſententia ingrata eſſe nequit. Quaecumque enim ex aeternitate poenarum infernalium nectuntur dubia, illos praecipua quadam ratione feriunt, qui abſolutam quamdam praedeſtinationem ſtatuunt. Qui enim aliter hic ſentiunt, & culpam damnationis vnice in homines conferunt, quod & rationi pariter ac ſcripturae ſacrae eſt conueniens, longe facilius feliciusque hinc ſe expediunt, quam illi.

Inter

Digitized by Google

Inter anabaptiſtas itidem fuiſſe, qui, finem poenarum infernalium fore, admitterent, notum eſt, nominaque eorum indicat CALOVIVS, *ſyſtem. theol. tom. 12. part. 6. cap. 3. quaeſt. 1. p. 268*; conferenda quae de hiſce obſeruat IOACH. CHRISTIAN. IEHRINGIVS, in *adnotationibus ad hiſtoriam Mennonitarum, ex lingua belgica in germanicam a ſe translatam, p. 94.* Hiſce denique & Iudaeos addere poſſem. Saltem non omnium hominum poenas infernales aeternas fore, ſed quosdam poſt breue admodum temporis ſpatium ex inferno iterum liberandos, quidam ex iis ſtatuunt; quorum teſtimonia huc ſpectantia IO. AND. EISENMENGERVS adfert in *dem entdeckten Iudenthum, part. 2. c. 6. pag. 353.*

Haud exiguum autem haecce quaeſtio in noſtra eccleſia ſtrepitum excitauit, cum anno 1699. *aeternum* illud, *euangelium* ἀποκαταστάσεως *vniuerſalis*, ſeu, vt titulus germanicus ſeſe habet: *das ewige euangelium der allgemeinen Wiederbringung aller Creaturen &c.* prodiret. Eius enim defenſionem cum IO. GVIL. PETERSENIVS in ſe ſuſciperet, & ſuo exemplo alios, vt eamdem ſententiam amplecterentur, concitaret, alii autem eidem ſeſe opponerent, variis hac ſuper re ſcriptis concertatum fuit. Inductum vero ſe in eam ſententiam fatetur Peterſenius, cum IOANNAM LEADEAM, notiſſimam in Anglia feminam, quae eamdem fouebat, ſed viſionibus ſaltem, non ſcripturae dictis ſuperſtructam, refutare vellet; in *vitae ſuae deſcriptione*, quam germanice edidit, *p. 297.* Et Leadeam ſane iſtam inter alia paradoxa & hoc adſeruiſſe conſtat; condiſcique etiam ex iis poteſt, quae copioſe de ea referuntur a IO. WOLFG. IAEGERO, theologo quondam Tubingenſi, in *hiſt. eccleſ. & polit. ſaec. 16. tom. 2. part. 2. l. 1. c. 10. p. 90. ſeq.* Iunctim autem, quae tum ab ipſo, tum ab aliis in hacce cauſſa ſcripta ſunt, vna cum ſcriptis quibusdam ei oppoſitis, & horum refutatione, complexus eſt PETERSENIVS, in opere, quod ſub titulo: Μυστήριον ἀποκαταστάσεως πάντων, *das iſt, das Geheimnis der Wiederbringung aller Dinge &c.* tribus voluminibus in folio edidit. Inter reliquos, qui cum PETERSENIO hac in cauſſa fecerunt, eminet GEORGIVS PAVLVS SIEGVOLCK ſeu KLEIN-NICOLAI, cuius ſcriptum: *das von Ieſu Chriſto, dem Richter der Lebendigen vnd der Todten, aller Creatur zu predigen befohlene ewige Euangelium von der durch ihn erfundenen ewigen Erlœſung &c.* & ſeorſim an. 1705. prodiit, & operi etiam Peterſeniano inſertum eſt, *part. 2. in adpendice p. 32. ſeq.* Summatim deinceps, & velut in compendio, eamdem doctrinam idem auctor propoſuit: *in der kurtzen vnd gründlichen Vorſtellung, was nach dem wahren Sinn des heiligen Geiſtes durch die actor. III, 21. erwehnte Wiederbringung aller Dinge, vnd durch das Offenb. XIV, 6. bemeldete ewige Euangelium verſtanden werden müſſe;* vbi etiam probare adnititur, hanc ſententiam doctrinae orthodoxae eccleſiae euangelicae, atque Auguſtanae confeſſionis, non repugnare. Hiſce adhuc addendus, vir cetera doctiſſimus, IO. MICH. LANGIVS, eo, cum iſta ſcriberet, tempore, theologus Altdorfinus, in *addendis ad diſſertationes hiſtorico-theologicas tres, de herba Borith*, quae an. 1705. prodierunt. Mitto reliquos, eos etiam, qui, ſi non aperte & ex inſtituto, indirecte tamen, & aliud velut agendo, eamdem ſententiam comprobant. Rurſus vero non defuerunt, qui illam acriter impugnarent. ITTIGII, GRAPII, FECHTII, WOLFII, aliorumque diſſertationes, & alia ſcripta, partim latino, partim germanico idiomate euulgata, ipſemet PETERSENIVS, in opere antea memorato, cum refutatione, exhibet. His adhuc addendi CHRIST. GOTTLIEB KOCHIVS, in ἀποκαταστάσεως *act. III, 21. ſolida & orthodoxa expoſi-*

Digitized by Google

expoſitione &c. SAMVEL CHRISTIANVS TEVBERVS, in *gemino argumento, altero pro, altero contra Origenianam omnium rerum ἀποκατάστασιν &c.* FERD. HELFREICH, LICHTSCHEID, in *den chriſtlichen Gedancken über das Büchlein vom ewigen Euangelio*, qui tamen a recepta eccleſiae noſtrae doctrina in eo diſcedit, quod ſtatum quemdam medium poſt mortem, ſeu quarumdam animarum purgationem admittit.

Iam ad rem ipſam quod attinet, negari equidem nequit, ſi ex ſola ratione quaeſtio haec diiudicanda eſſet, ἀποκαταστάσεως adſertores dubiam forte ſecus ſentientibus reddere poſſe palmam. Neque id quiſquam infitias iuerit, grauiſſimas difficultates, quae doctrinam de origine mali, eiusque cum iuſtitia atque bonitate diuina conciliatione premunt, facilius ſuperari poſſe, ſi finis poenarum infernalium ſtatuatur, quam ſi earumdem adſeratur aeternitas. Verum, cum res omnis ad ſcripturae ſacrae deciſionem redeat, haecce ἀποκαταστάσεως patronos parum iuuant. Hanc itaque ſi audiamus, aeternitatem poenarum infernalium teſtimoniis clariſſimis, luculentiſſimisque, confirmatam videmus. Et primo quidem poena iſta damnatorum ſubinde diſerte *aeterna* vocatur; *ignis* ſcilicet *aeternus*, *Matth. XVIII, 8. XXV, 41. interitus aeternus*, *2. Theſſ. I, 9. vincula aeterna*, *ep. Iud. v. 6. caligo tenebrarum aeterna*, *ib. verſ. 13.* Immo, quod praecipuum eſt, & omnem dubitationem eximere poteſt, *fumus tormentorum adſcendere* dicitur, εἰς αἰῶνας αἰώνων, *in ſaecula ſaeculorum*, *apoc. XIV, 11.* & *cap. XX, 10. cruciandi* dicuntur *die & nocte* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *in ſaecula ſaeculorum.* Hac enim ratione cum alias ipſa Dei aeternitas deſcribi ſoleat, non alia vtique, quam quae ſine omni deſtituitur, intelligi poteſt. Eadem porro aeternitas quandoque per formulas negantes ἐμφατικῶς exprimitur: *vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguitur*, quod ex *Eſ. LXVI, 24.* aliquoties repetitur *Marc. IX, 44, 46, 48.* Sic & *Luc. III, 17.* dicitur: *paleas comburet* πυρὶ ἀσβέστῳ, *igne inexſtinguibili.* Ex beatitudinis quoque, qua electi gauiſuri ſunt, aeternitate, qualis poenarum infernalium aeternitas futura ſit, colligi poteſt. Haec namque ſibi inuicem opponuntur, *Dan. XII, 2. Matth. XXV, 46.* Vt ergo beatitudinis aeternitas finem habitura non eſt, ita nec alia damnationis aeternitas intelligi poteſt. ORIGENEM equidem hoc argumentum non ferit, quippe quem beatitudinis non minus, quam poenarum infernalium ſtatuiſſe finem, antea obſeruauimus. Sed cum recentiores ἀποκαταστάσεως adſertores hac in re cum eo non faciant, & facere quoque nequeant, niſi abſurdiſſima quaeque admittere velint, recte hoc iis opponitur. Nec praetermittendum, quod Chriſtus diſerte dicat, *iram Dei manere ſuper hominem incredulum, Ioan. III, 36.* Manente autem ira Dei, manet quoque damnatio. Denique & hoc addendum, quod *Luc. XVI, 26. chasma magnum confirmatum* dicatur, inter beatos atque damnatos, vt nemini ex vno loco, adeoque & ſtatu in alterum tranſitus pateat. Mitto reliqua, cum ſcriptura ſacra alia adhuc ſuppeditet.

Non deſunt rurſus & ἀποκαταστάσεως adſertoribus, quae pro ſua ſententia ex ſcriptura ſacra proferant. Principem inter ea locum tenent verba iſta Petri *act. III, 21.* quibus, *oportuiſſe a Chriſto caelum occupari*, dicit, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. Id enim apoſtolum velle putant, regnum a patre traditum filio, ceu hominum, angelorumque omnium capiti, non prius finiendum, quam cuncta, quae per angelorum pariter ac hominum peccata in deteriorem ſtatum prolapſa ſunt, ita in integrum reſtituantur, vt nullum peccati, adeoque nec poenae ſuperſit veſtigium.

Idem

Idem Paulum confirmare contendunt, quando *1. Cor. XV, 25, 26.* itidem de regno Chriſti verba faciens, *oportet*, inquit, *eum regnare, donec ponat omnes hoſtes eius ſub pedibus eius. Vltimus autem hoſtis, (qui) deſtruitur, mors eſt.* Cum enim iam antea *v. 23.* apoſtolus reſurrectionis mortuorum mentionem fecerit, non poſſe per *mortem* aliud quid, quam poenas infernales intelligi, inde colligunt; quas ſubinde in ſcriptura ſacra mortis nomine venire, antea ipſimet obſeruauimus. Prouocant porro & ad illud Pauli teſtimonium, quo omnia per Chriſtum cum Deo reconciliata dicit, *εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, tum quae ſunt in terra, tum, quae ſunt in caelis, Coloſſ. I, 20.* Vbi, cum per ea, quae ſunt in caelis, ſpiritus, ſeu angelos lapſos intelligant, ad hos itidem expiationem redemtionemque Chriſti pertinere, hinc & eos in priſtinum aliquando reſtituendos ſtatum, concludunt. Hiſce denique ea ſcripturae ſacrae loca addunt, quae de vniuerſalitate gratiae & amoris diuini, itemque, de vniuerſalitate & pretio redemtionis Chriſti agunt; quibus neutiquam vim ſuam conſtare exiſtimant, ſi tam pauci homines ad ſalutem aeternam perueniant, qui cum iis, qui ſecundum receptam ſententiam in omnem aeternitatem reiiciendi atque damnandi ſunt, comparati, partem humani generis longe minimam efficiant. Ne itaque in promiſſionibus tam magnificis, tamque ſplendidis, Deus ludere, aut omnino fallere homines voluiſſe, hoc eſt, committere aliquid, quod ne honeſto quidem viro, multo minus Deo dignum, videatur, nihil aliud ſupereſſe, quam vt vis & amoris diuini, & meriti Chriſti, vltra huius αἰῶνος terminos producatur, & eos etiam, qui ſequuturi adhuc ſunt, peruadat, donec priſtina rebus creatis omnibus reſtituatur facies. In eo namque recentiores ἀποκαταστάσεως adſertores a Socinianis maximopere diſcedunt, quod ſine merito Chriſti ſalutem nemini obtingere, fatentur; hoc vero ad omnes homines atque angelos lapſos pertinere, qui adeo & omnes eius fructum aliquando percepturi ſint. Sed illud quoque addere ſolent, de reſtitutione dum loquuntur, non beatitudinem iſtam, quae hominibus electis in praemium fidei, atque bonorum operum, obtinget, ſe intelligere, ſed nudam ſaltem reſtitutionem, vel priſtini ſtatus reſtaurationem, in qua peccatis, eorumque poenis nullus amplius futurus ſit locus.

Tandem nec deeſſe ſibi putant, quae ad argumenta, quae iis opponi ſolent, & quorum praecipua antea commemorauimus, regerant. Aeternitatem nimirum in iis locis, vbi *ignis aeterni, interitus aeterni, &c.* mentio iniicitur, non ſignificare *aeternitatem abſolutam*, ſeu, durationem, quae finem habitura non ſit, ſed *reſtrictam*, ſeu *limitatam*, hoc eſt, diuturnum admodum durationis ſpatium. Nec inuſitatam eſſe in ſcriptura ſacra eam aeternitatis notionem, ex *Gen. XVII, 7.* & *Kohel. I, 4.* comprobant. Cum dicitur, *vermem eorum non moriturum, & ignem non exſtinguendum, Eſ. LXVI, 24.* & *Marc. IX, 44. 46. 48.* item *paleas comburendas igne inexſtinguibili; Luc III, 17.* id quidem ita ſe habere aiunt, quamdiu infernus durauerit. Hoc namque innui, cum *Marc. IX, 44.* dicitur: *ὅπου vbi vermis eorum non morietur &c.* Sublato autem inferno, ſeu *morte ipſa, 1. Cor. XV, 26.* poenas quoque infernales ceſſaturas. Beatitudinem aeternam electorum ſibi opponi non poſſe, & hic locum inuenire, quod vulgo adferi ſolet, *talia eſſe praedicata, qualia permittuntur eſſe a ſuis ſubiectis.* Magnam enim praemiorum atque poenarum eſſe diuerſitatem. Praemia quo ampliora ſint, eo maiorem arguere Numinis bonitatem; at poenas, ſi modum ratione durationis excedant, cum bonitate ac iuſtitia diuina conciliari non poſſe. Cum Chriſtus dicit, *iram Dei manere ſuper hominem incredulum, Ioan. III, 36.* id quidem recte ſe habere; cum incredulus,

quamdiu talis eſt, ſub ira quoque Dei, adeoque & in ſtatu damnationis maneat. Sed ſi homines damnati aliquando conuertantur, non amplius eos eſſe incredulos, adeoq; nec iram Dei ſuper eos manere. Pari ratione & ad *Luc. XVI, 26.* reſpondent. Chaſma vtique confirmatum eſſe, vt, qui in inferno ſunt, neutiquam ad locum, ſtatumque beatorum tranſire queant, quamdiu infernus ipſe durauerit. Eo autem ſublato, nullum amplius erit chaſma inter infernum, ſedemque beatorum.

Verum, etſi haec, & alia eiuſdem generis, non ſine ſpecie quadam dicantur, & illis, qui cruciatuum infernalium finem optant, maximopere adblandiantur, adcuratius tamen examen non ſuſtinebunt. Ad verba nimirum Petri, *act. III, 21.* quod attinet, de voce quidem ἀποκατάστασις, eiuſque genuina interpretatione, non vna omnium eſt ſententia. Sunt enim, qui eam referunt ad vocem χρόνων, putantque, ita *finem* ſiue *conſummationem ſaeculi* ſignificari. Cum vero tempora proprie reſtitui nequeant, ſequitur, vocem ἀποκατάστασις improprie accipiendam; quod cur admittere debeamus, nullam prorſus neceſſitatem video. Miſſis vero & reliquis interpretationibus, quas alii adferunt, facile concedo, ἀποκαταστάσεως vocem hic pro reſtitutione in integrum, ſeu priſtinum locum, accipiendam eſſe. Sic enim LXX. interpretibus *Gen. XL, 13. cap. XLI, 13. Iob. VIII, 6. Ier. XXIII, 7.* alibique vſurpatur. Et de tali quidem reſtitutione, quam in Chriſto conſequimur, *v. 25. 26.* hic ſermo eſt, quae, vti in hac vita inchoatur, ita in futuro gloriae ſtatu perficitur, & conſummatur. Sed cum Petrus ἀποκατάστασιν τῶν πάντων commemoret, de voce πάντων cumprimis quaeritur, num ad res vniuerſas, aut ad homines, & quidem omnes, aut ad ſolos electos referenda ſit? Qui generatim non hominum tantum, ſed rerum omnium hic innui reſtitutionem putant, hoc maxime vrgent, quod hominum in praecedentibus nulla facta ſit mentio, & nomen inſuper generis neutrius non quadret ad nomen generis maſculini. Adduntnonnulli, ad eamdem ſententiam confirmandum, vocem ἀποκατάστασις ex Stoicorum philoſophia depromtam; apud quos de magnis mundi reuolutionibus multus ſermo; quo ſenſu & eadem vtatur NVMENIVS apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. l. 15. c. 19.* Quod, quam longe petitum ſit, nemo non intelligit. Quid vero multis hic ambagibus opus? Res enim ipſa docet, vocem τὰ πάντα ab ipſo Petro ſtatim reſtringi ad *ea, quae loquutus eſt Deus per os omnium ſanctorum prophetarum.* Quodſi ergo quaeras, quaenam ea ſint, de quibus Deus per os omnium prophetarum loquutus eſt? conſtat quidem, quod prophetae omnes de Chriſto, & hominum reſtitutione per eum ſperanda, loquuti ſint; haec vero reſtitutio, quod ad omnes homines, immo etiam ad angelos lapſos, pertineat, id vero eſt, quod ex prophetis probandum erat; ſed non probabitur. Etſi enim Deus omnium hominum ſalutem ſerio velit, eamdem tamen vult ſecundum certum ordinem, ſapientiae ipſius, bonitati atque iuſtitiae conuenientem. Hunc qui obſeruare nolunt, illi ſua culpa non reſtituuntur, etſi ceteroquin Deus omnes reſtituere in priſtinum ſtatum vellet. Senſus itaque verborum Petri hic eſt: oportere Chriſtum caelum occupare, regnumque adeo a patre ſibi traditum, adminiſtrare, *vſque ad tempus reſtitutionis omnium*, hoc eſt, donec reſtituantur omnia in priſtinum ſtatum, quae reſtitui poſſunt ac debent, & de quibus adeo Deus loquutus eſt per os omnium prophetarum. Sed nec Pauli illud, quod ex *1. Cor. XV, 25. 26.* adducunt, effatum, rem iſtam conficiet. Vltimus enim intuitu electorum hoſtis vtique mors eſt, quae deſtruitur, dum electi in eum ſtatum a Chriſto perducuntur, vt nullam mortis, ſiue naturalis, ſiue aeternae vim extimeſcere, neceſſe habeant. Idque

que

que tum vtique contingit, quando ad beatitudinis conſummatae, ſeu aeternae vitae poſſeſſionem perueniunt. Cum vero idem apoſtolus omnia per Chriſtum cum Deo reconciliata dicit, *tum, quae in terra ſunt, tum, quae in caelis*, *Coloſſ. I, 20.* per ea, *quae in caelis ſunt*, illi omnino ex electis intelligendi ſunt, qui iam ex eccleſia militante in ſedes beatorum ſunt tranſlati. Hi enim, vt ab iis, qui adhuc in terra, ſeu eccleſia militante degunt, recte diſtinguuntur, ita per fidem in Chriſtum, qui eos cum patre reconciliauit, haereditatem iſtam caeleſtem ſunt adepti. Nec vlla adparet ratio, cur de ſpiritibus, ſeu angelis malignis haec verba accipi debeant, de quibus etiam, quod adhuc in caelo ſint, adfirmari nequit. Quae de vniuerſalitate tum gratiae & amoris diuini, tum meriti Chriſti, huiusque pretio infinito, atque immenſo dicuntur, ſatis ſibi conſtant, etſi ἀποκατάστασις vniuerſalis non admittatur, modo cuncta ſecundum ordinem ſalutis, a Deo ipſo conſtitutum, atque praeſcriptum, intelligantur. Manet vtique gratia Dei vniuerſalis, manet quoque vniuerſale meritum Chriſti, etſi plurimi ſua culpa non reſtituantur. Ex eo enim, quod homines beneficium diuinum reſpuunt, colligi nequit, quod illud omnibus non offerat. Nec minus omnes amat, etſi non omnes hunc amorem grato agnoſcant animo; quemadmodum & Chriſti meritum ideo particulare cenſeri nequit, quod plurimi illud repudiant. Eorum equidem, qui ἀποκατάστασιν vniuerſalem ita adſerunt, vt meritum, & ſatisfactionem Chriſti fundamenti loco ponant, tolerabilior eſt ſententia, quam Socinianorum, qui reſtitutionem quamdam ſine merito Chriſti fingunt: ſed alio rurſus premitur incommodo, quod explicare, aut demonſtrare non poſſint, quo pacto meritum Chriſti illis prodeſſe queat, qui ſemel, & quidem conſtanter, illud per totam vitam repudiarunt. Nec enim probatum ſatis dederunt, quod tamen vel maxime probandum erat. meriti iſtius vim poſt mortem hominibus damnatis prodeſſe. Multo autem minus probarunt, aut probare poterunt, meritum hocce Chriſti ad angelos etiam malos, ſeu diabolos, pertinere. Immo, non tantum nullum hac de re in ſcriptura ſacra exſtat veſtigium, (ad locum enim *Col. I, 20.* antea reſponſum eſt) ſed diſerte quoque reclamat Paulus apoſtolus, numquam *angelorum ſemen* adſumſiſſe Chriſtum, adſerens, (vt eos redimeret) ſed tantum *ſemen Abrahami, Ebr. II, 16.* Bene equidem ſe habet, quod monent, non de beatitudine, electis hominibus propria, ſibi ſermonem eſſe, ſed de reſtitutione: attamen & reſtitutio iſta nuda, an probata ſatis ſit, aut probari queat, id vero eſt, de quo quaeritur. Etenim, vt hactenus oſtendimus, quo loco argumenta, quae proferunt, habenda ſint; ita vt reſponſiones eorum ad illa, quibus aeternitas poenarum infernalium probatur, paucis expendamus, ſupereſt. Nimirum, vocem *aeternitas* ita quandoque in ſcriptura ſacra ſumi, vt aeternitatem reſtrictam, ſeu limitatam denotet, lubentes fatemur. Quod vero ita etiam accipienda ſit, quando de aeternitate poenarum infernalium ſermo eſt, id vero inuictis rationibus demonſtrandum. Quo minus autem ita ſumi queat, hoc vel maxime obſtat, quod durare iſti damnatorum cruciatus dicantur, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *in ſaecula ſaeculorum; apoc. XIV, 11. cap. XX, 10.* qua loquendi ratione aeternitatem abſolutam innui, antea iam obſeruaui. Loca, in quibus negatiue aeternitas illa deſcribitur, fruſtra eluduntur, addita reſtrictione: *quamdiu infernus durauerit.* Probandum enim prius erat, infernum aliquando ſublatum iri. Ex verbis Pauli *1. Cor. XV, 26.* hoc euinci non poſſe, ex antea dictis patet. Praemiorum aliam rationem eſſe, quam poenarum, lubens concedo; non autem, aeternitatem poenarum infernalium cum bonitate & iuſtitia diuina conciliari non poſſe. Nulla

 itaque

itaque adeſt ratio, cur alia aeternitas intelligenda ſit, cum de beatitudine electorum. alia autem, cum de poenis damnatorum ſermo eſt. Quae denique ad loca, *Io. III, 36.* & *Luc. XVI, 26.* regerunt, tum demum admitti poſſunt, ſi iam probatum eſſet, poenas damnatorum aliquando finiendas. Id vero, cum adhuc in quaeſtione ſit, iſta eiusmodi locorum interpretatio, petitionem, quam vocant, principii inuoluit. Atque ita ſummatim, quae ad hancce controverſiam pertinent, exhibere placuit.

*** Locum certum poenis infernalibus deſtinatum, & res ipſa docet, & ſcriptura ſacra teſtatur. Vocatur enim infernus *lacus ſine aqua, Zach. IX, 11.* Φυλακή, *e qua non datur egreſſus, Matth. V, 25, 26.* τόπος τῆς βασάνου, *Luc. XVI, 28.* & quae reliqua ſunt, ſupra iam ad §. *12.* adlata. Qui autem locum iſtum determinare audent, ingenii ſui commenta narrant, aut coniecturas adferunt, quae eadem, qua adferuntur, etiam reiiciuntur facilitate. Rectius ſapiunt, qui operam nauant, vt infernum euitent, quam, qui de eius loco curioſe diſputant.

§. XVIII. Cauſſae damnationis diuerſae ſunt, pro diuerſa, qua conſiderari poteſt, ratione. Alio enim modo, priuatiue ſi ſpectetur, alio modo, ſi poſitiue, hac de re pronuntiandum. * Et ad poſitiuam quidem damnationem variae cauſſae aliquid conferunt, quae iterum vel abſolute, & per ſe, vel relatiue ſpectari poſſunt. Hinc namque intelligitur, quo pacto Deus etiam inter cauſſas damnationis, ac poenarum infernalium, referendus ſit; non aliter ſcilicet, quam poſteriori modo, ſeu, vt iuſtiſſimus iudex, qui hanc in improbos ſententiam pronuntiauit. ** Finis vero eſt, iuſtitiae, veracitatis, atque potentiae, adeoque gloriae diuinae manifeſtatio. ***

* Poenis damnatorum priuatiuis (de quibus §. *13.* dictum) cauſſam efficientem adſignari non poſſe, notum eſt, cum cauſſa efficiens dici ſoleat, quae effectus reales, & poſitiuos producit. Generatim tamen cauſſae illae, quae effecerunt, vt homo in ſtatum damnationis perueniret, etiam cauſſae poenarum, quae in priuatione beatitudinis conſiſtunt, dici poſſunt.

** Poenarum poſitiuarum, quae priuatiuis opponuntur, cauſſa efficiens abſolute talis, ſi animam ſpectes, ipſa eſt anima, per obiectorum variorum repraeſentationem eiusmodi adfectus excitans, qui non poſſunt non dolores ſummos, atq; cruciatus ſecum vehere, prouti §. *15.* obſeruatum eſt. Corporis dolores, vnde animi cruciatus ſimul augebuntur, ignis ille infernalis procreabit, de quo itidem §. *16.* dictum. Addunt nonnulli malos genios, quod velut carnifices, & tortores damnatorum futuri ſint. Sed abnuunt alii, cum & ipſi illi mali daemones torquendi ſint, hinc & abyſſum deprecentur; *Luc. VIII, 31.* loca etiam, quae vulgo adferri ſolent, de tortoribus, *Matth. XVIII, 34.* de plagis, *Luc. XII, 47.* & percuſſionibus, *prou. XIX, 29.* parabolica ſint, vt nihil ex iis demonſtrari queat. Quae poenarum, per conſequentiam naturalem ex vitiis fluentium, & hiſce oppoſitarum, poſitiuarum ratio ſit, facile ex dictis intelligitur. Quod ſi autem poenae infernales relatiue ſpectentur, dubium non eſt, quin Deus, ceu iuſtiſſimus iudex, earum cauſſa efficiens dici queat. Is enim *vnicus* iſte *eſt legiſlator, qui poteſt ſeruare & perdere, Iac. IV, 12.* Hinc & retributio ſecundum cuiusque opera diſerte ei adſcribitur, *Rom. II, 6.* & *2. Theſſ. I, 6.* Cum vero Chriſto, ceu mediatori, ſimulque capiti, & regi omnium hominum, ſpeciatim eccleſiae, poteſtas iudicandi a patre tradita ſit, *Io. V, 22.* qui & orbem iudicaturus eſt ἐν

δικαιοσύνη, *actor. XVII, 31.* hinc & ei ſpecialiori quadam ratione damnatio iſta impiorum tribuitur, *2. Theſſ. I, 7. 8.* Ea nimirum ratione Deus damnationis cauſſa efficiens dicitur, quod Chriſtus ſententiam damnationis in impios atq; incredulos pronuntiat, *Matth. XXV, 41.* quodue gratiam ſuam, quam increduli ipſimet prius repudiauerunt, iis ſubtrahit, vnde poenae iſtae priuatiuae non ſequi nequeunt; & denique ignem illum praeparauit, qui corpora eorum eſt excruciaturus. In quibus nihil eſſe, quod iuſtitiae diuinae repugnet, facile intelligitur. Nec etiam alia, quae eum ad hoc inducat, *cauſſa (impulſiua interna)* eſt, quam iuſtitia eius vindicatiua: ad quam tamen & veracitas, in implendis comminationibus ſeſe exſerens, accedere, recte dicitur. Ad *cauſſam* autem, quam vocant, *impulſiuam externam*, quod attinet, dubium non eſt, quin quodlibet peccatum & a Deo nos ſeiungat; *Eſ. LIX, 2.* & quia totius legis transgreſſionem inuoluit, *Iac. II, 10.* Deus non aliter, quam morte aeterna, quae & alias ſpiritualis eſt continuatio, iſtud punire poteſt, iuxta comminationem, *Gen. II, 17.* Nec enim hic diſcrimen aliquod inter peccata intercedit, cum illud, quod a conditione ſubiecti deſumitur, hic locum non inueniat. Quod grauiora alia, alia leuiora ſint, id in gradutum, quos poenae infernales habent, aeſtimabitur diuerſitate: vnde nec illud diſcrimen nunc in cenſum venit. Vt autem peccata iſta actu damnent, incredulitas finalis accedat neceſſe eſt. Si enim homines ad Deum conuertantur, remiſſionem peccatorum omnium impetrant, vt adeo οὐδὲν κατάκριμα, *nihil, quod actu damnet, in iis ſit, qui ſunt in Chriſto; Rom. VIII, 1.* vnde & pro cauſſa impulſiua damnationis haberi nequeunt. Quodſi autem non conuertantur, incredulitas finalis efficit, vt actu damnatio ſequatur. Quo quidem ſenſu nonnulli incredulitatem finalem praecipua quadam ratione, pro cauſſa impulſiua damnationis habent. De peccato originali idem, quod de reliquis peccatis, cenſendum, cum auerſionem a Deo, & inclinationem ad praua quaeuis denotet, *Geneſ. VI, 5.* vnde & omnes *natura filii irae*, adeoque & aeternae damnationis rei ſumus, *Eph. II, 3.* Sed repetenda ſimul, quae ad §. *praecedentem* de gradibus poenarum diximus.

*** Iuſtitia iſta Dei, praeſertim vindicatiua, quam Deus in puniendis damnatis demonſtrat, quo pacto ex ſanctitate Dei fluat, oſtenſum *c. 1. lib. 2. §. 37.* Manifeſtabitur namque tum δικαίωμα, *ius illud Dei*, quod in eo conſiſtit, vt, qui peccarunt, digni quoque ſuo merito ſint, qui puniantur; *Rom. I, 32.* conf. & *Rom. II, 5. 2. Theſſ. I, 6. 8. 9.* Veracitas Dei ſimul manifeſtabitur, dum damnati ſentient, quod antea credere noluerunt, comminationes diuinas impleri. Potentia porro, quia adparebit, omnes hoſtes Chriſti ad ſcabellum pedum eius eſſe proiectos, *pſ. CX, 1. 1. Cor. XV, 25.* neminemque adeo eius potentiae reſiſtere poſſe; conf. & *2. Theſſ. I, 9.* Gloria denique Numinis, vt ex reliquis attributis, ita & ex iuſtitiae, veracitatis & potentiae diuinae demonſtratione, eluceſcit.

§. XIX. Tranſitus ad beatitudinem pariter, ac damnationem aeternam, fit per mortem temporalem, quae proxime ex animae corporisque diſſolutione oritur. * Cauſſae autem mortis, vel morales ſunt, vel phyſicae; & inter morales quidem quaedam generatim huc referuntur, vt diabolus, protoplaſti, per quorum transgreſſionem mors naturalis quoque ad omnes homines peruenit, certo modo etiam ipſe Deus: ** quaedam autem ſpeciatim, vt ipſi morientes, & alii quoque homines, ac ſpiritus boni

 maliue,

maliue, diuerſa vtique ratione *** Phyſicae autem mortis cauſſae in naturales, praeternaturales, & violentas diuidi ſolent. *

* Mors enim, ſi adcurate loqui velimus, non tam in ipſa animae, corporisque diſſolutione conſiſtit, quam eam conſequitur. Diſſolutio enim iſta cum facta eſt, tum demum homo mortuus dicitur. Atque ita etiam intelligendum, quando mors per ἀναλύειν deſcribitur; *Phil. I, 23. 2. Tim. IV, 6.* Diſſolutio autem iſta tum contingit, quando corporis humani machina ita deſtructa eſt, vt ſuo amplius fungi munere nequeat, ſed circulatio ſanguinis prorſus ceſſet. Diſſolutionem autem non ſtatim localem animae a corpore remotionem inferre, nonnulli monent, etſi iſta remotio etiam mox ſequatur, idque ex *actor. XX, 9. 10.* probare ſolent.

** Quo pacto diabolus atque protoplaſti inter cauſſas morales mortis referantur, facile intelligitur; ille quidem, dum homines ad peccatum ſeduxit, vnde non poterat non mors naturalis quoque conſequi; vt adeo hac quoque ratione recte homicida dicatur; *Ioh. VIII, 44.* hi autem, dum transgreſſione ſua non tantum ſibi ipſis mortem attraxerunt, ſed effecerunt etiam, vt cum peccato mors ad omnes eorum poſteros tranſiret; *Rom. V, 12. 1. Tim. II, 14.* Ad Deum autem quod attinet, is hoc ſaltem intuitu inter cauſſas mortis referri poteſt, ſi mors vt poena conſideretur, quam Deus ceu iudex iuſtiſſimus, ob legis transgreſſionem hominibus infligit; *Gen. II, 17. pſ. XC, 7. Rom. VI, 23.* Hoc vero de morte impiorum praecipue eſt intelligendum. Piorum enim mors, ſi adcurate loqui velimus, pro poena haberi nequit. Cum enim peccatorum omnium remiſſionem a Deo conſequuti ſint, poena amplius locum non habet. Namque, vbi non eſt peccatum, ibi quoque non eſt poena. Hinc & mors piorum hominum ita deſcribitur, vt in ea nihil amplius, quod poenae rationem habeat, deprehendatur. Vocatur enim *ſomnus, Io. XI, 11. exuitio,* ſeu veſtis depoſitio, *2. Cor. V, 4.* Immo eos, qui in ſe credunt, iam *habere vitam aeternam, & ex morte migraſſe in vitam,* ſeruator ipſe pronunciat, *Ioan. V, 24.* Et iterum: *Quisquis viuit, & in me credit, numquam moriturus eſt, Io. XI, 26.* Nimirum, non ita hoc eſt intelligendum, ac ſi pii homines morti non eſſent obnoxii; quod qui adſereret, ipſa experientia refutari poſſet; ſed quod mors piorum non habeat rationem poenae, aut indolem mortis, quin potius, vt tranſitus ad vitam meliorem conſideretur. Diſputatum hac de re fuit inter HERM. ALEX. ROELLIVM, & CAMPEGIVM VITRINGAM, reformatae eccleſiae theologos; quorum ille mortem credentibus piisque hominibus vt poenam quoque peccati irrogari ſtatuit; immo, eousque progreſſus eſt, vt Chriſtum pro morte temporali eatenus ſaltem ſatisfeciſſe adſereret, vt aliquando per reſurrectionem beatam immortalitatem conſequerentur; hic autem vna cum aliis quibusdam, contrarium acriter defendit. Legenda, quae de certaminis huius hiſtoria BENTHEMIVS commemorat, *de ſtatu eccleſiarum & ſcholarum in Hollandia, part. 2. c. 2. p. 102. ſeq.* add. & VITRINGA ipſe, *obſeru. ſacr. l. 2. c. 7.* Sed locum hic omnino inuenit, ſimulque rem omnem conficit, diſtinctio inter *incommodum,* atque *poenam,* quam & GROTIVS tradit, *l. 2. de iure belli & pacis, c. 20. §. 1.* Mortem piorum hominum incommodum aliquod eſſe, nemo diffitebitur; nec negat hoc ipſe apoſtolus, ſed confirmat potius: *nam qui ſumus in tabernaculo, gemimus onerari; quandoquidem nollemus exui, ſed ſuperindui, vt mortalitas conficiatur a vita, 2. Cor. V, 4.* At pro poena haberi nequit, cum nulla adſit peccati imputatio. Verum ſane eſt, quod apoſtolus dicit: *peccati ſtipendium mors eſt, Rom. VI, 23.* Vbi enim eſt peccatum, ibi non

Digitized by Google

non poteſt non mors conſequi. Idque & homines impii experiuntur. Piis autem ſeu credentibus, cum peccatum non imputetur, mors quoque illorum poenae rationem habere nequit. At moriuntur tamen, inquis. Moriuntur vtique, indeque incommodum ſentiunt; nec aliter fieri poteſt, quia per corporis diſſolutionem, quidquid peccato occaſionem praebere poteſt, penitus exſtirpandum eſt. Dum vero ſimul de gratia Dei certi ſint, & firma ſpe melioris vitae, quidquid mors incommodorum adfert, abunde penſetur, eam pro poena reputare nequeunt.

*** Ipſi morientes, vel directe, vel indirecte, mortis ſuae cauſſa exſiſtunt. Directe quidem, ſi violentas ipſimet ſibi inferant manus, quo ipſo ſimul pro cauſſa phyſica mortis reputari debent; itemque, alia ratione morti ſe vltro offerendo. Indirecte autem, ſi talia agant, ex quibus non poteſt non mortis periculum conſequi; deſcendendo v.g. in certamina, in quibus haud raro aut alterutri, aut vtrique parti pereundum eſt; aut adeundo loca, morbis, contagionem ſecum vehentibus, infecta; aut labores ſuſcipiendo, quibus, dum iis ferendis pares non ſunt, vitae finis acceleratur; aut intemperantiae, adfectibusque vehementioribus indulgendo, & quae alia ſunt eiusdem generis longe plurima. Alii homines inter cauſſas mortis morales referuntur, quando per ſicarios, aut veneno, aut ſimili modo aliquem interficiunt, vel auctoritate ac iuſſu ſuo, aut conſiliis, aliaue ratione, necem cuiusdam promouent, aut eamdem, cum id facere poſſent, & deberent, ab eo non auertunt; itemque, quando intemperantiae & adfectibus vehementioribus, quibus vitae finis attrahitur, occaſionem praebent. Angelorum bonorum miniſterio quod Deus vtatur, in hominibus vita priuandis, exemplo Herodis conſtat, *act. XII, 23*. De angelis malis res manifeſta ex iis eſt, quae ſupra de eorum ſtudio nocendi hominibus, & quo pacto Deus nonnumquam illorum miniſterio, in hominibus puniendis, vtatur, diximus.

* Ad cauſſas mortis phyſicas, & quidem *naturales*, ſenectus ipſa referri ſolet, cum machina corporis ita ſenſim atteritur, & debilitatur, vt tandem deficiat; vnde eius deſtructio, animaeque & corporis ſolutio ſequitur. Quodſi per morborum varia genera hoc fiat, *cauſſae* inde oriuntur *praeternaturales*. *Violentae* autem, ſi per vim quamdam externam, gladium, laqueum, ignem, lapſum grauiorem, aliaue ratione, corpus ita laeditur, vt, eius inde ſequi deſtructionem, neceſſe ſit.

§. XX. Anima per mortem a corpore ſeparata, ſuperſtes manet, & ſtatim aut in beatitudinis, aut damnationis aeternae locum defertur. Medium enim quemdam inter beatitudinem ac damnationem ſtatum, ſcriptura ignorat. * Corpus autem, iuxta legem diuinitus conſtitutam in puluerem redit. ** Noſtri vero hic officii ratio poſtulat, vt illorum, qui pie ſancteque vixerunt, memoriam celebremus, & exempla aliis ad imitandum proponamus; *** corpora autem, more in qualibet gente recepto, ſed absque oſtentatione, aut ſuperſtitione, ſepeliamur. *

* Cum anima immortalis ſit, vt ſupra ex inſtituto demonſtrauimus, ſua ſponte inde ſequitur, eam poſt mortem ſupereſſe. Nec enim, qui eam aut plane interire adſerunt, aut cum Arabicis in reſurrectione demum reſtituendam contendunt, audiendos eſſe, ex iis, quae ibidem diſputauimus, conſtat. Quodſi ſupereſt, facultatibus quoque ei propriis,

priis, quales ſunt, cogitare, cognoſcere, velle, ſpoliari nequit. Errantque adeo magnopere Sociniani, mentem poſt obitum nihil cogitare, neque praemium, neque poenam ſentire, adſerentes; quo ipſo & non procul a pſychopannychitarum ſe abeſſe errore demonſtrant. Cum enim mortui *non eſſe* dicuntur, *Matth. II, 18.* ſenſus eſt, eos non amplius verſari in ſocietate viuentium; & cum *in morte non celebrari* dicitur *Dei memoria, neque laus eius praedicari in ſepulcro; pſ. VI, 6.* innuitur, quod non eo modo id fiat, quo fieri a viuentibus ſolet, in coetu fratrum, *pſal. XXII, 23. 26.* Sequitur hinc porro, animas beate defunctorum iam ſtatim poſt mortem, ad ſtatum beatitudinis peruenire, animas autem impiorum ad ſtatum damnationis. Cum enim animae defunctorum facultatum illis propriarum vſum retineant, adeoque & gaudii atque doloris ſint capaces, fieri aliter nequit, quam vt pro diuerſo, in quo homines mortui ſunt, ſtatu, aut beatitudinem, aut damnationem ſuam ſentiant. Idque etiam ſcriptura, tum exemplo diuitis iſtius, atque Lazari, tum aliis teſtimoniis, quae deinceps adferemus, confirmat. Eleganter hac de re Paulus loquitur, quando εὐδοκοῦμεν, inquit, μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & praeſentes eſſe ad dominum, 2. Cor. V, 8.* Duplex nimirum hic notatur fidelium ſtatus: prior, quo ſunt *praeſentes in corpore, ſed abſentes a domino*; ſcilicet ſecundum animam, quae equidem, qua fidem, apud dominum eſt, ſed nondum qua viſionem beatificam. Poſterior autem eſt, *quo ſunt abſentes a corpore*, per mortem ſeparatae, & hactenus in ſtatu imperfectiore, ſed tamen *praeſentes ad dominum*, per viſionem beatificam. Iſta autem animarum beatitudo, nondum perfecta ea eſt, quæ illis, poſtquam cum corpore iterum vnitae fuerint, obtinget, quemadmodum & impiorum poena nondum perfecta eſt, quippe quam adhuc cum tremore exſpectant, *Ebr. X, 27.* Nimirum, manifeſtari nos prius oportet coram tribunali Chriſti, vt quisque eorum, quae fecit in corpore etiam ſuo, retributionem accipiat, *2. Cor. V, 10.*

Facile hinc intelligitur, quid de illorum exiſtimandum ſit ſententia, qui *ſtatum* quemdam *medium* admittunt, eiusmodi ſcilicet, in quo animae quorumdam hominum poſt mortem cruciatus quosdam atque dolores ſentiant, & quo tamen tandem ſint liberandi, inque aeternam transferendi beatitudinem. Romanenſes, qui praecipue hanc ſententiam defendunt, addunt, in huncce eos demum peruenire ſtatum, qui fuerint equidem e numero credentium; ſed pro peccatis, pro quibus in hac vita illis ſatisfaciendum erat, nondum ſatisfecerint, quod adeo per ignem purgatorii illis ſit praeſtandum. Connectunt cum hac doctrina & alios errores, cumprimis eum, de ſacrificio miſſae pro mortuis, per quod finem cruciatuum iſtorum accelerari poſſe exiſtimant. Verum hiſce ſequentia recte opponuntur, I.) quod ſcriptura ſacra duos tantum ſtatus poſt hanc vitam commemoret, inferni, & beatitudinis, *Matth. VII, 23. cap. XIII, 30. cap. XXV, 46. Marc. XVI, 16. Luc. XVI, 22. ſq. Io. III, 15. ſq.* II.) Exemplo latronis, qui cum Chriſto crucifixus eſt, *Luc. XXIII, 43.* Lazari, *Luc. XVI, 22.* Stephani, *actor. VII, 59.* patet, quod homines pii poſt mortem, qua animam, ſtatim ad beatitudinem perueniant. Quod ſi regeras, hoſce omnes, de quibus eiusmodi quid dicitur, tam perfectos iam fuiſſe, vt purgatione non indiguerint, primo quidem illud probandum erit; deinde ſciendum, quod omnibus credentibus hoc promittatur, quod poſt mortem ſtatim, qua animam, ad aeternam beatitudinem ſint tranſituri; *Io. III, 18. 36. c. V, 24. c. XII, 26. 2. Cor. V, 1. apoc. XIV, 13.* III.) Nec ſtatus iſte medius,

ſeu

ſeu purgatio animae poſt mortem, ſcripturae ſacrae comprobari poteſt teſtimoniis. Solent equidem varia ſcripturae loca proferri; ſed, ſi adcuratius conſiderentur, nihil minus, quam iſtam animae poſt mortem purgationem probant. Etenim *Eſ. XLIX, 8. ſq.* de liberatione equidem e carcere, ſeu captiuitate ſpirituali, agitur, ſed quod illa poſt mortem demum futura ſit, non additur. Per *lacum ἄνυδρον, Zach. IX, 11.* ſtatus equidem irae diuinae atque damnationis intelligitur, ſed ab eo liberantur per ſanguinem foederis credentes, dum eum euitant. Legenda autem, quae erudite & copioſe de hoc loco commentatur IO. GE. DORSCHEVS, in *theologia Zachariana*. Purgationis, quam credentes in Chriſtum ſubituri ſint, mentio *Malach. III, 2. 3.* iniicitur, ſed iterum non additur, eam poſt mortem demum fore. De loco *2. Maccab. IIX, 39. ſeq.* a me dictum, in *hiſt. eccleſ. V. T.* ad *per. 2. ſect. 7. §. 14. p. 1171.* Per *ignem*, quo cuiusque opus explorandum eſt, *1. Cor. III, 13.* ignis crucis atque calamitatis intelligitur. Chriſtus equidem *ſpiritibus in carcere ἐκήρυξεν praedicauit*; *1. Petr. III, 19.* ſed, quod euangelium, ſeu liberationem iis praedicauerit, non additur. Mortui denique, quibus euangelium adnuntiatum, *1. Petr. IV, 6.* dicitur, illi ſunt, qui ad vitam ſpiritualem nondum peruenerunt. Reliqua, quae minoris momenti ſunt, attingere non placet. IV) Purgatione equidem quadam illis, qui Deum viſuri ſunt, opus eſt; ſed iſta purgatio fit per poenitentiam, atque fidem, & in quotidiana renouatione continuatur, *1. Io. I, 7. III, 3.* Ea vero, quod poſt mortem locum inueniat, fruſtra dicitur. Ignem certe, aut ſimile quid, ſcriptura ſacra inter media purgationis non refert: etſi calamitates, quamdiu poenitentiae locus eſt, huc aliquid conferre queant. Cum vero etiam per mortem fomes peccati exſtinguatur, qui autem credit, peccatorum omnium conſequutus ſit remiſſionem, nulla amplius opus habet purgatione; conf. *Rom. VI, 7. VIII, 1.* V) Nec tolerandum profecto, quod cruciatus, ſiue dolores purgatorii, pro ſatisfactione quadam habeantur. Inde enim non poteſt non conſequi, quod Chriſti ſatisfactio non ſit plena, nec ad omnia peccata expianda ſufficiat; quod vt iniurium eſt in meritum Chriſti, ita ſcripturae ſacrae e diametro aduerſatur. *Vnica* enim *oblatione* eum *conſummaſſe in perpetuum eos, qui ſanctificantur*, Paulus diſerte pronuntiat, *Ebr. X, 14.*

Non defuerunt equidem ex noſtratibus, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, qui exiſtimarunt, non eſſe nefas, pro defunctis orare. VRBANVS RHEGIVS, cuius inſignia in eccleſiam noſtram merita nemo ignorat, non tantum ipſemet ita cenſuit, ſed & B. LVTHERVM in eadem fuiſſe ſententia, (quod & alias notum eſt) obſeruat. *Quare vir Dei*, inquit, *D. Martinus Lutherus, non putat, a chriſtiana pietate alienum eſſe, ſi pro noſtris defunctis ſemel atque iterum ex libera deuotione orauerimus*; *de formulis caute loquendi, cap. 16. p. m. 86.* vbi & alia, ad eamdem ſententiam confirmandam ſpectantia, adfert. Non ſine cenſura ideo RHEGIVM dimittendum cenſuit B. MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica, ad 2. Tim. I, 18.* cuius contra in ſe defenſionem ſuſcepit MART. SILVESTER GRABIVS, in *adpendice apologetica ad Rhegii libellum, de formulis caute loquendi, p. 118. ſq.* Quemadmodum autem plerique noſtratium deinceps ab iſta ſententia diſceſſerunt, ita maximopere tamen a Romanenſibus, qui ita exiſtimarunt, diſſentiunt; cum de poenis purgatoriis, & quod illae indolem ſatisfactionis habeant, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, nihil dicant, immo, iſta aperte reiiciant, vt de RHEGIO longe eſt notiſſimum. De ipſo Luthero etiam SECKENDORFIVS obſeruat, eum, quod dixit, de recens mortuo intellexiſſe, *cum nondum ſatis*

tis conſtat, an anima prorſus ſeparata a corpore ſit, idque *de precibus circumſtantium*; in *hiſtoria Lutheraniſmi, lib. 2. ſect. 13. §. 41. p. 120.* Fuerunt nihilo ſecius deinceps, qui iterum medium quendam ſtatum, animaeque poſt mortem purgationem, adſererent, vt praeter PETERSENIVM, qui hanc doctrinam cum ſententia de ἀποκαταστάσει vniuerſali coniunxit, quacum & quodammodo connexa eſt, vt ſupra obſeruauimus, auctor libri: *Betrachtung von dem mittlern Zuſtande der Seelen nach ihrem Abſchied aus dem Leibe*, anno 1700 editi, itemque LICHTSCHEID, in den *chriſtlichen Gedancken über das Büchlein vom ewigen Euangelio.* Hic enim PETERSENII ἀποκατάστασιν ita impugnat, vt animae poſt mortem κάθαρσιν adprobet. Licet autem hi itidem a Romanenſibus in eo diſſentiant, quod animae iſtam purgationem neutiquam pro ſatisfactione quadam habeant, adeoque & ceteros, qui cum hacce ſententia coniuncti ſunt, errores repudient: iis tamen itidem premuntur ſcripturae dictis, quae, medium inter beatitudinem & damnationem aeternam ſtatum admittendum non eſſe, euincunt. Speciem habet, quod quidam dicunt, fieri poſſe, vt propenſiones quaedam ad mala, animae hominis credentis inhaereant, quas equidem ſupprimat, prorſus tamen in hac vita eradicare nequeat. Hae itaque, cum beatitudini iſtius obſtent, nec, cum in fide mortuus ſit, damnari queat, nihil aliud ſupereſſe, quam vt dicamus, per cruciatus quosdam atque dolores animae poſt mortem iſtas propenſiones prorſus deleri, & ita aptam animam reddi ad fruitionem Dei. Verum, & ad hocce reſponderi poteſt, propenſiones iſtas aut a corpore oriri, aut ipſi animae ineſſe. Si prius ſit, ceſſabunt vtique, quam primum anima a corpore eſt ſeparata. Sin poſterius, probabile, per ipſam mortem, quidquid prauarum propenſionum animae ineſt, ita tolli, vt, quod eius beatitudinem impediat, nihil ſuperſit.

** In poenam ſcilicet peccati. Si enim homo non peccaſſet, mortuus quoque non eſſet, adeoque nec corpus redire potuiſſet in puluerem; *Geneſ. III, 19.*

*** De veneratione, qua homines, qui ſanctitatis laude floruerunt, proſequi debeamus, egregie loquitur RHEGIVS: *Honorificentiſſime de ſanctis iuxta ſcripturas ſentiendum, & loquendum eſt. Quos enim Deus ipſe ſic honorat, eos procul dubio honorari vult & a nobis.* Et quibusdam interiectis: *Honorare tamen ſanctos debemus, ſicut vetus eccleſia eos honorauit, quae celebrabat honorifice ſanctorum memoriam; de formulis caute loquendi, cap. 16. p. 80. ſeq.* Atque ita quidem, quae illis debentur, merito iis tribuimus. Vt vero eos adoremus, aut inuocemus, cultuque adeo religioſo proſequamur, merito religioni nobis ducimus; cum huncce honorem ſolus ſibi Deus vindicet. *Dominum Deum tuum adorabis*, inquit ſeruator ipſe, *& illi ſoli ſervies*, *Matth. IV, 10.* ex *Deut. VI, 13.* & *X, 20.* In quamcumque autem hic ſe vertant partem Romanenſes, quibuscumque etiam vtantur diſtinctionibus, ſi receptam, & praxi ipſa plurimorum confirmatam eccleſiae iſtius doctrinam ſpectemus, ab idololatriae crimine ſe liberare nequeunt. Eousque autem ſuperſtitio eorum proceſſit, vt homines etiam pro ſanctis quandoque colant, de quibus, num omnino chriſtiani fuerint, multo minus, an ſanctorum in numerum recte referantur, certo non conſtat. Quod merito improbant, qui paullo cordatiores in hocce coetu ſunt, ſpeciatim IO. MABILLONIVS, qui ſub EVSEBII ROMANI nomine, *epiſtolam ad Theophilum Gallum, de cultu ſanctorum ignotor.* edidit, quae Pariſiis prodiit, anno 1698, recuſa autem eſt Vltraiecti anno 1705. Plura nunc non addo, cum plenior argumenti huius tractatio ad alium locum ſpectet.

* Pie & ſobrie de ſepultura loquitur, quem iam laudauimus, RHEGIVS, *de formulis*

Digitized by Google

mulis caute loquendi, *c. 18. p. 96. ſeq. Articulus*, inquit, *noſtrae fidei*, *praecipue docet*, *hanc eamdem carnem*, *quam nunc geſtamus*, *in nouiſſimo die glorificandam*, *& reſurrecturam eſſe in vitam aeternam. Sicut enim Chriſtus reſurrexit*, *& vltra non morietur*, *ita chriſtiani omnes reſurgere habent cum corporibus ſuis*, *inquit Athanaſius*, *in ſymbolo. Quare ſepultura eſt a chriſtianis religioſe tractanda*, *propter infallibilem ſpem noſtrae reſurrectionis*, *&c.* Multa ceteroquin de ſepultura, eiusque iure diſputari ſolent, quae huius loci non ſunt. Adeat, qui praecipua cupit, GROTIVM, *de iure belli & pacis*, *l. 2. c. 19.* & quae viri docti in commentariis ſuis ad iſtum locum diſputant.

§. XXI. Ne autem corpus, quo anima maxime, ad bene aut male agendum, inſtrumento vſa eſt, aut praemii, aut poenae expers maneat, mortuorum futura eſt reſurrectio; quam, licet ratio non capiat, ſcriptura tamen tam luculenter docet, vt negari nequeat, niſi huius ſimul in dubium vocetur auctoritas diuina. * Ita autem futura eſt haecce reſurrectio, vt anima eodem cum corpore, quod in hacce vita noſtrum fuit, iterum ſit coniungenda. **

* Non de ciuili quadam, aut ſpirituali, ſed ea, quae *corporis*, ſeu carnis dicitur, reſurrectione hic ſermonem eſſe, res ipſa docet. Haec autem in corporis eiusdem, quod morte proſtratum eſt, reſtitutione, animaeque cum eo vnione, conſiſtit. Ratio equidem ſibi relicta quod eam non capiat, mirum non eſt, cum inter myſteria, quae Deus nobis reuelauit, mortuorum reſurrectio haud vltimum teneat locum. Hinc & gentilibus, quorum intellectus adfectibus inſuper corruptus erat, difficulter perſuaderi potuit; immo, cum Paulus apud Athenienſes reſurrectionis mortuorum mentionem feciſſet, quidam ἐχλεύαζον, eum *deridebant*, *actor. XVII, 32.* Recte tamen informata ratio facile adſequitur, fieri non tantum poſſe, vt Deus mortuos reſuſcitet, ſed id etiam conueniens eſſe, etſi modum non capiat. Hoc ita ſe habere, intelliget, qui inter virtutes diuinas *poteſtatem*, *bonitatem*, atque *iuſtitiam* conſiderauerit. Potentia namque diuina cum immenſa ſit, efficit, vt *poſſit* ſuſcitare mortuos; reliquae virtutes, vt & *velit*. Hinc & ſeruator Sadducaeos ad potentiam diuinam ablegauit: *erratis*, *neſcientes potentiam Dei*, *Matth. XXII, 29.* Et Paulus idem innuit, quando dicit: *Quid? incredibile iudicatur apud vos*, *quod Deus mortuos ſuſcitet? actor. XXVI, 8.* Bonitatis & iuſtitiae diuinae conſideratio eodem nos ducit. Vti enim vitium & virtus totius hominis ſunt, non autem vnius partis duntaxat; ſic retributionem vtrique propoſitam ad totum hominem, non ad partem ſolum illius pertinere, vt credamus, par eſt: quod & apoſtolus ipſe ſignificat, *2. Cor. V, 10.* Fuerunt, qui traderent, ex animalis cuiusdam ſeu plantae cineribus, idem animal, eamdemque iterum poſſe reſuſcitari plantam; idque experimentis confirmare conati ſunt, indeque reſurrectionem mortuorum non eſſe impoſſibilem, probare voluerunt. Multa hanc in rem leguntur apud PETRVM BORELLVM, in *hiſtoriis*, *& obſeruationibus medico-phyſicis*, *cent. 2. obſ. 21. p. 123.* KIRCHERVM, *ſcrut. peſtis*, *ſect. 1. cap. 7. exper. 2.* & *de arte magnet. lib. 3. part. 3. cap. 1.* aliosque. Sed haec ceu vana & inania exploduntur ab aliis.

Ad ſcripturam itaque ſi nos conuertamus, SPINOZA equidem, dum reſurrectionem mortuorum haud obſcure pro commento quodam phariſaico habet, *tract. theologico-politico*, *cap. 10. p. 130. 136.* in eam non

Digitized by Google

non poteſt non ingredi ſententiam, ante illam aetatem dogma de reſurrectione mortuorum in gente Iſraëlitica ignotum fuiſſe. Sed conticeſcere hominem iubent, luculentiſſima librorum veteris teſtamenti oracula. Enimuero doctrina haec, cum ad ipſum foedus gratiae, quod Deus cum hominibus poſt lapſum iniit, praecipua quadam ratione ſpectet, dubium non eſt, quin primis ſimul parentibus fuerit reuelatum, & ab iis ad poſteros propagatum. Certe, quando Henochus, ſeptimus ab Adamo, de iudicio extremo, atque vniuerſali vaticinatus eſt, teſte Iuda, *epiſt. v. 14.* reſurrectionem mortuorum ſimul confirmauit. Nec enim ſollemne eiusmodi iudicium, atque vniuerſale, cogitari poteſt, absque reſurrectione mortuorum. Quare & omnia ea loca, quae de hocce iudicio vniuerſali loquuntur, *Gen. XVIII, 25. pſ. L, 3. XCVIII, 9.* reſurrectionem ſimul mortuorum comprobant. Luculenta cumprimis verba ſunt Salomonis: *Nam omne opus Deus ipſe adducit in iudicium, cum omni re occulta, ſiue bonum, ſiue malum; Kohel. XII, 14.* conf. & *cap. XI, 9.* Sed ipſa etiam ſubinde reſurrectio mortuorum in libris veteris teſtamenti traditur. Quo pacto ipſe ſeruator ex verbis Dei, *Exod. III, 6. Ego ſum Deus Abrahami, Deus Iſaaci & Deus Iacobi*, eam contra Sadducaeos euincat, notum eſt ex *Matth. XXII, 23.* Quae quidem neutiquam obſcura, aut ob ſubtilitatem ſupra plebeiorum hominum captum poſita eſt argumentatio, ſed plana ſatis atque perſpicua. In mortuos enim, adeoque nihil ſentientes, beneficia conferri non poſſe, quilibet facile intelligit. Abrahamus itaque, Iſaacus, Iacobus, non plane mortui ſunt, ſed qua animam viuunt; cumque ſola anima Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum non conſtituat, tempus erit, quo anima iterum cum corpore coniungetur; quod, ſi mortuorum non daretur reſurrectio, fieri non poſſet.

A Moſe ad Iobum progredimur, cuius teſtimonium, quod *cap. XIX, 25, 26.* exſtat, vtramque merito hic facit paginam. *Ego ſcio*, inquit, *redemtorem meum viuum, & poſtremus ſuper puluerem ſtabit. Et poſt cutem meam* (confectam vel conſumtam) *circumdabuntur haec*, (membra mea, eadem cute) *& ex carne mea videbo Deum; quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius.* Primo hic de redemtoris ſui, tum de ſua reſurrectione loquitur Iobus, confeſſionemque longe pulcherrimam edit. Per גאל enim eiusmodi denotari adſertorem, vindicem, liberatorem, & redemtorem, qui, iure conſanguinitatis motus, cauſſam propinqui ſui interfecti adſerit, eiusque ſanguinem vindicat, dudum viris doctis obſeruatum eſt: vnde & a THEODOTIONE per ἀγχιστεὺς vertitur. Nec alium, quam Dei filium, qui hominum omnium redemtor atque ſeruator eſt, hic intelligi, res ipſa docet, & rationibus luculentis euincere poſſemus, ſi id nunc nobis agendum eſſet. De hocce redemtore ſuo Iobus profitetur, ſe *ſcire*, ſeu, *certa firmaque fide tenere*, quod *viuat*, vita ſcilicet diuina, adeoque & auctor ſit omnis vitae, naturalis, ſpiritualis, atque aeternae. Profitetur autem porro: ואחרון *& poſtremus ſtabit*, *ſeu ſurget ſuper puluerem.* Exiſtimo enim, vocem אחרון verti rectiſſime per *poſtremum*, ſeu *poſteriorem*, ipſumque intelligi Meſſiam, qui *poſtremus*, ſeu *poſterior* dicitur, non quidem, quod poſtremus omnium hominum futurus eſſet, ſed quod poſt Adamum, humani generis corruptorem, ille venturus eſſet in poſtremis diebus, humani generis redemtor. Non quippe infrequens eſt, vt formula באחרית הימים de tempore, quo venturus erat Meſſias, adhibeatur. Ipſa autem reſurrectio exprimitur hisce vocibus: על עפר יקום *ſuper puluerem* ſeu *terram ſtabit*, *vel ſurget.* Voce עפר *puluis*, etiam terram ſignificari, dubio caret. Verbum קום, tum *ſtare*, tum *ſurgere* ſignificat,

Digitized by Google

ſignificat; vt adeo ſenſus ſit: ſtabit, vel ſurget ſuper terram, qui antea in terra iacuit, quo ipſo luculenter ſatis reſurrectionem redemtoris exprimit. Ceterum, verbum יקום hic non *tranſitiue*, ſed *intranſitiue* capiendum eſſe, res ipſa docet; operamque & oleum perdunt, qui contrarium probare conantur. Praeclare admodum autem Iobus cum reſurrectione ſeruatoris, ſuam reſurrectionem connectit; cum illa vtique ſit fons, & fundamentum reſurrectionis fidelium ad vitam. Quare ita pergit: ואחר עורי נקפו זאת *& poſt cutem meam circumdabuntur haec.* Ita enim cum B. SEB. SCHMIDIO verba haecce vertenda cenſeo. Senſus nimirum hic eſt: *poſt cutem meam deſtructam, & in puluerem redactam, ex mortuis ſum reſurrecturus, futurumque, vt haec mea omnia* (quae digito velut monſtrauit) *oſſa, caro, corpus denique totum, eadem cute mea circumdantur.* Hoc ſibi velle Iobum, rationibus luculentis oſtendit, quem iam laudauimus, SCHMIDIVS, in *comment.* ad *h. l.* Quae denique reſurrectionem ſequutura ſint, hiſce verbis Iobus exprimit: *& ex carne mea videbo Deum &c.* Sunt equidem, qui hocce effatum aliter interpretantur, vt Iobus non tam de reſurrectione mortuorum, quam reſtitutione ſua, quam ſperauerit, loqui videatur. Ita namque nonnulli illud explicandum cenſent: *Scio, redemtorem, vel defenſorem meum, hoc eſt, Deum, viuere; & poſtremo ſuper puluerem me excitabit, vel, ſuper puluerem ſtabit, vt me defendat, & cauſſam meam agat: qui autem poſt cutem meam ſunt, hoc eſt, qui me premunt, vrgent, vexant, circumdabuntur, inuoluentur ruina ſua, atque in extremas anguſtias redigentur.* Atque haecce interpretationem inter alia inde quoque confirmare adnituntur, quod & Iudaeorum quidam hunc locum de reſurrectione mortuorum non intelligant; cum tamen ceteroquin nulla cauſſa adſit, cur a chriſtianis hic in diuerſum abire debeant, ſiquidem non minus ac hi mortuorum reſurrectionem credant. Nec illud praetermittunt, primum fuiſſe CLEMENTEM Romanum, qui huncce locum de reſurrectione mortuorum explicauerit: quem deinceps reliqua interpretum turba magno agmine ſit ſequuta: CLEMENTEM autem fontes non conſuluiſſe, ſed LXX interpretes ſequutum, qui ſaepiſſime a veritate ebraica diſſentiant. Qua in re praeeuntem ſibi habent COLOMESIVM, qui in *notis ad Clementis Romani epiſtolam, p. m. 66.* ita pronuntiat: *Hunc Iobi locum ad reſurrectionem primus traxit B. Clemens, quem alii poſtea ſequuti ſunt.* Addit porro talia, ex quibus facile colligas, eum itidem exiſtimaſſe, huncce locum de reſurrectione non agere. Verum haecce omnia ita comparata ſunt, vt facili negotio dilui queant. Fruſtra adſumitur, vocem גואל generatim ſaltem vindicem, vel defenſorem quemdam ſignificare, vt adeo neceſſario Meſſiam non denotet. Eiusmodi enim eam ſignificare vindicem, qui iure conſanguinitatis motus, cauſſam propingui ſui interfecti adſerit, antea iam obſeruauimus, & alias quoque longe eſt notiſſimum. Hoc autem tantum de Meſſia, ſeu filio Dei dici poteſt. Accedit, quod eiusmodi redemtor hic intelligendus ſit, quem Iobus oculis corporis ſui videre aliquando potuit; quod itidem in ſolum Meſſiam quadrat. Verbum יקום neutiquam tranſitiue explicari poſſe, conſtat, anteaque iam docuimus. Nec locum *Amos. VII, 2.* huc quadrare, oſtendit HACKSPANIVS, in notis *philol. ad h. l.* Idque tandem ipſimet illi, contra quos diſputamus, concedunt, quando putant, etiam intranſitiuam ſignificationem retineri poſſe, vt ſenſus ſit: *& ſtabit* (Deus) *ſuper puluerem, vt me defendat, cauſſamque meam agat.* Satis hoc ipſo oſtendunt, quod ſibi ipſis non conſtent. Ad vltimam vero iſtam interpretationem quod attinet, etſi eidem GROTIVS quoque ad *h. l.* faueat, probari

bari tamen nequit, formulam קום על עפר *ſtare ſuper puluerem*, apud Ebraeos de victoria vſurpari, cum ſecundum propriam contra, atque genuinam ſignificationem, recte de reſurrectione mortuorum capiatur. Nullo praeterea exemplo probare poſſunt, אחר אורי *poſt cutem*, ſcilicet eſſe, idem apud Ebraeos eſſe, ac *premere, vrgere, vexare*. Sed hinc, quo fundamento reliqua innitantur, & quid adeo de noua iſta, quam adſerunt, verborum Iobi interpretatione, cenſendum, abunde liquet. Iudaeos quosdam, in loci huius interpretatione, nobiscum non conſentire, mirum non eſt. Licet enim reſurrectionem mortuorum credant, non eodem tamen modo eam credunt, quo chriſtiani. Multi namque inter eos in ea verſantur opinione, iuſtos tantum reſurrecturos; hancque eſſe ſententiam R. SAADIAE, MAIMONIDIS, NACHMANIDIS, R. CHASDAI, aliorumque, R. ISAAC ABARBANEL refert, *praefat. in Eſ. fol. 3. col. 1.* Immo, fuerunt qui exiſtimarent, ipſum Iobum reſurrectionem mortuorum negaſſe; vid. MENASSEH BEN ISRAEL, *de reſurrect. mortuor. l. 1. c. 16. §. 125.* Accedit vero, quod praecipuum eſt, Iobum de ſua reſurrectione ita loqui, vt eam in reſurrectione redemtoris fundatam agnoſcat. Quod, cum Iudaeis placere nequeat, cauſam facile intelligimus, cur haecce Iobi verba de reſurrectione mortuorum capere nolint. Ad CLEMENTEM denique Romanum quod attinet, primum eum fuiſſe, qui haec verba ad reſurrectionem traxerit, dicitur quidem, ſed non probatur. Immo, adſumitur hic, quod neutiquam euictum eſt, ea de reſurrectione mortuorum non loqui. Nec euictum, CLEMENTEM LXX interpretes hic ſequutum. Inter verba enim CLEMENTIS, & verſionem LXX interpretum, diſcrimen aliquod intercedit. Sed, ſi vel maxime ſequutus ſit LXX interpretes, nihil tamen inde, quod nobis obſit, euinci poteſt. Etſi enim interpretes iſti ſaepe errauerint, nec ſenſum textus ebraei recte expreſſerint, inde tamen non ſequitur, quod hic quoque errauerint; aut ſi quis hoc adſerere velit, illi luculentis hoc probandum eſt rationibus. Plura de hocce oraculo dabit praeter alios SPANHEMIVS, in *hiſtoria Iobi c. 13.* Ipſe etiam illud iam attigi, in *hiſtoria eccleſiaſtica vet. teſt. tom. 1. per. 1. ſect. 3.* ad *§. 16. p. 372. ſeq.*

Ad reliqua librorum veteris teſtamenti teſtimonia quod attinet, miſſis nunc iis, quae ex *pſ. XVII, 15. XXXIV, 21. Eſ. XXV, 7, 8.* collat. cum *1. Cor. XV, 54. Eſ. XXVI, 19. XXXV, 10. LXVI, 13. 14.* proferri ſolent, illuſtre ſaltem Danielis effatum *cap. XII, 20.* addo: *multi ex his, qui dormiunt in terrae puluere, euigilabunt; hi ad vitam aeternam, illi ad opprobria, & contemtum aeternum.* Tam perſpicua haecce verba ſunt, vt ipſe SPINOZA fateatur, ea de reſurrectione mortuorum loqui, *tract. theol. polit. c. 10. p. 130, 136.* Eo magis itaque mirandum, GROTIVM, duce quidem, vt ipſemet profitetur, PORPHYRIO, per eos, qui *in terrae puluere dormiunt*, intelligere, qui ex Iudaeis ob religionem eiecti vrbe, oppidis, vicis, & villis, in ſumma anguſtia vitam tranſigebant: hosce *euigilaturos*, hoc eſt, ad patrias reuerſuros ſedes, & loca, maioribus ſuis habitata. Verum, cum Daniel iam antea de antichirſti reuelatione, in vltima mundi aetate exſpectanda, verba fecerit, non poſſunt quoque non, quae de dormientibus excitandis dicit, ad ſaeculorum omnium finem referri. De ſalute porro illorum loquitur, quorum nomina in libro (vitae) ſcripta ſunt. Quod longe auguſtius quid eſt, quam vt de liberatione a vexationibus ſyriaci tyranni, poſſit intelligi. Et, quid ambagibus opus? Nonne *vita*, quam hic commemorat, *aeterna*, *aeternumque opprobrium*, ſatis ſuperque docet, de mortuorum reſurrectione hic ſermonem eſſe? Per vitam enim aeternam, *vitam*,

vitam longam, & per aeternum opprobrium, *contemtum*, quem quis per longum temporis ſpatium ſubire debeat, intelligere velle, tam ieiunum eſt, vt nulla refutatione indigeat.

Ex noui teſtamenti libris teſtimonia pro reſurrectione mortuorum adferre, ſupervacaneum foret; tanta illorum & multitudo eſt, & perſpicuitas. Chriſtus ipſe ex inſtituto eam euincit contra Sadducaeos, *Matth. XXII, 31, 32.* & Paulus contra eos, qui in eccleſia Corinthiaca illam negabant, *1. Cor. XV, 12. ſeq.* conf. & *Io. V, 28, 29. VI, 39, 40. XI, 24, 25. 1. Cor. VI, 14. 2. Cor. I, 9. &c.* Tam arcto etiam vinculo reſurrectio fidelium cum Chriſti reſurrectione coniuncta eſt, vt ex hacce illa ſubinde deriuetur & demonſtretur, quod & Iobum *cap. XIX, 25, 26.* feciſſe, antea obſeruauimus; conf. *1. Cor. VI, 14. XV, 12.* Non minus & ex inhabitatione ſpiritus ſancti in cordibus fidelium eam apoſtolus euincit, *Rom. VIII, 11.* Sed vt plura addamus, neceſſe non eſt.

*† Inter eos, qui reſurrectionem mortuorum credunt, plurimi fuerunt, qui idem, quod in hac vita habemus, corpus, cum anima iterum vniendum eſſe, ſibi perſuadere non potuerunt. Nihil nunc de ORIGENE dicam, cuius genuinam hac de re ſententiam apud HVETIVM legere licet; *Origenian. lib. 2. cap. 2. quaeſt. 9. p. 130.* Nihil etiam de Socinianis, aliiſque, qui hoc nomine paſſim vapulant. Inter recentiores ARTHVRVS BVRY, in *latitudinario orthodoxo, part. 2. c. 4. p. 131. ſeq.* reſurrectionem eiusdem numero corporis & impoſſibilem, & iuſtitiae diuinae aduerſam eſſe, pronuntiat, idque eam ob cauſſam, quod corpora humana ob continuum particularum effluxum, & nouarum ſucceſſionem, perpetim immutentur, vt fluminis inſtar ſint; vnde, ſi poena aliquando a corpore ſumenda ſit, non adpareat, a quibus demum particulis, num iis, quas in iuuenili, an virili aetate habuerit corpus, ea ſit ſumenda. Ita ſententiam eius refert STRIMESIVS, in *ingenua in Armenianiſmum inquiſitione, adnotat. epimetr. poſter. §. 2. p. 333.* Sunt alii, qui exiſtimant, eumdem poſſe hominem dici, etſi non eadem ſit materia, quae cum anima iterum iungatur. Ita CLERICVS hac de re pronuntiat. *Neque enim minus*, inquit, *fuerit idem homo is, cuius animus coniunctus fuerit cum materia, cum qua numquam coniunctus fuerat, ſi ſit idem animus; quam fuit idem homo ſenex decrepitus, & infans vagiens in cunis, quamuis ne particula quidem forte ſuperſit in ſene, eius materiae, quae fuit in infante, propter perpetua effluuia, quae ex corpore elabuntur. Reſurgere corpus optime dici poteſt, cum ſimile ex terra a Deo formatur, coniungiturque menti. Itaque non opus eſt, vt in nimias anguſtias nos redigamus, dum ταυτότητα materiae nimis rigide defendimus;* in *not. ad Hug. Grotium, de veritate religionis chriſtianae, lib. 2. §. 10. p. 108.* Alii rurſus cum facile videant, idem corpus, adeoque & eumdem hominem dici non poſſe, niſi & materiae ταυτότης adſeratur, alias rationes, vt difficultatibus, quae hic occurrunt, ſe expedirent, excogitarunt. Et GVRTLERVS quidem exiſtimat, Deum in principio creationis ſingulis mentibus ſua deſtinaſſe corpora, ſuasque particulas, ex quibus quodlibet corpus conſtare debeat: quibus tamen poſt lapſum multae particulae heterogeneae, immo noxiae, multae etiam ſuperfluae, quae ſine corporis deſtructione abeſſe queant, admiſceantur. In reſurrectione itaque hominem accepturum corpus illud, quod Dei deſtinatione ipſius proprium eſt, remotis heterogeneis, noxiis, ſuperfluis. Huc fere redeunt, quae hac de re differit, in *ſyſtemate theologiae propheticae, c. 44. art. 1. p. 725.* Vlterius progreditur CONNOR, & eadem equidem reſurrectura corpora fatetur, ſed puſilla admodum, nec eadem membrorum quantitate,

qua

Digitized by Google

qua in vita praedita fuerunt, nec etiam cum omnibus, ſingulisque partibus, quin potius plerisque, tum nutritioni, tum reſpirationi inſeruientibus, priuanda; in *euangelio medici, ſeu medicina myſtica, art. 13. p. 108. ſeq.* Sunt denique, qui quaeſtionis huius, num idem numero corpus reſurrecturum ſit? deciſionem, non admodum neceſſariam, aut vtilem eſſe, credunt, cum inter curioſas ſit referenda. LIMBORCHII haec eſt ſententia, qui tamen ſimul addit, probabilius omnino eſſe, quod eadem numero reſurrectura ſint corpora, quod variis etiam rationibus comprobat, *theolog. chriſt. l. 6. c. 11. c. 36. p. 725.* Sed dubitare hac de re non licet, quantumuis ratio modum non capiat, cum ſcriptura ſacra diſerte hoc adſerat. Ipſa enim vox ἀνάστασις hoc nos condocet, quae eiusdem corporis erectionem, ſeu reſtitutionem denotat. Hinc & Paulus: *viuificabit mortalia corpora veſtra;* veſtra, inquit, hoc eſt, eadem, quae nunc habetis, *Rom. VIII, 11.* Et Iobus, *cap. XIX, 25, 26.* certo ſe ſcire adfirmat, *eadem,* qua membra eius tegebantur, *cute*, ſe circumdatum iterum iri; ſe *ex ſua carne viſurum Deum.* Sic rurſus Paulus: idem *corpus*, *quod ſatum cum corruptione ac deformitate*, & *omnium virium expers*, & *animale*, *ſuſcitandum eſſe*, dicit, & caeleſti gloria perfundendum; *1. Cor. XV, 42. ſeq.* conf. & *Philip. III, 21.* Idem corpus, quod *in monumento iacuit*, a Chriſto reſuſcitabitur, *Io. V, 28.* Exempla porro eorum, quos Chriſtus, prophetae, & apoſtoli reſuſcitarunt, hoc quoque comprobant; cumprimis & reſurrectio ipſius Chriſti, imaginem exactiſſimam noſtrae reſurrectionis exhibens; conf. *1. Cor. XV, 49.* Iuſtitiae denique diuinae hoc poſtulat ratio, cum iniquum foret, ſi aliud, & non illud ipſum, quo improbi peccarunt, corpus puniendum ſit; aut aliud, nec illud ipſum, quo pii homines dura quaeuis, atque aſpera perpeſſi ſunt, praemio adficiendum; conf. *2. Cor. V, 10.* Dubia, quae hic mouentur, eum non morabuntur, qui expenderit, apud Deum non eſſe ἀδύνατον πᾶν ῥῆμα, *Luc. I, 37.* eumque longe plura efficere poſſe, quam nos cogitationibus noſtris adſequi valemus. Recte GROTIVS: *Cum inter pleroſque philoſophos conſtet, rebus quantumcumque mutatis, manere materiam diverſarum ſpecierum capacem: quis dicat, aut Deum neſcire, quibus in locis, etiam longiſſime diſtantibus, ſint materiae iſtius, quae ad humanum corpus pertinuit, partes; aut deeſſe ei potentiam, qua eas reducat, atque recomponat, idemque faciat in ſuo vniuerſo, quod in fornacibus aut vaſis facere chymicos videmus, vt, quae congenera ſunt, quamuis disiecta, colligant? de verit. religion. chriſtian. lib. 2. cap. 10.* vbi & reliqua, quae addit, legi merentur; conf. & WITSIVS, in *ſymbol. apoſtol. exercit. 26. §. 22. ſeq. p. 498. ſeq.*

§. XXII. Reſurgent omnes homines, ſine aetatis, ſtatus, aut alio quocumque diſcrimine. Idque finis reſurrectionis, vt quilibet intuitu corporis etiam bene aut male actorum praemium, aut poenam referat, poſtulat.* Impii itaque pariter ac pii reſurgent, cum iuſtitiae diuinae non minus interſit, vt illi qua corpora puniantur, quam vt hi eodem modo recte factorum praemium accipiant. **

* De fine proximo reſurrectionis loquimur, qui intuitu *fidelium* eſt, vt ad plenam beatitudinis poſſeſſionem admittantur; intuitu autem *infidelium*, vt extremum ſupplicium ſubeant; conf. *2. Cor. V, 10.* Vltimum enim, diuinae gloriae in iuſtitia tum vindicatiua, tum remuneratoria, manifeſtationem eſſe, nemo dubitat.

** Eſſe

Digitized by Google

** Eſſe quoſdam inter Iudaeos, qui, impios homines non reſurrecturos, doceant, viris doctis dudum obſeruatum eſt. De Socinianorum quibusdam idem conſtat. Quibusdam, inquam. Omnibus enim eam ſententiam tribui non poſſe, luculenter oſtendit LIMBORCHIVS, *theol. chriſt. l. 6. c. 11. §. 11, 12. p. 719.* Negari autem impiorum reſurrectio a nemine poteſt, niſi qui euidentiſſimis ſcripturae ſacrae oraculis vim apertam inferre velit. Danielis teſtimonium notum eſt: *Et multi ex dormientibus in terra pulueris, expergiſcuntur, hi ad vitam aeternam, illi ad opprobria, & contemtum aeternum; cap. XII, 2.* De reſurrectione corporum illud intelligendum eſſe, antea iam euicimus. Omnium vero hominum, tum piorum, tum impiorum reſurrectionem vates ſanctiſſimus innuit, dum nonnullos ad vitam aeternam, alios ad opprobrium aeternum reſurrecturos, diſerte adſerit. Qui enim ad vitam aeternam reſurrecturi ſunt, non alii ſunt, quam homines iuſti, ſiue pii; & qui ad opprobrium aeternum reſurrecturi ſunt, non alii ſunt, quam iniuſti, ſiue impii. Cumque nemo mortalium inueniatur, quin ad alterutram claſſem pertineat, perinde hoc eſt, ac ſi dixiſſet, omnes omnino homines, nemine excepto, reſurrecturos. Non itaque eſt, vt quemquam moueat, quod dicitur, רבים *multos* reſurrecturos. Eam enim vocem ſubinde idem ſignificare, ac *omnes*, notum eſt; hic autem aliter eam capi non poſſe, diſtributio illa hominum in pios & impios, ſatis ſuperq; docet. Ad noui teſtamenti libros ſi progredimur, ipſum ſtatim ſeruatoris effatum occurrit, quod omne prorſus dubium eximit: *veniet hora, qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius; & prodibunt, qui bona fecerint, in reſurrectionem vitae; qui vero male egerint, in reſurrectionem condemnationis, Ioan. V, 28, 29.* Si *omnes, qui in monumentis ſunt*, vocem ſeruatoris homines reſuſcitantis, audituri ſunt, ergo & impii; de quibus inſuper diſerte dicitur, quod illi, qui *male egerint*, hoc eſt, impii, reſurrecturi ſint ad condemnationem. Qui auem verba haecce de *reſurrectione ſpirituali* intelligenda contendunt, id agunt, vt non interpretari ſcripturam, ſed peruertere, & omnium exponere ludibrio, merito cenſeantur. Quid vero luculentius, quam quod Paulus *actor. XXIV, 15.* dicit: *Spem habeo in Deo, fore, quam etiam ipſi exſpectant, reſurrectionem mortuorum, tum iuſtorum, tum iniuſtorum.* Non ſuam modo, ſed Iudaeorum quoque hanc ſententiam eſſe, apoſtolus profitetur, quod tum iuſti, tum iniuſti ſint reſurrecturi. Vix cogitari poterat, regeri hic aliquid poſſe; & tamen nonnulli ſibi inueniſſe viſi ſunt, quod regererint. Per *iuſtos* enim eos intelligendos contendunt, qui in omni vita iuſte vixerunt; per *iniuſtos* autem, qui, cum aliquando impie vixiſſent, ad Deum tandem conuerſi ſint, vt publicanus ille, atque latro in cruce. Sed monſtroſae iſtius diſtributionis fidelium, in iuſtos & iniuſtos, nullum ex ſcriptura ſacra proferre poſſunt exemplum. Quin potius numquam fideles fidelibus in iſta ἀντιθέσει, ſed fidelibus impii opponuntur, vt patet ex *pſ. I, 6. Matth. V, 45. 1. Cor. VI, 1. 2. Petr. II, 9.* Poſſet idem vlterius ex progreſſu extremi iudicii, vbi iuſti ad dextram, iniuſti ſeu impii, vtique a mortuis reſuſcitati, ad ſiniſtram iudicis collocabuntur; *Matth. XXV, 33.* itemque ex retributione, quam quisque in corpore ſuo, quod per reſurrectionem iterum accepit, feret *2. Cor. V, 10.* probari, niſi plura addere, ſuperuacaneum foret. Diſquiri etiam ſolet, num omnes vno eodemque tempore ſint reſurrecturi? an vero duplex futura ſit reſurrectio, prima & ſecunda? quam nonnulli ex *apoc. XX, 5.* ſtatuunt. Sed huius quaeſtionis diiudicatio ex iis petenda, quae de chiliaſmo diſputantur; de quo hic non agitur.

§. XXIII. De cauſſis reſurrectionis nihil dici poteſt, quod non ſua ſponte omnibus pateat, adeoque ſuperfluum videri queat. Hoc ſaltem monendum, parum adcurate eos loqui, qui impios etiam, ſiue damnandos, virtute meriti Chriſti reſurrecturos, contendunt. *

* Ecquis enim eſt, qui neſciat, Deum eſſe, qui mortuos reſuſcitabit, quemue adeo cauſſam efficientem principalem dicere, moris eſt, conf. *Rom. IV, 17. 2. Cor. I, 9.* Cum vero hoc eiusmodi ſit, vt omnibus trinitatis perſonis ſit commune, mox patri tribuitur, *Ioan. V, 21. 2. Cor. IV, 14.* mox filio, *Ioan. V, 21. VI, 39, 54. XI, 25.* mox ſpiritui ſancto, *Rom. VIII, 11.* Specialiori tamen ratione quadam, Chriſto ceu capiti humani generis, non tantum, qua Deus, ſed &, qua homo eſt, poteſtas reſuſcitandi mortuos vindicatur, idque ex pacto illo, quo pater filio regnum tradidit, vt hominum genus ſanguine ſuo redimeret, & μεσίτης eſſet inter Deum & homines; conf. *Ioan. V, 21, 25, 28.* Cauſſam, quam vocant *impulſiuam internam*, eſſe iuſtitiam Dei, remuneratoriam quidem intuitu fidelium, intuitu autem incredulorum, vindicatiuam, ex fine reſurrectionis intelligitur; *externam*, intuitu fidelium, eſſe meritum Chriſti, intuitu impiorum impoenitentiam finalem, ex iis, quae generatim de cauſſis obtinendae ſalutis ſubinde monentur, nemini obſcurum eſſe poteſt. Fuerunt equidem nonnulli, qui contenderent, impios etiam vi meriti Chriſti reſurrecturos. Notus prae reliquis hoc nomine eſt HENR. BOETIVS, theologus Helmſtadienſis, cui cum FRID. BALDVINO, theologo Wittebergenſi, hac ſuper re controuerſia interceſſit; conf. HIER. KROMAYERVS, *hiſt. eccleſ. ſaec. 17. pag. 649.* ANDR. CAROLI, *memorabilib. eccleſ. ſaeculi decimi ſeptimi, part. 1. l. 2. c. 12. p. 327.* Verum, cum reſurrectio improbis poenae loco ſit, meritum autem Chriſti ad bonum aliquod, hominibus impetrandum, tendat; facile intelligitur, illud pro cauſſa impulſiua reſurrectionis, intuitu impiorum, haberi non poſſe. In quibusdam equidem ſcripturae locis reſurrectio mortuorum videtur merito Chriſti tribui, vt *Ioan. XI, 25. 1. Cor. XV, 22.* At, ibi ſpeciatim de reſurrectione piorum ſermonem eſſe, res ipſa docet. Quod ſi quis ita hoc explicaret, impios reſuſcitari, vt ob ſpretum per incredulitatem meritum Chriſti puniantur, eius quidem recte ſe haberet ſententia: ἀκύρως tamen admodum loqueretur, qui diceret, impios ob meritum Chriſti reſuſcitari, vel meritum Chriſti eſſe cauſſam impulſiuam externam reſurrectionis, intuitu impiorum.

§. XXIV. Mortuorum reſurrectionem ſtatim excipiet extremum iudicium, per quod electi in plenam ſummae beatitudinis poſſeſſionem immittentur, damnati autem aeternis cruciatibus addicentur. Cuiusmodi iudicium aliquando fore, non inuita ipſa ratione, euidentiſſimis teſtimoniis ſcriptura docet; ex qua & conſtat, primis ſtatim hominibus ex diuina reuelatione hoc innotuiſſe; * *Iud. verſ. 14, 15.* conf. *Matth. XXV, 31. ſeq. act. XVII, 31.*

* Obſeruant nonnulli, quatuor vniuerſalia totius generis humani iudicia in ſcriptura ſacra memorari; primum in paradiſo, in generis humani parentes, *Gen. III, 8. ſeq.* alterum, in mundum ante-diluuianum, *Gen. VI, 3, 7.* tertium, in eos, qui ad exſtruendam turrim babelicam ſe conſociauerant, *Gen. XI, 5, 6, 7.* quartum denique

que nouiſſimum illud, de quo nobis nunc dicendum erit. Legenda autem, quae generatim de iudiciis diuinis commentatur B. MAIVS, in *oeconomia iudiciorum diuinorum.* Vniuerſale autem aliquod hominibus omnibus inſtare iudicium, ipſa quodammodo ratio ex prouidentiae diuinae conſideratione intelligit. Bonorum enim, malorumque cum hic commixta inter ſe fata atque confuſae vices ſunt; *Kohel. IX, 2.* immo, improbis ſaepius multa ex voto fluant, cum probis contra cum variis calamitatum generibus ſit colluctandum; *pſ. LXXIII, 3.* recte inde concluditur, Deum haec ita permiſſurum non eſſe, immo, per bonitatem, iuſtitiamque ſuam permittere non poſſe, niſi tempus futurum eſſet, quo quisque ſuarum actionum reddere rationem debeat. Confirmari haec egregie poſſunt, verbis Malachiae vatis, *cap. III, 16, 17, 18.* Idem vero & animi, prauorum ſibi conſcii, vis teſtatur. Vnde enim iſtae, aut adcuſationes, aut excuſationes? *Rom. II, 15.* niſi ipſa ratio quodammodo dictitaret, ſupremum aliquem eſſe iudicem, qui dictorum omnium factorumque rationem eſſet exacturus. De ſcripturae teſtimoniis nemo dubitat. Primis iam parentibus hoc a Deo reuelatum, ex *ep. Iud. v. 14.* recte colligitur. Certe & ipſa foederis gratiae, cum iis initi, hoc ratio poſtulat. Hinc & Abrahamus Deum orbis huius vniuerſi iudicem, & quidem iuſtiſſimum, agnoſcit, *Gen. XVIII, 25.* conf. & *pſ. IX, 8. Kohel. XII, 14.* Ex noui teſtamenti libris conf. adhuc *Rom. II, 16. 2. Cor. V, 10.*

§. XXV. Generatim Deus ipſe, qua omnes perſonas ſpectatus, iudex eſt; *Kohel. XI, 9. XII, 14. Rom. II, 5, 6. Ebr. XII, 23.* ſpecialiori tamen ratione Chriſtus, ceu regni, quod illi a patre traditum eſt, caput; *act. XVII, 31. Rom. II, 16. 2. Cor. V, 10. 2. Tim. IV, 1. Ioan. V, 22.* & quidem auctoritate non aliena, ſed propria, *Rom. XIV, 10, 11.* * magna cum gloria, *Matth. XXV, 27.* cum tuba Dei, *1. Theſſ. IV, 16.* & numeroſo angelorum comitatu, qui ſua in hocce actu miniſteria Chriſto praeſtabunt, *Matth. XIII, 41, 49. XXV, 31, 32. Luc. IX, 26. 1. Theſſ. IV, 16. 17. 2. Theſſal. I, 7.* ** Adſeſſores autem Chriſti ſanctos homines, ſpeciatim apoſtolos, in hocce iudicio fore, ex *1. Cor. VI, 2, 3.* & *Matth. XIX, 28.* itemque *Luc. XXII, 29, 30.* nonnulli colligunt. ***

* Nimirum, quia Deus iure creationis rex atque dominus eſt omnium hominum, hinc & legislator, *Iac. IV, 12.* ideoque & iudex eſt, ſeu facultatem habet, rationem omnium ab hominibus exigendi, & vnicuique ſecundum opera ſua reddendi, quae promeruit; *Rom. II, 6.* Quamobrem & generatim iudicium hoc Deo, *locis* iam *citatis*, alibique, adſcribitur. Quod ſpecialiori ratione Chriſtus iudicium hocce adminiſtraturus ſit, ex *locis citatis* itidem liquet. Referunt huc nonnulli & verba Eſaiae vatis: *Iehoua iudex noſter, Iehoua legislator noſter, Iehoua rex noſter, ipſe ſaluabit nos; cap. XXXIII, 22.* cum omnia haecce epitheta egregie in Meſſiam quadrent. Eſt autem Chriſtus iudex non tantum qua Deus, ſed & qua homo, adeoque, prout ex pacto cum patre caput & rex totius humani generis eſt conſtitutus. Atque id ipſemet nos condocet, quando dicit: *pater non iudicat quemquam, ſed iudicium omne dedit filio, Io. V, 22.* Repugnare huic videtur alterum eius effatum, *ego non iudico quemquam, Io. VIII, 15.* & iterum: *eſt, qui quaerat, & iudicet*, ſcilicet *pater*, *v. 50.* Sed facile haec inter ſe conciliabuntur. Pater ſolus absque filio,

eoq; modo, quo filius οἰκονομικῶς, ceu caput, & rex eccleſiae, non iudicat quemquam. Iudicat tamen cum filio, & per filium, qui vir ille eſt, *quem Deus iudicem conſtituit, actor. XVII, 31.* Rurſus & filius non iudicat quemquam, ſeorſim a patre; *Io. VIII, 16.* eoque modo, vt mundum, ſeu homines vniuerſos damnet, *Ioan. III, 17.* Rationem, cur pater omnem iudicandi poteſtatem filio dederit, ipſe iterum ſeruator, *Io. V, 27.* exponit: *& auctoritatem ei dedit, etiam iudicium exercendi*, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςί, *eo quod filius hominis eſt*, hoc eſt, eo quod ex pacto cum patre humanam naturam induit, vt ea faceret, atque pateretur, quibus ſuis ſalutem impetraret, hoſtium autem Dei regnum deſtrueret; hinc enim regnum, adeoque & poteſtas exercendi iudicium, illi debebatur. Pertinent huc, quae Paulus de ſtatu exinanitionis & exaltationis Chriſti diſſerit, *Phil. II, 5. ſeq.* Chriſtum autem, non aliena, aut delegata, ſed propria auctoritate iudicium exercere, facile intelligitur. Etſi enim hoc faciat, vt rex & caput eccleſiae, hoc tamen munere nemo, niſi qui & idem verus ſummusque Deus eſſet, fungi poterat. Praeterea, ſi ſecundum naturam diuinam ſpectetur, dubium nullum eſt, quin hoc faciat auctoritate propria, atque ſumma. Nec aliter ſe res habet, ſecundum humanam naturam, quippe quacum ob perſonalem vtriusque naturae vnionem, omnis maieſtas diuina eſt communicata; *Coloſſ. II, 9.*

** Magna cum gloria, ſeu in ſplendore diuinae maieſtatis, ſe venturum ad iudicium, ipſemet iterum ſeruator teſtatur: *Cum autem venerit filius hominis in gloria ſua, nec non omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit in throno gloriae ſuae, Matth. XXV, 31.* Vbi & in aduentu, & in ſeſſione in throno, diuinae maieſtatis ſplendor deſignatur. Neue aliam, quam diuinam, adeoque infinitam gloriam intelligamus, Chriſtus *ſe venturum* dicit, *in gloria patris ſui, Matth. XVI, 27.* hoc eſt, ea, quam cum patre, διὰ τὸ ὁμοούσιον communem habet. Ita autem comparata erit haecce gloria, vt mortalium omnium oculis conſpici queat, *Matth. XXIV, 30. XXVI, 64.* De tuba Dei, quae aduentum domini comitabitur, itemque de voce archangeli, Paulus ita loquitur: *Ipſe dominus deſcendet e caelo,* ἐν κελεύσματι *cum hortationis clamore, cum voce archangeli, & cum tuba Dei, 1. Theſſ. IV, 16.* Vbi quidem, quod ad vocem archangeli attinet, ſunt, qui hoc ita explicant, quod Chriſtus ipſe iuſſionis ſuae efficacia ſe demonſtraturus ſit principem angelorum; eo quod vnum tantum archangelum ſcriptura commemoret, qui ſit Chriſtus ipſe. Verum, non omnium haec eſt ſententia. Licet enim Chriſtus recte archangelus adpelletur, poteſt tamen & inter creatos angelos quidam princeps eſſe, qui archangeli nomine veniat. Certe, interpretatio iſta, qua per *vocem archangeli* vox ipſius Chriſti intelligitur, nimis coacta eſt; quia potius videmus, quod apoſtolus archangelum hunc diſerte a domino, ſiue Chriſto diſtinguat. Ad *tubam Dei* quod attinet, eius alibi quoque, *Matth. XXIV, 31.* & *1. Cor. XV, 52.* mentio iniicitur; quid autem per eam intelligendum ſit, viri docti inter ſe non conueniunt. Sunt, qui proprie eam interpretantur; ſunt, qui de tonitruis capiunt, qualia Deo, publice loquente, audita ſunt; *Exod. XIX, 16.* Sunt denique, qui vocem articulatam ab angelis in aëre formandam, e. g. *ecce! ſponſus venit, exite in occurſum eius, Matth. XXV, 6.* ſignificari putant. Refert haſce ſententias, atque copioſius ediſſerit, WITSIVS, qui ſimpliciſſimum ſimul & ſcripturae ſtilo conuenientiſſimum eſſe exiſtimat, ſi tubam illam de efficaciſſimo, omniaque peruadente, & virtutem ſuam in omnibus oſtendente Chriſti imperio, intelligamus; *exer-*

exercit. 22. in ſymbol. apoſtol. §. 15. pag. 405. Sed tutiſſimum erit, ſi nec hic a litera diſcedamus, quamuis nec aliae rationes deſint, quae ſuadeant, tubas proprie ſic dictas intelligendas eſſe, quas B. IO. GERHARDVS noſter exponit, *in harmonia euangel. c. 161.* conf. & CALOVIVS, ad *1. Theſſ. IV, 16.* Angelorum praeterea ingens erit multitudo, ad iudicis augendam gloriam, atque maieſtatem; *Matth. XXV, 31. Luc. IX, 26.* Atque hi etiam Chriſto, ceu iudici, in iudicandorum congregatione, in piorum ad beatas ſedes deductione, & impiorum ad infernum detruſione, miniſteria ſua praeſtabunt; quod ex locis iam adlatis patet.

*** Scilicet, vt ſententiam Chriſti calculo ſuo adprobent, prout *apoc. XIX, 1, 2.* hoc exprimitur. Sunt tamen, qui hic diſſentiunt, quos inter & WITSIVS eſt, in *ſymbol. apoſtol. exercit. 22. §. 18. ſeq. p. 407.* Et hic quidem exiſtimat, non neceſſe eſſe, vt verba Pauli *1. Cor. VI, 2, 3.* de nouiſſima die, aut futuro ſaeculo interpretemur; cum *ſancti iudicarint mundum*, quando chriſtiani facti ſunt magiſtratus & iudices, tempore Conſtantini magni, & deinceps. Sed, cum apoſtolus etiam dicat, quod *angelos iudicaturi ſint*, hoc factum eſſe, vir doctus contendit, quando veteres chriſtiani demonſtrarunt, eos, quibus gentes hactenus ſeruierant, non eſſe Deos, nec bonos genios, ſed ſpiritus nequam, ſiue malos daemonas: item, quando verbo & ſanguine ſuo eos vicerunt, & vim eorum coercuerunt, &c. Ad apoſtolos quod attinet, de quibus ſpeciatim Chriſtus dicit: *in regeneratione, cum ſederit filius hominis in throno gloriae ſuae, ſedebitis vos etiam in thronis duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraelis, Matth. XIX, 28.* putat WITSIVS, hiſce verbis nihil aliud, quam eorum prae ceteris omnibus Iſraelitis dignitatem, tam in regno gratiae, quam gloriae innui, quae ſermone improprio deſcribatur. Quae omnia, quam longe petita ſint, vel me non monente quilibet intelligit. Ego nullam cauſſam in vtroque loco video, quae nos cogat, vt a propria verborum ſignificatione diſcedamus. Sunt equidem & ex noſtratibus, qui cenſent, *ſanctos 1. Cor. VI, 2.* dici *iudicaturos mundum*, quod virtutum ſuarum exemplo alios improbitatis ſuae conuincant, atque condemnent; quo pacto & minus mali peiores condemnaturi ſint; *Matth. XII, 41. 42.* Sed qua ratione hoc in angelos, qui itidem iudicandi dicuntur, quadret, non video.

§. XXVI. Iudicabuntur autem omnes homines, nemine excepto, *2. Cor. V, 10. Rom. XIV, 10.* pii pariter ac impii, viui ac mortui; quorum illi transmutandi prius, & in occurſum domini rapiendi ſunt, *1. Theſſal. IV, 16. ſeq.* hi autem a mortuis reſuſcitandi. * Nec homines tantum, ſed & angeli mali, *2. Petr. II, 4. Iud. v. 6.*** Iudicabuntur porro ſuper omnibus actionibus ſuis, non tantum factis, *Rom. II, 6. 2. Cor. V, 10.* verum & dictis, *Matth. XII, 37.* immo & cogitatis; *Kohel. XII, 14. Rom. II, 16. 1. Cor. IV, 5.* ſed ita, vt ſententia demum intuitu aut fidei, aut incredulitatis finalis, ferenda ſit. ***

* Vnde & in ſymbolo, vt vocatur, apoſtolico, dicitur, quod Chriſtus venturus ſit, *iudicare viuos & mortuos.* De immutatione autem viuentium, qua corpora illorum in eum ſtatum perducentur, in quem perducuntur, qui a mortuis reſuſcitantur, dicit apoſtolus, quod futura ſit ἐν ἀτόμῳ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, *1. Cor. XV, 52.* Quando nimirum in nubibus in occurſum domini ſubuehentur, continget illa mutatio, qua

corpus morale in immortale, corruptibile in incorruptibile, animale in ſpirituale transmutabitur, obſeruato in reliquis diſcrimine, quod inter electos ac damnatos intercedit.

** De angelis bonis, quod iudicandi ſint, nullibi legitur. De malis autem, quod ad iudicium hocce magnum ſeruentur, diſerte Petrus atque Iudas tradunt, *locis citatis.* Nimirum, licet vinculis tenebrarum conſtricti, vim irae diuinae iam ſentiant, vltimum tamen adhuc illis imminet ſupplicium, vt ſupra iam docuimus.

*** Quatenus ſcilicet vtraque, tum fides piorum, tum incredulitas impiorum, ex operibus cognoſcitur. Vnde mirum non eſt, quod ſubinde in ſententia iſta iudiciali operum iniiciatur mentio, *Matth. XXV, 35, & 36,* it. *42, & 43. Rom. II, 6. ſeq. 2. Cor. V, 10.* Nimirum iudicii extremi non alia ratio eſſe poteſt, quam iuſtificationis in hac vita, cum illud ſit huius velut exſequutio. Vt ergo tantum per fidem iuſtificamur, *Rom. III, 28.* ita tantum intuitu fidei electi, in extremo iudicio ab omni poena abſoluentur, praemiumque referent. Vtque incredulitas eſt cauſſa proxima condemnationis, *Marc. XVI, 16.* ita eius quoque intuitu, ſententia pronuntiabitur in impios. Per opera autem cum vtraque manifeſtetur, horum mentionem fieri, nemo mirabitur.

§. XXVII. Proceſſus iudicii huius ita inſtituetur, vt cauſſae cognitionem, quam alii *iudicium diſcusſionis* adpellitant, * excipiat ſententiae pronuntiatio, ſeu *iudicium*, quod vocant, *retributionis;* eaque ſententiae pronuntiatio, pro illorum, qui iudicantur, diuerſitate, vel *abſolutoria* erit, vel *condemnatoria.* ** Vltimo tandem loco ſequetur exſequutio. ***

* Non ac ſi ſeruator, ceu iudex diſcusſione illa, ſeu inquiſitione, tum demum inſtituenda, opus habeat, ſed vt iudicii iſtius iuſtitia omnibus manifeſtetur. Nec operoſa erit iſta inquiſitio, quia ob iudicis omniſcientiam, *Mal. III, 5. Ioan. II, 25.* & cuiusque hominis conſcientiam, cuncta vnico velut momento temporis in apricum producentur. Manifeſtabuntur autem hac ratione omnia hominum opera, etiam maxime occulta, *Rom. II, 16. 1. Cor. IV, 9.* tum bona piorum, tum mala impiorum; illa quidem, ad fidem eorum comprobandam, ſimulque gratiae ac benignitatis diuinae magnitudinem exhibendam, haec autem ad pudorem improbis incutiendum, & iudicii diuini iuſtitiam demonſtrandam. Ad peccata piorum hominum quod attinet, ea per conſcientiae dictamen & illis in memoriam reditura, vt eo magis diuinae miſericordiae magnitudinem agnoſcant, a vero non abhorret: an vero aeque ac peccata impiorum publicanda ſint, de eo non vna omnium eſt ſententia. Qui hoc adfirmant, ad ea ſcripturae loca prouocant, in quibus dicitur, quod omnia hominum opera in iudicium producenda ſint; *Kohel. XII, 14. Rom. II, 6. 2. Cor. V, 10.* Putant etiam, iudicis iuſtitiam exigere, vt omnia cauſſae momenta ex vtraque parte expendantur; in maiorem quoque clementiae Dei, & meritorum Chriſti laudem, hoc ceſſurum, & quae alia ſunt, eiusdem generis. Sed potior mihi illorum ratio eſſe videtur, qui hoc negant. In proceſſus enim iudicialis deſcriptione *Matth. XXV, 31. ſeq.* nulla iſtius rei ſit mentio. Repugnant promisſiones diuinae, quod *peccatorum noſtrorum amplius recordari nolit, Eſ. XLIII, 25. Ier. XXXI, 34. Mich. VII, 19.* Opera quidem omnia, iuxta effata antea adlata, proferentur in iudicium, ſed non ideo ſtatim omnia publice recitanda ſunt. Iuſtitiae diuinae ratio ſatis ſibi conſtat, ſi ea opera, propter quae impii condemnabuntur, publice recen-

cenſeantur. !Ad clementiae, & meritorum Chriſti laudem celebrandam, ſatis eſt, ſi ipſis electis peccata, quorum remiſſionem impetrarunt, non ſint ignota; conferenda BEBELII *diſſertatio*, *de peccatis electorum, in iudicio extremo non publicandis*, quae exſtat in *ſylloge tractatuum, & diſſertationum, de ſtatu, loco, & vita animarum, poſtquam a corporibus diſceſſerunt &c. part. 2. p. 259. ſeq.*

** Praecedet ſententia *abſoluens*, ſequetur *condemnans;* illa nihil niſi gratiam, atque benignum Numinis fauorem ſpirans, ſecundum euangelium; haec cum mortis terrore coniuncta, ſecundum ἀκριβοδίκαιον legis, *Rom. II, 12.* Hinc & electi *benedictorum*, damnati *maledictorum* nomine veniunt; *Matth. XXV, 34, 41.* quorum illud euangelium, hoc autem legem nobis in memoriam reuocat.

*** Quae *Matth. XXV, 46.* hiſce verbis exprimitur: *Et abibunt iſti ad ſupplicium aeternum: iuſti vero ad vitam aeternam.*

§ .XXVIII. De loco extremi iudicii hoc ſaltem conſtat, quod in aëre & nubibus futurus ſit; *1. Theſſ. IV, 16, 17. Matth. XXIV. 30.* Ad tempus autem quod attinet, diem quidem certum a Deo conſtitutum eſſe, nouimus, *act. XVII, 31. Rom. II, 5.* eumque fore diem ſaeculi nouiſſimum, quo & reſurrectio mortuorum, & conſummatio rerum omnium futura ſit; *1. Cor. XV, 23, 24 2. Petr. III, 10, 12.* * ſimul tamen eum nobis incognitum eſſe; cum Deus noluerit, vt a quoquam ſciretur, *Marc. XIII, 32.* ** Interim ex certis ſignis, a Deo ipſo reuelatis, generatim, tempus extremi iudicii adpropinquare, cognoſci poteſt; quae quidem vel *remota* ſunt, vt haereſes, & varia calamitatum publicarum genera, vel *propria*, inter quae reuelatio antichriſti haud vltimum locum tenet. *** Atque, vt haec quidem ad antecedentia extremi iudicii pertinent, ita conſequens erit, mundi conſummatio, qua caelum & terra, & quae in iis ſunt, corpora, igne peritura ſunt; *2. Petr. III, 7, 10.*

* Atque hoc nobis ſufficere debet. Certam enim mundi plagam, aut regionem determinare velle, & temerarium eſt, & ſimul abſonum. Scriptura ſacra nihil hac de re dicit, & nullus deſignari locus, nulla regio poteſt, quae omnes homines, quotquot vmquam in orbe vixerunt, aut adhuc victuri ſunt, capere queat. Romanenſibus tamen, Iudaeorum incaute veſtigia ſequentibus, viſum, vallem Ioſaphati, cui mons olivueti imminet, vnde dominus in caelum adſcendit, pro iudicii extremi loco venditare. Cuius rei fundamentum in iſto Ioelis vaticinio: *Congregabo etiam omnes gentes, & deducam eas in conuallem Ioſaphati, vt diſceptem cum eis ibi, cap. III, 7.* & iterum: *Excitabuntur, & adſcendent gentes iſtae, in conuallem Ioſaphati, nam ibi ſedebo, ad iudicandum omnes iſtas gentes vndique; v. 17.* ſe inueniſſe ſibi perſuadent. Verum, incertum illud prorſus eſt, atque lubricum. Non illud adferam, quod viri docti adhuc diſputent, num *vallis Ioſaphat* ibi ſit nomen proprium, an adpellatiuum? Nec illud, quod, ſi concedatur, nomen proprium eſſe, nondum conſtet, quis terrarum tractus hocce nomine veniant, cum vallis illa, in qua Ioſaphati hoſtes perierunt, *vallis benedictionis*, non autem *vallis Ioſaphati* dicta ſit; *2. Chr. XX, 26.* Sed hoc ſaltem obſeruatione dignum puto, quod in iſto Ioelis vaticinio non de iudicio vniuerſali, ſed parti-

particulari quodam, ſermo ſit. Eximiam namque quamdam Dei in hoſtes eccleſiae noui teſtamenti vindictam, diuinus vates innuit, eamque haud abſimilem illi, qua Ioſaphati hoſtes Deus obtriuit. At hoc vlterius ediſſerere, huius loci non eſt.

** Quam certum eſt, diem quemdam a Deo conſtitutum, quo orbem vniuerſum iudicabit; tam certum quoque eſt, eum diem hominibus incognitum, & a nemine mortalium definiri poſſe. Et, qui poſſet? cum nec angelis caeleſtibus, immo, ne Chriſto quidem, ſecundum humanam naturam, in ſtatu exinanitionis ſpectato, dies iſte conſtiterit, *Matth. XXIV, 36. Marc. XIII, 32.* Interim apoſtoli iam ſua aetate de vltimo tempore ita loquuti ſunt, vt proxime illud inſtare, exiſtimaſſe, videri queant, conf. *1. Cor. X, 11. Philipp. IV, 5. Iac. V, 8, 9. 1. Ioan II, 18.* Quod non ita capiendum eſt, ac ſi cenſuerint, vltimum illum tam cito venturum diem, cum Paulus diſerte moneat, non tam propinquum eum eſſe, vt nonnulli ſibi perſuadeant; *2. Theſſ. II, 2.* ſed cum in vltimo temporum interuallo ſe conſtitutos intelligerent, & coram Deo mille anni ſint ſicut vnus dies, *2. Petr. III, 8.* hoc intuitu non ſine ratione, vltimum illud iam inſtare tempus, dicere potuerunt: quamquam quaedam loca a viris doctis de iudicio, ſiue clade, quae Iudaeis imminebat, explicentur. Ignotus autem licet ſit vltimi iudicii dies, fuerunt tamen ſemper, qui ſibi temperare non potuerunt, quin certum eius tempus definirent. Nec tantum recentiori aetate, ſed & inter veteris eccleſiae doctores fuerunt, qui id facerent; quorum nonnulli quidem quingentis, alii trecentis ſexaginta quinque, alii rurſus ducentis, poſt Chriſtum natum annis, mundi finem circumſcripſerunt. Recenſet haſce opiniones, earumque auctores indicat IO. BAPT. COTELERIVS, in *notis ad Barnabae epiſtolam, p. m. 44.* Notiſſima cumprimis, celeberrimaque eſt iſta *domus Eliae*, vt vocatur, *traditio*, de orbe, per ſex millia annorum duraturo. Legitur illa in *tractatu talmud. ſanhedrin*, & quidem in *gemara cap. 11. §. 29.* item in *tract. auodah ſarah*, itidem in *gemara c. 1.* Vbi tamen per Eliam, non Thisbitem illum, ſeu prophetam, in ſacrarum litterarum monumentis celebratum, ſed iuniorem quemdam intelligendum eſſe, viri quidam docti obſeruant. Sed non ſine ratione monent alii, fieri omnino potuiſſe, vt olim veteris illius, ſeu Thisbitae, domui, ſiue diſcipulis, Iudaei hanc traditionem adſignauerint: ſed cum deinceps animaduerterent, ſe hoc argumento valide vrgeri a chriſtianis, ſiquidem in eadem traditione bis mille anni effluxiſſe ante legem dicuntur, bis mille autem legi, & bis mille diebus Meſſiae tribuuntur; eos Eliam quemdam iuniorem, qui circa annum CL ab aedificatione templi ſecundi vixerit, commentos, & illum pro traditionis iſtius auctore venditaſſe. Ita vir longe doctiſſimus, IO. ALB. FABRICIVS, in *codice pſeud-epigrapho vet. teſtam. cap. 212. p. 1079.* Certe difficulter admodum Iudaeos hocce telum declinare, conſtat, quo & non ſine ſucceſſu contra eos vſus eſt HIERONYMVS A S. FIDE, quod copioſius ediſſerit LE MOYNE, in *notis ad varia ſacra*, & quidem *ad epiſtolam Barnabae, pag. 850. ſeq.* Non tantum autem Ebraeis, ex Eliae ſchola profectis, ſed Chaldaeis quoque theologis, Orpheo, hiſtorico Tuſco apud SVIDAM, in voce Τυῤῥηνία, inter chriſtianos autem IRENAEO, HIPPOLYTO, EVSTATHIO, LACTANTIO, item, HILARIO, HIERONYMO, aliiſque, tum inter Graecos, tum inter Latinos, eamdem placuiſſe ſententiam, pluribus docet, quem antea laudauimus, COTELERIVS, ad *Barnabae epiſtolam, p. 44.* Et ipſe quidem BARNABAS, vel quisquis auctor eſt epiſtolae, quae ſub eius nomine exſtat, cum ſabbathi ex *Gen. II, 2.* mentionem feciſſet, ita hac de re loquitur:

προσέχετε,

προσέχετε, τέκνα, τί λέγει, τὸ συνετέλεσεν ἐν ἓξ ἡμέραις· τοῦτο λέγει, ὅτι συντελεῖ ὁ Θεὸς κύριος ἐν ἑξακισχιλίοις ἔτεσι τὰ πάντα. *aduertite, filii, quid dicat:* conſummabitur in ſex diebus, *id ait: omnia conſummabit dominus Deus in ſex millibus annorum;* §. 15. p. 44. Fuerunt tamen & nonnulli ex veteribus, qui rerum finem ad annorum ſeptem millia protraxere, illis adeo fauentes, qui vltimum millenarium ſabbatho magno, ſeu regno, quod ſtatuunt, millenario, tribuunt; de quibus itidem COTELERIVS *l. c.* Ex recentioribus non tantum plurimi in eamdem ingreſſi ſunt ſententiam, ſed ſpecialiori adhuc ratione tempus, aut annum, ſi non omnino menſem & diem, extremi iudicii definire auſi ſunt. Recenſet eos vir doctiſſimus PFAFFIVS, in *tr. de ſabbathismo populi Dei*; & ſummatim etiam praecipuos, in *inſtit. theol. dogmaticae & moralis, part. 2. cap. 11. pag. 594. 595.* Quemadmodum autem nonnullos ex iſtis ipſe iam euentus refutauit, dum anni iſti, quos iudicio extremo adſignauerunt, iam elapſi ſunt; ita & reliqui temeritatis notam non effugient, dum ea ſcire cupiunt, aut inveſtigare conantur, quae a nemine mortalium ſcire poſſe, ſeruator ipſe tam diſerte pronuntiauit. Quod de illis intelligendum, qui ſpeciatim tempus extremi diei definire audent: generatim enim ſi adſeramus, ex certis ſignis colligi poſſe, ſenſim adpropinquare iſtum diem, nec nimis a noſtra aetate remotum eſſe, non peccamus, cum id neutiquam cum ſeruatoris effato pugnet, & ipſa ſcriptura ſacra eo nos ducat, ſigna quaedam adpropinquantis iudicii extremi ſuppeditando; de quibus nunc vlterius dicendum erit.

*** Inter ſigna remota merito referuntur, deſtructio vrbis Hieroſolymae, praedicatio euangelii in toto mundo, immo & certo modo fata, quae eccleſia chriſtiana ſubitura erat, antequam antichriſtus reuelaretur; conf. & *Matth. XXIV, 3. ad 29.* Enimuero, praedicatio iſta euangelii in toto mundo, quae *ib. v. 14.* commemoratur, non de iterata quadam, quae proxime diem extremum anteceſſura ſit, ſed de prima illa, quae ſtatim poſt effuſionem ſpiritus ſancti in apoſtolos incepit, & deinceps continuata eſt, citra controuerſiam eſt intelligenda. Hoc enim ex ordine temporis, quem ſeruator in ſermone iſto obſeruat, luculenter patet. Fata quoque, quae eccleſia ſtatim ab initio, poſt vrbis Hieroſolymae deſtructionem, per haereticos & ſeductores ſubitura ſit, itidem indicantur, *Matth. XXIV, 23. ſq.* Reliqua aliunde conſtant. Solent etiam a nonnullis ad ſigna remota, communia illa, vt bellorum ſtrepitus, & aliae calamitates publicae, referri; quae tamen, vt improprie ſaltem ſigna ſunt, niſi in iis aliquid ſingulare, & quod alias contingere non ſolet, accedat; ita, quae ſeruator hac de re *Matth. XXIV, 6.* dicit, neutiquam ad ſigna extremi iudicii, de quo *v. 30.* demum loqui incipit, ſed ad ea, quae deſtructionem vrbis Hieroſolymae ſint praeceſſura, referenda ſunt. Hoc iterum ordo temporis, a ſeruatore, vti diximus, ibi obſeruatus ſuadet.

Signa propiora, vt ad ea nunc accedamus, non vnius generis ſunt, cum quaedam longiore, quaedam breuiore interuallo iudicium extremum praecedant: quorum adeo illa *propria*, haec autem *proxima* dicere poſſes. Ad priorem claſſem omnium conſenſu pertinet *reuelatio antichriſti.* De hoc enim tam aperte loquitur apoſtolus, *2. Theſſ. II, 3. ſq.* vt nullum plane ſupereſſe dubium queat. Ipſum quoque antichriſtum characteribus tam luculentis deſignat, vt digito velut monſtret: vt adeo hodie, quis ille ſit, nemini obſcurum eſſe queat. Addunt nonnulli antichriſti plenum excidium, ſeu regni eius deſtructionem, quam cum externa Romanae vrbis deuaſtatione coniunctam fore, contendunt, ex *apocal. XVIII, 2.* Qui tamen rurſus ea in re diſſentiunt, quod quidam, poſt illud antichriſti excidium,

meliorem quemdam eccleſiae ſtatum, & tum demum extremum iudicium exſpectant; alii autem excidium illud vel proxime extremum iudicium praeceſſurum, vel per ipſum Chriſti, ad iudicium hoc aduentum, antichriſtum delendum prorſus, atque exſtirpandum, contendunt. Hos ergo ſi audias, excidium antichriſti, ſi modo ad ſigna referendum ſit, ad *proxima* pertinebit; illos autem ſi ſequi velis, ad *propinqua*.

Ad haec, ſeu propinqua ſigna, referri porro ſolet, inſignis quaedam, atque notabilis Iudaeorum conuerſio; quam tamen, cum non omnes admittant, acriter ſubinde hac ſuper re diſputatum fuit. Qui eam defendunt, non tantum ad varia veteris teſtamenti loca, *Deut. IV,29.30.ſq. Eſ. X, 21.22. Hoſ. III, 4.5. Zephan. III, 8.9. ſeq.* aliaque prouocant; ſed cumprimis luculentum illud Pauli effatum, *Rom. XI,25.26.* vrgent. Nimirum, cum apoſtolus, ſe myſterium aliquod prolaturum, profiteatur, non conuerſionem ſucceſſiuam, & aliqualem Iudaeorum intelligi, inde concludunt; cum ſucceſſiua iſta conuerſio Romanis non ignota fuerit, nec quiſquam de ea antea dubitauerit, vt adeo pro myſterio haberi nequeat. Idem porro ex eo euincunt, quod dicatur: *donec plenitudo gentium ingreſſa fuerit.* Senſum namque horum verborum alium eſſe non poſſe, quam hunc: poſtquam gentes conuerſae fuerint, tum etiam Iudaeos conuertendos eſſe. At ſucceſſiue iam tum Iudaei quidam conuertebantur. Alia ergo erit, quae poſt gentium conuerſionem adhuc exſpectatur. Nec id praetermittunt, quod diſerte dicatur: καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται, *& ſic omnis Iſrael ſeruabitur.* Quod cum de ſucceſſiua iſta, minimam iſtius populi partem complectente, intelligi nequeat, non poſſe non inſigniorem adhuc notabilioremque exſpectari. Denique & hoc addunt, quod Paulus innuat, ſucceſſuros ita Iudaeos iterum in locum gentium, vt hae in locum Iudaeorum ſucceſſerant. Gentes autem non ſparſim, ſed ingenti numero, ac multitudine memorabili ad Chriſtum conuerſas fuiſſe. Par itaque eſſe, vt Iudaeorum eadem ratione conuerſionem intelligamus. Nec tamen rurſus ſecus ſentientibus deſunt, quae hic regerant. Namque ad primum quod attinet, etiam ſucceſſiuam Iudaicarum conuerſionem poſſe myſterium dici, aiunt, cum gentiles facile in eam ingredi ſententiam potuiſſent, Iudaeos a Deo penitus reiectos; a qua & Romani non alieni fuiſſe videntur. Horum intuitu myſterium aliquod videri poterat, quod ſucceſſiue adhuc plurimi Iudaeorum conuertendi eſſent. Quando autem Paulus dicit: *donec plenitudo gentium ingreſſa ſit,* verbum εἰσέλθῃ in praeſenti etiam tempore capi poſſe, vt ſenſus ſit: *caecitas ex parte Iſraeli contigit, quamdiu ingreditur plenitudo gentium.* Vnde & hac ratione argumentum inuerti poſſe putant, ſiquidem ſemper adhuc quaedam gentes conuertendae ſint, vſque ad finem mundi. Hinc etenim ſequetur, etiam ad finem mundi vſque Iudaeos pleroſque in caecitate iſta permanſuros. Per *totum* vel *omnem Iſraelem*, quem ſaluandum apoſtolus dicit, *Iſraelem* non tam *ſecundum carnem*, quam *ſecundum ſpiritum*, intelligendum arbitrantur, vt adeo ſenſus ſit, omnes ita tandem, qui ad veram eccleſiam pertineant, tum ex Iudaeis, tum ex gentibus, ſaluandos eſſe. Iudaeorum denique cum gentilibus hic non ideo inſtitui comparationem, quod in horum locum illi ſint ſucceſſuri, vel quod aeque multi ex Iudaeis ſeruandi ſint, quam ex gentibus; ſed intuitu cauſſae, quam vocant, impulſiuae, quod Iudaei non minus, quam gentiles, ex mera Numinis benignitate, gratuitoque fauore, ſalutem conſequantur. Atque hae praecipuae ſunt vtriuſque partis rationes; quas qui inter ſe comparauerit, facile videbit, longe felicius, faciliuſque cuncta fluere, ſi apoſtolum de inſigni quadam & notabili, quae adhuc inſtet, quam de ſucceſſiua Iudaeorum

Digitized by Google

daeorum conuerſione, potius loqui cenſeamus. Vox μυςήριον longe rectius in illam, quam in hancce quadrat. Nec cauſſa erat, cur dubitarent conuerſi ex gentibus, quin ſubinde aliqui ex Iudaeis conuerterentur; quippe quod fieri, quandoque ipſimet viderant. Verbum εἰσέλθῃ in tempore praeſenti capi non poſſe, vel inde liquet, quod dicatur: ἄχρις οὗ, *donec plenitudo gentium ingreſſa fuerit.* Et ſcopo quoque apoſtoli, qui erat, commonefacere conuerſos ex gentibus, ne ſupra Iudaeos nimis ſe efferrent, iſta expoſitio e diametro repugnat. Tota inſuper tractatio oſtendit, per *Iſraelem* eum, qui eſt *ſecundum carnem*, ſeu Iudaeos, non autem, qui eſt *ſecundum ſpiritum*, intelligendum eſſe. Eadem apoſtoli tractatio luculentiſſime etiam docet, non tam intuitu cauſſae impulſiuae, ſed potius ſucceſſionis vnius in locum alterius, eum comparationem iſtam inter Iudaeos atque gentes inſtituere. Id ſimilitudo illa, ab arbore deſumta, *v. 17. ſq.* & admonitio, ne glorientur, *v. 18.* ne ſibi ipſis placerent, *v. 21.* & reliqua, ſatis ſuperque demonſtrant. Ad rem ipſam itaque quod attinet, nullus dubito hic ſubſcribere ſententiae B. IO. GERHARDI noſtri, qui, cum talem conuerſionem, qualem chiliaſtae ſomniant, quae cum reductione in terram Canaan, & regno Chriſti terreno coniuncta ſit; itemque talem, qualem Romanae eccleſiae addicti comminiſcuntur; non minus abſolute vniuerſalem omnium omnino Iudaeorum, merito reieciſſet, talem, qua *inſignis quaedam iudaicae gentis multitudo conuertenda* ſit, admittit; recteque addit: *Qualis & quanta praeciſe futura ſit Iudaeorum conuerſio, ante oraculi apoſtolici complementum perfectum, apodictice ſciri nequit;* in *tractatu theologico, in quo praecipua chiliaſmi fundamenta ſolide deſtruuntur, c. 4. p. 279.* vbi & *p. 272.* & *277.* veteres eccleſiae noſtrae doctores laudantur, qui itidem inſignem quamdam Iudaeorum conuerſonem ſtatuerunt. De recentioribus, qui in eadem fuerunt ſententia, & quorum haud exiguus eſt numerus, vt aliquid addam, neceſſe non eſt. Iudaeorum huic conuerſioni notabili addunt nonnulli etiam gentilium, qui hactenus nondum conuerſi ſunt, quamdam ad eccleſiam chriſtianam acceſſionem. Et ſane, cum per beati Lutheri noſtri reformationem noua lux in eccleſia exorta ſit, nihil obſtat, quo minus eius radii etiam ad gentiles diffundantur, vt quidam adhuc ex eorum numero ad Deum conuertantur. Nec tamen inde inferendum, quod denuo orbi vniuerſo euangelium ſit adnuntiandum. Hoc enim, licet a quibusdam adſeratur, non adeo tamen, quo id fiat fundamento. Certe ex loco *Matth. XXIV, 14.* hoc probari non poſſe, antea iam obſeruauimus.

Tandem & *ſpem quamdam meliorum temporum*, ſeu florentiorem eccleſiae ſtatum nonnulli hiſce ſignis addunt. A qua etiam ſententia omnes illi, qui inſignem quamdam Iudaeorum conuerſionem ſtatuunt, non adeo alieni eſſe poſſunt. Quae ſi ita etiam explicetur, vt ſalua maneat foederis gratiae, quae in nouo teſtamento eſt, qua media gratiae, qua reliqua omnia, oeconomia, adeoque ab omni errore chiliaſtico repurgetur, non video, cur tolerari nequeat. Neque acriter ſuper eiusmodi quaeſtionibus cum quodam diſceptare fas eſt, quae ad fidei fundamentum non pertinent. Id tamen obſeruandum, poſſe diuerſimode & hanc accipi ſententiam. Vel enim ita intelligi poteſt, quod ſtatim poſt feliciorem illum eccleſiae ſtatum ſequuturum ſit extremum iudicium; vel ita, vt per hominum ſecuritatem iterum ſummopere obſcurandus ſit eccleſiae ſplendor, hinc & hoſtes grauiſſimi illi excitandi; quorſum nonnulli illud, quod *apoc. XX, 8. 9.* de Gogo & Magogo narratur, referunt, quorum exercitus numeroſiſſimus populum Dei in magnas anguſtias ſit redacturus. Atque poſterius quidem ſi adſeratur, facilius ſententia,

Digitized by Google

de meliori eccleſiae ſtatu ſperando, conciliatur cum iis ſcripturae locis, in quibus tempora, diem extremum proxime anteceſſura, ceu miſera, calamitoſa, omnisque boni expertia, atque ſterilia deſcribuntur. Tum quoque non obſtabit huic ſententiae locus ille, *Luc. XVIII, 8.* de quo tam vehementer diſputatum fuit, licet vel maxime recepta eius explicatio retineatur.

Ad ſigna denique proxima extrema iudicii ea referri ſolent, quae ſeruator *Matth. XXIV, 29.* commemorat: *Protinus autem poſt illius temporis calamitatem, ſol obſcurabitur, neque luna ſuum ſplendorem emittet, & ſtellae de caelo cadent, caelique poteſtates concutientur.* Lucas autem hoc ita exprimit: *Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſideribus, & in terris tantus trepidantium gentium angor, mari, vndisque reſonantibus, vt homines eorum metu, & exſpectatione, quae orbi immineant, exanimentur: nam caeleſtes poteſtates concutientur; c. XXI, 25. 26.* Sed dubitant adhuc nonnulli, an haec ad ſigna proxima referenda ſint, eo quod vtrobique apud Matthaeum pariter ac Lucam, haec immediate iis, quae de clade gentis iudaicae ſeruator praedixit, ſubiungantur, & Matthaeus inſuper particula *εὐθέως ſtatim* vtatur; vt adeo haec non ita longe a clade gentis iudaicae videantur remouenda. Ingentem itaque ſaltum hic admittendum dicunt, ſi Chriſtus a deſolatione vrbis Hieroſolymae ſtatim ad extremum iudicium tranſeat. Hinc nonnulli haec ad ipſum adhuc excidium Hieroſolymitanum, aut ad calamitates Iudaeorum, quae poſt urbis Hieroſolymae deſtructionem eos excepturae ſint, referunt. Ita quidem BRENTIVS apud DORSCHÆVM, in *comment. in quatuor euangeliſtas*, ad *Matth. XXIV, 29. p. 372.* itemque CLERICVS, in *harmonia euangelica*, & quidem in *paraphraſi ad h. l.* Sed, cum ordo narrationis oſtendat, Chriſtum, finita narratione de adflictione populi iudaici, ad aliud quid tranſire, alii iterum, nec ad populum iudaicum, nec ad extremum iudicium, ſed ad regnum Chriſti ſpirituale, ſeu eccleſiam chriſtianam, haecce referenda exiſtimant; vt adeo ſeruator hiſce verbis eccleſiae chriſtianae ſtatum, & quo pacto per haereſes varias ſplendor eius obſcurandus, & per regnum antichriſti ipſa velut fundamenta concutienda ſint, exponat. Hunc in modum GROTIVS ad *h. l.* Atque vltima haec ſententia vel hoc nomine ſe commendat, quod ſecundum eam ordo narrationis in ſermone Chriſti elegantiſſime ſibi conſtet. Nec aliam ob cauſſam diſplicere poteſt, quam quod hac ratione ſigna iſta, eccliſes ſolis, atque lunae, caſusque ſiderum de caelo, metaphorice ſint intelligenda. Quod tamen rurſus alii haud difficulter admittent, cum, quod de ſtellis a caelo cadentibus dicitur, proprie capi nequeat, & quae ſimili ratione *apoc. VI, 13. c. VIII, 10.* commemorantur, magno fere conſenſu metaphorice explicentur. Qui mediam ſententiam amplectuntur, ſeu verba haec ad excidium Hieroſolymitanum, atque Iudaeos referunt, ea itidem metaphorice de calamitatibus huius gentis interpretantur. Prima autem, quam prae reliquis & DORSCHÆVS *l. c.* defendit, hoc praecipue habet, quod verba haec in propria ſignificatione retineat. Quod ſi admittendum ſit, ſimul tamen fatendum, ſolis, lunae, ceterarumque ſtellarum obſcurationes, neutiquam de eccliſibus, quae ex cauſſis naturalibus contingunt, intelligendas, ſed tales indicari, quae naturae ordinem immutatum oſtendunt, hinc & pro ſignis imminentis magnae cuiusdam mutationis, haberi queant. Quod & de maris, aquarumque motibus inſolitis obſeruandum. Ad ſtellas autem a caelo lapſuras quod attinet, cum nemo temere tam rudis ſit omnis philoſophiae, vt neſciat, hoc fieri non poſſe, vt non ſimul tota huius vniverſi compages diſſoluatur, atque terra ipſa loco ſuo moveatur, deſtruaturque penitus; ſi metaphorica iſta, quae in tertia & ſecunda ſententia locum

locum inuenit, explicatio, de magnis doctoribus eccleſiae, in errores & haereſin prolabentibus, non placeat, quae & vtique in prima hacce ſententia, qua verba haec ad ſigna, proxime antecedentia extremum iudicii diem, referuntur, locum non inuenit, conuenientiſſimum fuerit, ignes, ſeu magnos ignium globos intelligere, qui ex aëre in terram cadant: quamquam nec hac ratione propria verborum ſignificatio retineatur.

Supereſt *ſignum* illud *filii hominis*, cuius ſolus Matthaeus meminit, *c. XXIV, 30.* & de quo variae exſtant virorum doctorum ſententiae, atque coniecturae, quas in compendio legere licet apud DORSCHAEVM, ad *Matth. l. c.* Non contemnenda plane videtur ſententia GROTII, per ſignum hocce doctrinae euangelicae reſtaurationem, ſeu ab erroribus, quibus ſub Romanorum pontificum tyrannide obſcurata erat, repurgationem, opera cumprimis beati Martini Lutheri noſtri factam, intelligentis. Certe, doctrina euangelica pura, ſignum filii hominis dici poteſt, cum Chriſtus non alia magis ex re, quam ex pura euangelii praedicatione, agnoſcatur. Ordo porro narrationis & temporis, in ea obſeruatus, adcurate reſpondet, ſi proxime antecedentia verba ad calamitates. quas eccleſia per haereticos varios, ipſumque tandem antichriſtum experta eſt, referamus. Experientia etiam docuit, poſt antichriſtum detectum, doctrinae purae ſplendorem iterum effulſiſſe. Quodſi autem, vt nonnullis placet, ſignum hocce vna cum aduentu Chriſti ſimul adpariturum ſtatuatur, tum quidem fatendum, nihil certi de eo adſeri poſſe.

* De re ipſa nullum inter eos, qui ſcripturae ſacrae admittunt auctoritatem, eſt dubium. Diſerte enim haec teſtatur, caelum atque terram, hoc eſt, mundum huncce periturum; *pſ. CII, 26. 27. Eſ. LI, 6. Luc. XXI, 33. 1. Cor. VII, 31. 1. Io. II, 17.* mundi, omniumque rerum in eo finem fore; *Matth. XIII, 39. ſq. c. XXVIII, 20. 1. Petr. IV, 7.* Et igne quidem eum comburendum, ἐμφατικῶς Petrus docet, *2. ep. III, 7, 10.* Ita vero hoc eſſe intelligendum, vt angeli atque homines ab iſta deſtructione excipiantur, res ipſa docet. Hoc ergo vt poſitum eſt extra controverſiam, ita de eo ſaltem quaeri ſolet, num quoad ipſam ſubſtantiam mundus deſtruendus ſit, an ſaltem quoad qualitates, vt immutatio potius quaedam ſit, quam deſtructio. Poſterius qui defendunt, primo ad ea ſcripturae loca prouocant, in quibus terrae aeternitas quaedam tribuitur, vt *pſ. CIV, 5. Kohel. I, 4.* Deinde ad *Eſ. XXX, 26.* vbi longe maior terrae atque caeli, ſpeciatim ſolis & lunae perfectio, quae futura ſit, deſcribitur, quam huius mundi eſt. Ad eam vero perfectionem videtur mutatione quadam perducendus. Idem porro ex *Rom. VIII, 21.* colligunt, cum, ſi res creatae prorſus adnihilentur, de iis dici nequeat, quod a *ſeruitute corruptionis*, ſiue *vanitatis*, liberentur. At firmiora ſunt, quae pro priori ſententia adferuntur. Diſerte namque *pſalm. CII, 27.* de terra atque caelis dicitur: *ipſi peribunt, ac tu perſtabis, & omnia iſta ſicut veſtimentum veteraſcent.* Cum veſtimentum veteraſcit, mutatur quidem, ſed ita, vt penitus tandem deſtruatur, & diſſoluatur, non autem, vt ſub alia facie adpareat. Et hinc intelligetur, quod porro dicitur: *veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur;* conf. *Ebr. VIII, 13.* Pari ratione & *Eſ. LXV, 17.* Deus *ſe nouum caelum, nouamque terram,* hoc eſt, manſionem illam beatorum, *creaturum,* pronunciat, *nec prioris vllam amplius fore memoriam.* Id, cuius nulla amplius mentio facienda, qua ipſam ſubſtantiam periiſſe, neceſſe eſt. Sic & ſeruator, *caelum & terra,* inquit, παρελεύσονται, *tranſibunt,* vel *peribunt*, vt non amplius exſiſtant; quod & oppoſitum, perpetua verbi diuini duratio, aperte indicat. Idem & Paulus confirmat, τὰ βλεπόμενα, *quae videntur*, ſeu res adſpectabiles huius mundi, πρόσκαιρα, *tempora-*

ria, cito tranſitura eſſe, adſerens, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, ſeu, quae ad mundum ſpiritualem pertinent, eſſe αἰώνια, *aeterna*, ſemper duratura; *2. Cor. IV, 18.* Quid denique luculentius, quam illud Ioannis: *Primum caelum & prima terra tranſiit, & mare non eſt amplius; apoc. XXI, 1.* Ad rationes, pro mutatione antea adlatas, facile reſpondetur. Cum terra aeterna dicitur, aeternitas non abſolute, ſed relatiue ſpectata intelligitur, intuitu aliarum rerum, vti hominum, quorum vita tam longam durationem non habet, quam terra. Vaticinium Eſaiae *cap. XXX, 26.* in ſenſu ſpirituali, de felici ſtatu noui teſtamenti accipiendum eſſe, ea, quae praecedunt, euidenter docent; conf. *v. 19. 20. 21.* Res denique creatae a ſeruitute, ſub qua gemunt, non minus liberantur, cum non amplius exſiſtunt, quam cum aliam faciem induunt. Solent, vt hoc adhuc addamus, plerique reformatae eccleſiae doctores pro mutatione, contra adnihilationem pugnare: a quibus tamen diſſentiendum ſibi duxit IO. PRIDEAVX, Wigornienſis quondam in Anglia epiſcopus longe celeberrimus, in *faſciculo controuerſiarum theologicar. c. 7. qu. 7. oper. p. 702. ſq.* Cui peculiarem ideo diſſertationem oppoſuit MARESIVS, quae quarta eſt in *examine* eius *theologico, quatuor inſignium quaeſtionum.* Addenda vero & hic etiam eſt modeſta ἐπίκρισις B. IO. GERHARDI noſtri. Cum enim obſeruaſſet, plurimos veteris eccleſiae doctores mutationem defendiſſe, ſubiicit: *Proinde ſententiam de ſubſtantiali mundi* φθορᾷ *ſeu interitu, non defendimus vt fidei articulum, ad ſalutem ſcitu & creditu ſimpliciter neceſſarium, ſed ea emphaticis ſcripturae dictis, quae de fine mundi loquuntur, magis conformem eſſe dicimus; de conſummatione ſaeculi, §. 38. p. 138.* Qui noſtra aetate vt originem mundi, ita eius finem atque deſtructionem ex principiis explicare philoſophicis adgreſſi ſunt, multa & hic comminiſcuntur; quae tamen, cum & ſcripturae ſuffragio maximam partem deſtituantur, & ad coniecturas, easque non incertas modo, ſed interdum ne veroſimiles quidem, redeant, vt iis examinandis aut diſcutiendis immoremur, neceſſe non eſt. Speciminis loco eſſe poſſunt, quae BVRNETIVS hac de re diſſerit, in *telluris theoria ſacra, lib. 3. cap. 7. ſeq. p. 204. ſeq.*

§. XXIX. Sunt & ea, quae hactenus expoſuimus, ſacrae doctrinae capita, ita comparata, vt in iis itidem ſubinde a recto tramite homines aberrent. Fontes autem errorum facile in quibusdam intelligemus, ſi duo extrema & hic obſeruemus, in quorum alterutrum, qui ſibi non cauent, prolabuntur. Sic nonnulli, quae de aeterna beatitudine traduntur, aut plane non credunt, vel ſaltem gloriam eius valde imminuunt; aut carnales, craſſioresque notiones de ea animo concipiendo, beatitudinem, nomine iſto indignam, ſibi fingunt. * Poenas infernales itidem nonnulli aut omnino negant, aut valde extenuant; alii ita exaggerant, vt iuſtitiam diuinam in immanem crudelitatem commutent. **

* Inter Iudaeos Sadducaei hic nobis occurrunt, quippe quos nulla poſt hanc vitam recte factorum praemia, nullas peccatorum poenas admiſiſſe, notum eſt. Immo ex hocce fonte reliqui etiam eorum fluxere errores; ſi verum eſt, quod vulgo traditur, dictum Antigoni: *ne ſitis inſtar mercenariorum, qui domino ſeruiunt, ea conditione, vt accipiant mercedem &c.* quod in *capitulis patrum* exſtat, *c. 1.* ſectae huic occaſionem praebuiſſe. Dictum hac de re in *hiſtoria eccl. V. T. tom. 2.* ad *ſect. 7. §. 18. p. 1205.* Certe, cum & mortuorum reſurrectionem, & animae immortalitatem negauerint, vt ex *act. XXIII,*

XXIII, 8. conſtat, non potuerunt vtique vitam aeternam admittere. Ex eadem Sadducaeorum haereſi haud dubio fuerunt, qui Corinthiacam turbabant eccleſiam, & contra quos apoſtolus *1. Cor. XV*, diſputat. Quod ſi enim ea paullo adcuratius conſiderentur, facile patebit, haereticos iſtos non tantum corporum reſurrectionem, ſed omnem ſimul futurae gloriae, tam anima, quam corpore percipiendae, ſpem, penitus abnegaſſe. Colligi id poteſt ex conſequutionibus, quas ipſe apoſtolus ex ipſorum hypotheſi deducit: *eos* ſcilicet, *qui in domino mortui ſunt, periiſſe, v. 18.* hoc eſt, ſpe omni, praemium aliquod fidei atque laborum conſequendi, excidiſſe: porro, *eos, qui in Chriſtum credunt, omnium mortalium eſſe miſerrimos,* ſiquidem poſt tot calamitates atque adflictiones in hacce vita toleratas, nullam ſpem habeant melioris vitae &c. conf. VITRINGA, *obſeru. ſacr. l. 4. c. 9.* Inter gentilium philoſophos eos omnes, qui animae immortalitatem negarunt, nulla quoque poſt hanc vitam admiſiſſe praemia, vel me non monente, quilibet intelligit. Hinc illud PLINII: *Omnibus a ſuprema die eadem quae ante primum: nec magis a morte ſenſus vllus, aut corpori, aut animae, quam ante natalem;* qui &, quidquid de ſtatu hominum poſt mortem dicitur, *puerilium deliramentorum, auidaeque numquam deſinere mortalitatis commenta*, vocat, *hiſt. nat. l. 7. c. 55. p. m. 473-474.* Inter haereticos, quantum mihi conſtat, non fuit, qui diſerte vitam ſeu beatitudinem aeternam negaret. Nec profecto id fieri vlla ratione poteſt ab iis, qui ſcripturae ſacrae, noui praeſertim teſtamenti, agnoſcunt auctoritatem. Gnoſtici equidem, in tres omne mortalium genus abire claſſes, *terreſtrium*, *animalium* & *ſpiritualium* hominum, ſtatuebant; eorumque primam totam, partem etiam ſecundae ad nihilum redituram eſſe, conflagratione extremae diei vniuerſali: ſed tamen *ſpiritualibus* cum *animalium* parte, vitam aeternam tribuebant. Interim hiſce verba ſymboli apoſtolici: *credo vitam aeternam*, oppoſita, cenſet auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtolici &c. cap. 7. §. 48. p. 353.* Atheos vt hic commemoremus, neceſſe non eſt, cum quod vitam aeternam, non magis quam poenas infernales credant, neminem fugiat. Eſſe vero etiam quosdam, qui beatitudinem iſtam valde imminuant, experientia docet. Hoc illi cumprimis faciunt, qui non aliam beatitudinem, quam, quae in animi tranquillitate conſiſtat, & ex vita recte peracta per naturalem quamdam conſequentiam fluat, admittunt. Qui quidem, ſi modo omnino quamdam poſt hanc vitam remunerationem credunt, data opera neſcire velle videntur, quae ſcriptura ſacra hac de re docet, aut ſignificare, quod rationis ſaltem, non autem ſcripturae ſacrae ſtare velint decretis; conferenda, quae ad *§. 3.* huius capitis *circa finem* dicta ſunt. De iis autem, qui craſſiores, quam decet, de vita aeterna notiones animo concipiunt, ad §. *20.* huius capitis verba fecimus.

** Qui nec animae immortalitatem, nec corporis reſurrectionem credunt, vt Sadducaei, de quibus antea dictum, eos, vt nec praemia, ita nec poenas infernales poſt hanc vitam admittere, palam eſt. Nota eiusmodi hominum vox eſt; *eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna, vix pueri credunt.* Non minus vero & illi poenas infernales negant, qui impios aliquando, qua corpus pariter ac animam, in nihilum redigendos ſtatuunt: vt nonnulli ex Socinianorum grege, itemque LOCKIVS, de quibus ſupra iam ad *§. 12.* huius capitis dictum eſt. Denique & illi hic locum inueniunt, qui poenas equidem infernales ſtatuunt, ſed eas aeternas fore negant, quos itidem ad *§. 17.* huius capitis iam commemorauimus: ne quid nunc de iis dicam, qui non alias poenas, quam, quae per naturalem conſequutionem ex peccatis fluunt, admittunt; quorum errorem itidem iam ad *§. 14.* huius capitis nota-

notauimus. Qui vero ad alterum extremum procurrunt, hi praecipue ſunt, qui Deum ex abſoluto quodam decreto maximam hominum partem, vna cum angelis malis, aeternis deſtinaſſe cruciatibus, contendunt; de quibus ſuo loco ex inſtituto dicetur.

§. XXX. Mortem temporalem nemo negare poteſt, niſi experientiae ſtulto auſu repugnare velit. Errorem, de ſtatu medio animarum, ethnicae philoſophiae incautus vſus primum introduxit, ſuperſtitio auxit, & commodorum, quae inde percipiebantur, ratio exornauit, ac inexpugnabilem reddidit. * Quod autem hic per ſuperſtitionem peccatum, id rurſus per rationis abuſum, ceu alterum extremum, contigit, in doctrina de reſurrectione mortuorum, eiusdem praeſertim corporis, quam non aliam ob cauſſam tam pertinaciter nonnulli impugnant, quam, quod ratione ſua eam capere nequeant. ** Sed & quam facile ratio prauis adfectibus corrumpatur, aut aliorum auctoritate abripiatur, illi exemplo ſuo oſtendunt, qui regnum aliquod Chriſti externum, per mille annos duraturum, ante extremum iudicium adhuc exſpectandum cenſent. ***

* Quod ad originem doctrinae de ſtatu medio animarum, qui & ſtatus purgationis eſſe creditur, in eccleſia Romana attinet, non ſine ratione ab ethnicis ea deriuatur. In ſcriptura ſacra enim eos ſententiae iſtius nullum inuenire praeſidium, non tantum ex iis, quae ſupra hac de re diſputauimus, liquet, ſed adeo manifeſtum eſt, vt nonnulli ex Romanenſibus illud bona fide agnoſcant: quorum teſtimonia B. IO. GERHARDVS noſter refert, in *confeſſione catholica, lib. 2. part. 2. art. 9. p. 427. ſeq.* Prouocare equidem Romanenſes ad Iudaeos ſolent, qui ſimile quid doceant; quemadmodum & VOISINIVS peculiari commentatione, *de purgatorio ex mente Iudaeorum*, huncce Iudaicae gentis conſenſum cum eccleſia Romana, oſtendere conatus eſt. Et negari vtique nequit, Iudaeos, ſaltem quosdam, quorumdam hominum ex inferno liberationem admittere, ſeu ſtatuere, non omnium, qui in infernum demittuntur, poenas fore aeternas. Loca illorum, ex quibus hoc colligitur, adfert EISENMENGERVS, in *dem entdeckten Iudenthum, part. 2. c. 6. p. 323. ſq.* Legenda etiam, quae erudite hac de re commentatur IAC. WINDETVS, *de vita functorum ſtatu*, in *faſciculo quarto opuſculorum ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectantium, ſect. 8. p. 152. ſq.* Sed admodum veroſimile eſt, haec & alia ab ethnicorum ſcholis ad Iudaeos transiiſſe. Certe, ethnicorum philoſophos, ſpeciatim Platonem, purgationem quamdam animarum poſt mortem ſtatuiſſe, notius eſt, quam vt probari debeat. Lectu cumprimis digna ſunt, quae ex Platone EVSEBIVS adfert, *praepar. euang. l. 11. c. vlt.* Prorſus etiam ex mente Platonis purgationem animae poſt mortem deſcribit VIRGILIVS, *l. 6. Aeneid. v. 735. ſq.* Cum autem poſt apoſtolorum deceſſum, ſcripta quaedam apocrypha, ſub nomine Iacobi, Hermae, Andreae, procuderentur, inter reliqua dogmata Platonica, Iudaeis etiam probata, purgationis poſt mortem ſemina in iis ſparſa ſunt. Haec deinceps a patribus quibusdam eo facilius arrepta, quo maiori & illi Platonem amore proſequebantur. Quod quidem de ORIGENE poſitum eſt extra controuerſiam: quem, quod non alias, quam purgatorias poenas ſtatueret, omnino eousque proceſſiſſe, vt vniuerſalem quamdam omnium rerum ἀποκατάστασιν admitteret, ſupra iam obſeruauimus; conf. HVETIVS, in *Origenian. l. 2. c. 2. qu. 11.*

Digitized by Google

quaeſt. 11. §. 17. p. 153. ſeq. Eamdem deinde, de animarum poſt mortem purgatione ſententiam, ab ORIGENE, vt videtur, acceptam, in eccleſia latina ſequuti ſunt LACTANTIVS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, aliique. Cum etiam in veteri eccleſia, ad coercendam illorum leuitatem, qui in calamitatibus illis, quibus chriſtiani premebantur, temere fidem abnegabant, publicae poenitentium ſatisfactiones introductae eſſent, ſequenti aetate error inde inualuit, ac ſi ab omnibus, qui poenitentiam agebant, ſatisfactiones iſtae exigerentur, & poſt mortem etiam, ſi, quas viuentes praeſtiterant, non ſufficerent, exſoluendae eſſent in purgatorio. Accedebant preces pro defunctis, quas in veteri eccleſia receptas fuiſſe, minime negamus: at non ad liberandas ex purgatorio animas, ſed longe alias ob cauſſas, quas exponere, inſtituti ratio non permittit; legere autem eas licet apud IO. DALLAEVM, *de poenis & ſatisfactionibus humanis l. 5. c. 1. ſeq.* atque II. GEIERVM, in *diſſertatione de precibus pro defunctis.* Inter reliquas autem rationes & haec fuit, quod multorum animos perſuaſio quaedam, de igne diei vltimi, ſanctiſſimos etiam homines, immo apoſtolos ipſos purgaturo, inuaſerat. Huius itaque rigorem deprecabantur haud pauci, mortuorum ſuorum memores. Conferenda, quae adcurate hac de re diſſerit MOLINAEVS, in *nouitate Papiſmi, l. 7. controuerſ. 3. c. 1. p. 618. ſeq.* Cum tamen & preces iſtae pro defunctis, aeque ac ſatisfactiones poenitentium, ad longe alium finem, quam ad quem primum inſtitutae erant, traherentur, & multorum animi opinione quadam, de purgatione animarum poſt mortem, infecti eſſent, enatum tandem eſt purgatorium illud, quod Romana eccleſia tam acriter tuetur. Sed, cum initio valde adhuc titubaret, Gregorius primus ſpectrorum adparitionibus illud confirmare auſus eſt; cuius exemplum deinde alii ſequuti ſunt; vnde fictitiarum adparitionum, reuelationum, ſimiliumque fraudum, nec modus, nec finis. Cum enim error de ſacrificio miſſae, quod animabus in purgatorio etiam prodeſſet, acceſſiſſet, & hinc ſacri ordinis viri magnum ex iſta de purgatorio perſuaſione perciperent emolumentum, ſua magnopere intereſſe putabant, vt iſte purgatorii ignis diligenter aleretur, nec exſtingueretur vmquam. In concilio Florentino, anno 1439. celebrato, cum vnio inter Latinos & Graecos tentaretur, illi hoc egerunt, vt errorem de purgatorio his obtruderent, quippe a quo Graeci ſemper alieni fuerant. Sed eos, qui inter Graecos patriae diſciplinae tenaciores fuerunt, inducere non potuerunt, vt errori huic ſubſcriberent. Quae in concilio iſto Florentino hac de re diſputata ſunt, refert SILVESTER SGVROPVLVS, in *hiſtoria concilii Florentini, ſect. 5. c. 9.* & *13. p. 124.* item *130. ſeq.* In concilio Tridentino ipſimet Romanae eccleſiae antiſtites non ſatis inter ſe de purgatorio conuenerunt. *Aliqui* enim *ex iis*, inquit PAVLVS SARPIVS, *de loco & fuco purgatorii, ſicut in concilio Florentino, mentionem factam cupiebant: alii, quod ea res non careret difficultate, nec facili negotio verba inueniri poſſent, ad id exprimendum, quae omnibus ſatisfacerent, putabant, nihil aliud dicendum, quam bona opera fidelium mortuis ad poenarum remiſſionem conducere. Archiepiſcopus Lancianenſis admonuit, cum de miſſa tractatum eſſet, tunc declaratum, ſacrificium iſtud pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, offerri: quibus verbis doctrinam de purgatorio ſatis eſſe definitam, adeoque nihil vltra iam faciendum, niſi vt epiſcopis imperent, eius doctrinae praedicandae, abuſuum tollendorum, & ſuffragiorum pro defunctis perſoluendorum, curam. In quam ſententiam decretum eſt formatum; hiſtor. concil. Trident. l. 8. p. 1372.* Atque haec praecipua fuere doctrinae de purgatorio in Romana eccleſia fata; quae fuſius ediſſe-

ediſſerunt B. MARTINVS CHEMNITIVS, in *examine conc. Tridentini, part. 3. l. 3. ſect. 2. p. 734. ſeq.* IO. FORBESIVS, *inſtruction. hiſtorico-theologicarum lib. 13. c. 1. ſeq. pag. 670.* IO. DALLAEVS, *de poenis & ſatisfactionibus*; IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *anatome hiſtorico-theologica concilii Tridentini, part. 2.* ad *ſeſſ. 25. quaeſt. 1. p. 1066*; qui & diſſentientes admodum de purgatorio Romanenſium ſententias adcurate enarrat. Quae in noſtra eccleſia, de ſtatu medio animarum poſt mortem, itemque de precibus pro defunctis, diſputata ſunt, iam ſupra ad §. *20.* commemorauimus.

** *Nulla in re ſic contradici fidei chriſtianae, quam in reſurrectione carnis*, non immerito AVGVSTINVS pronuntiat, in *pſ. LXXXIIX, tom. 4. oper. p. 713.* Cum enim inter myſteria haud vltimum locum teneat, ratio eam capere nequit. Quae autem ſupra rationem ſunt, ea etiam contra eam eſſe, facile, licet perperam, homines ſibi perſuadent. De gentilibus itaque, quod reſurrectionem mortuorum aut ignorauerint, aut non crediderint, mirum non eſt. Magis mirandum, inter Iudaeos fuiſſe, qui eamdem negauerint; quod tamen de Sadducaeis notum ſatis eſt; conf. *actor. XXIII, 8.* Immo & inter chriſtianos, & quidem tempore apoſtolorum fuiſſe, qui in eodem errore verſarentur, conſtat. De Hymenaeo enim atque Phileto apoſtolus hoc teſtatur, *2. Tim. II, 17, 18.* Atque iisdem auctoribus tribuendum eſſe, quod nonnulli etiam in eccleſia Corinthiaca eodem errore infecti ſint, non ſine ratione nonnulli ſuſpicati ſunt. Fuiſſe autem ibi, qui diſerte reſurrectionem mortuorum negarent, apoſtolus teſtatur, *1. Cor. XV, 12.* Valde quoque veroſimile, fuiſſe eos ex ſecta Sadducaeorum; quippe quod ex iis, quae apoſtolus ibi diſputat, colligere licet. Quo pacto argumenta, quae ex ſcriptura ſacra veteris teſtamenti pro reſurrectione mortuorum peti poterant, eludere conati ſint, ex verbis apoſtoli *2. Tim. II, 18.* intelligitur. Dicebant namque, *τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι, reſurrectionem iam factam eſſe.* Quo ipſo quid ſibi voluerint, viri docti equidem inter ſe non conueniunt; probabile tamen, eos reſtitutionem quamdam moralem, ſeu liberationem ab erroribus, vel ſimile quid intellexiſſe. Cum enim improbi homines. & profligatae vitae fuiſſe videantur, vix eſt, quod credamus, de reſurrectione ſpirituali, ſeu regeneratione, eos cogitaſſe. Sed hac de re alibi. Recenſeri porro inter eos, qui mortuorum reſurrectionem negauerint, ſolent Simoniani, Saturninus, Baſilides, Carpocrates, Valentinus, & alii eiusdem generis. Quod, quo iure fiat, & num *ἁπλῶς* reſurrectionem, an eiusdem ſaltem corporis reſurrectionem, negauerint, vt inquiramus, noſtri non permittit inſtituti ratio. Certe praeter alios quosdam Bardeſaniſtas, & Origenis diſcipulos docuiſſe, non idem, quod nunc habemus, ſed aërium aliquod corpus in reſurrectione nos accepturos, conſtat: quos adeo ſymboli, quod vocant, apoſtolici verba: *credo reſurrectionem carnis*, ferire, non ſine ratione creditur. Recte namque viris doctis obſeruatum eſt, in ſymbolo iſto non *corporis*, ſed *carnis* reſurrectionem commemorari, vt indicetur, non corpus aliquod aerium, aut ſimile quid, ſed idem illud, quod in hac vita habuimus, etſi aliis virtutibus, dotibusque ornatum, quod adeo carnis nomine venire queat, in reſurrectione nobis reſtituendum eſſe. Legenda, quae erudite hac de re obſeruat auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtol. cap. 7. §. 28. p. 318. ſeq.* Recentiori aetate non fuerunt, ſi ab atheis diſceſſeris, qui reſurrectionem mortuorum plane negarent; licet exſtiterint, qui impios non reſurrecturos contenderent, aut eiusdem corporis reſuſcitationem concedere nollent. De vtrisque autem iam ſupra dictum; & de illis quidem ad §. *22.* de his autem ad §. *21.*

*** Doctri-

*** Doctrinae, de regno quodam Chriſti externo, per mille annos duraturo, originem a Iudaeis repetendam eſſe, iam pridem viri docti monuerunt. Hinc & in *Auguſtana confeſſione art. 17.* inter iudaicas opiniones refertur. Et ſane Iudaeos externum aliquod atque temporale regnum Meſſiae ſibi finxiſſe, vel ex hiſtoria euangelica nemini ignotum eſſe poteſt. Nonnulli etiam eousque progreſſi ſunt, vt iſtius regni felicitatem in rerum, ad corporis delicias ſpectantium, adfluentia, iisque omnibus, quae ſenſus externos voluptate quadam adficere poſſunt, conſtituerent: a quibus tamen diſſentiunt alii, in regno Meſſiae abundantiam ſaltem ſcientiae, itemque iuſtitiam atque pacem ſibi promittentes; vid. MENASSEH BEN ISRAEL, *de reſurrect. mort. cap. 19.* Luculenter Iudaeorum hac de re ſententiam, & quo pacto ab iis ad chriſtianos tranſierit, ediſſerit HOTTINGERVS, in *diſſert. de abuſu patrum*, quae exſtat in *pentade* eius *diſſertation. miſcellan.* Tiguri an. 1654. editarum, *p. 17. ſeq.* Inter eos, qui chriſtianorum nomen profitebantur, primus, qui hanc doctrinam in eccleſiam inuehere conatus eſt, Cerinthus ille, in numero haereticorum notiſſimus commemoratur; (quamquam & nonnulli Ebionitis eumdem errorem tribuant) quem iudaismo addictum fuiſſe, EPIPHANIVS auctor eſt, *haereſ. 28.* Nimirum φιλοσώματος καὶ πάνυ σαρκικὸς, *voluptatibus corporis obnoxius, carnique addictus; quarum rerum cupiditate ipſe flagrabat, in iis regnum Dei ſitum fore, ſomniauit, in ventris, & earum, quae infra ventrem ſunt, partium explenda libidine: hoc eſt, in cibo ac potu, & nuptiis, atque, vt honeſtiori vocabulo eiusmodi voluptates velaret, in feſtis, & ſacrificiis, & hoſtiarum mactationibus;* vt DIONYSIVS Alexandrinus refert, apud EVSEBIVM, *hiſt. eccleſ. lib. 3. cap. 28.* vbi & GAII de eodem Cerintho teſtimonium exhibetur. Sectatores hinc eius *chiliaſtae*, *milliarii*, item *millenarii*, ſimilibusque nominibus adpellati ſunt; conf. EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. l. 7. c. 25.* itemque AVGVSTINVS, *de haereſibus, c. 8.* & PHILASTRIVS, *de haereſ. c. 36.* Inter puriores eccleſiae doctores mox Papias ille Hierapolitanus exſtitit, quem Ioannis auditorem & diſcipulum fuiſſe, ex IRENAEI *lib. 5. c. 33.* conſtat: quod num de Ioanne apoſtolo & euangeliſta, an de presbytero quodam eiusdem nominis, intelligendum ſit, viri docti inter ſe diſſentiunt. Hic itidem regnum aliquod externum Chriſti, per mille annos duraturum, adſeruit, & licet μικρὸς τὸν νοῦν, *mediocri admodum ingenio praeditus*, EVSEBIO audiat, *hiſt. eccleſ. l. 3. c. 39.* & quod traditionibus nimium addictus fuerit, credatur, ſua tamen auctoritate effecit, vt plurimi ex veteris eccleſiae doctoribus in eamdem concederent ſententiam. Quod quidem de TERTVLLIANO, LACTANTIO, APOLLINARIO, aliisque notum eſt; de IVSTINO autem martyre, IRENAEO, SVLPITIO SEVERO, & quibusdam aliis, num haec ſententia illis tribui queat, nonnulli dubitant. Sed legenda, quae de hocce patrum errore diſputat DALLAEVS, *de vero vſu patrum, l. 2. c. 4. p. 288.* Non tamen ſine ratione nonnulli monent, veteres illos eccleſiae doctores neutiquam Cerinthi adprobaſſe errorem, voluptates corporis, carnisque illecebras, in regno illo millenario ſibi promittentis, ſed felicitatem iſtius regni ſpiritualem intellexiſſe. Quare & alii, qui ceteroquin eam ſententiam non probabant, eam tamen tolerandam cenſuerunt. Quos inter, praeter HIERONYMVM, & AVGVSTINVS eſt, qui opinionem iſtam vtcumque *tolerabilem* eſſe, iudicat, *ſi aliquae deliciae ſpirituales in illo ſabbatho adfuturae ſanctis per domini praeſentiam credantur; lib. 20. de ciuit. Dei, c. 7.* Quam longe autem lateque error iſte ſeſe diffuderit, & quamdiu multorum occupauerit animos, is, quem antea laudauimus, IO. DALLAEVS explicat.

Digitized by Google

Sed, antiquiſſimum eſſe hunc errorem, inquit, *vulgoque olim apud chriſtianos receptum fuiſſe, ex eo praeterea patet, quod is etiam hodie ab vniuerſa Graecorum eccleſia defenditur, & ex omni eorum numero, qui ſe patrum monumenta pro fidei ſuae norma habere profitentur, ſoli Latini ab errore diſceſſerunt, contrariamque ſententiam anno demum 1439. in concilio Florentino, ante annos 212. publice confirmarunt; l. c. p. 291.*

Vt autem eccleſia latina ſenſim ab iſta ſententia diſcederet, immo tandem publice in concilio Florentino eam reiiceret, cauſſa haec fuiſſe videtur, quod ſub papatu exſiſterent, qui illam cum aliis erroribus, eccleſiae huic minime ferendis, coniungerent. Huc illi cumprimis pertinent, qui *ſaeculum* aliquod *ſpiritus ſancti* ſtatuebant, quod reuera tandem in regnum aliquod chiliaſticum abibat. Primus, qui erroris iſtius ſemina ſparſit, IOACHIMVS fuiſſe videtur, ordinis Benedicti abbas, qui circa annum 1195. vixit, & inter alia tres hominum ſtatus conſtituit: primum quidem, in quo homines ſecundum carnis conditionem vixerint, ab Adamo vsque ad Chriſtum; ſecundum, in quo mediam inter carnem & ſpiritum vitam duxerint, a Chriſto vsque ad Benedictum; tertium denique, in quo ſpiritus ſancti ductum ſequentes, ad finem mundi vsque victuri ſint. Hanc deinceps vlterius ſibi excolendam ſumſerunt ſententiam AMALRICVS, ob alios etiam errores notiſſimus, qui circa annum 1204. floruit; IO. DE PARMA, auctor libri, ſub *aeterni euangelii* titulo anno 1254. vulgati, quem, erroribus licet grauiſſimis, refertum, monachi tamen, tum, qui *minorum*, tum qui *praedicatorum* nomine veniunt, & quibus acerrima eo tempore cum academicis Pariſienſibus conflictatio interceſſit, defendendum ſibi ſumſerunt; HVBERTINVS DE CASSALIS, auditor atque diſcipulus Ioannis de Parma, idemque ordinis fratrum minorum, qui circa annum 1300. claruiſſe dicitur; porro auctor libri notiſſimi, qui *oneris eccleſiae* titulo venit, quemue IOANNEM, epiſcopum Chemenſem eſſe ferunt, quiue circa tempus ſuſceptae a beato Luthero reformationis vixit; & alii quidam eiusdem generis. Hi enimuero omnes de ſaeculo ſpiritus ſancti ita loquuti ſunt, vt chiliaſticum aliquod regnum proderent; cumque & alios errores, aut placita etiam, latinae eccleſiae parum grata, fouerent, mirum non eſt, doctrinam de regno millenario ab eccleſia iſta reiectam atque damnatam fuiſſe. Quae paucis, & in compendio hac de re diximus, fuſius ediſſerit B. IAC. THOMASIVS, *diſſertatione*, ſeu *programmate, de ſaeculo ſpiritus ſancti*, quod inter diſſertationes eius, anno 1693 iunctim editas, exſtat, *num. 44. p. 505. ſeq.* Eſt vero nec illud praetermittendum, eos, qui ſub papatu vixerunt, facile in hanc deuenire ſententiam potuiſſe. Qui enim miſeram eccleſiae faciem perſpiciebant, ſimulque tyrannidem eorum, qui eccleſiae praeerant, ipſimet forte experiebantur, hinc & meliorem eccleſiae ſtatum optabant, proni admodum erant ad id credendum, quod habebant in votis: accedente autem adfectu quodam, eoque interdum carnali, talem futurum eccleſiae ſtatum ſibi fingebant, qualem ipſimet eum eſſe vellent. Atque hinc comprobatur, quod diximus, hocce exemplo patere, quid ratio, adfectuum impetu corrupta, ac deprauata, valeat.

Neque ſub papatu modo, ſed deinceps etiam poſt reſtitutam in plurimis locis eccleſiae libertatem, ex eadem cauſſa fieri potuit, vt plurimi in iſtam ſententiam ingrederentur. Nimirum, cum melior eccleſiae, opera beati Martini Lutheri redderetur facies, mox anabaptiſtarum prodiit turba, qui inter alia & ſpe regni cuiusdam chiliaſtici ſe ſuſtentabant; vnde maioribus noſtris impoſita neceſſitas eſt, vt *artic. 17. Auguſtanae confeſſionis*, ſe maxime alienos eſſe ab iſta ſenten-

ſententia, profiterentur. Exſtiterunt nihilominus deinceps plurimi, tum inter Romanenſes, tum inter reformatos, tum & inter noſtrates, cumprimis autem inter eos, qui fanaticorum nomine veniunt, qui eamdem profiterentur ſententiam: quos omnes recenſere, inſtituti noſtri prohibet ratio; cum hoc integri voluminis res eſſet. Legi tamen praecipui poſſunt in B. IO. GVIL. BAIERI noſtri *diſſertatione, de regno eccleſiae glorioſo, per Chriſtum in his terris erigendo,* quae in *decade prima diſputationum* eius *theologicarum* exſtat, *cap. 1.* in quo hiſtoriam chiliaſmi breuiter quidem, ſed adcurate exhibet: itemque apud B. SAGITTARIVM, in *introd. ad hiſtor. eccleſ. cap. 33. ſect. 22. pag. 910. ſeq.* & in *ſupplementis* SCHMIDIANIS, ad *h. l.* Magno etiam ſtudio & labore omnes, qui regnum aliquod millenarium aut adſeruerunt, aut adſeruiſſe viſi ſunt, congeſſit ipſe PETERSENIVS, in *nube teſtium veritatis de regno Chriſti glorioſo &c.* qui & ipſe noſtra aetate primum, principemque inter regni huius defenſores, promeretur locum. Cum vero ſatis nota ſint, quae & ipſemet hac in cauſſa egerit, & quos habuerit paraſtatas, quos etiam aduerſarios nactus ſit, praecipua etiam ſcripta ſua huc ſpectantia ipſemet circa *nubis teſtium* finem, itemque in *vitae ſuae deſcriptione*, commemorauerit, vt plura hac de re addamus, neceſſe non eſt.

§. XXXI. Quo facilius autem eſt, hoſce errores ex ſcriptura ſacra refellere, quoue apertius eorum plerique ipſa chriſtianae religionis fundamenta conuellunt, ac labefactant; eo maiori conſtantia doctrina vera iis oppoſita, in veteri pariter ac nouo teſtamento, ad noſtram aetatem vsque conſeruata ac propagata fuit *

* Conſenſum eccleſiae vniuerſae in doctrina de vita aeterna, quam Deus perſeverantibus in fide deſtinauit, vt operoſe demonſtremus, neceſſe non eſt: cum non temere aliquis de eo dubitauerit. Satis eum comprobant verba ſymboli apoſtolici: *credo vitam aeternam;* quae nemo vmquam chriſtianorum, etſi in aliis capitibus maximopere diſſentientium, abnuere, in animum induxit. Hinc & IRENAEVS eccleſiam, per vniuerſum orbem vsque ad fines terrae ſeminatam, credere ait, Chriſtum ad iudicium rediturum, vt iuſtis, & aequis, & praecepta eius ſeruantibus, &c. ἀφθαρσίαν δωρήσεται καὶ δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ, *incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem aeternam circumdet; lib. 1. cap. 2.* Sic & regula fidei apud TERTVLLIANVM: *venturum Chriſtum, cum claritate, ad ſumendos ſanctos, in vitae aeternae & promiſſorum caeleſtium fructum; de praeſcript. aduerſus haereticos, c. 13.*

Pari ratione & de poenis infernalibus, iisque aeternis impiorum, conſenſus vniverſalis eccleſiae conſtat. In ſymbolo equidem apoſtolico poenarum infernalium mentio diſerte non inicitur; facili tamen negotio ex eo, quod Chriſtus rediturus dicitur, ad iudicandum viuos & mortuos, hoc intelligere licet. Clarius autem adhuc in ſymbolo, quod vocatur Athanaſianum, hoc exprimitur: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* Hinc & IRENAEVS itidem, inter ea, quae eccleſia per vniuerſum orbem vsque ad fines terrae ſeminata, credit, refert, Chriſtum ad iudicium rediturum, vt *ſpiritualia nequitiae, & angelos transgreſſos, atque apoſtatas factos, & impios, & iniuſtos & iniquos, & blaſphemos homines in aeternum ignem mittat; l. c.* Hiſce porro TERTVLLIANI, CYPRIANI, CYRILLI Hieroſolymitani, aliorumque teſtimonia addere poſſem, niſi id ſuperuacaneum

Digitized by Google

neum eſſe ducerem. Paucis illis patribus, qui poenas infernales finem habituras cenſuerunt, longe plures opponi poſſunt, qui eas aeternas fore, crediderunt. Immo ORIGENES, cum ſectatoribus ſuis, hanc ipſam ob cauſſam inter haereticos relatus fuit. Quod dum AVGVSTINVS refert, *haecce dogmata ab eccleſia catholica neutiquam recipi*, teſtatur, & porro addit: *Quis enim catholicus chriſtianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit, malorum purgationem, id eſt, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus, & ſacrilegiis, & impietatibus, quamlibet maximis, finierunt, ipſum etiam poſtremo diabolum, atque angelos eius, quamvis poſt longiſſima tempora purgatos, atque liberatos, regno Dei, lucique reſtitui? & rurſus, poſt longiſſima tempora omnes, qui liberati ſunt, ad haec mala denuo relabi, & reuerti, & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum, rationalis creaturae, ſemper fuiſſe, ſemperque fore, de haereſib. c. 43.* Idem & eos inter haereticos refert, qui docebant, *deſcendente ad inferos Chriſto, crediniſſe incredulos, & omnes inde liberatos; c. 79.* Quos quidem DANAEVS, ad *h. l.* putat *liberatores* dici poſſe. Auctor antiquus, quem *Praedeſtinati* nomine SIRMONDVS edidit, illos *Adecenditas* vocat, *pag. 342.* PHILASTRIVS eosdem commemorat, ſed, vt aeque ac AVGVSTINVS, nullo eos deſignet nomine, *de haereſ. cap. 121.* Plurimos tamen veteris eccleſiae doctores, eosque orthodoxos, in eadem fuiſſe ſententia, negari nequit, & ſupra iam docuimus. Recentiori aetate a nonnullis equidem, vt antea diximus, reſuſcitata fuit, ſed numquam tot propugnatores habuit, vt non plures eſſent, qui eam reiicerent, & impugnarent.

Ad ſtatum animarum medium, earumdemque purgationem quod attinet, fuerunt vtique nonnulli ex patribus, qui purgationem quamdam admitterent, longe autem plures, qui preces pro defunctis adprobarent, vt ad *§. praecedentem* obſeruavimus. Fuerunt tamen rurſus, qui, piorum animas poſt mortem purgari, diſerte negarent; vt GREGORIVS Nazianzenus, *orat. 15. tom. 1. p. 229.* 10. CHRYSOSTOMVS, *homilia 8. de poenit.* quae eſt *58.* AVGVSTINVS, *de ciuitate Dei, l. 21. c. 13.* Qui etiam purgationem quamdam admiſerunt, cumprimis, qui preces pro defunctis adprobarunt, longe alio ſenſu, aliasque ob rationes id fecerunt, quam hodie Romanenſes faciunt. Quae omnia cum a CHEMNITIO, FORBESIO, DALLAEO, *locis* ſupra *citatis*, aliisque luculenter demonſtrata ſint, non eſt, vt aliquid addamus. Dum ergo purgatorium illud Romanae eccleſiae noſtrates reiiciunt, nihil aliud agunt, aut docent, quam quod eccleſia antiqua purior, praeſtantiſſimique patrum egerunt, aut docuerunt.

Reſurrectio mortuorum aeque ac extremum iudicium, cum ipſo religionis reuelatae fundamento tam arcte coniuncta ſunt, vt nemo illa negare queat, quin hoc ſimul concutiat, ac labefactet. Symbola praeterea omnia, apoſtolicum, Nicaenum, Athanaſianum, reliqua, teſtantur, vniuerſae eccleſiae hanc eſſe confeſſionem; quod & IRENAEI pariter ac TERTVLLIANI loca antea laudata confirmant. De regno quodam Chriſti, quae veteris eccleſiae doctorum fuerit ſententia, antea iam expoſuimus. Nec tamen de omnibus dici poteſt, quod eiusmodi regnum admiſerint: certe HIERONYMVM atque AVGVSTINVM illud diſerte reieciſſe, conſtat, & ibidem obſeruatum. Qui etiam admiſerunt, non in craſſiori ſenſu id fecerunt, vt Cerinthiani. Quin potius eiusmodi chiliaſtae diſerte inter haereticos referuntur ab EPIPHANIO, *haereſi 38.* AVGVSTINO, *de haereſib. cap. 8.* PHILASTRIO, *haereſ. 59.* Cum vero & tandem ipſa eccleſia latina errorem hunc publice reiecerit, idemque & a noſtratibus factum ſit in Auguſtana confeſſione, plerique

rique

Digitized by Google

riique etiam reformatorum eidem repugnent, quo pacto doctrinae iſtius veritas conſeruata ſit, intelligitur. Eſt magnus, fateor, numerus eorum, qui chiliasmum defendunt: quamquam inter ſe ipſi non vsque quaque conſentiant: ſed non minor eſt eorum, qui ſcripta anti-chiliaſtica ediderunt; quibus integram facile inſtruere poſſemus bibliothecam. Sed haec enarrare, huius loci non eſt; conf. B. CASPAR SAGITTARIVS, *introd. ad hiſt. eccleſ. c. 33. ſect. 22. p. 910. ſeq.* vbi praecipuos ſcriptores anti-chiliaſticos veteres aeque ac recentiores enumerat.

§. XXXII. Quae noſtri hic ſint officii, quilibet facile intelligit. Conſiderandum praecipue eſt, veram beatitudinem in hac vita inchoari, in altera continuari & conſummari. Qui ergo in hac vita beati eſſe nolunt, nec in altera erunt. Et, qui ita initium beatitudinis per fidem in ſe habet, is quoque ſpem habet vitae aeternae, certam & viuam, *1. Petr. I, 8.* quae illum itidem in hac vita beatum reddit; *Rom. VIII, 24.* qua, qui praeditus eſt, ſe ipſum purificat, quemadmodum & Deus purus eſt; *1. Ioan. III, 3.* adeoque & ſanctitati ſummo ſtudio operatur, ſine qua nemo Deum videre poteſt; *Ebr. XII, 14.* ac euitat, quae introitum in vitam aeternam impediunt: cuiusmodi ſunt omnia opera carnis, *1. Cor. VI, 9. ſeq. Gal. V, 21. apoc. XXI, 27.* Tantae autem gloriae, cuius beati participes erunt, conſideratio efficit, vt aduerſa quaeuis, ac calamitates, aequo ac patienti ferant animo, *Rom. VIII, 18. 1. Cor. XV, 19.* Damnationis contra aeternae diligens & attenta conſideratio, vt paedagogia ad veram poenitentiam eſſe poteſt, ita eo quoque nos adducet, vt ſaluti noſtrae cum timore & tremore operemur, *Philip. II, 12.*

§. XXXIII. Pari ratione mortis temporalis, & eorum, quae eam conſequuntur, recta conſideratio, impiis manuductio erit ad poenitentiam, piis excitatio ad vitam caute inſtituendam. Quo ſenſu ex mortis conſideratione vera oritur prudentia, *pſalm. XC, 12.* Nec eſt, quod pii homines eam extimeſcant, quippe quae illis ſaltem eſt tranſitus ad vitam; conf. *Ebr. II, 14. Ioan. V, 24. XI, 25, 26.* Immo, eo minus eam extimeſcunt, quo certiores ſunt de reſurrectione mortuorum, in qua corpus ab omni imbecillitate liberum, & maxima gloria circumfuſum, recipient; *1. Cor. XV, 19.* cuius contra recordatio impiis non poteſt non eſſe terribilis, niſi forte & hinc occaſio illis, vitam emendandi oriatur. Atque ſic etiam extremi iudicii conſideratio non poteſt non pios magno ſolatio perfundere, ſpem viuam in illis augere, & ad mala quaeuis forti animo toleranda, promtos reddere; *Rom. VIII, 18. 1. Petr. I, 4, 5. 6.* quemadmodum impiis nihil triſtius poteſt obtingere, quam ſtatus illius, qui certo illos manet, imago: & ſi forte de eo aut numquam, aut raro cogitent, ſuo tamen tempore experientur, quae nunc vilipendunt: *Rom. II, 9, 10. 2. Theſſal. I, 7, 8.* niſi & hinc occaſio illis praebeatur, mentem meliorem induendi; conf. *actor. XXIV, 25.*

INSTI-

Digitized by Google

INSTITVTIONVM THEOLOGIAE DOGMATICAE LIBER TERTIVS

DE HOMINE, TVM IN STATV INTEGRITATIS, TVM IN STATV POST LAPSVM SPECTATO.

LIBRI TERTII

CAPVT PRIMVM

DE STATV INTEGRITATIS, VBI DE IMAGINE DEI, ITEMQVE DE FOEDERE OPERVM.

Σύνοψις.

STatus, in quo homo conditus a Deo, fuit ſtatus integritatis: quaenam in eo conſideranda? §. I.

Homo ad imaginem Dei conditus eſt, §. II.

Quo pacto Deus, cum ad eius imaginem homo conditus dicitur, conſiderandus ſit? §. III.

Imago Dei, ratione intellectus, §. IV.

ratione voluntatis. §. V.

& reliquarum mentis facultatum, §. VI.

Dona iſta, quae hac ratione homini collata ſunt, quo ſenſu fuerint naturalia? §. VII.

Acceſſerunt dona corporis eximia, ea tamen recte aeſtimanda, §. VIII.

De ſtatu matrimoniali, paterno, ciuili, herili, ante lapſum, §. IX.

De dominio rerum, homini in ſtatu integritatis a Deo conceſſo, §. X.

Cultus diuinus in ſummo Numinis amore conſiſtebat, qui & per obſequium ſeſe exſerebat; cultus externus, pro indole iſtius ſtatus concipiendus, §. XI.

Leges hominibus in ſtatu integritatis datae, tum abſolutae, tum hypotheticae, §. XII.

An, & quousque modum, Numen colendi, ſub ſchemate foederis concipere liceat? §. XIII.

Quid per foedus operum in ſtatu integritatis intelligatur? §. XIV.

Quaenam in eo ſpeciatim obſeruanda? §. XV.

Partes, ſeu perſonae contrahentes, §. XVI.

Conditio, ſeu lex foederis iſtius, §. XVII.

Promiſſio, §. XVIII.

Comminatio, §. XIX.

An & ſacramenta in ſtatu integritatis fuerint? §. XX.

Violatio foederis, huiusque abrogatio, §. XXI.

Fontes errorum in hocce ſacrae doctrinae capite, §. XXII.

Veritatis conſeruatio & propagatio, §. XXIII.

Vſus doctrinae huius, in praxi vitae chriſtianae, §. XXIV.

§. I.

§. I.

STatus ille, in quo homo a Deo conditus erat, cum, qua hominem ipſum, qua reliquas res creatas, labis omnis, atque vitii expers eſſet, merito *integritatis* dicitur. * In cuius conſideratione, tum ad hominem ipſum, ** tum ad modum, quo Deum creatorem ſuum colere debebat, reſpiciendum eſt.

* Nimirum, intuitu ipſius hominis ita dici poterat, quia hic *integer*, ac *rectus* in eodem erat, *Kohel. VII, 30.* intellectu, voluntate, adfectibus &c. immo, & intuitu reliquarum rerum creatarum omnium, in quibus nullum vitium, nullus defectus conſpiciebatur. Erant enim omnia a Deo creata, *valde bona*, id eſt, *optima*, quodlibet ſcilicet in ſuo genere, *Gen. I, 31.* Vocatur etiam *ſtatus innocentiae*, quia homo erat innocens, hoc eſt, iuſtus, ſanctus, omnisque vitii atque labis expers, *Epheſ. IV, 24.* Merito, dum de ſubiecto theologiae agere, nobis conſtitutum eſt, initium a ſtatu integritatis fecimus: cum ea, quae de ſtatu miſeriae dicturi ſumus, tum demum recte intelligi poſſint, ſi ſemper, quid in Adamo amiſerimus, conſideraverimus. Sequitur eumdem ordinem Moſes, qui, cum integritatis ſtatum deſcripſiſſet, ad lapſum primorum parentum progreditur.

** Prout ad imaginem Dei conditus erat, & in omnibus felix atque beatus cenſeri poterat. Reliqua enim, quae ad hominis creationem pertinent, ſupra iam ex ſequuti ſumus, ad *libri* praecedentis, ſeu *ſecundi c. 2. §. 16.*

§. II. Et hominem quidem ad *imaginem Dei* conditum eſſe, conſtat; * qua voce, in ſtrictiori ſignificatione accepta, virtutes diuinae, quae in anima eius exſplendeſcebant, denotantur. ** Id quod tum ex ipſa Dei, ceu exempli, quod imago haec exprimebat, ſpeciatim Chriſti ſeruatoris, qui eſt *ſplendor gloriae patris, & character ſubſtantiae eius; Ebr. I, 3.* conſideratione, tum ex imaginis iſtius in credentibus reſtauratione, aliaque ratione, intelligitur. ***

* Tam luculenta hac de re ſunt verba Moſis, vt nullum prorſus dubium admittant: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos; Gen. I, 27.* In quibus diuini ſcriptoris verbis primo *cauſſam efficientem* imaginis diuinae obſeruare licet; quae eſt Deus triunus. Ille enim ipſe Deus, qui antea in multitudinis numero dixerat: *faciamus hominem;* eſt, de quo Moſes porro dicit, quod hominem ad imaginem ſuam creauerit. Nec eſt, quod quemquam ſuffixum ſingularis numeri in voce בצלמו moueat, cum antea cum ſuffixo pluralis numeri dictum ſit: בצלמנו כדמותנו *ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram.* Nihil enim aliud inde colligi poteſt, quam, eumdem illum Deum vnum eſſe ratione eſſentiae, qui ob pluralitatem perſonarum etiam in multitudinis numero loquutus fuerat. Eum autem, qui ad imaginem Dei conditus eſt, ſeu ſubiectum, vt in ſcholis loqui amant, Moſes voce אדם deſignat, quae hic non pronomine proprio primi hominis, ſed pro toto genere humano, adeoque vtroque ſexu accipienda eſt. Hoc enim luculenter ex eo patet, quod addit: *maſculum & feminam creauit eos*, ſcilicet, ad imaginem ſuam. Hoc ipſo vero & Iudaeorum illud commentum, ipſi, quod mireris, MENASSI BEN ISRAEL, atque MOSI MAIMO-

NIDI, viris alias iudicio pollentibus, illi quidem, *conciliat. in gen. n. 8.* huic autem, in *more nebuchim, part. 2. c. 20.* probatum, refellitur, ac ſi Deus vnum tantum hominem, eumdemque androgynum, ſeu vtrumque ſexum referentem, condiderit: quod quidem figmentum, etſi ſatis illepidum, inter chriſtianos etiam EVGVBINO, FRANC. GEORGIO VENETO, IACOBO BÖHMIO, ANTONIETTAE BVRIGNONIAE, aliisque, ſe probauit: quos ideo refellunt SALDENVS, *otior. theolog. lib. 2. exercit. 2.* quae eſt, *de protoplaſtis;* atque COLBERGIVS, in *chriſtianiſmo hermetico-platonico, part. 2. c. 3. §. 10. p. 172. ſeq.* conf. & HEIDEGGERVS, *hiſtor. patriarch. part. 1. exercit. 4. §. 19. p. 128.* Ad feminam autem, ſeu Euam, non minus quam ad Adamum, imaginem diuinam pertinuiſſe, inde quoque conſtat, quod nulla ratio reddi queat, cur illa non minus, quam hic, eius fuerit capax. Sociniani autem quod hic in diuerſum abeant, inde prouenit, quod falſam, erroneamque de imagine Dei animo conceperint notionem, eam in dominio in animantia conſtituentes. Hoc enim, cum mulieri conceſſum negent, eam quoque ad imaginem Dei conditam non eſſe, inde conſequitur. Iam ad rem ipſam, quod attinet, condidiſſe Deum Moſes ait, hominem בצלמו *in imagine ſua.* Etſi enim LXX. interpretes particulam ב per κατά, & vulgatus per *ad*, vertant, retineri tamen vſitatam eius ſignificationem poſſe, nonnulli monent, hoc ſenſu, quod Deus in homine exſtare ſuam imaginem voluerit. De voce צלם itidem conſtat, quod ſemper σχέσιν, ſeu relationem quamdam vnius rei ad alteram, cui ſimilis eſt, denotet. Qui autem paullo adcuratius hac de re philoſophantur, ad imaginem proprie ſic dictam tria requiri docent; I) ſimilitudinem, vt illud, quod imago alterius dicitur, illi ſit ſimile; idque II) non tantum qua eſſentiam generatim ſpectatam, ſed & qua notionem propriam; cum effigies, generatim hominem exhibens, non poſſit imago Petri & Pauli dici: vnde porro III) ſequitur, quod imago quodammodo a prototypo, ſeu, cuius eſt imago, dependeat, immo, tanto perfectior cenſeatur, quanto propius ad prototypum accedit. Atque haec omnia etiam in imaginem Dei, ad quam homo creatus fuit, quadrare, ex iis, quae dicentur, manifeſtum fiet. Licet autem hac ratione diſcrimen aliquod inter *imaginem* & *ſimilitudinem* intercedat, cum vna res alteri ſimilis eſſe queat, etiamſi non ſtatim eius imago dici poſſit: hoc tamen diſcrimen non ſemper obſeruatur, adeoque minime in cenſum venit, cum *verſ. 26.* Deus dicit: *faciamus hominem* בצלמנו כדמותנו *in imagine noſtra, in ſimilitudine noſtra.* Nonnulli equidem ex Romanenſibus hic diſcrimen aliquod inter *imaginem,* & *ſimilitudinem* conſtituunt; per illam, *conuenientiam hominum cum Deo, qua naturalia quaedam;* per hanc autem, *conuenientiam hominis cum Deo, quo ſanctitatem atque iuſtitiam,* intelligentes. Eo nimirum haec tendunt, vt inde colligant, Adamum per peccatum ſimilitudinem cum Deo, non autem imaginem Dei amiſiſſe: adeoque vires hominis poſt lapſum adhuc integras, nec prorſus imminutas eſſe. Quo ipſo quam prope a Pelagianorum erroribus abſint, demonſtrant: qua de re in ſequentibus copioſius dicemus. Refelli autem vel inde poſſent, quod Moſes, decreti diuini exſequutionem memorans, omiſſa voce *ſimilitudinis,* imaginis tantum mentionem faciat. Vnde in ipſo decreto hae voces συνωνυμικῶς recte explicantur, hunc in modum: *ad imaginem nobis ſimillimam.* Et ſunt ſane ex ipſis Romanae eccleſiae addictis, qui agnoſcunt, nullum hic inter voces iſtas diſcrimen intercedere; quos inter etiam eſt SIMON, *hiſt. crit. V. T. l. 3. c. 6. p. 376.* itemque LEQVIEN, ad IO. DAMA-

SCENI,

SCENI, *de orthodoxa fide, l. 2. c. 12. pag. 177.* Quando denique a Moſe additur: *ad imaginem Dei creauit illum,* non pro inani hoc habendum eſt repetitione, ſed emphaſin potius habet plane ſingularem. Indicare namque hiſce verbis diuinus ſcriptor voluit, probe obſeruandum eſſe, ad cuius imaginem homo conditus ſit, *ipſius* ſcilicet *Dei,* ſimulque oſtendere, non ad angelorum, aut alterius cuiuscumque rei creatae, ſed *ſolius Dei* imaginem hominem conditum eſſe.

** Diuerſimode imaginem diuinam intelligi, conſtat. In latiori enim ambitu accepta, ea omnia, in quibus conuenientia quaedam hominis cum Deo conſpicitur, denotat, adeo vt ipſam eſſentiam animae ſpiritualem, eiusque facultates naturales, intellectum & voluntatem, immortalitatem etiam, qua homines in ſtatu integritatis gaudebant, & dominium in res creatas, complectatur. In ſtrictiori autem tantum virtutes illas intellectus & voluntatis, quae ſimilibus in Deo virtutibus reſpondent, & quae praecipuum illud primorum parentum decus conſtituebant, a Deo iis concreatas, deſignat. Poſterior ſignificatio etſi praecipua ſit, &, vbi de imagine Dei proprie ſic dicta ſermo eſt, in cenſum veniat, prior tamen itidem aliquando in ſcriptura ſacra occurrit, nec in patrum quoque ſcriptis infrequens eſt. In ſcriptura ſacra eam occurrere, vel ex *Gen. IX, 6.* liquet, vbi legis, qua ſanguinis humani effuſio prohibetur, haec a Deo ipſo adfertur ratio, quod *homo ad imaginem Dei ſit conditus.* Ea vero lex cum generatim de omnibus hominibus loquatur, ſimul adeo innuit, omnes ſine diſcrimine homines imaginem quamdam creatoris ſui circumferre. Hoc vero cum de imagine Dei, ſpeciatim ſic dicta, dici nequeat, quippe quam per lapſum primorum parentum amiſſam, ex aliis ſcripturae dictis conſtat, nihil aliud ſupereſt, quam vt in generaliori ſignificatione accipiatur, ſecundum quam hodie adhuc omnibus hominibus tribui poteſt. Et ita quoque *Iacobi III, 9.* hanc vocem ſumi, res ipſa docet. In patrum vero etiam ſcriptis quae haec non infrequens ſit ſignificatio, vel AVGVSTINI exemplo comprobari poteſt. *Hic excellit,* inquit, *in homine, quia Deus ad imaginem ſuam hominem fecit, propter hoc, quod dedit illi mentem intellectualem, quae praeſtat pecoribus; lib. 6. de geneſi ad litter. c. 12.* Immo, alibi idem Hipponenſium praeſul ad *imaginem Dei* refert, *quod & ſumus, & nos eſſe nouimus, & noſtrum eſſe, ac noſſe diligimus; l. 11. de ciuit. Dei, c. 25.* Veterum ergo exemplo pariter ac ſcripturae auctoritate permoti noſtrates quidam, itidem in latiori illo ſenſu imaginem diuinam acceperunt, ſimul tamen ſtrictiorem ab eo caute diſtinguendum, monuerunt.

*** Ad methodum inueſtigandi imaginem diuinam haec pertinent. Si enim cognoſcere velimus, in quo imago Dei ante lapſum conſtiterit, primo quidem Deum ipſum, eiusque perfectiones, eas nimirum, quarum ſuo modo homo etiam particeps fieri poteſt, diligenter conſiderare iuuabit. Ex prototypo enim omnium rectiſſime de ectypo, ſeu imagine, iudicare licet. Has vero perfectiones ſcriptura ſacra τὴν δόξαν, *gloriam, claritatem* Dei vocat, quam adeo & homo ante lapſum habuit, ſed qua poſt lapſum deſtituitur: ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *Rom. III, 23.* quam tamen, qui in Chriſtum credunt, iterum *retecta intuentur facie,* ita *vt transformentur in eamdem imaginem,* ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *a gloria ad gloriam, 2. Cor. III, 18.* Ad hoc prototypon etiam Petrus nos ducit, dum *ſanctos nos eſſe* iubet, *quemadmodum & Deus ipſe ſanctus eſt; 1. ep. I, 16.* ex *Leuit. XI, 44.* & *XIX, 2.* immo, ipſe ſeruator, dum τελείους nos eſſe vult, *quemadmodum & pater noſter in caelis perfectus eſt, Matth. V, 48.* Deinde ſpeciatim Chriſtum conſiderare iuuat; qui cum ipſemet ſit ἀπαύγασμα τῆς δόξης *patris,* ſuo exemplo omnium rectiſſime nos condocet,

quo pacto diuinae virtutes in homine exſplendeſcant. Hinc & *ὑπογραμμὸν nobis reliquit, vt ipſius ſequeremur veſtigia*; *1. Petr. II, 21.* quemadmodum & ad ſui imitationem nos inuitat, vt hac ratione & in nobis imago diuina reſtauretur, *Matth. XI, 28, 29.* Iuuabit itaque adcurate vitam ſeruatoris contemplari, vt in eius amore, ſanctitate, patientia, humilitate, ceteriſque virtutibus, imaginem Dei quam clariſſime conſpiciamus. Namque & haec ad *δόξαν* illam pertinent, qua ſe filium Dei vnigenitum demonſtrauit, *Ioan. I, 14.* Praeterea ex legis conſideratione cognoſcere imaginem diuinam licet. Eſt enim lex diuina ſanctitatis, iuſtitiae, ceterarumque Dei virtutum nitidiſſimum ſpeculum. Cumque ſumma omnium virtutum diuinarum in amore pleniſſimo, quo & ſe, & res a ſe conditas, amat, conſiſtat, vti ſupra demonſtrauimus; ita ſummam quoque legis in amore, quo Deum, alioſque homines amare debemus, conſiſtere, ſeruator ipſe docet, *Matth. XXII, 37, 39.* Tandem & ex renouatione, ſeu ſanctificatione, imaginem Dei cognoſcere licet. Ad eamdem enim imaginem, quam in Adamo amiſimus, per Chriſtum iterum renouamur. Vnde &, qualis illa imago, quam amiſimus, fuerit, conſtat. Renouamur autem ad *cognitionem, ſecundum imaginem eius, qui creavit nos; Coloſſ. III, 10.* itemque ad *iuſtitiam veram & ſanctitatem, Eph. IV, 24.* Sed & qua omnes mentis facultates ſanctificamur, adeoque & renouamur, vt hac quoque ratione imago Dei in nobis reſplendeſcat, *1. Theſſ. V, 23.* Atque ita ſummatim, in quo imago Dei conſtiterit, intelligitur, de qua deinceps diſtinctius exponemus.

§. II. In Dei, ceu prototypi, conſideratione, non ipſa eſſentia in ſe ſpectata, aut trinitas, aut trinitatis vna perſona, nec attributa ſoli Deo propria in cenſum veniunt, ſed ea, quae & tribus perſonis ſunt communia, & rebus etiam creatis, ſpeciatim hominibus, certo modo conueniunt, & in ſcriptura ſacra ad imaginem Dei referuntur. *

* Cum varia in Deo conſiderari poſſint, in quibus conuenientia quaedam cum iis, quae in homine ſunt, deprehenditur; factum eſt, vt diuerſas etiam plurimi, & erroneas maxime de imagine Dei animo notiones conciperent. Qui in forma corporis humani imaginem Dei quaeſiuerunt, vt anthropomorphitae, Deo aliquid tribuerunt, quod illi tribuendum non erat; aut potius inuerſo ordine Deum ex natura hominis aeſtimarunt, cum hominem ex virtutibus diuinis aeſtimare debuiſſent. Sed de his in ſequentibus dicemus. Qui in ipſa eſſentia diuina, in ſe ſpectata, prototypon quaerunt, ad eam ea referunt, quae in generaliori ſignificatione complectitur. ſecundum quam, iuxta antea obſeruata, id admitti poſſet, modo ea, quae proprie imaginem Dei conſtituunt, non excludantur. Qui autem ea excludunt, imaginem Dei non aliam homini tribuunt, quam quae in ſpirituali animae humanae natura, & proprietatibus, ex ea fluentibus conſiſtit. Quae ſententia, ſi admitteretur, ſequeretur, imaginem Dei non eſſe deperditam; quod falſum eſſe, nemo non intelligit. Quod ſi enim deperditam adſerant, cum FLACIO, eiuſque ſectatoribus, ipſam eſſentiam hominis mutatam fateantur, neceſſe eſt. Namque hi imaginem Dei ipſam formam eſſentialem hominis fuiſſe contendebant, quae per lapſum perierit, aut in contrariam formam mutata ſit. Sunt tamen, qui ipſius FLACII in mitiorem partem interpretantur ſententiam.

Alii rurſus in ipſa trinitate perſonarum prototypon imaginis diuinae quaerunt. In hanc nimirum ingrediuntur ſententiam,

Digitized by Google

tiam, qui in ipſa hominis mente veſtigia quaedam & argumenta trinitatis ſe deprehendere ſibi videntur, ex quibus euincant, ex ipſa humanae naturae conſideratione trinitatem perſonarum demonſtrari poſſe. Et negari ſane nequit, ex ipſis eccleſiae veteris doctoribus nonnullos ita loqui, vt ſauere huic ſententiae videantur. Ita namque AVGVSTINVS: *Imago Dei eſt mens, quae capax eius eſt, eiusque particeps eſſe poteſt. Iam ergo in ea trinitatem, quae Deus eſt, inquiramus. Ecce! enim, mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe. Hoc ſi cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei; haec enim* (in mente) *quaedam adparet trinitas, memoriae, intelligentiae, & amoris; l. 14. de trinit. c. 8. tom. 8. oper. p. 676.* Hiſce & alia eiusdem generis ex eodem AVGVSTINO, itemque ex AMBROSIO, ISIDORO, BERNHARDO, addit POIRET, qui & ipſe in eam ingreſſus eſt ſententiam, imaginem quamdam ipſius trinitatis homini concreatam eſſe. *Deus*, inquit, *in operibus ſuis, & maxime in hominis anima impreſſit ſacro-ſanctae trinitatis, quae in ipſo eſt, notas, & imagines naturales*, (*hoc eſt, quae ſunt in ipſa animae natura*) *ex quibus etiam patet, ſimile quid, & reſpondens aliquod trinum, in Deo, earum auctore & exemplari eſſe; cogitation. rational. de Deo, anima, & malo, l. 3. c. 8. p. 322.* item *p. 329.* Sed vero & hancce minime admitti ſententiam poſſe, facile intelligitur. Quod ſi enim imaginem Dei proprie & ſtricte accipiant, admittant quoque neceſſe eſt, eam adhuc poſt lapſum ſupereſſe. Ceteroquin enim ex mentis humanae, prouti hodie eſt, conſideratione, nullum pro trinitate perſonarum deſumere poſſent argumentum? Hoc ipſo vero ſcripturae ſacrae, ex qua, amiſſam per lapſum primorum parentum imaginem diuinam, conſtat, contradicunt. Sin in generaliori ſignificatione vocem hancce capiant, quemadmodum capere videntur, dum ad ipſas mentis facultates hancce imaginem referunt, tum quidem probare debent, hominis animam ita conditam a Deo, vt in eius facultatibus naturalibus imago quaedam trinitatis eluceſceret. Hoc vero vt ſcriptura nullibi docet, ita nec ex mentis humanae conſideratione demonſtrari poteſt. Qui enim in ea trinitatis quaedam veſtigia deprehendere ſibi videntur, non tantum inter ſe diſſentiunt, ſed & omnia ea, quae hac de re dicuntur, lubrica admodum eſſe, & omni fundamento deſtituta, ſupra iam probauimus, ad *l. 2. c. 1. §. 44.* vbi &, quo ſenſu AVGVSTINI, aliorumque hac de re accipienda ſint effata, obſeruauimus.

Fuerunt autem rurſus alii, qui prototypon imaginis diuinae in vna quadam trinitatis perſona, ſpeciatim in filio Dei, quaererent. Huc illud PRVDENTII pertinet:

Chriſtus forma patris; nos Chriſti forma & imago,
Condimur in faciem domini, bonitate paterna,
Venturo in noſtram faciem poſt ſaecula Chriſto;

apotheoſ. p. m. 496. Similia & apud alios paſſim leguntur. Quod ſi ita intelligeretur, vt ad ſolius filii, excluſis reliquis trinitatis perſonis, imaginem, homo conditus cenſeatur, merito repudiatur, refelliturque ab AVGVSTINO, *l. 12. de trinitate, cap. 6.* Admitti tamen poteſt, ſi reliquae trinitatis perſonae non excludantur, & conuenientia non in iis, quae vni perſonae propria ſunt, ſed, quae omnibus communia, conſtituatur. Originem autem haec ſententia inde traxit, quod filium ipſum pro imagine Dei habuerunt. Vnde porro haud pauci, hominem non eſſe imaginem Dei, ſed ad imaginem Dei factum, adſeruerunt. Loca veterum huc ſpectantia, PETAVIVS recenſet, *dogmat. theol. tom. 3. de opific. ſex dier. l. 2. c. 4. §. 10. pag. 165. ſeq.* Et ſane, cum filius Dei patris imago dici-

tur, longe aliter illud eſt intelligendum, quam cum homini imago Dei tribuitur. Et hactenus diſcrimen illud locum inuenit. Cum vero inde porro infertur, imaginem illam, ad quam homo conditus eſt; eſſe Chriſtum, ſeu filium Dei, id quidem non aliter, quam antea diximus, admitti poteſt. Nonnulli tamen veterum ſpecialiori quadam ratione, hominem ad imaginem filii conditum, docuerunt. Nimirum, quia imago Dei, ad quam homo creatus eſt, ex parte in cognitione & ſapientia conſiſtebat, hoc ipſo ſpeciatim filium Dei eam retuliſſe, putabant, qui itidem ὁ λόγος itemque *ſapientia*, in ſcriptura ſacra dicitur, *prouerb. VIII, 12. 22.* Huc illud CLEMENTIS Alexandrini pertinet: ἡ μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ εἰκὼν, ὁ λόγος αὐτοῦ, καὶ υἱὸς τοῦ νοῦ γνήσιος, ὁ θεῖος λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς, εἰκὼν δὲ τοῦ λόγου ὁ ἄνθρωπος. ἀληθινὸς ὁ νοῦς ὁ ἐν ἀνθρώπῳ, ὁ κατ' εἰκόνα τοῦ θεοῦ, καὶ κατ' ὁμοίωσιν διὰ τοῦτο γεγενῆσθαι λεγόμενος, τῇ κατὰ καρδίαν φρονήσει τῷ θείῳ παρεικαζόμενος λόγῳ. καὶ ταύτῃ λογικός. *Eſt enim Dei imago eius verbum & filius mentis legitimus; diuinum illud verbum, lucis lux archetypa. Verbi autem imago eſt homo: vera mens eſt, quae in homine eſt, qui ad Dei imaginem & ſimilitudinem propterea factus eſſe dicitur, prudentiae, quae eſt in corde, diuina ratione adſimilatus, & ea ratione verbi, rationisque particeps; admonit. ad Graecos, p. m. 62.* Quae quidem licet excuſari poſſint, parum tamen adcurate dicta ſunt, cum imago Dei non in ſola ſapientia, ſed ſimul ſanctitate & iuſtitia conſtiterit; nec ſolus filius, ſed tota ſacroſancta trinitas hominem ad imaginem Dei creauerit, iuxta illud: *faciamus hominem ad imaginem noſtram, Gen. I, 26.*

Grauius autem adhuc illi errant, qui corpus, quod filius Dei ex Maria eſſet habiturus, imaginem illam fuiſſe putant, ad quam primus homo fuerit conditus; hoc ipſo more anthropomorphitarum eam non in anima, ſed in corpore conſtituentes. Ita autem TERTVLLIANVS ſenſit; *lib. de reſurrect. carnis, c. 6.* ſed & Origenianis quibusdam hicce error tribuitur, quem AND. OSIANDER in libro *de imagine Dei*, anno 1550. edito, incruſtaſſe dicitur. Hi ergo ad prototypon, quod tum non niſi in intellectu diuino exſtitit, hominem creatum adſerunt, niſi in illorum concedere ſententiam velint, qui Chriſto corpus aliquod caeleſte, quod ſtatim ab initio, vel ante initium huius vniuerſi adſumſerit, tribuunt. Horum autem poſterius vt fruſtra adfirmatur, ita prius illud durum admodum eſt. Imago enim hac ratione dudum exſtitit ante prototypon. Repugnat quoque diſerte ſcriptura, quae Deum, ſeu totam trinitatem dixiſſe refert: *faciamus hominem, ad imaginem noſtram.* Toti vero trinitati vt nemo corpus tribuerit, ita nec imago illa in corpore conſiſtere potuit. De ſolo etiam filio Dei dici non poſſe, quod ad imaginem eius conditi ſimus, antea iam obſeruauimus. Quod denique attributa ſoli Deo propria in imagine diuina recte aeſtimanda, in cenſum non veniant, ſed ea, quae & tribus perſonis ſunt communia, & rebus etiam creatis, ſpeciatim hominibus conueniunt, res ipſa facile quemuis condocere poteſt. Aeternitas namque, infinitas, immenſitas, & alia, ita Deo propria ſunt, vt nulli rei creatae conueniant. Si enim conuenirent, non amplius res creata, ſed Deus ipſe eſſet. Idem & de iis, quae ſingulis perſonis propria ſunt, vt generatio aeterna filii ex ſubſtantia patris, facile intelligitur. Sed de iis quoque, quae homini conueniunt, obſeruandum, non eo modo haec ei conuenire, quo Deo. Cognitio enim ſiue ſcientia, etſi in homine pariter ac Deo ſit, de Deo tamen conſtat, quod omniſcius ſit, quod rurſus de homine dici nequit. Haec ſi obſeruentur, ac diligenter conſiderentur, quae ſcriptura ſacra ad imaginem Dei

ſpeciatim

Digitized by Google

ſpeciatim ſic dictam refert, ſimul tamen ad imaginis diuinae, per lapſum primorum parentum amiſſionem, eiusdemque in Chriſto reſtaurationem attendatur, a vera eius notione recte conſtituenda non aberrabimus.

§. IV. Si ſpeciatim intellectum conſideremus, imaginem Dei in *luce*, ſeu *cognitione*, & *ſapientia* conſiſtere deprehendimus. Luce namque diuina ita perfuſus erat, vt & Deum, resque diuinas, pro modo equidem intellectus humani, ſuisque adeo limitibus circumſcripti, prout tamen hoc ſufficeret, recte cognoſceret; & rerum quoque creatarum, quas noſſe hominis intererat, naturam indolemque cognitam, atque perſpectam haberet. * Ad iſtam autem cognitionem plane eximiam cum ſumma voluntatis accederet ſanctitas, integritasque, non poterat non inde ſapientia, ſtatus iſtius felicitati reſpondens, eſfloreſcere. **

* Perfectiones illae habituales, quas Deus, dum hominem ad ſui imaginem condidit, animae ſeu menti, virium ſuarum iam ceteroquin integritate pollenti, ineſſe voluit, cum partim ad intellectum, partim ad voluntatem ſpectauerint, primo quidem de iis, quae intellectum exornarunt, dicendum eſt. Intellectus autem virtutes praecipuas duas eſſe, *cognitionem*, quae & *lucis* nomine in ſcriptura ſacra venit, ac *ſapientiam*, aliunde notum eſt. Ad cognitionem itaque quod attinet, & primo quidem rerum diuinarum, dubium prorſus nullum eſt, quin Deum, qua eſſentiam, qua voluntatem ſpectatum, in tantum primi parentes cognouerint, in quantum, vt recte eum colerent, hoc neceſſarium erat. Nec tamen ita ſolius naturae viribus omnia tribuenda, vt non quaedam ex ſpeciali etiam reuelatione illis innotuerint. Quod quidem de lege iſta poſitiua, de non comedendo fructu arboris cognitionis boni & mali, ſatis conſtat. Sacroſanctae itidem trinitatis myſterium illis cognitum fuiſſe, dubitari nequit. Qui enim Deum, vti eſt, hoc eſt, vnum in eſſentia, & trinum in perſonis, non cognoſcit, eum non recte cognoſcit. Homines autem in ſtatu integritatis, & ad imaginem Dei conditos, Deum non recte cognouiſſe, quis dixerit? Diſputari equidem, etiam inter noſtrates, ſcio, num ex reuelatione Dei ſpeciali, an vi imaginis diuinae, illis concreatae, primi parentes myſterium hocce trinitatis cognouerint? Sed cum nullum cogitari principium queat, quod ad tanti myſterii cognitionem eos perduxerit, illorum partibus lubens accedo, qui, ex reuelatione hoc illis innotuiſſe, contendunt. Quod autem reuelationi iſti promte, & ſine vlla aut haeſitatione, aut dubitatione, adſenſum praebuerint, id quidem ex imagine diuina, illis concreata, deriuandum eſſe, nullus plane dubito. Ad perfectiones enim hominis intellectui hoc ipſo collatas, illud quoque referendum, quod reuelationi diuinae ſtatim ſine vlla haeſitatione dubitationeue adhibuerit fidem. Num autem myſterium incarnationis Chriſti cognouerint? & quae alia ſunt eiusdem generis, inter otioſas, & ineptiſſimas ſcholaſticorum merito referuntur quaeſtiones. Cognitio haec rerum diuinarum non mortua erat, aut otioſa, ſed viua, efficax, & ad Deum, quem vt ſummum ſuum bonum cognoſcebant, ſummo quoque amore proſequendum, hinc & ad obſequium in omnibus illi praebendum, efficaciter eos exſtimulans. Atque hoc, vti res ipſa docet, ita ex renouatione ad imaginem diuinam intelligitur; conf. *pſalm XXXVI, 10. 1. Ioan. I, 5. ſeq.* Rerum porro naturalium eximiam

eximiam homines in ſtatu integritatis habuiſſe notitiam, non negabit, qui conſiderauerit, quo excellentiori quiſque ingenio praeditus eſt, eo facilius eum rerum omnium, quae ſe ei offerunt, naturam perſcrutari. Forte & hic aliquid primo homini conceſſum fuit, quod hodie nobis non ſatis notum eſt. Certe, quod animantibus cunctis nomina impoſuit, id ſingulari eum rerum naturalium notitia praeditum fuiſſe, arguit; praeſertim, ſi nomina, quae illis impoſuit, ipſam animalium expreſſiſſe naturam ſtatuamus, vt veroſimile videtur, & ex veteribus praeter alios cenſet EVSEBIVS, *praepar. euang. l. II. c. 6.* Suis tamen & haec eius notitia circumſcripta fuit limitibus: nec dubium, quin experientia, aliaue ratione augeri potuerit. Certè quaedam primos parentes ignoraſſe, hiſtoria lapſus ſatis ſuperque nos condocet. Cauendum etiam, ne de cognitione Adami eiusmodi animo concipiamus notionem, quae eruditionis, prouti hodie in vſu eſt, circulo tantum conuenit, & ſine magno errore primis parentibus, in ſtatu praeſertim integritatis conſtitutis, tribui nequit. Multa enim hodie inter eruditionis partes referuntur, quae aut diuturna ſaltem experientia, aut obſeruatione comperta ſunt, aut in humanae imbecillitatis & ignorantiae ſubſidium excogitata; aut alias ob rationes in ſtatum primaeuum non quadrant. Quae adeo Adamo tribuere, valde ineptum foret. Legenda, quae hac de re obſeruaui in *hiſtoria eccleſ. V. T. tom. I.* ad *per. I. ſect. I. §. 14. p. 93. 94.*

** Solet equidem ipſa rerum tum ſpiritualium, tum naturalium notitia, *ſapientiae* nomine comprehendi. Longe enim vſitatiſſimum eſt, vt illi, qui per compendium loqui volunt, imaginem diuinam conſtitiſſe dicant, in *ſapientia* & *iuſtitia.* Qui tamen adcurate loquuntur, cognitionem a ſapientia diſcernunt. Magna enim quis rerum variarum cognitione, ſeu, vt hodie loqui amant, eruditione poteſt eſſe praeditus, qui tamen non eſt ſapiens. Sapientia enim eſt eiusmodi perfectio mentis, qua quis mala a bonis rite diſcernit, vt illa euitet, haec ſectetur. Quod, vt quis rite faciat, ſufficienti quidem rerum cognitione inſtructus eſſe debet: non minus tamen voluntatis ſanctitas, atque integritas, accedat neceſſe eſt. Prauis enim cupiditatibus, vitiisque ſi homo corruptus ſit, caligo hinc intellectui obfundetur, vt bonum a malo non rite diſcernat, aut, ſi diſcernat etiam, nihiloſecius tamen ſaepius pro bono malum amplectatur, quod ſtultitiae eſt argumentum longe certiſſimum. Interim, cum mali, bonique diſcretio actus intellectus ſit, recte ſapientia ad intellectum refertur, etſi etiam voluntatis puritas integritasque ad eam concurrat. Repetenda hic, quae de ſapientia commentatus ſum, in *inſtit. theol. mor. part. I. cap. I. ſect. 2. §. 60. ſeq.* Atque haec qui conſiderauerit, ſapientiam quoque ad imaginem diuinam pertinuiſſe, facile intelliget. Excellens enim rerum diuinarum humanarumque notitia cum voluntatis integritate, ſanctitateque, non poterat non hominem, in ſtatu integritatis conſtitutum, ad eligenda ſemper, atque ſectanda optima quaeuis, aptum reddere. Id vero ſapientiae opus eſt. Erat tamen & haec, aeque ac ipſa cognitio, finita, ſuisque circumſcripta limitibus, vti euentus docuit. Non ergo vltra, quam par eſt, extendenda; nec tamen extenuanda nimis, aut omnino primis parentibus deneganda. Atque hoc quidem faciunt, qui in Pelagii, atque Socini caſtris militant. Hi enim vt ipſum Adami lapſum, ſimulque adeo peccatum originale, imminuerent, perfectiones quoque hominum in ſtatu integritatis aut extenuare, aut omnino negare, ſuarum ducunt eſſe partium. Quare & primos parentes, vt homines ſimplices,

plices, rerumque omnium rudes, omnique ſapientia deſtitutos, ſibi fingunt. Idque, vt aliis quoque perſuadeant, varia conquirunt. Ex ipſa hiſtoria lapſus eluceſcere aiunt, non adeo inſignem primorum parentum fuiſſe cognitionem, aut ſapientiam, ſiquidem artes, fraudesq; infernales genii, non animadverterint, ſed ab eo ſibi imponi paſſi ſint; itemque, quod poſt lapſum demum agnoverint, ſe nudos eſſe, quod pueriliſ ſimplicitatis ſit argumentum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Verum haec nos non feriunt. Eximiam enim licet primorum parentum ante lapſum fuiſſe cognitionem, & ſapientiam, contendamus, ſuis tamen ſimul circumſcriptam fuiſſe limitibus, adſerimus. Adeoque fieri omnino potuit, vt quaedam ignorarent; fieri etiam, vt, accedente per ſeductionem infernalis genii praua cupiditate, parum ſapienter aliquid agerent, hinc quoque ſummam & ſibi, & poſteris ſuis attraherent perniciem. Quod vero poſt lapſum demum ſe nudos eſſe, agnouiſſe dicantur, non ita capiendum, ac ſi ante lapſum aut plane caeci, aut omnis rationis expertes fuerint: ſed prauos, qui in iis ſeſe exſeruerunt, concupiſcentiae carnalis motus, ſcriptor ſacer hac loquendi ratione indicare voluit: cum poſt lapſum diuerſi ſexus homines ſine iis ſe nudos conſpicere nequeant. Conferenda, quae dixi in *hiſtor. eccleſ. V. T. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 1. §. 22. p. 117.*

§. V. Ad voluntatem quod attinet, non poterat non homo Deum, ceu ſummum, quod intime cognitum habebat, bonum, ſummo amore complecti, & ita cum eo vniri. Qua quidem ratione cum amor eius ordinem rectum obſeruaret, beatus non tantum merito cenſebatur, ſed ſanctitate quoque, iuſtitia, ceteriſque virtutibus omnibus, quae ex hocce fonte fluunt, ornatus. *

* Summam voluntatis perfectionem in amore recte ordinato conſiſtere, notum eſt. Tum autem homo recte amat, quando Deum ſupra omnia, ſe ipſum autem, atque alios homines ſecundum ordinem a Deo praeſcriptum amat; *Matth. XXII, 37.* Atq; talis erat hominum in ſtatu integritatis conſtitutorum, imagineque diuina gaudentium, amor. Hinc vero & reliquae non poſſunt non, ceu ex fonte vberrimo, fluere virtutes. Enimuero, qui Deum ſuper omnia, ſe ipſos autem, & reliquas creatas res non niſi iuxta ordinem a Deo praeſcriptum amabant, non poterant non ſe ab aliis omnibus, quae ordinem hunc amoris turbare, & labem quamdam illis adſpergere apta erant, ſeiungere atque ſeparare, vnde *ſanctitas;* quam & in Deo, ceu prototypo, ad imitandum ſibi propoſitam, conſpiciebant, *1. Petr. I, 16.* Non quoque poterant non erga omnes ita, vt decet, ſe gerere, omnibusque, quae cuique debebantur, tribuere, vnde *iuſtitia.* Cumque & hac ratione ab omni fuco, fraude, & hypocriſi eſſent alieniſſimi, ſinceritas, ſeu ἀλήθεια, *veritas*, inde ſequebatur. Atque haec omnia iunctim complectitur Paulus, nouum induere hominem iubens, *qui creatus ſit ſecundum Deum*, ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, *in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, hoc eſt, vera, ſincera, ab omni fuco & hypocriſi aliena, *Eph. IV, 24.* Licet autem ſpeciatim ſanctitatis ac iuſtitiae mentio fiat, non tamen excludendae ſunt reliquae virtutes, quae ex amore Dei fluunt, & quarum exercitium in ſtatu integritatis locum habere potuit. Quamquam & vtraque vox, tum *ſanctitatis*, tum *iuſtitiae*, in ſenſu latiori accipi queat, vt omnium virtutum complexum denotet, niſi illam, quod & alias inſolens non eſt, ad officia hominis erga ſe ipſum, hanc autem ad ea, quae aliis praeſtantur, magis reſpicere adſerere velis. Receptum tamen etiam valde eſt in theologorum ſcholis, atque vſitatum,

tum, vt ipſa imago diuina, ſiue complexus omnium perfectionum, qua intellectum, qua voluntatem, *iuſtitiae*, & quidem *originalis*, nomine veniat. Quae quidem loquendi ratio ſimul σχέσιν ſeu relationem quamdam ad forum diuinum inuoluere videtur, quod homo, in ſtatu integritatis conſtitutus, & imagine diuina praeditus, in conſpectu Dei, ſeu diuino iudicio, innocens, inſtusque fuerit, qui adeo pleniſſimum Dei fauorem, beneuolentiamque ſibi promittere potuerit. Atque haec erat δόξα illa Θεοῦ, *gloria Dei*, ſeu *coram Deo*, qua homines poſt lapſum deſtituuntur, & ſine qua non aliter, quam mortis temporalis atque aeternae rei, coram iudicio diuino comparere poſſunt; *Rom. III, 23.* Dum vero ſummam perfectionum, quae imaginem Dei, qua voluntatem exhibebant, in amore Dei conſtituimus, ſua ſponte inde ſequitur, non tantum ita comparatum fuiſſe hominem, vt nihil mali ageret, ſed qui ipſo illo Numinis amore ad eximia quaeuis atque praeclara peragenda, omnesque virtutes demonſtrandas, impelleretur. Quod recte etiam IO. DAMASCENVS animaduertit, non tantum ἄκακον, vel *non malum* hominem a Deo creatum docens, ſed etiam εὐθῆ, ἐνάρετον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα, οἷόν τινα κόσμον δεύτερον, ἐν μεγάλῳ μικρόν, *rectum, probum, triſtitiae & ſollicitudinis expertem, omni virtutum genere decoratum, omnibus florentem bonis, velut alterum quemdam mundum, in magno paruum*; *de orthodoxa fide, l. 2. c. 12. p. 178.* edit. LEQVIEN. Atque ita, cum omni virtutum genere abundarent primi homines, nec vllius peccati ſibi conſcii, de fauore contra Numinis certi eſſent, non poterat non inde conſequi ſumma animi tranquillitas, gaudiumque perenne; cuiusmodi quid & in imaginis diuinae reſtauratione iterum conſpicitur, *Rom. XIV, 17.*

Ceterum, licet homo in ſtatu integritatis conſtitutus, Deum ſummo amore proſequeretur, & hinc ad bona quaeuis atque praeclara impelleretur, ita tamen ſimul comparatus erat, vt ab amore iſto diſcedere, adeoque per peccatum iſta felicitate excidere poſſet. Cum ergo ne beatis in aeterna vita quidem, nec angelis in bono confirmatis libertas deneganda ſit, multo minus eam homini ante lapſum abiudicare licet. Libertatem intelligo, non tantum a coactione, quia voluntas hominis numquam cogi poteſt, ſed etiam a neceſſitate, ſiquidem nec per internum, nec per externum principium, ſiue ad bonum ſolum, ſiue ad malum adſtringeretur; conſ. *Eccleſ. XV, 14. 15. ſeq.* Poterat itaque homo peccare, & non peccare, adeoque hactenus libertas illa non in nuda ſpontaneitate, ſed indifferentia ad vtrumque oppoſitorum, cum inclinatione tamen quadam ad bonum, conſiſtebat. Ea enim indifferentia, quae aequilibrii vocatur, hic remouenda eſt; quam & alias locum non inuenire, viri docti demonſtrarunt. Legenda, quae hac de re diſputat LEIBNITIVS, in *theodiceae tentamine, de bonitate Dei, libertate hominis, & origine mali, part. 1. §. 35. p. 147.* it. *§. 46. p. 158.* alibique; itemque BAELIVS, *dictionar. hiſtorico-critico*, voce *Buridanus, tom. 1. p. 742.* Hoc vero vt copioſiori probatione non indiget, ita illud ſaltem obſeruandum, veteres quosdam eccleſiae doctores omnino partem quamdam imaginis diuinae in iſta libertate voluntatis, ſeu, vt alias loqui ſolent, libero arbitrio, conſtituiſſe. GREGORIVS namque Nyſſenus diſerte docet, oportuiſſe hominem ſuae poteſtatis, arbitriique liberum eſſe, ne hac ex parte defecta eſſet imago, & archetypi diſſimilis; τῆς γὰρ βασιλευούσης φύσεως, ἡ ἀνάγκαις τισὶν ὑπεζευγμένη τε καὶ δουλεύουσα, πῶς ἂν εἰκὼν ὀνομάζοιτο; *etenim regnantis atque dominantis naturae qui tandem imago dici poſſit illa, quae neceſſitatis legibus adſtricta ſeruiret?* in *catechet. c. 5. t. 2. oper. p. 485.* Pari ratione & CYRILLVS Alexandrinus, cum de homine, in ſtatu integri-

tatis

tatis conſtituto, dixiſſet, eum αὐτοπροαίρετον, *ſuae ſpontis fuiſſe, ſuaeque voluntatis habenas tenuiſſe*, addit: μοῖρα γὰρ τῆς εἰκόνος καὶ αὐτή. Κατεξουσιάζει γὰρ τῶν οἰκείων θελημάτων Θεός. *Pars enim iſta quoque eſt imaginis; nam ſuarum voluntatum poteſtatem Deus habet; l.9. in Ioan. tom.4. oper. p.822.* Sed & IO. DAMASCENVS: τὸ μὲν γὰρ, κατ' εἰκόνα, τὸ νοερὸν δηλοῖ, καὶ αὐτεξούσιον. *Quod enim dicitur*, ad imaginem, *hoc vis intelligendi, arbitriique libertas ſignificatur; de orthod. fide, lib. 2. cap.12. p.m.177.*

Cum ergo extra omnem poſitum ſit controuerſiam, libertate arbitrii hominem in ſtatu integritatis gauiſum; ſequitur inde, quod etiam legem diuinam implere, & adcurate ſeruare potuerit. Et quis hac de re dubitaret? cum amor Numinis ſummus, qui imaginis diuinae partem conſtituebat, ſumma ſit totius legis, *Matth. XXII, 36. 37.* Qua autem per huncce ipſum amorem arctiſſime cum Deo coniunctus erat, & Deus viciſſim cum eo, fieri aliter non poterat, quam vt a ſpiritu ſancto ſubinde ad bona quaeuis excitaretur, & ad exſequenda, quae ſibi propoſuerat, corroboraretur. Atque hoc eſt, quod dici ſolet, hominem in ſtatu integritatis ad bona quaeuis edenda, perficiendaue, gratia diuina adiutum fuiſſe. Qua de re AVGVSTINVS: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat adiutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere, quod vellet &c.* libro *de correptione & gratia, c.11. tom.10. p.m.507.* Idem & in *concilio Arauſicano II. can. 19.* definitum fuit: *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Vnde, cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?*

Quaeri autem adhuc poſſet, cur Deus hominem ita non creauerit, aut eiusmodi donis inſtruxerit, vt plane peccare non poſſet? Cum enim hac ratione lapſus Adami euitari potuiſſet, infinita etiam ſimul, quae eum inſequuta ſunt, euitari potuiſſent mala. Sed vt liber homo crearetur, tum a coactione, tum a neceſſitate, ipſa rationalis creaturae conditio poſtulauit. Cum enim Deo placuiſſet, hominem ratione praeditum creare, ne rationis vſus fruſtra conceſſus eſſet, leges quoque ei praeſcribere voluit, ad quas ſe componeret. Hoc autem cum facere non potuiſſet, ſi ad vnum agendi modum ſiue per coactionem, ſiue per neceſſitatem fuiſſet determinatus; facultatem vtiq; libere agendi Deus ei concedere debuit. Paucis: homo quiduis potius quam homo fuiſſet, niſi cum ratione ſimul libertatem voluntatis a Deo accepiſſet. Potuiſſet equidem Deus, fateor, eum eiusmodi donis inſtruere, quo minus peccare poſſet; quod beatorum hominum in ſtatu gloriae, & angelorum bonorum, in bono confirmatorum exemplo patet. Sed ſi quaeras, cur igitur Deus hoc non fecerit? reſponderi poteſt, quod ſapientiae pariter atque bonitati diuinae, non minus quam naturae hominis, vtpote ratione praediti, longe fuerit conuenientiſſimum, vt hic obſequio ſuo erga Deum rite probato, demum praemium aliquod, ſimulque confirmationem in bono, conſequeretur. Hinc vero cum gloria Dei luculentiori quadam ratione manifeſtaretur, ſine iniquitate ſumma a Deo poſtulari non poterat, vt aliis donis, quam quibus hominem inſtruxerat, eum inſtrueret, & ita inuitum quodammodo a peccato retraheret. Patrum hac de re ſententias qui ſcire auet, PETAVIVM adeat, *dogm. theol. tom.3. de opificio ſex dierum, l.3. c.15. §.7. ſq. p.229.*

§. VI. In iis mentis facultatibus, quae ſine corporis quodam commercio ſibi non conſtant, nulla prorſus fuiſſet ἀταξία. Hinc & imaginatio numquam exorbitaſſet, aut limites, a ratione conſtitutos, migraſſet; nec a corporis motibus turbari vlla ratione mens potuiſſet, aut voluntas ad adpetenda, quae adpetere nefas eſt, abripi; quare & adfectuum violentum impetum numquam experta fuiſſet. Quin potius harmonia, atque pulcherrimus motuum corporis, cum mentis imperio concentus, tranquillitatem ſummam felicitati eius addidiſſet. *

* Quae in hiſce mentis noſtrae facultatibus, qua imaginationem pariter ac adpetitum ſenſitiuum, quem vocant, conſpicitur ἀταξία, partim a corporis motibus violentis, & inordinatis, partim a mentis ipſius ἀῤῥωστίᾳ ſeu imbecillitate, prouenit. Vt ergo corpus eiusmodi motibus in ſtatu integritatis obnoxium non fuiſſet, ita etiam mentis tanta fuiſſet vis, & efficacia, vt compeſcere ſtatim eos, atque redigere in ordinem potuiſſet. Atque hinc patet, quo pacto haecce hominis perfectio certo modo ad corpus, certa vero etiam ratione ad ipſam mentem pertineat. Recte AVGVSTINVS: *Omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiſo conuerſantium, nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem ſenſerunt, in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuae? Nullus erat motus in corpore, cui verecundia debebatur; nihil putabant velandum, quia nihil ſentiebant refrenandum; l. II. de geneſi ad litter. c. I.* Nulla itaque etiam tum erat pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, nulla lucta carnis & ſpiritus. Qui ſecus ſentiunt, & pugnam rationis & adpetitus ſenſitiui hominibus in ſtatu integritatis tribuunt, id ſaltem agunt, vt naturam integram, ab ea, quae poſt lapſum, non diuerſam fuiſſe, euincant, in Pelagianorum ſe militare caſtris hoc ipſo ſignificantes; a quibus non multum diſcedunt, qui equidem harmoniam omnium mentis & corporis virium, perfectionesque inde fluentes, homini ante lapſum concedunt, ſed ad ſupernaturalia, non autem naturalia, eas referendas eſſe contendunt; quem ſcholaſticorum, Romanaeque eccleſiae addictorum errorem eſſe, ex dicendis conſtabit.

§. VII. Recte autem iſta dona *naturalia* vocantur; non quidem, quod ipſam hominis naturam ſeu eſſentiam conſtituant, aut ex ea neceſſario fluant; ſed quod eam perficiant, eidemque ita inhaereant, vt per naturalem generationem ad omnes Adami poſteros potuiſſent propagari, ſi hic in ſtatu integritatis permanſiſſet. *

* Sermo hic eſt de virtutibus, ſeu perfectionibus, quae imaginem diuinam conſtituebant. De his enim quaeri ſolet, num homini fuerint naturales, an vero pro dono quodam ſupernaturali habendae? Quaeſtio autem non eſt, an homo ante lapſum dona quaedam ſupernaturalia habuerit? Id enim neutiquam negamus, vt perperam nonnulli ex Romanenſibus nobis imputant. Cum enim intimam hominis cum Deo in ſtatu integritatis vnionem, hinc gratioſam ſpiritus ſancti in cordibus primorum parentum inhabitationem, admittamus, non poſſunt non dona quaedam ſupernaturalia inde fluere. De eo itaque quaeritur, an ipſa imago Dei homini certo modo fuerit naturalis, an ſupernaturalis? Naturalem fuiſſe, adſerimus, ſed ſimul, vt recte hoc intelligatur, admonemus. Non in eo ſenſu naturalis fuit, vt ipſam hominis naturam, ſeu eſſentiam

tiam conſtituerit, vel etiam, tamquam conſequens neceſſarium ex natura hominis fluxerit; ita enim ſequetur, ipſam quoque eſſentiam hominis, amiſſa imagine diuina, deſtructam ac immutatam eſſe; quod perinde eſt, ac ſi dicas, eos, qui olim homines fuere, non amplius eſſe homines: ſed naturalis dicitur, quod ipſi naturae humanae inhaeſerit, eamque perfecerit, & adeo hominem ad ea omnia, quae naturae humanae conueniunt, agenda, aptum reddiderit; denique &, quod per naturalem generationem ad poſteros propagari potuerit. Atque hac ratione naturalem homini fuiſſe imaginem diuinam, vel inde intelligitur, quod per eius amiſſionem ipſa natura humana non equidem plane deſtructa, corrupta tamen prorſus, atque vitiata ſit, quod & ſcriptura, & experientia teſtatur. Praeterea, cum oppoſitorum, vt dici ſolet, oppoſita ſit ratio, & vero peccatum originale homini naturale ſit, eo quod omnibus per naturalem generationem adhaereat, *pſ. LI, 7. Io. III, 6. Eph. II, 3.* recte inde colligitur, imaginem quoque diuinam eodem ſenſu naturalem fuiſſe. Atque haec contra ſcholaſticos doctores, atque quosdam Romanae eccleſiæ addictos, obſeruanda fuerunt; qui, vt commenta ſua Pelagiana eo rectius defenderent, ſtatum quemdam, quem vocant, *purorum naturalium*, confinxerunt, cum quidem ita comparatum, vt homo non aliter, quam hodie per naturalem natiuitatem, ignorantia mentis, prauaque voluntatis concupiſcentia, laborauerit, variisque infirmitatibus fuerit circumſeptus; hiſce vero defectibus vt medela adhiberetur, atque homo iuſtus ſanctusque coram Deo compareret, imaginem diuinam vt *donum* aliquod *ſupernaturale* ei fuiſſe a Deo conceſſam. Verum, etſi diſtincte ea, quae ad naturae integritatem pertinent, & perfectiones illae, quibus imago diuina abſoluitur, conſiderari poſſint; non tamen ita haec ſeparanda, vt vnum ſine altero aut fuiſſe, aut eſſe potuiſſe, exiſtimemus. Cum enim homo a Deo eum in finem conditus eſſet, vt creatorem ſupra omnia amaret, eumque adeo rite coleret; manifeſtum eſt, naturae humanae prorſus conuenicns fuiſſe, vt, dum homo creabatur, is ſimul ad imaginem diuinam crearetur. Praeterea, dum ſtatum iſtum, quem vocant, purorum naturalium, a ſtatu, in quo hodie naturaliter homines conſtituti ſunt, non diuerſum faciunt, eum quidem in finem, vt eo facilius peccatum originale aut negent, aut extenuent, abſona quaeuis admittere coguntur. Eiusmodi enim naeui ſeu defectus, ignorantia, concupiſcentia praua, imbecillitates variae, cum aut peccata ſint, aut peccatorum effectus; ſequetur, Deum hominem aut cum peccato, aut certe eo in ſtatu, ex quo peccatum non poterat non conſequi, condidiſſe: quod profecto vel cogitare nefas eſt. Immo, cum Moſes diſerte dicat, omnia ea, quae Deus creauerat, fuiſſe *valde bona; Gen. I, 31.* ſequitur inde, naturam quoque humanam etiam in ſe absque imagine diuina ſpectatam, integram plane, omnisque defectus, naeui, & vitii expertem fuiſſe. Suis tamen ſimul circumſcripta fuit limitibus: vt adeo huic integritati non obſtet, quod homines quaedam ignorauerint, quae ſcilicet ex ſolo rationis lumine, & absque ſpeciali reuelatione diuina, ſcire non poterant. Atque naturae ita comparatae Deus imaginem diuinam, ſeu eas intellectus & voluntatis perfectiones, quae hoc nomine veniunt, concreauit, vt eidem ſemper ineſſent, & ad finem propoſitum conſequendam aptam redderent, ac per naturalem generationem cum ea propagarentur. Quo pacto vtique perfectiones iſtae fuerunt naturales, nec pro ſupernaturalibus haberi debent. Atque hoc ſenſu recte etiam QVESNELLIVS ſcripſit: *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturae ſanae & integrae;* perperamque Clemens XI. Romanus pontifex hanc propoſitionem, ceu erroneam & haereticam, damnauit,

vit, in *conſtit. vnigenitus, n.35.* Nec enim aliud quid ſibi vult QVESNELLIVS, quam, dona gratiae, per imaginem diuinam in Adamum collata, eidem fuiſſe naturalia, ſeu concreata, naturae ſanae & integrae conuenientia, nec pro ſupernaturâlibus habenda. Legenda, quae erudite hac de re diſputat IO. FRICKIVS, theologus Vlmenſis clariſſimus, in *inclementia Clementis examinata, diſſert. 2. cap. 2. §. 27. p. 159. ſeq.*

§. VIII. Nec praetermittenda ſunt corporis dona, eximia vtique atque praeſtantiſſima. In quibus rite aeſtimandis ſedulo conſiderandum, in ſtatu integritatis homines quidem, qua corpus etiam, omnis vitii atque labis expertes fuiſſe, hinc & nec morbis, nec morti, aut aliis calamitatibus obnoxios; homines tamen fuiſſe, adeoque & cibo & potu, & quiete opus habuiſſe; certis quoque mediis ad vitam conſeruandam locum fuiſſe. Falluntur itaque, qui eiusmodi corpus homini in ſtatu integritatis tribuunt, quod pro corpore humano, quale illud eſt in hac vita, haberi nequit. Nec enim ex ſtatu gloriae, qui poſt hanc vitam futurus eſt, ſtatum integritatis in omnibus aeſtimare licet. *

* Duo ſunt, quae hic de corpore humano in cenſum veniunt; alterum, quae eius ante lapſum fuerit conditio? alterum, an, & quousque imago diuina in eo refulſerit? Ad prius quod attinet, eximiis prorſus præſtantiſſimisque dotibus quin corpus quoque praeditum fuerit, non eſt quod dubitemus. Quid enim aliud, quam longe praeſtantiſſimum, & in ſuo genere perfectiſſimum, ex manibus artificis, ſapientia & potentia infinita gaudentis, exire poterat? Cogitare enim nos decet, Deum ipſum fuiſſe, qui corpus hominis e terra formauerit, *Gen. II, 7.* Interim tamen verum corpus fuit, carne, oſſibus, venis, ſanguine conſtans, adeoque cibo & potu, itemq; quiete, etſi haec omnia ſine moleſtia, ſineque infirmitate vlla fuerint, opus habens. Quare, qui aliud quoddam corpus homini primo tribuunt, audiendi non ſunt. Eminet inter eos POIRET, BVRIGNONIAE ſuae etiam hac in re veſtigia legens. Nimirum, cum fundamenti loco poſuiſſet, *corpus humanum naturae vniuerſae fuiſſe compendium;* hinc & *virtutes omnes, omnem potentiam, pulcritudinem ac magnificentiam; quae in natura vniuerſa diſperſae erant, in ſolo corpore hominis ſimul collectas fuiſſe;* enarratis deinde corporum praeſtantiſſimorum virtutibus omnibus, tandem inde colligit: *fuiſſe corpus hoc incorruptibile, & immortale; vi, potentia, & virtutibus omnibus in infinitum inſtructum; fuiſſe luminoſum, & transparens, vt nihil ſupra; fuiſſe inter creaturas omnes agiliſſimum, leuiſſimum, & actuoſiſſimum; verbo, fuiſſe omnium, quæ in vniuerſa rerum natura realiſſima erant, pretioſiſſima, & conſummatiſſima, complexionem atque ſummarium; oeconom. diu. l. 1. c. 22. §. 11. p. 35. ſq.* Verum, quod vir ille doctus fundamenti loco ponit, infirmum admodum eſt, & plane lubricum, corpus ſcilicet humanum naturae vniuerſae fuiſſe compendium, adeoque omnes reliquorum corporum qualitates & perfectiones complexum fuiſſe. Vnde enim hoc probabit? Immo, ſunt quaedam qualitates, ſeu perfectiones corporum quorumdam ita comparatae, vt, ſi aliis corporibus tribuantur, non illud amplius maneat corpus, quod eſſe debebat. Sic, ſi quis ea, quae gemmis aut lapidibus propria ſunt, corpori humano velit tribuere, longe aliud corpus, quam quod humanum dici poteſt, ſibi effingat neceſſe eſt. Immo, quaedam qualitates in corporibus, quibus conueniunt, pro perfectionibus habentur, quae, ſi corporibus,

Digitized by Google

poribus, quibus non conueniunt, tribuuntur, pro imperfectionibus reputandae erunt. Fons autem & ſcaturigo eiusmodi errorum, quibus cum POIRETO alii quoque in tranſuorſum acti fuere, haec eſt, quod longe maiorem hominis in ſtatu integritatis perfectionem fuiſſe, ſibi perſuadeant, quam reuera fuit. Etſi enim quoad corporis animique dotes homo fuerit perfectiſſimus, fuit tamen homo, adeoque & perfectiones iſtae vltra modum & indolem humanae naturae non ſunt extendendae. Corpus itaque etiam habuit, quale hodie habemus, ſed nullis infirmitatibus obnoxium, omnisque labis expers; hinc & reliqua, quae corpori humano hodie absque imperfectione aut infirmitate conueniunt, recte etiam corpori Adami ante lapſum tribuuntur; quod & de ratione genus humanum propagandi eſt intelligendum, vt in ſequentibus dicemus. Quod autem ex conditione corporum, quae in ſtatu gloriae poſt hanc vitam erit, conditionem eorum in ſtatu integritatis aeſtimare non liceat, facile intelligitur. Multum enim perfectior erit ſtatus ille gloriae, quam ſtatus integritatis fuit, adeoque & in plurimis ab eo longe diuerſiſſimus. Nouimus, quod in ſtatu gloriae homines futuri ſint ἰσάγγελοι, quales eos in ſtatu integritatis fuiſſe, aut eſſe debuiſſe, nullibi dicitur.

Quemadmodum itaque POIRETVS, & qui cum eo ſentiunt, praeſtantiam humani corporis ante lapſum plus quam decet extulerunt; ita rurſus alii eamdem plus quam par eſt, imminuunt, qui nequidem immortale illud, ſaltem natura ſua, aut deſtructionis expers fuiſſe, contendunt. Non id quidem aſſerimus, hominem ita comparatum fuiſſe, vt plane mori non poſſet; ita enim nec poſt lapſum mortuus eſſet, ſed quod potuerit non mori, ſeu quod, ſi eo in ſtatu perſtitiſſet, ab omni mortis periculo fuerit immunis. Secus Pelagiani ſentiebant, quippe qui, vt auctor eſt AVGVSTINVS, *de geſtis Pelagii, cap. 11. tom. 10. oper p. 137.* hominem primum, etiamſi non peccaſſet, moriturum tamen fuiſſe, adeoque ante lapſum corpus omnino mortis neceſſitati obnoxium fuiſſe contendebant. Horum deinceps, vt in aliis, ita hac quoque in re preſſerunt veſtigia Sociniani; hominem itidem iam in ſtatu ante lapſum morti obnoxium fuiſſe, aſſerentes. Quibus tamen merito opponitur, quod ſcriptura diſerte teſtatur, mortem eſſe poenam peccati, *Gen. II, 17. Rom. V, 12. c. VI, 23.* Vbi ergo nullum peccatum, ibi nullum quoque mortis periculum. Nec eſt, quod excipias, in hiſce locis de morte ſpirituali aut aeterna ſermonem eſſe; praeſertim cum *Rom. VI, 23.* mors diſerte vitae aeternae opponatur. Mortis enim nomine cum generatim & naturalis, & ſpiritualis, & aeterna in ſcriptura ſacra veniat, non eſt, cur ad vnam ſpeciem eam vocem reſtringamus, niſi manifeſtae, quae hoc ſuadeant, praeſto ſint cauſſae. Immo de morte naturali quoque poenam iſtam peccati intelligendam eſſe, ipſemet Deus diſerte docet, ad Adamum dicens: *puluis es, & in puluerem reuerteris, Gen. III, 19.* Quod vero *Rom. VI, 23.* vitae aeternae mors opponatur, nobis non obſtat: namque mors aeterna naturalem non excludit, ſed includit potius. Nullum vero etiam eſt dubium, quin ipſa humani corporis conſtitutio ante lapſum ita fuerit comparata, vt cauſſae illae, quae hodie morbos procreant, aut mortem attrahunt, locum non inuenerint. Vbi ergo nulla cauſſa mortis, ibi mors ipſa quoque eſſe non poterat. Ad ea enim, quae extra hominem poſita ſunt, hodieque mortem ſubinde eidem inferunt, quod attinet, tanta hominis in ſtatu integritatis erat ſapientia, tanta rerum naturalium cognitio, tanta vis dominii in animantia bruta, vt omnia, quae noxia eſſe poterant, facili euitare potuiſſet ratione. Atque ita ipſa natura corpus hominis immortale fuiſſe aſſerimus, non eo quidem modo, quo Deus, ob ſummam & infinitam eſſentiae perfectionem, aut angelus, ob immateria-

materialitatem, natura immortalis dicitur; ſed quod ante lapſum per Numinis creationem eiusmodi corpus homo nactus eſſet, in quo nullum deſtructionis, ſeu mortis eſſet principium, nullaue cauſſa, quodue adeo ſemper in vnione cum anima conſiſtere poſſet. In aliam ſententiam equidem concedere videtur PVFENDORFFIVS, qui ita rationes ſubducit: *cum enim corporis humani machina ex materia per naturam fragili compoſita eſſet, eo continuo particularum motu, & ſucceſſione, non poterat non atteri, ita vt demum non poſſet non deſtructio eiusdem vltro conſequi. Cum enim rerum natura in praeſens ita ſe habeat, vt corporeae partes inter ſe frequenter colliſae, non poſſint non demum atteri, & priorem formam amittere, eoque paullatim ad machinae deſtructionem diſponi, hanc velut naturae & motus legem, non ab initio creationis exſtitiſſe, ſed demum poſt lapſum hominis prouenire, vix, quae id perſuadeat, ratio adparet; in iure feciali divino, ſiue de conſenſu & diſſenſu proteſtantium, §. 24. p. 111.* Verum ex ea, quae hodie eſt, humani corporis conditionem ante lapſum aeſtimandam non eſſe, quilibet facile videt. Nec quidquam obſtat, quo minus corpus aliquod ita comparatum eſſe queat, vt aequabili ſanguinis motu numquam turbato, particuliſque abeuntibus, aliis iuſta proportione ſubſtitutis, ceteriſque cauſſis, quae mutationem quamdam adferre poterant, ceſſantibus, ſemper perduret. Quod vt fiat, ipſa natura, ſeu motus leges, quas Deus ſemel conſtituit, mutandae non ſunt; quippe quae eaedem eſſe poſſunt, vt tamen pro diuerſa ipſius corporis diſpoſitione aut conſtitutione, effectus diuerſos edant. Merito itaque ipſe vir ſummus ſententiam ſuam corrigit, dum ſtatim ſubiicit: *Si quis tamen dicere malit, animae, imaginem Dei adhuc incorruptam poſſidenti, tale ab initio contigiſſe habitaculum, quod multis ὑπεροχαῖς praeſentem corporis indolem ſuperaret, non adeo repugnabimus. Praeſertim cum etiam dici poſſet, aduerſus illam attritionem, quae in aliis corporibus per motum perducitur, homini a Deo medicamentum datum, nempe lignum vitae, cuius vſus attritionem perfecte ſupplere, ac deſtructionem inhibere poſſet &c. l. c.* Et ſane arborem vitae, quam in paradiſo Deus conſtituit, eo comparatam fuiſſe, vt per rectum eius vſum homo labaſcentes forte corporis vires reficeret, & ita abſque mortis periculo vitam conſeruaret, dubitari nequit. Neque tamen inde colligere licet, corpus hominis ſua natura immortale non fuiſſe, cum ad eius conſeruationem fructu huius arboris, ceu medicamento quodam, opus fuerit. Conſiſtere namque haec optime inter ſe poſſunt; cum arboris iſtius fructus ita comparatus fuerit, vt per eum naturalis corporis immortalitas conſeruari poſſet. Etſi enim corpus hominis natura immortale fuiſſe adſeramus, non eo tamen modo, quo angelus aut ſpiritus immortalis dicitur, hoc intelligendum eſſe, antea iam monuimus; adeoque naturalis illa corporis humani immortalitas non excludebat legitimum mediorum quorumdam vſum. Conferenda, quae AVGVSTINVS de arbore vitae diſputat, *de ciuitate Dei, l. 13. c. 20.* & *l. 4. de geneſi ad litter. c. 4.* & *5.* Nec obſtat porro noſtrae ſententiae, quod hominibus per Chriſtum corporis immortalitas in hac vita non reddatur; ad redemtionem enim hominum hoc non eſt neceſſarium, nec humanae naturae hoc patiebatur conditio, quippe quae ab inhaerente peccato originali non niſi per mortem penitus liberari poteſt. Sufficit, quod Chriſtus ab ira Dei, maledictione legis, imputatione & dominio peccati nos liberauerit, & hac ratione *opera diaboli deſtruxerit*, qui erat aduentus eius finis; *1. Io. III, 8.* Sufficit, quod mors naturalis iis, qui in Chriſtum credunt, ſaltem tranſitus ſit ad vitam meliorem, adeoque minime metuenda, *Ebr. II, 14. 15.* Pelagii iſtam ſententiam, qua Adamum ante lapſum mortalem fuiſſe adſeruit, variis ſynodorum

Digitized by Google

dorum decretis condemnatam fuiſſe conſtat. Sed hiſce non immorabimur. Plura etiam de hac re ſuppeditabit IAEGERVS, in *iure Dei foederali, quaeſt. 16. p. 159. ſeq.*

Iam ad alterum noſtrae conſiderationis caput quod attinet, an, & quousque in corpore quoque hominis imago Dei refulſerit? euitandus cumprimis hic illorum error eſt, qui in ſolo corpore imaginem Dei quaerunt; hinc & Deum quemdam corporeum ſibi fingunt; quam anthropomorphitarum, & Audianorum fuiſſe ſententiam conſtat: quamquam, ad Audium quod attinet, nonnulli obſeruent, etſi imaginem diuinam in corpore quaerat, eum tamen, Deum corporeum eſſe, non adſeruiſſe. Legendus de Audianis EPIPHANIVS, *haereſ. 70.* & quae ad hunc locum notauit PETAVIVS. Non procul hinc discedunt, qui hominem ad imaginem corporis, quod filius Dei a Maria virgine habiturus erat, conditum adfirmant; de quibus ſupra iam dictum ad *§. 3.* Id enimuero apud omnes recte ſentientes in confeſſo eſt, & ex antea quoque dictis luculenter conſtat, praecipue, ſeu πρώτως imaginem Dei in mente hominis, & perfectionibus illis habitualibus ſupra commemoratis, conſtitutam fuiſſe; nec tamen negandum, corpus humanum itidem quibusdam praeditum fuiſſe dotibus, quae creatoris imaginem retulerint. De immortalitate corporis hoc poſitum eſt extra controuerſiam, resque ipſa docet, inter eam & immortalitatem Dei conuenientiam quamdam intercedere. Sunt tamen, qui & reliqua, quibus homo animalibus brutis praeſtat, huc referunt. Sic AVGVSTINVS, contra Manichaeos diſputans, cum recte monuiſſet, *ſpirituales in catholica diſciplina fideles non credere, Deum forma corporea definitum, & quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, ſecundum interiorem hominem dici*, paucis quibusdam interiectis haec ſubiicit: *Quamuis etiam corpus noſtrum ſic fabricatum ſit, vt indicet, nos meliores eſſe quam beſtias, & propterea Deo ſimiles. Omnium enim animalium corpora, ſiue quae in aquis, ſiue quae in terra viuunt, ſiue, quae in aëre volitant, inclinata ſunt in terram, & non ſunt erecta ſicut hominis corpus. Quo ſignificatur, etiam animum noſtrum in ſuperna ſua, id eſt, in aeterna ſpiritualia erectum eſſe debere. Ita intelligitur per animum maxime, atteſtante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei; de geneſi contra Manichaeos, lib. 1. cap. 17. tom. 1. oper. p. 487.* Quae quidem, ſi recte capiantur, admitti poſſunt; quamuis paullo longius petitum videri queat, ſi hac ratione imago Dei in corpore hominis conſtituatur. Caute tamen etiam omnia accipienda ſunt, ne, dum qua corpus conuenientiam quamdam inter Deum & hominem quaerimus, illi ea tribuamus, quae tribuere non oportebat.

§. IX. Idem & de rebus aliis, quae ſequuturae fuiſſent, ſi homines in ſtatu integritatis permanſiſſent, cenſendum. De matrimonio, & liberorum procreatione eo minus dubitandum, quia diſerte matrimonii inſtitutio ante lapſum hominum memoratur. Nec enim matrimonium in ſe ſpectatum, cum perfectione ſtatus integritatis pugnat. Aliam autem humani generis propagationem, quam, quae fit per maris & feminae coniunctionem, qui fingunt, primos parentes non homines, ſed neſcio quid, fuiſſe, ſibi perſuadent. * De ſtatu paterno res manifeſta eſt. ** Imperium ciuile, prout hodie illud comparatum eſt, cum maximam hominum inaequalita-

Digitized by Google

tem, adeoque imperfectionem inuoluat, in ſtatu integritatis locum habuiſſe, non temere quis crediderit; etſi non negem, certum quemdam inter homines ordinem in eo eſſe potuiſſe. *** De ſtatu herili, & ſeruitute quid cenſendum ſit, ex dictis itidem patet. *

* Ad eos haec ſpectant, qui, matrimonium in ſtatu integritatis locum non habuiſſe, ſibi aliiſque perſuadere conati ſunt. Haud vltimus inter eos POIRETVS eſt, qui Adamum ante conditam vxorem deficere coepiſſe, atque a Deo, conuertendo ſe ad res creatas, deflexiſſe, contendit; tum vero in remedium vlterioris lapſus Deum ei vxorem dediſſe. Atque hunc in ſenſum a Deo dictum: *Bonum non eſt, hominem ſolum eſſe, faciamus ei adiutorium, illi ſimile; Gen. II, 18.* Copioſius haec omnia, & reliqua, quae huc ſpectant, ediſſerit, *oecon. diuin. l. 2. c. 13. §. 2. ſq. p. 501. ſq.* Conſequitur nimirum inde, ſi vxor in remedium vlterioris lapſus condita eſt, eam quoq; creandam non fuiſſe, ſi Adamus in perfecto integritatis ſtatu permanſiſſet. Quod ſi autem quaeras, quis tum fuiſſet modus, genus humanum propagandi, lepida iſta de Adamo androgyno fabula occurrit, quam ſupra iam ad §. 2. reiecimus. Atque ad hanc etiam ipſe POIRETVS reſpicit, quando formationem Euae ex coſta Adami ita exponit: *In hoc vero ſomno Deus ex homine feminam deſumſit, ſeparans ab eo quoddam veluti extractum totius corporis ſui, (vt ita loquar) ſimulque alterum duorum principiorum fecunditatis, (vtraque enim in eo ſolo erant) vnde feminam conſtruxit &c. l. c. §. 6. p. 504.* Cuiusmodi quidem paradoxa non aliunde originem trahunt, quam ex imaginaria ſtatus integritatis hominisque in eo conſtituti, perfectione, dum maiorem eam fuiſſe putant, quam reuera fuit. Quantumuis enim homo, qua corpus pariter ac animam, in ſuo genere pro ſtatu praeſentis vitae perfectus, immo, perfectiſſimus eſſet, erat tamen homo, adeoque talia, quae naturam humanam pro ſtatu praeſentis vitae ſuperant, de eo non cogitanda. Quare & eo modo inito matrimonio procreare ſobolem debebat, quo id hodie fit; ſed absque peccato, absque omni labe. Nec probari poteſt, quod eiusmodi duorum hominum vtriusque ſexus coniunctio, ſobolisque procreatio in ſe ſpectata; aliquid, quod homine integro indignum ſit, contineat. Multo adhuc minus probari poteſt, Adamum labi coepiſſe, priusquam Eua in eius adiutorium crearetur. Somnus enim ille, in quem incidit, cum ex eius coſta Eua formanda eſſet, diuinitus ei immiſſus dicitur; *Gen. II, 21.* adeoque pro argumento lapſus haberi nequit. Sed & alienum ab integritatis ſtatu minime erat, vt ſomnum aeque ac cibum & potum caperet. Namque & laborandum homini erat, licet absque moleſtia; ſiquidem paradiſum & colere, & cuſtodire debebat; *Gen. II, 8, 15.* adeoque rurſus quiete opus habebat, vt integrae ſemper & illibatae conſeruarentur corporis vires. Originem praeterea lapſus diſerte ſcriptura ſacra a ſeductione ſerpentis deducit, cum Eua iam iuncta eſſet Adamo, & hunc ab illa, ad legem diuinam migrandam, inductum commemorat, *Gen. III, 2, 6.* Quae cum certa ſint, & extra dubitationem poſita, reliqua omnia, quae hinc abeunt, merito ceu vana & inania commenta exploduntur,

** Ex ſtatu matrimoniali non poterat non ſequi paternus. Vt vero ipſe partus absque doloribus futurus fuiſſet; *Gen. III, 16.* ita liberi ipſi vna cum imagine diuina, hinc & absque omni peccato atque labe lucem adſpexiſſent. Nulla itaque in illorum educatione moleſtia, nullumque incom-

commodum; nec aliud quidquam fuiſſet, quam quod gaudium & voluptatem parentibus adferre potuiſſet.

*** Accedit praeter rationem iam adlatam, quod ciuile imperium hodie neceſſarium ſit, vt, qui in vnam ſocietatem, ad ſe contra aliorum vim defendendam, coaluerunt, contineri in obſequio queant. Haec vero omnia, quantopere a ſtatu integritatis diſſideant, quilibet facile perſpicit. Id iam a me obſeruatum, in *inſtit. theol. mor. part. 2. cap. 2. ſ. 33.* Quae B. VAL. ALBERTI, in *compendio iuris naturae orthodoxae theologiae confirmato, part. 2. cap. 14. ſ. 1.* hic in contrarium diſputat, facile dilui poſſunt.

* Seruitus propter quorundam hominum indigentiam, accedente aliorum ambitione, introducta fuit; ſimulque cum ſumma hominum coniuncta eſt inaequalitate. Haec vero a ſtatu integritatis maxime aliena eſſe, nemo, vt puto, temere dubitauerit.

§. X. Conceſſerat quoque Deus homini dominium in res creatas orbis huius inferioris; praeſertim animantia bruta; vt hac quoque ratione Deum, ceu ſupremum rerum omnium dominum, referret. Cuius quidem dominii quin effectus quidam prorſus ſingulares in ſtatu iſto integritatis futuri fuiſſent, non eſt, quod dubitemus.* Quae autem poſt lapſum ex neceſſitate quadam introducta ſunt dominia rerum particularia, prouti hominum prauitatem, indolemque maximopere corruptam arguunt, ſtatui integritatis, ceu ſummae, quae in homines, qua hancce vitam, cadit, perfectionis, tribui nequeunt.**

* Pertinet itaque dominium illud in res creatas orbis huius inferioris, praeſertim animantia bruta, ad imaginem diuinam, & quidem, ſi in ſtrictiori ſignificatione iſta vox accipiatur, vt conſequens aliquod; ſin in latiori, iuxta ea, quae ad *ſ. 2.* obſeruauimus, vt pars quaedam. Atque ita etiam forte intelligendi ſunt nonnulli ex veteris eccleſiae doctoribus, ſpeciatim IO. CHRYSOSTOMVS, atque THEODORETVS, quando imaginem diuinam in dominio iſto in animantia, & reliquas res, homini tributas, conſtituunt. Si enim ita haec caperent, quod imago diuina tantum aut praecipue, in iſto dominio conſtitiſſet, haud dubio maximopere fallerentur. Loca eorum exhibet PETAVIVS, *dogmat. theol. tom. 3. de opific. ſex dier. lib. 2. cap. 3. p. 16.* Illorum namque, qui in Socini caſtris militant, huncce errorem eſſe, conſtat, imaginem diuinam praecipue in dominio in res creatas conſtitiſſe; tum vero etiam in mente ac ratione, quippe ſine qua dominium illud exerceri non potuerit. Putantque hoc ex verbis ipſis Moſis colligi poſſe, quibus decretum Numinis, de condendo ad imaginem ſuam homine, refert: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram, & praeſit* (ſiue dominetur) *piſcibus maris, & volatilibus caeli, & beſtiis, & vniuerſae terrae, omnique reptili, quod mouetur in terra; Gen. I, 26.* Cum enim ſtatim addatur: *& praeſit, ſiue dominetur piſcibus maris &c.* explicari hac ratione exiſtimant, quid per imaginem Dei intelligendum ſit? Verum, rectius haec verba ita capiuntur, vt conſequens imaginis diuinae denotent. Senſus namque eſt, eum, qui ad imaginem diuinam creandus erat, dominaturum piſcibus maris &c. Atque hoc ex ſequentibus palam eſt. Dum enim Moſes decreti diuini exſequutionem deſcribit, primo exponit, quo pacto Deus hominem ad imaginem ſuam condiderit, nulla dominii facta mentione. Tum porro ediſſerit, quo pacto Deus hominibus benedixerit, & per illam benedictionem vim ſe multiplicandi illis indiderit. Vltimo vero

tandem loco dominii conceſſionem commemorat: *dominamini etiam piſcibus maris &c.* Atque hoc ipſe etiam quodammodo agnouit IO. CLERICVS ad *h. l.* Cum enim obſeruaſſet, Chryſoſtomum, Theodoretum, aliosque imaginem Dei, ad quam homo conditus dicitur, ad dominium in res creatas alias referre, adeoque verba haecce: *& dominabitur piſcibus maris &c.* ceu ἐξηγητικῶς addita capere, ſubiicit: *Verum an haec ἐπεξηγήσεως ἕνεκα addantur, non ita conſtat; vt ſine abſurditate alias dotes, quibus homo Deo ſimilis eſt, eſſe imaginem, de qua hic ſermo eſt, imperium vero in creaturas, eius imaginis ſequelam, dicere nequeamus.* Dubitanter equidem hac de re loquitur, & reliqua etiam, quae ibidem diſputat, haud obſcure oſtendunt, eum id ſibi velle, definiri adcurate non poſſe, in quo imago Dei conſtiterit? Verum, ſi quis ea, quae ſupra ad *§. 2.* de methodo inueſtigandi imaginem diuinam diximus, conſiderauerit, cumprimis loca iſta, quae de renouatione ad imaginem Dei agunt, vt *Eph. IV, 24.* & *Coloſſ. III, 10.* probe expenderit, perſpiciet facile, omne dubium per ea eximi. Atque eadem ratione firmiter demonſtratur, imaginem Dei neutiquam in dominio in res creatas, ſed praecipue in ſapientia & iuſtitia conſtitiſſe; ad quas tamquam conſequens aliquod cum aliis dominium in res creatas accedere potuerit. Dominium autem hocce, de quo hactenus egimus, non tantum ius, ſeu facultatem rebus creatis, ex quibus homines commodum percipere poterant, vtendi, quam eximiam poſt lapſum adhuc homines habent, denotat, ſed etiam potentiam vel ſolo nutu animantia bruta ad obſequium flectendi, & hinc periculum omne, quod hodie ab iis hominibus imminet, euitandi. Id quod vel inde, quod Adamus brutis animantibus omnibus nomina impoſuiſſe dicitur, haud obſcure intelligitur; *Gen. II, 10.*

** Quod ſi ergo quaeras, prouti a nonnullis quaeri ſolet, an dominia rerum in ſtatu integritatis locum habitura fuiſſent? primo quidem diſcrimen inter dominium vniuerſale & particulare probe tenendum. Id namque certum eſt, & extra omnem dubitationem poſitum, Deum Adamo, in ſtatu integritatis conſtituto, facultatem rebus omnibus, ex quibus vſum capere poterat, vtendi, conceſſiſſe. Quae quidem facultas, an dominium vocari debeat? diſputari ſolet. Negat hoc PVFENDORFFIVS, communionemque priuatiuam, neutiquam autem dominium, aut proprietatem, aut communionem poſitiuam, in ſtatu hominum ante lapſum fuiſſe contendens; *de iure nat. & gent. lib. 4. cap. 4. §. 3.* & alibi. Adfirmant autem alii, & pro dominio rerum in ſtatu integritatis acriter pugnant. Sed omnis illa, ſi adcuratius conſideretur, in meram λογομαχίαν abit quaeſtio. In eo enim omnes conſentiunt, Deum primo homini facultatem rebus creatis vtendi conceſſiſſe; ſupereſt ſaltem, an recte vocetur dominium? Quod qui adfirmant, aliter hanc vocem accipiunt, quam qui negant. Illi, dominium in eo conſtituunt, quod res quaedam plene ad aliquem pertineat, etſi aliorum excluſio cum iſta poſſeſſione coniuncta non ſit, ſed eam demum ſequatur; hi vero formalem velut notionem dominii in aliorum excluſione collocant. Atque eadem ratione voces, *communionis* & *proprietatis* diuerſimode ſumunt. Etenim ſi per *dominium* intelligas facultatem, ex Dei conceſſione rebus creatis vtendi, quam nonnulli *dominium generale* vocant, quin in ſtatu integritatis locum habuerit, negari nequit; ſin poſſeſſionem, cum aliorum excluſione coniunctam, quae *particularis dominii* nomine venire ſolet, ſecus exiſtimandum. Idque rationibus luculentiſſimis demonſtrari poteſt. Cum enim ſumma rerum omnium ſemper futura fuiſſet abundantia, terrae fecunditate per maledictionem nondum

Digitized by Google

nondum ſufflaminata; *Gen. III, 17.* cum in perfectiſſimo etiam omnium hominum erga ſe inuicem amore, auaritiae, liuori, cupiditatique plura, quam quibus nobis opus eſt, poſſidendi, nullus fuiſſet locus; ratio etiam nulla excogitari poteſt, cur dominia eiusmodi, cum excluſione aliorum, ſeu iure, alios, ab vſu rei, quae noſtra eſt, arcendi coniuncta, introduci debuerint. Cauſſa namque introductorum eiusmodi dominiorum alia reddi nequit, quam hominum indigentia, prauique eorum adfectus. Eſt porro vero admodum ſimile, non ſtatim poſt lapſum primorum parentum, ſed multiplicato paulliſper genere humano, dominia iſta introducta fuiſſe; cum, quam diu intra pauca capita genus humanum ſubſtitit, rationes antea adlatae, quae iſtam introductionem poſtulabant, ſponte ſua ceſſent. Num vero per diuiſionem, an vero per occupationem, introductio iſta facta ſit? diſputare, huius loci non eſt. Lucem adfundent, quae dixi in *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 3. ſect. 5. §. 14. 15.*

§. XI. Iam, ſi modum, Deum, ceu creatorem colendi in ſtatu integritatis ſpectemus, is in ſummo iſto, quo homo eum proſequebatur, amore conſiſtebat, ex quo non poterat non ſumma eius veneratio, laudumque celebratio, & obſequium perfectiſſimum, voluntati diuinae in omnibus praeſtandum, conſequi. * Quod quidem obſequium, vt externo quodam documento omnibus conſtaret, Deus arborem ſcientiae boni & mali in paradiſo conſtituit, addita ſeueriſſima prohibitione, ne eius fructibus homo veſceretur, niſi ſibi ſuisque poſteris, cum morte temporali & aeterna, mala quaeuis attrahere vellet. ** Cultus vero Dei externus non aliter concipiendus, quam prout ſtatui integritatis is eſt conueniens; cauendumque ſedulo, ne eum ex noſtri ſaeculi moribus aeſtimemus. ***

* Religionem duabus abſolui partibus, vera Numinis cognitione, & cultu eidem debito, conſtat, & alibi obſeruatum eſt. Vt autem ea, quae ad cognitionem Dei pertinent, ſupra iam ad §§. 4. delibauimus, ita nunc de cultu Numinis, ceu altera religionis parte, nobis ſermo eſt. Cultum vero iſtum Numinis, & quidem internum, conſiſtere in ſummo Numinis amore, vnde timor filialis, ſeu veneratio, & reliquae eius partes ſua ſponte fluunt, vel ex ſumma iſta legis diuinae, *Matth. XXII, 37.* manifeſtum eſt. Eſtque etiam haec colendi Deum ratio ſtatui integritatis plane conueniens.

** Variae equidem doctorum virorum, de arbore ſcientiae boni & mali, exſtant ſententiae, quas omnes aut recenſere, aut ſub examen reuocare, huius loci non eſt. Longe eſt veroſimillimum, eam ex genere reliquarum arborum naturalium fuiſſe, ſed δοκιμαστικὴν, inde vt conſtaret, num mandatis diuinis morem geſturi eſſent primi parentes; hinc & ab euentu, ſeu fine, ob quem a Deo conſtituta in paradiſo erat, nomen ſortita eſt. Plerorumque, veterum pariter ac recentiorum theologorum haec eſt ſententia. Legenda, quae MARCKIVS hac de re diſſerit, in *hiſtoria paradiſi, libro 1. cap. 18.* cumprimis §. 9. *ſeq.* De ſententia B. SEB. SCHMIDII, exiſtimantis, arborem ſcientiae boni & mali, aeque ac arborem vitae, ſuam denominationem a Deo non accepiſſe, ſed vtrique a diabolo nomen hoc impoſitum, qui eiusmodi quid finxerit ad decipiendos primos parentes; hinc & arbori vitae non magis inſitam fuiſſe vim prolongandi vitam, quam arbori ſcientiae boni & mali cognitionem in homine pro-

ducendi, aut augendi, dictum in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1.* ad *per. 1. ſect. 1. §. 18. p. 98.*

*** Cultus externus vel legibus *abſolutis*, vel *hypotheticis* nititur, vti copioſius ediſſeritur *inſtit. theol. mor. part. 2. cap. 3. ſect. 2. §. 1. ſeq.* Qui legibus abſolutis nititur, in eo conſiſtit, vt venerationem noſtram erga Deum quauis data occaſione, dictis factisque teſtemur. Atque iſtud facturos fuiſſe homines in ſtatu integritatis, non eſt, quod dubitemus. Ad hypotheticas pertinet lex de ſanctificando ſabbato, vt mox dicemus. Plura vero qui addunt, & in ſtatu paradiſiaco talia fingunt, quae noſtro ſtatui, qui hodie eſt, tantum conueniunt, nihil aliud agunt, quam vt ſe ipſos omnium ludibrio exponant.

§. XII. Leges illae, quarum obſeruatione homo ante lapſum obſequium ſuum erga Deum demonſtrare debebat, eaedem erant, quae & hodie, tum ex lumine rationis, tum ex reuelatione diuina nobis notae ſunt, & quarum ſumma in dilectione Dei & aliorum hominum conſiſtit, *Matth. XXII, 37.* * Hisce autem legibus, quae *naturales*, & quidem *abſolutae* dici poſſunt, alias adhuc Deus addidit, quas *poſitiuas*, aut, *hypotheticas* vocare licet; de ſanctificando ſabbato, de matrimonio rite ineundo, deque non comedendo fructu arboris ſcientiae boni & mali. **

* Cum lex naturae nihil ſit aliud, quam aeterna, immutabilis, ac ſanctiſſima Numinis voluntas, prouti hominibus, vt ad eam ſe componant, eſt patefacta; nemo profecto negare poteſt, ius naturae in ſtatu integritas fuiſſe, niſi Deum ipſum, aut ſummam eius ſanctitatem negare velit. Cumque Deus, dum hominem ad imaginem ſuam condidit, ſimul hancce legem cordi eius inſcripſerit, dubitari rurſus nequit, quin ſerio voluerit, vt actiones ſuas ad illam componeret. Et vnde, quaeſo, ſanctitas illa & iuſtitia, quae partem imaginis diuinae conſtituebant, *Eph. IV, 24.* aeſtimanda, niſi ex conuenientia cum lege diuina, ſeu iis, quae Deus ab hominibus fieri voluit? Hac enim ratione ſummam ipſe voluntatis ſuae ſanctitatem expreſſit; quippe quam lex veluti in ſpeculo quodam exhibet. Accedit, quod & hodie adhuc lex diuina omnium cordibus inſcripta dicatur a Paulo, *Rom. II, 15.* Quod cum a ſtatu peccati deriuari nequeat, ſequitur, iam in ſtatu integritatis, & modo quodam longe perfectiori illud fuiſſe. Nec eſt, quod dicas, hominem in ſtatu integritatis ſponte ſua, quae recta & iuſta ſunt, facturum fuiſſe. Hinc enim illud ſaltem ſequitur, coactione quadam in iſto ſtatu opus non fuiſſe; legem ipſam non exſtitiſſe, inde colligi nequit. Obſeruanda haec contra VAN DER MVELEN, *diſſert. de origine iuris*, acriter negantem, ius naturae in ſtatu integritatis locum habuiſſe; cui SIM. HENR. MVSAEVS *vindicias iuris naturae paradiſiaci* oppoſuit; vtroque cauſſam ſuam aliis adhuc ſcriptis agente. Legenda, quae hac de re diſſerit GRAPIVS, in *theol. recens controuerſa continuata, c. 5. qu. 4. p. 132.* Nos id ſaltem addimus, licet explicite omnia iuris naturae praecepta vim ſuam in ſtatu integritatis non exſeruiſſent, implicite tamen omnino aderant, dum in ipſis principiis ceu concluſiones quaedam continebantur. Exemplo eſſe poſſunt leges, quae dominium aliquod rerum particulare ſupponunt. Cum enim, vti antea dictum, veroſimile non ſit, eiusmodi rerum dominia, qualia hodie ſunt, in ſtatu integritatis futura fuiſſe; leges etiam, quae circa ea verſantur, vim

vim ſuam exſerere non potuiſſent, etſi in principio iſto, ſeu lege vniuerſali, quae, vt homines alios ſicut nos ipſos amemus, iubet, contineantur. Idem de legibus, quae quid in bello iuſtum aequumue ſit, praecipiunt, obſeruandum. Bella enim in ſtatu integritatis futura fuiſſe, nemo ſanae mentis adſeruerit. Et ita in aliis quoque, quae eiusdem ſunt generis, ſeſe res habet.

** Solent quidem iſtae leges *poſitiuae* vocari, ſed rectius *hypotheticas* dici, demonſtraui in *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 2.* *§. 23.* De arbore ſcientiae boni & mali quod ad inſtituta ſtatus integritatis pertineat, poſitum eſt extra controuerſiam. De matrimonio diſſentiunt, qui illud in remedium vlterioris lapſus a Deo inſtitutum exiſtimant, quorum errorem iam ad *§. 9.* profligauimus. Sabbatum nonnulli tum demum inſtitutum putant, cum Deus eius ſanctificationem populo israëlitico iniungeret, *Exod. XVI, 23.* Quos itidem magno in errore verſari, alibi oſtenditur. Conferenda, quae dixi in *inſtitut. theol. mor. part. 2. cap. 3.* ad *§. 33.*

§. XIII. Solent nonnulli ea, quae ad modum, rationemque colendi Deum ſpectant, ſub ſchemate *foederis* cuiusdam *inter Deum & homines*, exhibere. Quod & minime improbandum, cum & ſcriptura ſuffragetur; modo caute hoc fiat, nec vltra, quam par eſt, iſtam foederis notionem in rebus diuinis extendamus. Nec enim omnia, quae in humanis foederibus obſeruantur, in eo quoque, quod Deo cum hominibus intercedere dicitur, locum inueniunt.

* Eam Numinis agendi cum hominibus rationem, qua inducere eos voluit, vt aeternam ſalutem conſequerentur, & hoc pacto benigniſſimum ipſius experirentur fauorem, ſub ſchemate foederis cuiusdam ſubinde exhiberi, nemini, niſi qui hoſpitem plane ex ſacrarum litterarum lectione animum retulit, ignotum eſſe poteſt. Certe, quae cum Israëlitis egit, vt promiſſis variis pariter ac comminationibus ad legem illis datarum, & ad eorum vnice ſalutem ſpectantium, obſeruantiam eos perduceret, non tantum aperte indolem foederis referunt, ſed ſaepiſſime etiam hocce nomine ſignificantur. *Hoc eſt foedus ſanguinis*, inquit Moſes, *quod Deus pepigit vobiscum; Exod. XXIV, 7, 8.* conf. *cap. XIX, 5. Leuit. XXIV, 8. XXVI, 9. Num. XVIII, 19. Deut. V, 2. Ioſ. XXIII, 16.* Hinc & ſtatus fidelium noui teſtamenti ſub eodem exhibetur ſchemate, *Ier. XXXI, 31.* Addunt nonnulli & illa Pauli apoſtoli verba: *αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, Gal. IV, 24.* in quibus duorum foederum mentionem iniicere videtur; itemque illud Chriſti ſeruatoris: *τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, Luc. XXII, 20.* Verum etſi vox *διαθήκη* ceteroquin & *foedus* ſignificet, in hisce tamen, aliisque noui teſtamenti locis eam *teſtamentum* potius denotare, aliis obſeruatum eſt. Quod nobis tamen non obſtat, cum & foederis & teſtamenti notio, diuerſo tamen intuitu, in hiſce locum inueniat. Conferenda, quae hac de re dixi, *diſſ. de praerogatiuis fidelium noui teſtamenti prae fidelibus veteris teſtamenti*, quae exſtat in *ſyntagmate diſſert. theologicar. §. 7.* Cum ergo, vti diximus, foederis illud ſchema, in negotio ad hominum ſalutem pertinente, non inuſitatum ſit, nihil profecto obſtat, quo minus & ea, quae in ſtatu integritatis ad modum rationemque colendi Numen ſpectarunt, ſub eodem exhibeantur; praeſertim, cum & hic praeeuntem nobis habeamus ſacram ſcripturam. Israelitae enim foedus transgreſſi dicuntur כאדם *ſicut Adam*,

Adam, *Hoſ. VI, 7.* Vbi vox *Adam* non tantum commode vt nomen proprium verti poteſt, ſed & vt ita vertatur, res ipſa poſtulat, quemadmodum & HIERONYMVS, CYRILLVS, aliique veterum pariter ac recentiorum, eam ita ibi capiunt. Accedit, quod omnia, quae foedus aliquod conſtituunt, partes contrahentes, conditio foederis, promiſſio & comminatio ibi inveniantur, vt ex dicendis manifeſtum fiet. Nec eſt, quod dicas, Deum, ceu ſummum imperantem & legiſlatorem, iure & poteſtate ſua cum homine agere potuiſſe, vt adeo nullo opus fuiſſe foedere videatur. Imperium enim illud, atque ius diuinum non obſtat, quo minus Deus etiam ex ſingulari fauore, atque amore erga homines, certum illis proponere praemium potuerit, ſub certa conditione conferendum; quod dum acceptant homines, vti omnino acceptandum erat, ſpecies quaedam foederis inde exſurgit. Qua de re deinceps plura. Quae autem hactenus diximus, non ita capienda ſunt, ac ſi neceſſario ſub hocce ſchemate religio concipienda ſit, nec aliter eam concipere fas ſit. Id enim vel inde refellitur, quod ipſa ſcriptura ſacra ſaepiſſime de ratione colendi Deum, perueniendique ad ſalutem loquatur, nulla foederis adiecta mentione. Id ergo ſaltem volumus, non eſſe inconueniens, nec ſcripturae ſacrae repugnare, ſi ſub hocce ſchemate etiam in ſtatu integritatis ratio colendi Deum, perueniendique ad ſalutem exhibeatur. Multo magis adhuc cauendum, ne foedus hocce diuinum in omnibus eiuſdem cum foederibus humanis conditionis eſſe exiſtimemus; vnde ſi ex horum indole foedus generatim aeſtimandum ſit, illud improprie tale erit. In foederibus humanis quaedam partium requiritur aequalitas; in diuino contra illo ſumma eſt inaequalitas, adeo, vt, licet inter homines etiam dentur foedera inaequalia, haec tamen inaequalitas nullius fere momenti ſit, ſi cum ea comparetur, quae inter Deum atque homines intercedit. Hinc vero & aliud diſcrimen conſequitur. In foederibus humanis pars vtraque per legem, ad foedus, ſeu pactum ſeruandum colligitur. Deus autem, cum ſuperiorem non habeat, obligari etiam hac ratione nequit, etſi ob ſummam eius ſanctitatem, veracitatemque promiſſa eius omnibus hominum, ſi vel infinitis vinculis conſtricti eſſent, promiſſis longe ſint firmiora. In foederibus porro humanis vtrique parti integrum eſt, num foedus aliquod inire velint, an non velint. Sed in diuino illo, neutiquam in hominis poſitum eſt arbitrio, velitne foedus hoc cum Deo inire, an minus: hoc eſt, velitne Deum iuxta ordinem ab eo praeſcriptum colere, an non velit: obligatus enim eſt ad foedus hocce a Deo oblatum amplectendum, ita, vt acceptare illud abnuentes, grauiſſima maneat poena; *Matth. X, 14, 15. XXII, 7. Luc. XIV, 21, 24.* Foedera denique inter homines iniri ſolita, mutuam fere continent partium vtilitatem, etſi aliquando diſparem. Ad Deum vero quaenam poſſet ex foedere cum hominibus inito redundare vtilitas? Atque haec ſi probe obſeruentur, facile, quae hac de re diſputari ſolent, diiudicare licebit. Sunt enim, qui negant, Deum foedus aliquod cum Adamo pepigiſſe: quos inter & EPISCOPIVS eſt, *inſtitut. theolog. l. 2. c. 1. p. 23.* Sed longe plures hoc adfirmant, vt BRAVNIVS, in *doctrina foeder. vol. 1. part. 3. loc. 8. c. 2. p. 250.* WITSIVS, in *oeconom. foeder. l. 1. c. 2.* HEIDEGGERVS, in *corpore chriſt. theolog. tom. 1. loc. 9. num. 16.* & ex noſtratibus, IAEGERVS, in *iure Dei foederali delineato, quaeſt. 1. p. 14. ſeq.* itemque GRAPIVS, in *theologia recens controuerſa continuata, cap. 5. qu. 5. p. 134. ſeq.*

§. XIV. Quod ergo in ſtatu integritatis obtinuit, *foedus operum* vocari ſolet; non eo quidem ſenſu, ac ſi homo operibus ſuis, ſeu legum diuina-

Digitized by Google

diuinarum obſeruantia aliquid promereri, hinc & mercedem, ceu iure ſibi debitam, poſtulare potuiſſet, quippe quod plane abſonum; cum homo nihil prorſus agat, ad quod non iure ſit obſtrictus; ſed, quod homo legem diuinam recte & adcurate implere potuiſſet; idque ſi feciſſet, Deus ex mera gratia praemium aliquod, ſeu maiorem felicitatis gradum, in eum collaturus fuiſſet. *

* Nimirum ſi omnia, quae ad conditionem foederis pertinebant, Adamus feciſſet, praemium equidem conſequutus fuiſſet, non tamen ex merito, ſed ex gratia. Ad meritum enim cumprimis requiritur, vt ſit actio indebita; quod & ratio docet, & ipſe ſeruator confirmat; *Luc. XVII, 10.* Obſequium autem illud, quod ab Adamo requirebatur, legibus diuinis praeſtandum, indebitum fuiſſe, quis dixerit? Vt enim Deus, ceu creator, hoc iure poſtulare poterat, ita ſine ſummo ſcelere non poterat hoc recuſare Adamus. Praeterea, vt meritum locum habeat, neceſſe eſt, vt alteri, cui aliquid imputamus, reuera commodum aliquod, vel quod pro beneficio reputare debeat, conferamus. Quis vero dixerit, hominem commodum aliquod Deo adferre poſſe, vel aliquid agere, quod Deus pro beneficio reputare debeat? conf. *Iob. XXII, 2.* Accedit, quod meritum locum non habeat, vbi illud, quod praeſtamus, noſtrum non eſt, adeoque nec nobis illud vindicare poſſumus. Adamus autem, quidquid habebat, a Deo acceperat, hinc &, quidquid boni agere poterat, ſoli Deo acceptum ferre debebat; conf. *1. Cor. IV, 7.* Denique & nulla aderat, inter opera primi hominis, atque praemium, proportio, quae, ſi deſit, omne quoque meritum ceſſat. Quae cum ita ſint, omnia gratiae, ſeu benigno Numinis fauori hic tribuenda eſſe, manifeſtum eſt. Solius enim gratiae opus erat, quod Deus hominem creauerat, & tot dotibus eximiis ornauerat; gratiae opus erat, quod per modum foederis cum eo agere voluerit, cum ei licuiſſet, ſolo mandato atque imperio agere; gratiae opus erat, quod praemium aliquod, ſeu maiorem felicitatis gradum homini promiſerit; & licet certa ſimul ab homine requireretur conditio, nihil tamen huic conditioni inerat, quod rationem meriti haberet. Conferenda, quae BRAVNIVS pro noſtra ſententia diſſerit, in *doctrina foederum, vol. 1. part. 3. loc. 8. c. 2. p. 259.* vbi demonſtrat, meritum nec *de condigno*, nec *de congruo*, vt loqui ſolent, in ſtatu integritatis locum habuiſſe. Facile autem intelligitur, quo ſenſu hocce foedus etiam *legale* a quibusdam vocetur? quia ſcilicet opera praeſtanda, lege diuina praeſcripta fuerunt. Solet vero etiam *naturale* vocari, quia cum ipſa natura hominum initium habuit; itemque, quia naturae humanae plane fuit conueniens; iis quoque viribus naturae Adamus fuerit inſtructus, vt conditionem foederis iſtius adimplere potuerit.

§. XV. In *foedere* hocce *operum* diſtinctius conſiderari poſſunt, *partes contrahentes, conditio foedere praeſcripta, promiſſio,* & *comminatio.* *

* Solent alii in foedere hocce Dei cum hominibus, itidem quatuor capita conſtituere, ſed paullo aliter: duo ſcilicet ex parte Dei, *adſtipulationem, & promiſſionem*, & duo itidem ex parte hominis. *adſtipulationem*, & *reſtipulationem*; vid. BRAVNIVS, in *doctrina foederum, vol. 1. part. 3. loc. 8. c. 1. §. 8. p. 252.* Per *ſtipulationem*

tionem nimirum ipſam legem intelligunt, quam hominibus praeſcripſit, quae a nobis *conditio foederis* vocatur. Hanc vero dum homo recipit, eique ſe ſubmittit, oritur inde *adſtipulatio;* quae cum iam intelligatur, cum ipſarum partium contrahentium mentio iniicitur, vt diſtincte commemoretur, neceſſe non eſt. *Promiſſio* recte diſtincte commemoratur, quod & nos facimus: non minus tamen & diſtincte ponenda erat *comminatio*. Per *reſtipulationem* denique actio iſta hominis intelligitur, qua, conditione foederis impleta, iure praemium promiſſum poſtulat. Quod tamen conſequens potius aliquod foederis iſtius erit.

§. XVI. Partes, ſeu perſonae contrahentes, erant *Deus* atque *Adamus*. Deus tamen ſimul, vt dominus ſupremus atque ſummus legislator, ſpectandus eſt; qui, cum & hoc intuitu obedientiam perfectiſſimam ab homine exigere potuiſſet, per iſtam tamen *συγκατάβασιν*, cumprimis per praemii promiſſionem, ſummam ſuam benignitatem atque *φιλανθρωπίαν* demonſtrare voluit. * Adamus autem non tantum vt homo, ſed & vt caput atque princeps totius humani generis conſiderari poteſt; vnde, & quae ipſe egit, certo modo ad omnes eius poſteros, ſeu totum genus humanum pertinent. **

* Duplici itaque ratione Deus conſiderari poteſt, vel vt dominus ac legislator ſupremus, vel vt pars contrahens in hocce foedere. Conſiſtere autem haec optime inter ſe poſſe, vt ſupremus imperans per *συγκατάβασιν* quamdam, ex ſingulari benignitate & clementia, per modum foederis cum ſibi ſubiectis agat, ante iam ad *§. 13.* obſeruauimus. Potuiſſet vtique Deus nude pro imperio homini cultum ſuum iniungere, ad quem hic etiam in virtute creationis tenebatur; ſed ſapientiae & bonitati diuinae conueniens erat, praemio quodam conſtituto, hominem ad ea agenda inducere, quibus ſuam augere felicitatem poſſet. Scilicet *Deus*, vt recte hac de re pronunciat PVFENDORFFIVS, *pro ſua ſapientia, cultum ſui, ſeu religionem, non tota velut efficacia ſui imperii, hominibus iniungere voluit, qua circa creaturas ratione deſtitutas vtitur, pſ. CXLVIII, 5, 6, 7. Sed variis rationibus delinificis homines permouere inſtituit, vt libenter in iſtum conſentirent. Vnde & tempora ignorantiae aliquamdiu diſſimulaſſe dicitur, actor. XVII, 30. Nam, quia Deus cultum exigit, & venerationem, cui ſincera cordis inclinatio & dilectio inſit, iſta non per rigida imperia extorqueri, ſed per ſuaues motus elici aptior erat; ac poena, quae contemtores religionis manet, non confeſtim, ac per manifeſta ſupplicia repraeſentatur, vti circa violationes legum humanarum fieri ſuevit; ſed ea fere in futurum prominet, & maximam partem poſt abſolutum huius vitae curriculum differtur. Vnde & Deus circa religionem, adeoque in toto negotio ſalutis noſtrae, non egit ex tota vi ſuae potentiae, ſed prout eſt ens liberum, ſuam potentiam non niſi certo cum temperamento & ordine, ac intra certos limites exſerit, quos ipſe ſibi poſuit; in iure feciali diuino, §. 20 p. 97. 98.*

** Cum reliqua, quae de Adamo, ſeu primo homine, in ſtatu integritatis ſpectato, obſeruari poterant, ex antea dictis abunde conſtent, nunc illud ſaltem probandum, quod diximus, Adamum in hocce foedere vt caput, ſeu principem totius humani generis conſiderandum eſſe. Id enimuero facile intelligitur, ſi modo reliqua, quae Moſes de Adamo, a creatione eius vſque ad lapſum commemorat, rite

conſi-

conſiderauerimus. Cum enim Deus Adamum ad imaginem ſuam condidiſſe dicitur, hoc vtique non ad ſolum Adamum atque Euam, ſed omnes ſimul eorum poſteros pertinet, ad quos per naturalem generationem imago Dei transmittenda erat, vti ſupra docuimus. Sic & cum Deus benedictione ſua primos parentes ad fecunditatem, & generis ſui multiplicationem proſequutus eſt, cumque dominium in res creatas alias, ſpeciatim animantia bruta, iis conceſſit; *Gen. I*, *28*, *29*. hoc ad ſolos parentes primos, & non ſimul ad eorum poſteros ſpectaſſe, nemo ſibi perſuaſerit. Atque ita itidem ſe res habet, cum Deus legem illis promulgauit, de non comedendo fructu arboris cognitionis boni & mali, *Gen. II*, *17*. Namque non Adamum ſolum, ſed omnes eius ſimul poſteros eam obligaſſe, in confeſſo eſt apud omnes. Porro, cum coniugium Deus inſtitueret, & vni viro feminam vnam iungeret, hoc ad omnes omnino homines, ſeu poſteros Adami pertinuiſſe, vel ex ipſius ſeruatoris interpretatione condiſcimus, *Matth. XIX*, *4*, *5*. Denique ſi & lapſum ipſum Adami, & quae illum conſequuta ſunt, mortem naturalem, & ſpiritualem, maledictionem terrae, partum cum dolore coniunctum, immo & Meſſiae, ſeu redemtoris promisſionem conſideramus, haec omnia ad poſteros non minus Adami, quam ad Adamum ipſum referenda eſſe, & experientia teſtatur, & ſcriptura ſacra docet. Hinc recte AVGVSTINVS: *In Adamo omnes virtute incluſi fuimus, & omnes eramus vnus in illo; de peccat. merit. lib. 1. c. 10.* Et iterum: *In vno homine omnes homines peccaſſe intelliguntur originaliter; l. 6. contra Iulian. c. 2.* Atque haec quidem euincunt, Adamum omnino pro *capite naturali*, ſeu *ſeminali*, in hocce foedere habendum eſſe; quod adeo fruſtra a quibusdam reformatae eccleſiae doctoribus, rigidioribus quidem illis, negatur, qui Adamum tantum vt caput foederale ſpectandum contendunt, indeque porro concludunt, peccatum originale non aliter ad poſteros Adami propagari, quam quod Deus peccatum Adami, ceu capitis foederalis, omnibus eius poſteris imputet. Quod, quam durum ſit, nemo non intelligit. Rurſus tamen, an omnino pro capite foederali habendus ſit? quaeri ſolet. Hoc enim nonnulli, itidem ex reformatae eccleſiae doctoribus plane negant, eam adeo peccati originalis propagationem, quae tantum ex naturali generatione prouenit, propugnantes, nec Adamitici imputationem admittentes. Quae quidem ſententia, vti illis admodum fauet, qui peccatum originale aut negant, aut extenuant; ita eamdem ſummo ſtudio tuetur WHITBY, in *tractatu*, *de imputatione diuina peccati Adami*, *poſteris eius vniverſis in reatum*, *cap. 1.* item *6.* & alibi. Alii autem ex eiusdem eccleſiae doctoribus, ſuffragantibus etiam noſtratibus, vtriusque & naturalis & foederalis capitis perſonam ſuſtinuiſſe Adamum, contendunt. Et pro morali quidem, ſeu foederali capite eum quoque habendum, cumprimis ex *Rom. V*, *14. ſeq.* probant, vbi oppoſitio quaedam inter Adamum atque Chriſtum inſtituitur. Nimirum, vti Chriſti iuſtitia ex foedere in ſalutem cedit humani generis; ita & delictum Adami, ob foederalem rationem, humanum genus peccato & miſeria inuoluit. Quare & ſicut Chriſtus caput morale, ſeu foederale eſt, eorum omnium, qui per illum ſeruantur, ita recte videtur inde colligi, Adamum etiam fuiſſe caput foederale eorum, qui peccarunt. Praeterea & ex eo hoc confirmant, quod *Rom. V*, *14. mortem regnaſſe ab Adamo vsque ad Moſen, etiam in eos, qui non peccauerint in ſimilitudine praeuaricationis Adami*, dicitur. Hinc enim inferunt, aliud, quam proprium hominum peccatum fuiſſe, per quod morti obnoxii facti ſint: quod adeo aliter intelligi nequeat, quam, quod Ada-

 mi

Digitized by Google

mi peccatum poſteris ſit imputatum. Quare, cum Deus Iſraelitas *Deut. XXIX, 14.* ita adloquitur: *Non tecum dumtaxat pango hoc foedus & iuſiurandum, ſed & iiscum, qui nondum hic ſunt;* pari ratione & in Adamo, cum omnibus eius poſteris eum foedus aliquod inire potuiſſe, inde concludunt. Quod ſi quaeras, quo iure Deus ita cum hominibus egerit? reſpondent, noſtrum non eſſe, de iure Dei ambigere, vel in illud iuſto curioſius inquirere; multo minus id ad iuris, inter nos homunciones ſtatuti, formulam exigere, vbi de facto conſtat. Legenda, quae hanc in rem diſſerit WITSIVS, *de oeconomia foederum Dei cum hominibus, l. 1. c. 2. §. 16. p. 29. ſeq.* add. PVFENDORFFIVS, in *iure feciali diuino, §. 24. p. 108.* IAEGERVS, in *iure Dei foederali delineato, quaeſt. 2. p. 29. ſeq.* GRAPIVS, in *theol. recens controuerſa continuata, c. 5. quaeſt. 6. p. 36. ſeq.* Non deſunt rurſus, ne quid diffitear, ſecus ſentientibus, quae ad rationes iſtas reſpondeant. Ex loco namque *Rom. V, 14.* id quidem conſtare aiunt, Adamum pro typo quodam Chriſti habendum, hinc & recte comparationem inſtitui, Adamum inter atque Chriſtum: neque tamen iſtam comparationem in omnibus procedere, adeoque & in quibusdam diſſimilitudinem quamdam inter Adamum atque Chriſtum intercedere poſſe. Cum porro ibidem dicitur, *mortem regnaſſe ab Adamo ad Moſen, etiam in eos, qui non peccauerint in ſimilitudine praeuaricationis Adami;* colligi potius inde poſſe, quia poſteri Adami non peccauerint in ſimilitudine praeuaricationis Adami, eos ob peccata propria puniri, adeoque neutiquam iis imputari peccatum Adami. Ex verbis Moſis *Deut. XXIX, 14,* id quidem conſtare, Deum poſſe legem ferre parentibus, quae etiam ad eorum poſteros pertineat; ſed ea ratione, vt tum demum poſteri puniantur, ſi ipſimet legem iſtam violauerint. Parentes ita repraeſentare poſteros, vt ob illorum delictum hi quoq; puniendi ſint, inde probari non poſſe; quod & aliis ſcripturae effatis e diametro repugnet; conf. *Ezech. XVIII, 20.* Quae etſi ſpecie non careant, non tamen prorſus euincunt, Adamum pro capite foederali haberi non poſſe. Adamus nimirum *Rom. V, 14.* ita vt typus Chriſti proponitur, vt diſerte etiam ab eo peccatum in omnes homines deriuatum dicatur, *v. 14.* & *per vnius inobedientiam multi peccatores conſtituti*, adſerantur; *v. 19.* quod non niſi intercedente imputatione quadam fieri potuit. Hoc enim non tantum ratio antitypi requirit, ſed cum per *ipſum delictum*, per *ipſam inobedientiam* Adami, poſteri eius peccatores facti dicantur; de ſola propagatione corruptionis per naturalem generationem, commode hoc intelligi nequit. Praeterea, cum poſteri Adami *non peccaſſe* dicuntur, in *ſimilitudine praeuaricationis* Adami, & nihilo ſecius morti ſint obnoxii, diſſimilitudo vtique in eo conſiſtit, quod Adamus ſine peccato originali peccauerit; poſteri autem eius cum peccato originali naſcantur, adeoque ſimul poenam transgreſſionis Adami luant, quod rurſus imputationem quandam arguit. Ceteroquin enim eadem plane ratione, ac Adamus, peccarent. Sed plura non addimus, cum de peccato primorum parentum, an, & quousque poſteris eorum imputetur? in ſequentibus ex inſtituto dicendum ſit. Conferenda cum hiſce, quae de Adamo, an caput foederale fuerit? erudite diſputat PFAFFIVS, *inſtitut. theol. dogmat. part. 2. c. 2. §. 6. p. 277. ſeq.*

§. XVII. Conditio foedere praeſcripta, *lex foederis* erat; quo nomine praecipue leges illae *naturales*, & quidem *abſolutae*, quas cordibus hominum

Digitized by Google

minum inſcriptas, etiam poſt lapſum hominum intelligimus, veniunt; tum & *hypotheticae*, ſeu, vt aliis vocantur, *poſitiuae*, ant.. memoratae; cumprimis lex illa ſymbolica, *de arbore ſcientiae boni & mali.* * Obedientia autem hiſce legibus praeſtanda, exactiſſima requirebatur, & qua partes, qua gradus, perfectiſſima. ** Idque non immerito; cum iis viribus homo inſtructus eſſet, vt perfecte legem implere poſſet. ***

* Leges naturales in ſtatu integritatis locum habuiſſe, easque cordibus hominum in ipſa creatione inſcriptas fuiſſe, iam ad §. 12. demonſtrauimus; vbi & oſtenſum, ſummam iſtarum legum in perfectiſſima Dei, aliorumque hominum dilectione, conſiſtere. De legibus hypotheticis, quas alii poſitiuas vocant, ibidem dictum. Legem iſtam *πειραστικήν*, de fructu arboris cognitionis boni & mali non comedendo, itidem ad conditionem iſtius foederis, ſeu leges foederales, pertinuiſſe, poſitum eſt extra controuerſiam. Repetenda, quae iam ſupra ad §. 11. de hacce arbore diſputauimus. Sabbatum autem, & matrimonium, ad leges foederales referendum eſſe, negat BRAVNIVS, in *doctrina foederum, vol. 1. part. 3. loc. 8. c. 2. §. 11.* Nimirum, *ſabbatum*, inquit, *ſi ipſi* (Adamo) *datum, vtique lex dicenda eſſet; ſed ipſi datum fuiſſe, dici non poteſt.* Matrimonium pro lege foederali haberi non poſſe, inde probat, *quod fuerit neceſſaria ſequela naturae, in qua homo creatus fuit, ſcilicet, vt hoc modo ſanctum ſemen Deo propagaretur. Deinde*, ita pergit, *peccarent contra legem, quicumque matrimonium non contraherent.* Verum, ad ſabbatum quod attinet, perperam vir doctus, ceu euictum, adſumit, illud poſt exitum demum Iſraelitarum ex Aegypto inſtitutum fuiſſe. Qua de re alibi. Attigi haec itidem iam ſupra ad §. 12. In matrimonio autem duo ſpectari poſſunt, ipſa coniunctio matrimonialis, & ordo in hacce coniunctione obſeruandus. Atque hic quidem neutiquam pro neceſſaria ſequela naturae habendus, ſed ab inſtitutione diuina pendet. Ex hacce autem leges iſtae, quas hypotheticas vocare ſoleo, fluunt. Ceterum leges iſtae tum naturales, tum hypotheticae, ſeu poſitiuae, hic vt conditiones foederis ſpectantur. Vnde & ex parte hominis *acceptatio* requirebatur, quam nonnulli *adſtipulationem* vocant. Cuius, licet diſerte in ſcriptura ſacra non iniiciatur mentio, ex ipſa tamen foederis natura & indole intelligitur; praeſertim, cum Deus & contrahentis, & legiſlatoris perſonam ſimul ſuſtineat, adeoque homo ad foedus hocce a Deo oblatum acceptandum, fuerit obligatus, vti iam ad §. 13. obſeruauimus.

** Perfectio partium, quam lex requirebat, tum intuitu *ſubiecti* intelligi poteſt, vt totus homo, qua animam & corpus, & vtriusque facultates, ſe conſecret Dei ſeruitio; *1. Theſſ. V, 23.* tum intuitu *obiecti*, vt omnia & ſingula legis praecepta ſeruentur, absque vllo commiſſionis vel omiſſionis peccato, *Gal. III, 10. Iacob. II, 10.* Graduum autem perfectio ſummam velut omnium virium intenſionem denotat, vt amor obiecto omnium maximo, quod & ſummum hominis bonum eſt, reſpondeat, iuxta illud: *Ex toto corde, & ex tota anima, ex omni cogitatione, Matth. XXII, 37. Deut. VI, 5.* Addunt nonnulli perfectionem *perſeuerantiae*, vt ſi vel ſemel deficiat, & exorbitet a recto tramite, prior iuſtitia non amplius in cenſum veniat; *Ez. XVIII, 12. 24.* conf. WITSIVS, *de oeconomia foederum Dei cum hominibus, l. 1. c. 3. §. 24. 25.*

*** Quod patet ex iis, quae ſupra ex inſtituto dicta ſunt ad §. 5.

Digitized by Google

§. XVIII. Promiſſionem foederi huic operum a Deo additam, vel ex ſtatu reſtitutionis intelligitur. Ea vero alia eſſe non poterat, quam de perfectiori, ampliorique beatitudinis gradu, poſt curriculum huius vitae abſolutum, omnibus atque ſingulis, ex mera gratia per modum praemii conferendo. Quam quidem beatitudinem ex ſtatu gloriae, qui ſtatum gratiae, ſeu reſtitutionis inſequuturus eſt, aeſtimare licet. *

* Duo hic in cenſum veniunt capita, alterum: an omnino Deus primis parentibus aliquid promiſerit? alterum: quidnam promiſerit? Prius enim contra eos, qui e Socini ſchola prodierunt, immo & contra quosdam Arminii ſectatores, adſerendum eſt, qui nihil omnino Deum primis parentibus promiſiſſe, ſibi perſuadent: poſterius autem contra quosdam reformatae eccleſiae doctores, qui non ampliorem beatitudinis gradum, ſed vitam ſaltem perpetuam in paradiſo peragendam, primis parentibus promiſſam fuiſſe exiſtimant. Dum vero contra hos euincemus, promiſſum fuiſſe maiorem beatitudinis gradum, ſeu vitam aeternam in caelo peragendam, corruet ſua ſponte etiam illorum error, qui nihil omnino promiſſum fuiſſe contendunt. Recte autem ad ſtatum reſtitutionis hic prouocamus. Cum enim in foedere gratiae credentibus in Chriſtum vita aeterna, ceu ſupremus beatitudinis gradus, ſeu praemium fidei promittatur; *Ioan. III, 16. Rom. VI, 23.* homines in ſtatu integritatis deterioris fuiſſe conditionis, credibile non eſt. Omnino autem fuiſſent, ſi continuatio ſaltem huius vitae, non autem ſublimior beatitudinis gradus, promiſſus fuiſſet. Quem quidem dum poſt abſolutum huius vitae curriculum illis conferendum adſerimus, non ita hoc capiendum, ac ſi morte intercedente hoc fieri debuerit; ſed quod ſine morte in aeternae beatitudinis ſedem fuiſſent transferendi. Non tantum vero generatim ex ſtatu reſtitutionis, ſed ſpeciatim etiam ex foedere Sinaitico, promiſſio iſta vitae aeternae recte colligitur. Quod enim *Leuit. XVIII, 5.* dicitur: *Qui fecerit ea, viuet in iis;* id ipſemet ſeruator de vita aeterna interpretatur, *Matth. XIX, 16. 17.* Iuueni nimirum, de ratione conſequendi vitam aeternam quaerenti, reſpondet: *Si vis intrare in vitam*, (ſcilicet aeternam) *ſerua mandata.* Quod quidem non ita capiendum, ac ſi homo poſt lapſum adcurate implere legem, & hac ratione vitam aeternam conſequi poſſit; ſed, vt intelligeret, quid in Adamo amiſiſſet. Luculentiſſime rem omnem conficit Paulus, cum docet, Deum per filium ſuum, in carnem miſſum, id feciſſe, quod legi factu ἀδύνατον erat, *ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, eo quod viribus deſtituta erat per carnem; Rom. VIII, 3.* Iam vero Chriſtus ſuis parauit ius ad vitam aeternam, in caelis ſuo tempore degendam. Id ergo dum apoſtolus legi nunc ἀδύνατον dicit, *eo quod per carnem infirmata ſit;* ſignificat, poſſibile hoc legi fuiſſe, vt homines ad vitam iſtam aeternam perduceret, ſi carnis infirmitas per peccatum non acceſſiſſet. Mitto reliqua, quae in eamdem ſententiam ab aliis diſputari ſolent. Haec vero dum euincunt, vitam aeternam, ſeu maiorem beatitudinis gradum primis parentibus promiſſum; ſimul, vti diximus, eos erroris arguunt, qui nihil omnino iis promiſſum contendunt. Hi vero inſuper in ſummam Numinis bonitatem iniurii eſſe mihi videntur, cum poenas tantum, & comminationes illi tribuunt, remunerationem autem recte factorum quam longiſſime ab eo abeſſe volunt. Quod profecto & ipſi rationi repugnat, quippe quae ex iuſtitiae pariter ac bonitatis diuinae conſideratione, facili negotio colligit, non minus recte factorum

remu-

remunerationem, quam ſcelerum vindictam, ſupremum decere Numen. Hinc & inter prima illorum, quae omnes de Deo ſcire debent, elementa, Paulus hoc refert, *eſſe Deum, & praemia largiri iis, qui ipſum requirunt*; *Ebr. XI, 6.* Copioſius haec omnia ediſſerit WITSIVS, *de oeconomia foederum Dei cum hominibus*, *l. 1. c. 4.*

§. XIX. Comminatio denique, ſeu ſanctio poenalis, hiſce verbis: *morte morieris, Gen. II, 17.* exprimitur. Qua quidem loquendi formula non tantum naturalem, ſed ſpiritualem etiam atque aeternam mortem, immo, quidquid malorum, aut calamitatum cogitari poteſt, ſignificari conſtat, & alias quoque obſeruatum eſt. * Quantumuis autem grauis iſta poena cenſeri queat, ſi tamen rite cum grauitate delicti, & ſumma Numinis benignitate comparetur, nihil omnino, quod cum iuſtitia ac ſanctitate eius pugnet, continet. **

* Ita enim vocabulum *mortis* in ſcriptura ſacra vſurpatur, vt non tantum naturalem, ſed & ſpiritualem, ſeu hominum impiorum a Deo ſeparationem, itemque damnationem aeternam denotet. De morte ſpirituali Paulus loquitur *Eph. II, 1. IV, 18. 1. Tim. V, 6.* Damnatorum autem hominum ſtatus, quod itidem mortis nomine veniat, ſupra docuimus, ad *l. 2. c. 3. §. 12.* Cumque haecce omnia, ceu poena peccati, in ſcriptura ſacra commemorentur, dubitare non licet, quin Moſes etiam eodem ſenſu *mortis* nomine, in comminatione illa diuina vtatur, adeoque non tantum naturalem, ſed & ſpiritualem, atque aeternam indicet. LOCKII, aliorumque, per mortem in iſta comminatione totius hominis deſtructionem, ſeu annihilationem intelligentium, ſententiam, ſupra iam *loco citato*, ex inſtituto profligauimus.

** Quae hac de re vlterius dici ſolent, & poſſunt, iam ſuis locis, cum de ſanctitate & iuſtitia Dei egimus, adlata ſunt, itemque de impiorum hominum damnatione. Nihil equidem eſt in poenis diuinis, quod prima fronte magis cum iuſtitia ac bonitate diuina pugnare videtur, quam poenarum infernalium aeternitas. Sed de hac itidem iam ex inſtituto dictum, *l. 2. c. 3. §. 17.*

§. XX. Sunt &, qui in foedere operum, adeoque & ſtatu integritatis, ſacramenta ſibi inueniſſe viſi ſunt. Et nonnulli quidem quatuor ſtatuunt: *paradiſum, arborem vitae, arborem ſcientiae boni & mali*, & *ſabbatum*: alii autem duo tantum; *paradiſum*, & *arborem vitae*. Sed, qui conſiderauerit, quid ad ſacramentum, & quidem proprie ſic dictum, pertineat, hanc minime admittendam eſſe ſententiam, facile intelliget. **

* Poſtquam religio, ſeu ratio Deum colendi, prout reuelatione nititur, ſub ſchemate foederis cuiusdam proponi coepit, fuerunt, qui & in ſtatu integritatis certa foederis ſigilla, ſeu ſacramenta, ſibi inveniſſe viſi ſunt, vt analogia cum foedere gratiae, eiusque praecipuis periodis, eo rectius ſibi conſtaret. Nec omnium tamen eadem hac de re ſententia fuit; quemadmodum nec ii, qui ſacramenta in ſtatu integritatis admittunt, de eorumdem numero inter ſe conueniunt. WITSIVS namque quatuor ſacramenta in ſtatu integritatis ſtatuit, *paradiſum*, *arborem vitae*, *arborem ſcientiae boni & mali*, & *ſabbatum*; *de oeconomia foederum Dei cum hominibus*, *l. 1. c. 6. §. 2. ſeq.* BRAVNIVS autem duo tantum admittit, *paradiſum* & *arborem vitae*; in *doctrina foederum*, *vol. 1. part. 3. c. 2. §. 18.* Ex noſtratibus IAEGERVS, theo-

theologus quondam Tubingenſis celeberrimus, arborem vitae pro ſacramento primi foederis habendam eſſe, non dubitat. Triplici nimirum modo vocem *ſacramenti* ſumi, obſeruat: pro *quauis re arcana, maxime autem diuina*; tum pro *ſigillo, promiſſiones diuinas, gratiamque eius obſignante, & confirmante*; denique pro *actione diuinitus inſtituta, in qua per externum & viſibile ſignum bona inuiſibilia gratioſe offeruntur, conferuntur, & obſignantur.* In media itaque ſignificatione ſi vox haec accipiatur, arborem vitae recte pro ſacramento haberi, exiſtimat, eo quod ſignum fuerit immortalitatis, ex quo Adamus colligere potuerit, ſe mortem numquam ſubiturum, ſi in fide & obſequio erga Deum permaneret; nec nudum tantum, ac inane ſignum fuiſſe, ſed etiam vim quamdam habuiſſe, vitam hominis conſeruandi, viresque corroborandi, ne vmquam collabaſcerent. Ad paradiſum quod attinet, eum itidem inter ſacramenta, ſed latiori ſenſu, referri poſſe, idem vir doctus cenſet, eo quod ſymbolum fuerit felicioris iſtius ſtatus, quem Adamus conſequi debuiſſet, ſi legem diuinam adcurate ſeruaſſet. Neque naturale ſignum fuiſſe paradiſum, ſed a Deo ipſo conſtitutum; cum benignitatis diuinae documentum ſingulare fuerit, quod Adamum in paradiſo collocauerit, quippe qui etiam extra eum degere potuerit. In arbore autem ſcientiae boni & mali nihil fuiſſe, quod rationem ſacramenti habeat, contra WITSIVM atque PVFENDORFFIVM euincit. Namque & PVFENDORFFIVS, *ingens & ſingulare ſacramentum, & anguſtius, quam vulgo creditur*, in hacce arbore fuiſſe, pronuntiat; in *iure feciali diuino* §. 25. *p.* [illegible] Hiſce autem IÆGERVS hoc maxime, & recte quidem, opponit, arborem iſtam imperii ſaltem diuini, quo Deus obſequium in omnibus ab hominibus poſtulare poterat, non vero gratiae atque fauoris fuiſſe argumentum, quod tamen praecipue ad ſacramentum requiratur. Sabbatum denique partem fuiſſe legis, exiſtimat, vt adeo pro ſacramento haberi nequeat, niſi idem & de reliquis naturae legibus dicere velis; in *iure Dei foederali delineato, quaeſt. 5. pag. 59.* Verum cum propria, genuina, & in noſtra eccleſia recepta ſacramenti ſignificatio haec ſit, qua eiusmodi gratiae atque fauoris diuini ſignum, ſiue ſymbolum denotat, quo bona ſpiritualia hominibus reuera ſimul exhibentur, atque conferuntur; rectius mea opinione ſentiunt, qui nulla in ſtatu integritatis ſacramenta admittunt. Nec enim iſta ſacramenti notio in vllum eorum, quae pro ſacramentis habentur, quadrat. Praeterea, etſi Deus in foedere gratiae, promiſſionibus ſuis ſigilla quaedam atque ſymbola addiderit externa, inde tamen colligere non licet, quod in ſtatu integritatis ita quoque res ſeſe habuerit. Immo & in foedere gratiae non ſemper hoc factum conſtat, cum ante circumciſionem nullum ſacramenti proprie ſic dicti exemplum occurrat. Qua de re in ſequentibus ſuo loco dicetur ex inſtituto. Quin etſi ſemper in foedere gratiae ſacramenta fuiſſent, exinde tamen, vti dixi, nondum colligere licet, in ſtatu integritatis ea locum habuiſſe. Maximum enim inter huncce, & inter ſtatum reſtitutionis intercedit diſcrimen. In ſtatu enim reſtitutionis, vbi foedus gratiae obtinet, propter hominum imbecillitatem Deus cum hominibus ita agit, vt ſymbolis atque mediis externis, ad finem illorum producendam, augendam, confirmandam vtatur, quibus in ſtatu integritatis, vbi nulla hominum imbecillitas, opus non erat. Interim, ſi quis in ſtatu integritatis eo ſenſu ſacramentum admittere velit, quo ſigilla quaedam, atque ſigna, promiſſiones diuinas obſignantia & confirmantia, hocce nomine veniunt, non equidem magnopere repugnabimus. Simul tamen fatendum, haec improprie ſaltem dicta ſacramenta eſſe. Praeterea nondum puto ſatis probatum eſſe, ſigna

haecce,

haecce, ſeu ſymbola a Deo ipſo hunc in finem eſſe conſtituta; quod tamen ad ſacramentum in latiori etiam ſenſu requiritur. Ceteroquin enim ex re qualibet, quae ad aliam relationem quamdam habet, ſacramentum facere poſſem. Poteſt ſane arbor vitae pro ſymbolo quodam immortalitatis, Adamo deſtinatae, haberi. Sed a Deo hunc in finem eam arborem eſſe conſtitutam vnde probatur? Si ſola conuenientia niti velimus, non minus eleganter alii dixerint, fuiſſe hanc arborem ſymbolum, ſeu imaginem Chriſti; conf. *prou. III, 18.* Per eamdem equidem arborem Deus bonum aliquod homini contulit; id vero ſpirituale non fuit, cum ad huius vitae prolongationem legitimus eius vſus ſpectauerit. In reliquis inſtitutis paradiſiacis, paradiſo ſcilicet, & ſabbato, alia adhuc obſtant, quo minus pro ſacramentis haberi queant. Quae, vt copioſius ediſſeramus, neceſſe non eſt, cum ex dictis quilibet ea intelligere poſſit.

*. XXI. Per legis transgreſſionem foedus illud operum violatum ex parte hominis, atque abruptum fuit. * Vnde & abrogatum, ſeu antiquatum dicitur; non eo quidem ſenſu, ac ſi lex ipſa, & quidem naturalis, abrogata, vel ſublata ſit; quippe quod eſt ἀδύνατον, cum ea ex ipſa Numinis ſanctitate fluat; ſed quod homo per iſtam transgreſſionem in eum ſtatum peruenerit, vt legem hancce perfecte ſeruare, ſiue implere, adeoque & praemium illud aeternae beatitudinis a Deo conſtitutum, hac ratione conſequi nequeat. ** In locum itaque foederis operum ſucceſſit foedus gratiae. ***

* Pertinet huc lapſus primorum parentum; de quo ex inſtituto in ſequenti dicemus capite.

** Quemadmodum lex ipſa, ſcilicet naturae, abrogari non potuit, ita nec obligatio legis ceſſat, nec comminatio illi addita. Sunt enim haec inter ſe connexa; & cum ex ipſa Numinis ſanctitate & iuſtitia proueniant, non magis, quam Deus ipſe, aut mutari, aut deſinere poſſunt. Hinc & hodie adhuc permanent. Immo, non permanere nequeunt. Neque obſtat, quod foedus ipſum abruptum ſit; cum hoc ipſo reſpectus equidem legis *foederalis*, neutiquam autem *normalis*, ceſſet. Nec enim obligatio hominis ex ſolo foedere, ſed cumprimis ex ipſa lege, prouti lex eſt, atque in ſe ſpectatur, deriuanda. Ἀδυναμία etiam legem implendi, qua homo poſt lapſum laborat, eum ab obligatione non liberat; cum ſua culpa homines in eo ſtatu verſentur, vt in ſequentibus docebimus. Atque haec dum ita ſe habeant, in eam quis ingredi ſententiam poſſet, hominem pro ſua quidem parte foedus violaſſe, ſed a Deo nullam eius antiquationem factam. Attamen, ſi cuncta paullo adcuratius perpendamus, a Deo etiam foedus hocce antiquatum deprehendemus. Idque vel ex ſubſtitutione noui foederis, quod eſt *foedus gratiae*, intelligitur; iuxta illud apoſtoli: *dicendo nouum, antiquat prius, Ebr. VIII, 13.* Haec nimirum antiquatio facta eſt, dum Deus declarauit, neminem hominum vi huius foederis amicitiam ſecum habere poſſe; aut vitam aeternam conſequi; ſiquidem & nemo hominum legem, prout foederis iſtius ratio poſtulabat, ſeruare poteſt. Atque hoc eſt, quod Paulus docet, ἀδύνατον legi eſſe, ob carnis infirmitatem, vt ea quemquam ad vitam aeternam perducat; *Rom. VIII, 3.* itemque, *non* dari nunc legem, quae poſſit *viuificare, ita vt iuſtitia ex lege ſit; Gal. III, 21.* Hinc & longe alii legis ſunt effectus, quam olim in ſtatu integritatis fuere. Quae namque *data erat ad vitam,* illa hodie *hominibus cedit in mortem, Rom. VII,*

VII, 10. vnde & διακονία τοῦ θανάτου, *miniſterium mortis* dicitur; *2. Cor. III, 7.* Quae olim gratiam, fauoremq; Numinis homini conciliabat, nunc *iram operatur; Rom. IV, 15.* Quae benedictionis diuinae hominem participem faciebat, maledictionem eidem attrahit; *Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10.* ex qua aeterna tandem ſequitur damnatio, *Matth. XXV, 41.*

§. XXII. Qui hic a veritatis deflexerunt tramite, eam maxime ob cauſſam id fecerunt, quod de gratia Dei in negotio ſalutis non recte ſentirent. Qui enim aut negata cum Pelagio, aut extenuata gratia, naturae viribus plus quam decet, in ſpiritualibus tribuunt, eam quoque de imagine Dei animo notionem concipiunt, vt eadem licet amiſſa, integrae tamen, minimeque corruptae naturae vires cenſeri queunt; qui autem cum Manichaeis ipſam hominis ſubſtantiam malam atque intime corruptam ſibi perſuadent, eos imaginem quoque Dei ad ipſam hominis pertinuiſſe eſſentiam, ſtatuere oportet. * De foedere autem operum in ſtatu integritatis, qui non in omnibus, vt decet, ſentiunt, errores ſuos, quos de ratione perueniendi ad ſalutem poſt lapſum fouent, huic quoque doctrinae, vt fieri ſolet, inferre non dubitant. **

* Sunt quaedam doctrinae ſacrae capita, quae non temere in diſceptationem trahentur, niſi arctiſſimo vinculo cum aliis connexa eſſent; in quibus, qui aut rationi corruptae, aut prauis adfectibus indulgent, a recto non diſcedere nequeunt tramite. Atque inter haec illud de imagine Dei, deque foedere operum in ſtatu integritatis, omnino referendum eſt. Vt enim de imagine diuina prauas quidam animo conciperent notiones, non aliam magis ob cauſſam factum, quam quod de peccato, deque naturali hominum corruptione, cumprimis & de gratia diuina, non recte ſentirent. Hinc & in veteri eccleſia ante mota certamina Pelagiana, de imagine diuina diſputatum fuiſſe, non inuenio. Saturnini enim, vt IRENAEO audit, vel vt EPIPHANIVS, atque THEODORETVS, eum vocant, Saturnili, de hominis creatione commenta tam illepida, tamque abſurda fuerunt, vt ſanae mentis homini probari non potuerint. Non enim a Deo, ſed ab angelis hominem creatum, adſeruit, qui dixerint: *faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Hi autem cum ſolum corpus formare potuiſſent, quod more vermis ſerpere tantum in terra poſſet, & propter virium imbecillitatem palpitare, miſerantem ſummam virtutem, *quoniam in ſimilitudinem eius eſſet factus*, emiſiſſe ſcintillam vitae, quae erexerit hominem &c. Ita IRENAEVS, *l. 1. c. 22.* conf. & EPIPHANIVS, *haer. 23. n. 1.* Nec magis ſe probare poterunt Anthropomorphitarum ſomnia; qui, dum Deo ipſi corpus tribuebant, de imagine quoque Dei aliter ſentire non poterant, quam, eam in corpore hominis quaerendam. Eadem Audianis tribuitur ſententia: de quibus tamen iam ſupra dictum ad *§. 8.* itemque Melitoniis; de quibus videatur AVGVSTINVS, *de haer. c. 76.* & quae DANAEVS ad *h. l.* obſeruauit. Nec aliter Manichaei imaginem Dei intellexiſſe videntur; ſiquidem eam prorſus negarunt: idque ea de cauſſa, quod membra corporea tribui nequeant. Quos ideo refellit AVGVSTINVS, *de geneſi contra Manichaeos, l. 1. c. 17. tom. 1. oper. p. 407.*

Hiſce ergo miſſis ad ea potius tempora accedimus, quibus de peccato originali, deque

que gratia diuina, in eccleſia chriſtiana quam maxime diſputari coepit. Pelagianorum nimirum quae de hiſce fuerint placita, conſtat, & ſuo loco ex inſtituto docebitur. Dum vero peccatum originale aut negabant, aut quauis ratione extenuabant, non poterant non ita exiſtimare, ſtatum hominis poſt lapſum ab eo, qui fuit ante lapſum, non multum diuerſum eſſe. Ex quo fonte reliqui omnes iſtorum hominum de imagine Dei fluunt errores. Hinc vero & in eam ingreſſi ſunt ſententiam, mortem temporalem eſſe ex neceſſitate naturae, nec propter peccatum primorum parentum, redundaſſe in genus humanum: ſed Adamum ipſum moriturum fuiſſe, etſi non peccaſſet. Hanc Pelagianorum fuiſſe doctrinam, ex AVGVSTINO, *de geſtis Pelagii, cap. 11. tom. 10. oper. p. 131.* ſupra iam ad §. 8. obſeruauimus; quam & ex inſtituto refellit, *de peccatorum meritis & remiſſione, t. 10. oper. p. 1. ſq.* Damnata quoque haec fuit aſſertio a ſynodo Palaeſtina, ipſo tum eandem neutiquam defendere audente Pelagio, apud eumdem AVGVSTINVM, *de geſtis Pelagii l. c.* itemque a concilio Carthaginenſi, *can. 1.* Arauſicano, *can. 2.* & Mileuitano, *can. 1.* Legenda & quae hac de re diſſerit G. I. VOSSIVS, *hiſt. Pelag. l. 2. part. 2. theſ. 3. t. 6. oper. p. 614.* Qua ratione, non obſtante AVGVSTINI auctoritate, Pelagiana dogmata in eccleſiam Romanam irrepſerint, alibi ex inſtituto a nobis exponitur. Horum autem luculenta veſtigia in ſcholaſticorum iſto, de ſtatu purorum naturalium, commento conſpiciuntur; de quo ſupra dictum ad §. 7. Agnouit illud, & ſedulo inculcauit ipſe CORN. IANSENIVS, Iprenſis ille epiſcopus, cuius notum ſatis in eccleſia Romana nomen eſt; qui & integris libris in *Auguſtino* ſuo, hocce de ſtatu purorum naturalium figmentum explodit, & diſerte, in *praef. l. 1. de ſtatu purorum naturalium*, pronuntiat: *Purae naturae ſtatum non ſolum* AVGVSTINVS, *ſed etiam antiquae eccleſiae ignotum fuiſſe, nec niſi a gentilibus olim & haereticis obtruſum.* Idem porro docet, errorem iſtum, de *ſtatu purae naturae*, ex philoſophia Ariſtotelica exortum; obſeruatque, *inter ſcholaſticos recentiores, & Pelagianos, quantum ad iſtum humanae naturae ſtatum attinet, hanc ſolam differentiam eſſe, quod ſcholaſtici naturam hominis in eo ſtatu a Deo auctore, ſine peccati merito condi potuiſſe, ſentiant, Pelagiani etiam, re ipſa conditam eſſe delirent; l. prooem. de gratia primi hominis, c. 3.* Et ſane, vt Pelagiana dogmata a quibusdam defenſa, ab aliis reiecta, effecerunt, vt in ipſa eccleſia Romana diſſenſiones iſtae de ſtatu integritatis orirentur, & adhuc continuentur, vt exemplo *conſtitutionis vnigenitus* ad §. 7. comprobauimus; ita eamdem ob cauſſam & inter reliquos, qui ab eccleſiae iſtius communione diſceſſerunt, controuerſiae enatae ſunt. Socinianos genuinos Pelagianorum, vti in aliis, ita hocce quoque in capite, ſucceſſores eſſe conſtat. Hi vero non alium in finem imaginem diuinam praecipue in dominio in res creatas, ſimulque mente & ratione, ſine qua dominium illud exerceri non potuerit, conſtitiſſe autumant, quam vt naturam humanam non aliam eſſe, quam ante lapſum fuit, euincant. Legenda, quae ipſe FAVST. SOCINVS hac de re diſſerit, in *praelection. theol. c. 3. tom. 1. oper. p. 539.* Cum Socinianis, vti in aliis, ita hoc quoque in capite faciunt, qui ex Arminii ſchola prodierunt, quippe quibus itidem conſtitutum eſt, naturalem hominis corruptionem extenuare, vt naturae vires eo rectius extollere queant, nec gratiae diuinae locum relinquere cogantur. Hinc imaginem diuinam, ad quam homo conditus eſt, itidem in dominio conſtitiſſe, docent. Diſerte id profitetur EPISCOPIVS, *inſt. theol. l. 4. ſect. 3. c. 7. p. 359.* itemque LIMBORCHIVS, *theol. chriſt. l. 2. c. 24. p. 131.* In noſtra quoque eccleſia, GE. CALIXTVS, vir cetera doctiſſimus, vna cum iis, qui cum eo faciebant, vt Romanae eccleſiae gratificaretur,

pagationem, ac conſeruationem. Etſi enim veteris eccleſiae doctores non vna ſemper, eademque ratione de iis, quae ad hocce doctrinae caput pertinent, loquuti ſint, in re ipſa tamen magnus inter pleroſque conſenſus eſt. *

* Primum, quod hic in cenſum venit, caput hoc eſt, quod imago diuina non in corpore, ſed in mente hominis, ſaltem praecipua quadam ratione, ſit quaerenda. Hoc veteres magno conſenſu teſtantur, dum contra Anthropomorphitarum, & Audianorum errores diſputant. Quae tamen TERTVLLIANI, & Origenianorum quorumdam (quamquam hi inter haereticos referantur) mens fuerit, ſupra iam ad §. *3.* expoſitum. IRENÆVS equidem itidem imaginem Dei in corpore humano collocare videtur, quando & *carnem plaſmatam* dicit, *ſecundum imaginem Dei; l. 5. c. 6.* Sed imaginis nomine eum formam in caelum erectam, vitam immortalem, aliaque non exigua dona, corpori ipſi a Deo collata, quibus animi facultates internae indicabantur, & in quibus ſecundario imaginem diuinam conſtitui poſſe, ſupra obſeruauimus, intelligere, FRANC. FEVARDENTIVS ad *h. l.* docuit. Et ſane, animam eum ab imagine Dei neutiquam excludere, ex aliis locis, praeſertim eiusdem *l. 5. c. 16.* luculenter conſtat. Immo, diſcrimen aliquod inter ſimilitudinem Dei in homine, & imaginem conſtituit, quod & aliis veterum ſollemne eſt; & illam vtique in anima reponit, idque ea ratione, vt aliquando ipſas animae facultates, aliquando autem dona iſta, a Deo homini conceſſa, quae nobis κατ' ἐξοχὴν imaginis diuinae nomine veniunt, huc referat. Legenda, quae MASSVETVS hac de re diſſerit, in *diſſ. praeuiis in Irenaeum, diſſ. 3. art. 10. p. 160.* Vbi tamen nonnumquam Irenaeum praeter rationem ad partes Romanenſium trahere, adnititur, Interim eodem, quo IRENÆVS, modo etiam de carne, imaginem Dei referente, loquitur IVSTINVS martyr: πῶς οὐκ ἄτοπον, τὴν ἀπὸ θεοῦ σάρκα πλασθεῖσαν κατ' εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ φάσκειν ἄτιμον εἶναι, καὶ οὐδενὸς ἀξίαν; *quomodo non eſt abſurdum, dicere carnem, quae a Deo ad ſuam imaginem formata eſt, vilem eſſe ac nihili?* in *libro de reſurrectione*, cuius inſigne fragmentum GRABIVS edidit in *ſpicilegio patrum &c. ſaec. 2. tom. 1. p. 187.* Praeclare contra admodum, & plane ad ſenſum ſcripturae ſacræ, hac de re verba facit ORIGENES, contra Celſum diſputans. Obiecerat namque Celſus: οὐδ' ἄνθρωπον ἐποίησεν εἰκόνα αὐτοῦ. οὐ γὰρ τοιός δε ὁ θεός, οὔτ' ἄλλῳ εἴδει οὐδενὶ ὅμοιος. ἴδιον δ' ἐστι τοῦ συνθέτου ἀνθρώπου τῷ χείρονι μέρει, λέγω δὲ τῷ σώματι, νομίζειν, ἐνυπάρχειν τὸ κατ' εἰκόνα τοῦ θεοῦ; *Non fecit Deus hominem ad ſuam imaginem; non enim talis eſt Deus, vt alicui ſpeciei ſit ſimilis: iam quale eſt compoſiti hominis parti deteriori, hoc eſt, corpori, putare ineſſe aliquid ad Dei factum imaginem?* Reſpondet ad haec ORIGENES: *Excipit Celſus corpus ab hac imagine: nam ſi corpori ſoli ineſſet, anima pars hominis potior priuaretur iſta imagine, & eſſet in corpore corruptibili, quod nemo noſtrum diceret. Quod ſi compoſitum ex vtroque imago Dei eſt, conſequetur etiam, Deum compoſitum eſſe velut ex anima & corpore, vt imago potioris ſit in anima hominis, deterioris autem & corporalis, in corpore; id quod nemo noſtrum diceret. Reliquum eſt, vt haec imago ſit in interiori, ſicut nos vocamus, homine, qui renouatur, & aptus natus eſt ad referendam conditoris imaginem, intelligendo eum demum ad imaginem fieri, qui ſit perfectus, ſicut pater caeleſtis perfectus eſt; & exaudit vocem illam? ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus dominus Deus veſter; diſcensque illud: eſtote imitatores mei; excipit in anima ſua proba Dei characteres, quando eius corpus, qui, quae Dei ſunt, in Dei ſuſcepit imagine, ſit templum Dei, iſtiusmodi habens animam, inde illa*

Deum, propter eius imaginem; lib. 6. contra Celſum, p. 319. edit. SPENERI. Nihil temere elegantius dici poterat. Illa enim, quae huc aduocat, ſcripturae effata: *eſtote perfecti, ſicut pater caeleſtis perfectus eſt; Matth. V, 48. ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus dominus Deus veſter; Leuit. XI, 44.* prorſus ad rem faciunt, ſatisque demonſtrant, ORIGENEM imaginem Dei praecipue in donis illis ſpiritualibus, a Deo homini in ipſa creatione collatis, quaeſiuiſſe. Ad reliquos veteris eccleſiae doctores, ſiue patres quod attinet, diuerſimode equidem ſubinde de imagine Dei loquuntur, dum alii in cognitione, alii in libero arbitrio, alii in virtute, alii denique in immortalitate eamdem conſtituunt. Loca eorum exhibet PETAVIVS, *dogm. theol. tom. 3. de opific. ſex dier. l. 2. c. 2. p. 157.* In eo plurimi conſentiebant, non minus in naturalibus mentis facultatibus, quam virtutibus moralibus imaginem Dei conſtitiſſe, & ad illas quidem verba: *ad imaginem;* ad has autem: *ad ſimilitudinem*, referebant. Ita praeter alios IO. DAMASCENVS: ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως εἶχεν, ἐξ ὁρατῆς τε καὶ ἀοράτου φύσεως δημιουργεῖ τὸν ἄνθρωπον οἰκείαις χερσί, κατ᾽ οἰκείαν εἰκόνά τε καὶ ὁμοίωσιν. ἐκ γῆς μὲν τὸ σῶμα διαπλάσας, ψυχὴν δὲ λογικὴν καὶ νοερὰν διὰ τοῦ οἰκείου ἐμφυσήματος δοὺς αὐτῷ, ὅπερ δὴ θείαν εἰκόνα φαμέν. τὸ μὲν γὰρ κατ᾽ εἰκόνα, τὸ νοερὸν δηλοῖ καὶ αὐτεξούσιον. τὸ δὲ καθ᾽ ὁμοίωσιν, τὴν τῆς ἀρετῆς κατὰ τὸ δυνατὸν ὁμοίωσιν. *Haec ergo, cum ita ſe haberent, hominem ex viſibili & inuiſibili natura ſuis Deus manibus, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit: ſic nempe, vt effićto de terra corpore, animam ratione & intelligentia praeditam, inſufflatione ſua ei tribuerit; id quod diuinam imaginem adpellamus. Quod enim dicitur:* ad imaginem, *hoc vis intelligendi, arbitriique libertas ſignificatur: quod autem:* ad ſimilitudinem; *virtutis, quantum fieri poteſt, expreſſa ſimilitudo notatur; de fide orthodoxa, l. 2. c. 12. p. m. 177.* Ex Platonis philoſophia Graecos patres hoc hauſiſſe, quando docent, in homine *imaginem* quidem *Dei* exprimi, qua rationalis eſt; *ſimilitudinem* vero, eo quod cum diuina ope, tum ſuo labore, virtutibus ornatus ſit, ita vt per peccatum, remaneat licet imago, ſimilitudo euaneſcat, ad IO. DAMASCENI *l. c.* obſeruat LEQVIEN; qui & CLEMENTEM Alexandrinum, BASILIVM, GREGORIVM Nyſſenum, atque ISIDORVM Peluſiotam, eamdem in ſententiam laudat; recte tamen ſimul addit, CYRILLVM Alexandrinum in *fragmento* quodam, quod in *catenis* ſe reperiſſe teſtatur, diſcrimen hocce inter *imaginem* & *ſimilitudinem* non probare; cuius & ipſe ſubſcripſit ſententiae, cum familiare ſit Ebraeis, voces ſynonymas ſimul adtexere. Quo ipſo confirmatur, quod & nos ſupra docuimus, ad §. 2. Et Platonicos ſane in daemonibus & hominibus imaginem Dei agnouiſſe, conſtat. Ita namque HIEROCLES: πρέπει τῷ θεῷ, καὶ τοιαύτας ποιῆσαι ἑαυτοῦ εἰκόνας, καὶ μὴ πάσας τρεπτὰς &c. οἷαι εἰσιν αἱ ἀνθρώπιναι ψυχαί. *Decet Deum, exſiſtere etiam eiusmodi ſui imagines, nec omnes mutabiles &c. quales ſunt humanae animae.* Eiusmodi plura ad *aurea Pythagorae carmina* & quidem *v. 1.* habet. Sed cauendum, ne patres iſtos in omnibus cum Platonicis conſpiraſſe cenſeamus, aut ea etiam, quae recte ſe habent, & cum ſcripturae ſcitis conveniunt, eos ex Platonicorum ſchola hauſiſſe exiſtimemus. Etenim, ſi *imaginem Dei* in latiori ſignificatione accipiamus, nihil obſtat, quin eadem etiam ipſae facultates mentis naturales connotentur, ſecundum ea, quae ſupra hac de re diſputauimus. Sed hoc non obſtat, quo minus ſpecialiori ratione dona iſta, a Deo primo homini collata, denotet; quae etiam patres iſti neutiquam hinc excluſa voluerunt. De CHRYSOSTOMO & THEODORETO, qui imaginem Dei in dominio in animantia, & reliquas res homini tributas, conſtituunt, ſupra ad §. 10. iam diximus. Nunc ſaltem illud addimus, quod de CHRYSOSTOMO MICH. LEQVIEN *l. c.* obſeruat, eum, vt Anthropomorphitarum

rum deliria eo longius propulſaret, in hanc ingreſſum fuiſſe ſententiam, imaginem Dei ne ad hominis quidem pertinere ſubſtantiam, ſed in eo conſtitiſſe, quod cunctis animantibus fuerit praefectus. Cum vero deinceps Pelagiani talia docerent, per quae doctrinae huic, de imagine Dei, non poſſet non labes adſpergi; ab illis doctoribus, qui iis ſe oppoſuerunt, ſpeciatim AVGVSTINO, veritas eius conſeruata, ſimulque propagata fuit. Et licet deinceps cum aliis erroribus Pelagianis figmentum quoque illud, *de ſtatu purorum naturalium,* in eccleſiam a ſcholaſticis doctoribus poſtliminio introductum eſſet, id tamen & AVGVSTINO, & antiquae eccleſiæ ignotum fuiſſe, CORN. IANSENII teſtimonio ad §. *praeced.* comprobauimus. Cum melior tandem eccleſiae per doctrinae corruptae emendationem facies redderetur, & ſtatim inter prima, de quibus diſceptabatur, capita, peccatum quoq; originale ſe offerret; ſimul quoque doctrina de imagine Dei a corruptelis ſcholaſticorum vindicata fuit. Hinc pii confeſſores noſtri, dum definitionem peccati originis, quod ſit *carentia iuſtitiae originalis* explicant, *quid eſt autem,* inquiunt, *iuſtitia? Scholaſtici hic rixantur de dialecticis quaeſtionibus, non explicant, quid ſit iuſtitia originalis? Porro iuſtitia in ſcripturis continet non tantum ſecundam tabulam decalogi, ſed primam quoque, quae praecipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Itaque iuſtitia originalis habitura erat non ſolum aequale temperamentum qualitatum corporis, ſed etiam haec dona, notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certe rectitudinem, & vim, iſta efficiendi. Idque teſtatur ſcriptura, cum inquit: hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei conditum eſſe. Quod, quid eſt aliud, niſi in homine hanc ſapientiam & iuſtitiam eſſe effigiatam, quae Deum adprehenderet, & in qua reluceret Deus, hoc eſt, homini dona eſſe data, notitiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga Deum, & ſimilia? apolog. Aug. conf. artic. 1. p. m. 53. 54.* Atque hancce doctrinam, vtpote ſcripturae ſacrae, adeoque veritati conſentaneam, noſtrates deinde theologi, tum contra Socinianos, tum contra Romanenſes, ſcholaſticorum veſtigia ſequentes, eosque omnes, qui aut in illorum, aut horum etiam caſtra hic diſceſſerunt, maſcule, fortiterque propugnarunt.

§. XXIV. Haec, quae de integritatis ſtatu, ſpeciatim de imagine Dei diximus, diligenter & ſedulo expendere iuuat, vt, quae noſtrae vocationis ſit ratio, intelligamus. Quod enim in Adamo amiſimus, id per Chriſtum poſſumus recuperare. Omnia eo tendunt, vt imago dinina in nobis reſtauretur; quae quidem reſtauratio in regeneratione inchoatur, *Io. III, 3, 5.* in renouatione quotidiana continuatur, *Eph. IV, 24, Col. III, 10. 1. Petr. I, 15, 16.* & poſt hancce demum vitam, in ſtatu gloriae perficitur, & conſummatur; *1. Io. III, 2.* Neue hic a ſcopo aberremus, Chriſtum ſeruatorem noſtrum nunquam non intueri nos oportet; quippe qui, ſicut ipſe eſt *ſplendor gloriae patris, & imago eſſentiae eius, Ebr. I, 3.* ita exemplum quoque nobis reliquit quod imitemur, & ad quod nos totos componamus; *1. Petr. II, 21. Matth. XI, 29.* Quae autem de foedere operum in ſtatu integritatis diximus, ſummum Numinis & ſanctitatem, & benignitatem, iure meritoque nobis in memoriam reuocant; ſimulque nos condocere poſſunt, cum ne tum quidem meritis vllis locus fuerit, ſed omnia gratiae Numinis, benigniſſimoque fauori

fuerint

fuerint tribuenda, multo minus poſt lapſum aliam ad ſalutem perueniendi rationem, quam quae vnice gratia Numinis, atque benignitate nititur, ſperandam eſſe; *Rom. III, 24. c. IV, 4. 5. c. XI, 6.*

LIBRI TERTII CAPVT SECVNDVM

DE STATV HOMINIS POST LAPSVM, VBI DE PECCATO TVM GENERATIM SPECTATO, TVM SPECIATIM ORIGINALI ET ACTVALIBVS.

Σύνοψις.

Statum integritatis excipit ſtatus peccati, §. I.

Peccatum quid ſit? §. II.

Quid lex ſit? in cuius transgreſſione peccatum conſiſtit, §. III.

Legis iſtius per notitiam inſitam promulgatio, §. IV.

Promulgationis per varios actus externos repetitio, §. V.

Cognoſcitur lex iſta equidem ex ratione, ſed plenius ex reuelatione, quae & docet, quod in eius cognitione praecipuum eſt, eam eſſe ſpiritualem, §. VI.

An praeter naturales, dentur leges diuinae poſitiuae vniuerſales? Rectius naturales in abſolutas & hypotheticas diſpeſcuntur, §. VII.

Leges diuinae poſitiuae particulares, itemque humanae, an & quousque in cenſum veniant? §. VIII.

Cauſſae peccati tum ipſi homines ſunt, qui peccant, tum & alii homines, cumprimis diabolus, §. IX.

Deus autem nulla ratione cauſſa peccati dici poteſt, §. X.

Effectus peccati, reatus culpae & poenae, §. XI.

Peccata ſunt vel habitualia, vel actualia; illa vel connata, vel adquiſita, §. XII.

Connatum aliquod, ſeu originale peccatum dari, etſi ipſa ratio quodammodo cognoſcat, longe rectius tamen ſcriptura ſacra docet, §. XIII.

Quid ſit peccatum originale? §. XIV.

In intellectu per illud, loco lucis ſpiritualis, caligo eſt, §. XV.

Ratio ipſa, quo ſenſu corrupta ac deprauata dicatur? §. XVI.

Pro ſapientia in intellectu eſt ſtultitia, §. XVII.

Defectus varii imaginationis & memoriae, §. XVIII.

In voluntate, pro iuſtitia & ſanctitate originali, ſumma ad mala quaeuis propenſio deprehenditur, §. XIX.

Imbecillitas voluntatis, in compeſcendis corporis motibus; vnde pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, §. XX.

Origo peccati originalis a lapſu primorum parentum repetenda; cuius hiſtoria a Moſe deſcripta, proprie, non allegorice eſt intelligenda, §. XXI.

Cauſſa itaque remota peccati originalis fuit diabolus, §. XXII.

propinqua, ipſi primi parentes, §. XXIII.

a quibus per naturalem generationem in eorum poſteros fuit propagatum, §. XXIV.

Deus autem nulla ratione cauſſa peccati originalis dici poteſt, §. XXV.

Malum hocce ad omnes homines penetrauit; cuius ſedes praecipua in mente eſt, etſi in corpore etiam vim ſuam exſerat, §. XXVI.

Grauitas eius ex effectibus aeſtimanda eſt, §. XXVII.

Proprietates, ſeu adfectiones peccati originalis, §. XXVIII.

Ex

Digitized by Google

Ex peccato originali fluunt actualia; quo nomine, quid intelligatur? §. XXIX.
Cauſſae peccatorum actualium, §. XXX.
Quo ſenſu peccata praecedentia ſequentium cauſſa dici queant? §. XXXI.
Effectus peccatorum actualium, §. XXXII.
Quotuplicia ſint? §. XXXIII.
Singulare prae reliquis eſt peccatum in ſpiritum ſanctum, §. XXXIV.
Errorum, in hacce doctrina occurrentium fontes, §. XXXV.
Verae doctrinae conſeruatio ac propagatio, §. XXXVI.
Vſus in praxi vitae chriſtianae, §. XXXVII.

§. I.

STatum integritatis, qui non diu admodum durauit, * excepit per primorum parentum lapſum, longe funeſtiſſimum, ** ſtatus peccati; cuius originem dum Moſes *Gen. III, 1. ſeq.* deſcribit, ſimul, quid peccatum ſit, & quaenam eius ſit cauſſa? luculenter demonſtrat. ***

* Quamdiu ſtatus integritatis durauerit, in ſcriptura ſacra non exprimitur. Fuerunt nihilominus, qui coniecturis audaciſſimis hoc determinare auſi ſunt. Quorum ſententias diligenter refert, & adcurate in eas inquirit MARCKIVS, in *hiſtor. paradiſ. lib. 3. cap. 8.* Sed vanus eſt iſte, irritusque hominum, qui ſupra ſcripturam ſapere geſtiunt, labor. Nihil aliud hac de re dici poteſt, quam hoc: ſtatum iſtum feliciſſimum non diu admodum duraſſe. Copioſius haec explicaui, in *hiſt. eccleſ. V. T. tom. 1. per. 1. ſect. 1.* ad *§. 22. p. 112.*

** De quo deinceps ad §. 21. ex inſtituto dicetur.

*** Ex narratione nimirum Moſaica liquet, peccatum conſiſtere in transgreſſione legis; quam veram & genuinam peccati notionem eſſe, mox oſtendemus. Liquet inde etiam, per primorum parentum transgreſſionem peccatum ortum, atque ad omnes homines propagatum eſſe. Atque haec omnia in aliis deinceps ſcripturae ſacrae locis copioſius declarantur. Quae quidem ideo monuimus, vt conſtaret, vnde vera de peccato doctrina haurienda. Etſi enim ratio quoque, quid peccatum ſit, nobis oſtendat, ad pleniorem tamen, intimioremque, & ſi non repugnemus, ſalutarem peccati notitiam, ſola ſcriptura ſacra nos ducit.

§. II. Peccarunt primi parentes, per legis diuinae transgreſſionem, *Gen. II, 17. III, 6.* Vnde intelligitur, peccatum in violatione, ſeu transgreſſione legis conſiſtere; quod & Ioannes confirmat, peccatum eſſe τὴν ἀνομίαν condocens, 1. *ep. III, 4.*

* Duplici nimirum ratione peccatum conſiderari poteſt, vel *abſtracte* vel *concrete*. Priori modo ſpectatum, defectum conformitatis cum lege diuina, denotat, adeoque recte priuatio quaedam eſſe cenſetur: poſteriori autem modo, ſubiectum illud, cui defectus ille ſeu priuatio ineſt, vt propenſionem quamdam, ſiue actionem, voce in ſenſu latiſſimo, quo omnes motus, qui in genere morum in cenſum veniunt, adeoque & cogitationes, dicta, facta, ſignificat, accepta, connotat. Et ſane vſus atque conſuetudo loquendi, eaque a re ipſa minime abhorrens, ita fert, vt omnes propenſiones, habitusque, itemque actiones, quibus ἀταξία quaedam, ſeu eiusmodi defectus, adhaeret, peccata dicantur. Prior tamen etiam conſideratio neceſſaria eſt, vt res ipſas a Deo conditas, a peccato, quod eſt confuſio ordinis diuini, rite diſcernamus,

Digitized by Google

mus, vt optime monet B. MART. CHEMNITIVS noſter, *locor. theolog. part. I. loc. 4. c. 5.* Atque hoc modo etiam peccatum ſumitur, quando genuina eius notio in transgreſſione legis conſtituitur, idque praeeunte Ioanne, apoſtolo atque euangeliſta, *I. ep. III, 4.* Is namque, etſi vnica voce rem exprimat, veram tamen & genuinam peccati definitionem tradit. Quod vt intelligatur, primo quidem obſeruandum, Ioannem per νόμον non quamcumque regulam & normam, ſed legem proprie ſic dictam, & quidem diuinam, intelligere. Vnde perquam profecto inepte BELLARMINVS, cardinalis, vt euincat, non omnem ἀνομίαν eſſe peccatum proprie ſic dictum, omne naturae artisque vitium ἀνομίαν quamdam eſſe contendit, *lib. 5. de amiſſ. gratiae c. 14.* Eſt ſane omne naturae, artisque vitium ἀνομία quaedam; ſed, quis credat, de tali ἀνομίᾳ loqui Ioannem? aut num Paulus etiam omne naturae, artisque vitium intellexit, quando Chriſtum nos redemiſſe dicit ἀπὸ πάσης ἀνομίας; *Tit. II, 14.* Porro, dum legis, & quidem diuinae, mentionem facit Ioannes, ſimul indicat, per eam omnes homines obligari, ea quidem ratione, vt a nemine impune violari queat. Vnde ſequitur, transgreſſionem illam legis ſtatim reatum culpae, atque poenae ſecum trahere. Nec illud praetermittendum, vocem ἀνομίας omne illud, quod cum lege non conuenit, adeoque non tantum, quae contra legem, ſed &, quae ſine lege, in iis, in quibus nihil absque lege fieri debebat, peraguntur, denotare. Sed & illud addendum, generatim ita loqui Ioannem, vt non tantum actus voluntarii, ſed & involuntarii, pro peccatis habeantur; & merito quidem. Sunt enim & inuoluntarii actus hoc ipſo peccata, dum a lege diuina diſcedunt, & cum ea non conueniunt. Quod & alibi ſcriptura confirmat, dum & ea, quae per ignorantiam, atque errorem committuntur, pro peccatis habet, *Leuit. IV, 2, 27. Numer. XV, 27. pſ. XIX, 13. XXV, 7.* Immo & Paulus teſtatur, ſe *id facere, quod non vult; Rom. VII, 15.* idque malum atque peccatum eſſe agnoſcit; *v. 19, 24.* conf. *Gal. V, 17.* Ceterum in vera notione peccati tradenda caute omnino & circumſpecte incedendum, ne ad alterutrum ex duobus illis, quae hic ſe nobis offerunt, extremis, prolabamur. Horum alterum Manichaeorum eſt, qui per peccatum ſubſtantiam quamdam, nobis adhaereſcentem, aut ὑποστατικόν τι intelligebant, vt auctor eſt AVGVSTINVS, *de haereſ. cap. 46.* Sed EPIPHANIVS quoque docet, Manetem malitiae tribuiſſe φύσιν, eamque aeternam adſeruiſſe, *haereſ. 66.* Rurſus AVGVSTINVS: *Certe omnis inter nos discretio eſt* (ita Manichaeos alloquitur) *quod vos ſubſtantiam quamdam malam eſſe dicitis, nos vero non ſubſtantiam, ſed inclinationem, ab eo quod magis eſt, ad id, quod minus eſt, malum eſſe dicimus; lib. 2. contra Manich. cap. 7.* Alterum illorum eſt, qui peccatum nimis extenuant, vt tandem ceu aliquod non ens euaneſcat. Non procul hinc quandoque abſunt nonnulli ex patribus, dum contra Manichaeos ita diſputant, vt omnem peccato eſſentiam denegent. Sed & ex recentioribus nonnulli priuationem illam, in qua peccatum abſtracte ſpectatum conſiſtere docuimus, nimis extendentes, peccatum *nihil* eſſe dixerunt, cum tamen inter *nihil* ſeu *non ens negatiuum*, & inter *defectum* ſeu *non ens priuatiuum*, maximum intercedat diſcrimen; & peccatum inſuper eiusmodi priuatio ſit, quacum tota cohors malorum omnium inſolubili nexu ſit coniuncta.

§. III. Vt ergo, quid peccatum ſit, eo rectius intelligamus, legis, & quidem diuinae, non praetermittenda eſt conſideratio; ex lege enim oritur

oritur cognitio peccati, *Rom. III, 20. VII, 7.* Per *legem* autem *diuinam*, & quidem, *vniuerſalem*, quippe quae nunc in cenſum venit, decretum Dei intelligi conſtat, per ipſam creationem ad imaginem eius, homini olim manifeſtatum, obligans omnes homines, ad ea omnia, quae naturae illorum, ad imaginem diuinam reſtaurandae, & magis magisque componendae, conueniunt, agenda, & omittenda, quae idem repugnant; idque ad ſummam, aeternamque eorum felicitatem promouendam. *

* Etſi haecce legis diuinae, & quidem vniuerſalis, quam alibi quoque tradidi, definitio minime obſcura ſit, paucis tamen eam illuſtrare iuuabit; quod & inſtituti noſtri ratio poſtulat. Cum in eo leges omnes conueniant, quod ſint *decreta imperantium*, de diuinis etiam rectiſſime pronuntiatur, quod ſint *decreta Numinis. Decretum* autem cum & intellectus & voluntatis actum denotet, de Deo quidem ἀνθρωποπαθῶς hoc dici, ſed θεοπρεπῶς intelligendum eſſe, manifeſtum eſt. Cumque porro decretum imperantis nullam vim habeat, niſi promulgatio, per quam ſubiectis eius innoteſcat, accedat, haec quidem in legibus diuinis facta primum eſt, cum homo ad imaginem Dei ab eo conderetur. Per eam enim, cum & ſapientia, & bonitas, ſanctitas item ac iuſtitia Dei in homine relucеſceret, homo ſtatim ex iſtius imaginis, quam in ſe ipſo contemplari poterat, conſideratione, intelligebat, Deum omnino velle, vt talis eſſet, qualem eum creauerat. Quo pacto autem haecce promulgatio poſt lapſum hominum quodammodo continuata, ſubinde & repetita fuerit, deinceps dicemus. Per leges hasce rite promulgatas omnes homines obligari, nemo temere dubitauerit. Cum enim Deo imperium, proprie & ſtricte ſic dictum, competat, ſiquidem & propter creationem ac conſeruationem ius habeat, obſequium ab omnibus exigendi, & idem tanta polleat potentia, cui nemo reſiſtere valeat, ſequitur, quod idem & poteſtate gaudeat, vinculo quodam adſtringendi homines, vt, quae iis praeſcripſit, violare nequeant, niſi poenae certiſſimae ſeſe exponere velint. Quae obligatio etiam eo ſtrictior eſt, quo iuſtiores ſunt cauſſae, quae hominem ad obſequium adducere debent, & quo ſanctior eſt ipſa Numinis iuſtitia, quae non permittit, vt ſine poena eum dimittat, qui leges eius migrauit. Idque ad omnes omnino homines, nemine excepto, pertinet, cum nemo ſit, qui non a Deo ſe creatum, & ab eodem ſe conſeruari, fateri neceſſe habeat; nemo quoque, qui potentiae eius reluctari, aut poenae ſe ſubtrahere queat. Obiectum legum iſtarum diuinarum ſunt ea omnia, quae naturae hominum, ad imaginem diuinam reſtaurandae, conueniunt.

Quod quidem, vt eo rectius intelligatur, celebris illa de origine moralitatis, quam vocant, ſitne illa ab ipſis actionibus, an a lege quadam deriuanda? paucis hic expedienda eſt quaeſtio. Non vna enim, eademque virorum doctorum de ea eſt ſententia. Et ab ethnicorum quidem philoſophis ſi incipiamus, fuerunt inter illos, qui diſerte profiterentur, natura nihil turpe & honeſtum eſſe, ſed omne honeſtatis atque turpitudinis diſcrimen a lege prouenire. Primus, ni fallor, qui aperte id docuit, Archelaus fuit, ex ſchola Ionica philoſophus, idemque Socratis magiſter. Inter huius enim dogmata DIOGENES LAERTIVS & hoc refert: καὶ τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ τὸ αἰσχρὸν, οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. *iuſtumque & turpe, non natura conſtare, ſed lege; lib. 2. ſect. 16. p. m. 89.* In eamdem ſententiam ingreſſos Cyrenaicos, non mirabitur. qui ſecum reputauerit eos in corporis voluptate ſummum hominis bonum collocaſſe. Nec tamen diſerte hoc

Zzz 2

hoc eos profeſſos conſtat, ſi a Theodoro illo diſceſſeris, qui ἄθεος dictus eſt, &, vt DIOGENES LAERTIVS itidem auctor eſt, inter alia docuit: κλέψειν τε καὶ μοιχεύσειν καὶ ἱεροσυλήσειν (τὸν σοφὸν) ἐν καιρῷ. μηδὲ γὰρ εἶναι τούτων αἰτχρὸν φύσει, τῆς ἐπ' αὐτοῖς δόξης αἱρομένης, ἣ σύγκειται ἕνεκα τῆς τῶν ἀφρόνων συνοχῆς. *Furto quoque & adulterio, & ſacrilegio, cum tempeſtiuum erit, daturum operam ſapientem. Nihil quippe horum turpe natura eſſe, ſi auferatur de hiſce vulgaris opinio, quae ad continendos ſtultos conflata eſt; lib. 2. ſect. 99. p. 138.* Cumprimis Pyrrhoniis haec ſententia adriſit, eo quod cum illorum inſtituto, quo omnia conuellebant, atque in dubium vocabant, egregie conveniret. Legenda, quae copioſe hac de re diſputat SEXTVS EMPIRICVS, *pyrrhon. hypotypoſ. lib. 3. c. 24. p. m. 173. ſeq.* A Pyrrhoniis autem cum non procul diſcederent quidam ex academicis, & eos in eamdem conceſſiſſe ſententiam, mirum non eſt. Eminet inter hoſce Carneades, qui ex inſtituto iuſtitiam ſibi oppugnandam ſumſit. Diſputationis eius, iuxta LACTANTIVM ſumma haec fuit: *Iura ſibi homines pro vtilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eosdem, pro temporibus ſaepe mutata: ius autem naturale nullum eſſe; omnes & homines, & alias animantes, ad vtilitates ſuas, natura ducente, ferri, &c. inſtitut. divin. l. 5. c. 16.* Dum ergo Carneades nullum ius naturale agnoſcit, naturale quoque inter actiones turpes & honeſtas diſcrimen non admittit; turpitudinem contra omnem a lege, ſed humana, deriuat, quod & reliquos, quos hactenus laudauimus, facere, manifeſtum eſt. Non poterat haec ſententia placere omnibus, etiam ex gentilium philoſophis. Facile enim intelligebant, magno res humanas, rerum publicarum cumprimis ſecuritatem exponi periculo, ſi omnibus perſuadeatur, circa reſpectum ad leges humanas nihil iuſtum aut iniuſtum, turpe aut honeſtum eſſe. Recte itaque iis contradicebant, & citra reſpectum ad leges humanas, turpe aliquod & honeſtum adſerebant; ſed verum tamen iuris, omnisque honeſtatis fontem ignorabant, quia plerique aut athei erant, aut falſas erroneasque de Deo animo fouebant notiones. Atque hinc prima ſententiae eius, quod nonnulla per ſe turpia aut honeſta ſint, deriuanda origo. Cum in locum philoſophorum gentilium chriſtiani ſucceſſiſſent, & doctores ſcholaſtici in eamdem quaeſtionem incidiſſent, plerique cum gentilium philoſophis, dari quaedam per ſe turpia & honeſta, immo, talia fore, ſi vel maxime ponatur, non dari Deum, adſeruerunt, etſi ignorarent, aut non attenderent, quaenam cauſſa gentilium philoſophos, vt ita exiſtimarent, induxiſſet. In quam quidem ſententiam ſe etiam abripi paſſus eſt GROTIVS, *de iure belli & pacis, l. 1. c. 1. §. 10.* Alii contra, ex eodem ſcholaſticorum ordine, moralitatem omnem a lege quidem, ſed diuina, deriuarunt, ſeu, quod perinde eſt, a voluntate Numinis; immo, nonnulli eousque progreſſi ſunt, vt exiſtimauerint, Deum etiam actus, iis quos praecepit aut prohibuit, contrarios, prohibere & praecipere poſſe. Quae quidem ſententia PETRO DE ALLIACO, cardinali Cameracenſi, DVRANDO, aliisque, tribui ſolet; ſed merito ab aliis, ceu inepta pariter atque impia, reiicitur. Tandem & recentiori aetate hac de re diſputatum fuit, aliis, & quidem plerisque, in eam ſententiam, quae actus per ſe turpes & honeſtos ſtatuit, concedentibus, aliis rurſus a lege, non autem humana, quod tamen HOBBESIO placuit, *de ciue c. 6. §. 9. & 16.* item *c. 12. §. 1.* ſed diuina, neque ea ratione, qua ſcholaſtici illi doctores, antea laudati, ſed ita deriuarunt, vt ſimul contenderent, Deum ſalua ſua iuſtitia atque bonitate, non potuiſſe alias leges hominibus dare, quam iis dedit.

Digitized by Google

dedit. Atque ita mentem ſuam hac ſuper re explicauit, PVFENDORFFIVS, *de iure nat. & gent. l. 1. c. 2. §. 4. & l. 2. c. 3. §. 4.*

Et facili ſane negotio tota haecce componi controuerſia poteſt, modo & quaeſtionis ſtatus recte conſtituatur, & ad veram & genuinam vocum rite attendatur ſignificationem. Primo namque ſedulo monendum eſt, cum moralitas actionum a lege deriuatur, ſermonem neutiquam eſſe de lege humana, ſed diuina. Gentilium itaque philoſophorum, &, qui horum veſtigia preſſit, HOBBESII impium & deteſtabilem merito cenſemus errorem, non aliud inter turpes atque honeſtas actiones, quam quod a lege ciuili prouenit, diſcrimen agnoſcentium. Deinde cum a lege diuina moralitas actionum deriuatur, non ita hoc eſt intelligendum, ac ſi Deus etiam actus contrarios praecipere, aut prohibere potuerit. Non tantum enim ad voluntatem, ſed ſimul ad ſapientiam, ſanctitatem, ac bonitatem Dei eſt reſpiciendum. Nimirum, liberrima equidem eſt voluntas Dei, ſed tamen nihil, quod ſapientiae, ſanctitati, ac bonitati ipſius repugnat, agere poteſt; quippe quod contradictionem inuolueret. Vti ergo in libera Dei poteſtate poſitum fuit, num creaturas rationales condere voluerit, ita, poſtquam illud decreuit, non alias illis leges praeſcribere potuit, quam praeſcripſit. Id enim ſapientia, bonitas atque ſanctitas Numinis poſtulabat. Si quaeras, cur ergo id ita poſtulet? recte reſpondebimus, hoc ex ipſo effectu intelligi; cum Deus nihil, niſi quod ſanctitati, bonitati, ac ſapientiae eius conveniens ſit, agat. Nec vt vlterius progrediamur, a nobis poſtulari poſſe. Interim tamen vt omne dubium remoueatur, haud perfunctorie obſeruandum, voce *moralitatis*, quae hic adhiberi ſolet, duo poſſe indicari: primo quidem, conuenientiam quamdam cum natura humana; tum & neceſſitatem moralem, quae vnice ex lege prouenit. Actus illos, qui boni vocantur, naturae hominis conuenientes eſſe, malos autem, ſeu turpes, minime conuenientes, lubens conceſſero. Qua quidem ratione, ſi quis actibus ipſis moralitatem quamdam tribuere velit, me neutiquam ſibi repugnantem habebit. Sed hac ratione lis omnis in meram abibit logomachiam. Quod ſi vero vox *moralitas*, itemque *honeſtas, turpitudo*, & quae reliquae ſunt eiusdem generis, ita accipiantur, vt neceſſitatem quamdam moralem denotent; nemo non intelligit, eam non aliunde, quam a lege, & quidem diuina, deriuari poſſe. Conſiſtit enim neceſſitas illa moralis in obligatione ad faciendum bonum, & euitandum malum. Haec autem obligatio aliunde, quam a lege eſſe nequit; quemadmodum lex concipi nequit ſine legiſlatore. Atque hinc etiam patet, nullam in eo pugnam eſſe, quando dixi, moralitatem a lege eſſe, & nihiloſecius bonas actiones neceſſario a Deo praecipi, malas vetari, quia natura hominis rationalis id poſtulet. Nimirum, etſi bonae actiones naturae hominis rationali conueniant, malae autem non conueniant, nondum tamen ideo habent proprie ſic dictam moralitatem, ſeu neceſſitatem moralem; quippe quae vnice ex lege, & quidem diuina, prouenit. Id autem, quod de conuenientia cum natura humana dixi, ſi ſolam rationem ſpectes, de natura rationali, prouti hodie in hominibus deprehenditur, intelligendum eſt; ſin reuelationem, merito de natura integra, ſeu qualis ante lapſum fuit, itemque, qualis in ſtatu reſtitutionis eſſe debet, capitur: Ideoque & in adlata legis definitione dictum eſt, ea homines obligari, *ad ea omnia, quae naturae illorum, ad imaginem diuinam reſtaurandae, conueniunt, agenda, & omittenda, quae eidem repugnant.* Ea ergo, qua diximus, ratione, ſi moralitas actionum a lege diuina deriuetur, nullum haec ſententia ſecum trahit incommodum, nec

 quid-

quidquam continet, quod in ea reprehendi queat. Praeferenda autem alteri vel ideo eſt, quod ita ratio plana & perſpicua reddi poteſt, cur aliquid turpe, vel honeſtum ſit? cum contra, ſi dicatur, turpe aliquid eſſe, quia per ſe turpe eſt, & honeſtum, quia per ſe honeſtum, obſcurum per aeque obſcurum probetur. Accedit, quod & ſcriptura in turpitudine & honeſtate diiudicanda, ad legem nos ableget: exemplum adeo nobis praebens, quod imitari debeamus. Hinc & Ioannes, peccatum per ἀνομίαν, *illegalitatem* definit, normam actionum non aliam, quam legem diuinam eſſe, innuens; *1. ep. III, 4.* Sic & Paulus, *per legem* demum *venire peccatorum cognitionem*, docet, *Rom. III, 20. VII, 7.* Ergo a lege eſt actionum moralitas. Ceteroquin enim aliud quid, vnde peccatorum agnitio, indicare debuiſſet. Conferenda, quae tum hac de re, tum de reliquis, quae doctrinae, de natura & indole legis diuinae, lucem adfun- runt, dixi, *inſtitut. theol. mor. part. 2. c. 1. §. 29. & c. 2. §. 2. ſeq.*

§. IV. Promulgata itaque lex iſta fuit, per ipſam hominis ad imaginem diuinam creationem. * Per lapſum autem primorum parentum imagine iſta diuina amiſſa, remanſit tamen naturalis quaedam principiorum practicorum notitia; ea quidem ratione, ut non tantum homo maturae aetatis, & ſanae mentis, ex humanae naturae conſideratione, facile generalia iuſti & honeſti principia, elicere queat, ſed inclinatione, & propenſione quadam ſingulari, ad adſenſum veritatibus hiſce, ſtatim ac cognitae ſint, praebendum, impellatur. **

* Cum imago diuina, qua intellectum hominis, in luce, ſeu cognitione ac ſapientia conſtiterit, vti ſupra demonſtrauimus; ecquis dubitet, eum adcurate etiam cognouiſſe, quid Deus a ſe fieri voluerit? Hoc enim niſi cognouiſſet, praecipua pars neceſſariae cognitionis illi defuiſſet. Si ergo cognouit, quid a ſe Deus fieri voluerit, hoc ipſo etiam legem diuinam cognouit. Praeterea, cum eadem diuina imago, qua voluntatem, in ſummo Numinis amore, hinc & in ſanctitate ac iuſtitia conſtiterit, ſequitur, hominem etiam cognouiſſe, ſupra omnia Deum eſſe amandum, ſanctitatemque atque iuſtitiam ſemper conſectandam eſſe. Nec enim intelligi poteſt, quo pacto aut amare Deum, aut virtutibus, ex amore eius fluentibus operam dare potuiſſet, ſi ignoraſſet, hoc Deum velle. Hoc autem ſi ſciuit, etiam leges diuinas cognouit; quarum ſumma eſt, *Deum ſupra omnia amandum eſſe, Matth. XXII, 37.*

** Cum diſputatur, an in homine poſt lapſum detur notitia quaedam inſita, ſeu connata? cumprimis notandum, non de actu, ſed potentia, & quidem propinqua, quaeſtionem eſſe. In actu enim ſi iſta notitia conſiſteret, nemo mortalium reperiretur, qui iſta principia ignoraret; quod experientiae repugnat. Neque tantum potentia, & quidem propinqua, in homine eſt, iſta principia cognoſcendi, ſed, quod amplius quid eſt, propenſio quaedam, atque inclinatio, iis adſentiendi, accedit; ita quidem, vt ſi vſu rationis polleat, & verba, quibus iſta principia proponuntur, intelligat, non poſſit non ſtatim illis adſenſum praebere, atque intime de illarum veritate conuinci. Sunt equidem, qui notitiam iſtam in *diſpoſitione* quadam, aut *habitu, analogice ſic dicto*, conſiſtere, exiſtimant; ſed rem eodem recidere, ſupra iam ad *lib. 2. cap. 1. §. 5.* ex B. 10. MVSAEO obſeruauimus. Quae enim ibi de notitia inſita Dei diſputauimus, hic itidem locum inueniunt; cum haec inter ſe ſint coniuncta. Qui de legibus enim diuinis perſuaſus eſt, Deum ipſum quoque admittat, neceſſe eſt.

Et

Digitized by Google

Et qui Deum ſerio admittit, de legibus quoque diuinis, ſeu principiis practicis, dubitare nequit. Ceterum, qui notitiam iſtam potentia propinqua in homine eſſe adſerit, eam reuera adeſſe, hoc ipſo profitetur. Potentiam enim eiusmodi, quae actui opponitur, reale quid eſſe, infinitis exemplis, ſi opus eſſet, demonſtrari poſſet. Dari autem eiusmodi notitiam inſitam principiorum practicorum, non tantum ipſa experientia quemlibet condocebit, ſi modo ſerio ad ſe ipſum quis attendere velit, & conſenſus gentium confirmat, ſed Paulus quoque diſerte teſtatur, *Rom. II, 14. 15.* Quo de loco & ſupra iam ad *lib. 2. cap. 1. §. 5.* dictum. Ad rationes, quibus IO. LOCKIVS, magni nominis philoſophus, notitiam principiorum practicorum innatam impugnauit, a me reſponſum, in *inſtit. theol. mor. lib. 2. cap. 2.* ad *§. 5.* Nimirum ſi quid rationes iſtae, ſaltem quaedam, probant, hoc ſaltem probant, notitiam iſtam non ſemper actu in hominum animis ſeſe exſerere. At, hac de re quaeſtionem non eſſe, antea monuimus. Quod ſi quis dicat, LOCKIVM non negare, notitiam iſtam potentia propinqua in hominibus adeſſe, adeoque fruſtra contra illum diſputari, illi quidem perſpicue atque luculenter, hanc eius mentem fuiſſe, probandum eſt.

§. V. Cum autem notitia iſta naturalis & infirma ſit,& varias ob cauſſas obſcurari facile queat, non ſine Numinis prouidentia ſingulari contigit, vt ſubinde leges iſtae vniuerſales ſollemni quadam ratione repeterentur; & denuo velut inculcarentur, vt a quoquam ignorari nequirent. Iſta autem repetitio, aut repetita promulgatio, facta eſt cumprimis genti Iſraëliticae, per decalogum; idque ea ratione, vt ad alias ſimul gentes notitia eius dimanare poſſet; * tum & per apoſtolos, euangelium omnibus adnuntiantes, quod ſine legis diuinae notitia fieri non potuit. ** Immo & ipſa ſcripta prophetica, & apoſtolica, huc pertinent; in quibus luculenter leges quoque diuinae declarantur. ***

* Decalogi nomine ſumma iſta legum diuinarum vniuerſalium venit, quae tabulis a Moſe iuſſu Numinis inſcripta, & Iſraëlitis promulgata fuit. Namque & in ſcriptura decem iſta praecepta *decem verba* vocantur, *Exod. XXXIV, 28. Deut. IV, 13. X, 4.* Licet autem promulgatio iſtarum legum ſpeciatim ad Iſraëlitas directa fuerit; licet etiam ad ſtatum & genium illius gentis, ſi modum praeſertim loquendi ſpectes, praecepta iſta fuerint adcommodata; in ſe tamen ſi ſpectentur, neutiquam ſolos Iſraëlitas, ſed omnes omnino homines obligare, longe eſt manifeſtiſſimum. Idque ex ipſa iſtarum legum conſideratione, luculenter intelligitur. Ecquis enim diceret, a ſolis Iſraëlitis exigi, vt non idola, ſed verum Deum colerent? aut vt diuini nominis abuſum & profanationem euitarent? Ipſa namque ratio docet, ab omnibus omnino hominibus iſta exigi. Et ita in reliquis praeceptis ſeſe res habet. Ad tertium enim praeceptum, de *ſanctificando ſabbato,* quod attinet, etſi legem hypotheticam, ſeu, quod aliis placet, poſitiuam vniuerſalem contineat, eam tamen itidem, vtpote in memoriam creationis ſancitam, ad omnes pertinere homines, alibi ex inſtituto demonſtratur. De matrimonio, quod in ſexto praecepto, & dominio rerum, quod in ſeptimo ſupponitur, nemo dubitat, quin ad omnes omnino homines pertineant. Iſtum porro decalogum recte pro compendio quodam legum diuinarum vniuerſalium haberi, vel inde intelligitur, quod nulla lex vniuerſalis nominari queat, quin in eo contineatur,

aut

aut in vno iſtorum praeceptorum includatur; quemadmodum iterum & decalogi, adeoque omnium legum diuinarum ſumma in amore ſincero Dei, & aliorum hominum continetur, teſte ipſemet ſeruatore, *Matth. XXII, 37.*

Ad ſenſum autem, & interpretationem decalogi quod attinet, duo cumprimis obſeruanda ſunt: quorum alterum eſt, in iis praeceptis, quibus aliquid prohibetur, ſimul praecipi illud, cui actus prohibiti aduerſantur, & vice verſa; alterum, non tantum actus externos aut praecipi, aut prohiberi, ſed internos etiam, ſeu ipſas cupiditates, & motus quosuis, ad eiusmodi actus tendentes. Atque poſterius hocce vel ex nono atque decimo praecepto intelligere poterant Iſraëlitae, immo ex ſumma iſta praeceptorum omnium, prout a Moſe ipſo proponitur *Deut. VI, 5.* apud eos autem, qui chriſtianorum nomine veniunt, poſitum eſſe debet extra dubium, ob interpretationem decalogi, quam ipſe ſeruator dedit, *Matth. V, 20. ſeq.* Vt de ſingulis praeceptis, pro inſtituti ratione, pauca quaedam moneamus, initium decalogi ita ſe habet: *Ego ſum Iehouah Deus tuus, qui te ex Aegypto atque ex ergaſtulo eduxi. Non erunt tibi coram me alii dii.* Nimirum, dum Deus dicit: *Ego ſum Deus tuus*, facit illud, quod legislatores facere ſolent, vt ſignificet, ſe eum eſſe, qui poteſtatem habeat, haſce leges omnibus hominibus, ſpeciatim Israëlitis, praeſcribendi, qui ob beneficia ſingularia a Deo in illos collata, ad ei obediendum obſtricti erant. Hinc enim additur: *qui te ex Aegypto atque ex ergaſtulo eduxi.* Simul tamen haec ipſa verba iam praeceptum aliquod continere videntur, quod ſcilicet ſolum verum Deum pro Deo agnoſcere, atque vt *ſuum Deum*, amore ſincero recipere, adeoque ea, qua decet, ratione, illum colere debeant: quamquam hoc etiam, ſecundum regulam antea poſitam, ex verbis ſequentibus, quibus aliorum deorum cultus prohibetur, fluat. Hinc FL. IOSEPHVS praeceptum primum ſenſu adfirmante ita exprimit: Διδάσκει ὁ πρῶτος λόγος, ὅτι θεός ἐστιν εἷς, καὶ δεῖ τοῦτον σέβεσθαι μόνον. *Primum verbum nos docet, Deum eſſe vnicum, & hunc ſolum oportere coli; antiq. lib. 2. cap. 5.* Vt autem Israëlitarum animi eo efficacius ab omni idololatria auerterentur, negatiua oratione Deus dixit: *non erunt tibi alii dii* על פני *ad faciem meam*, ſeu *coram me.* Hoc verti ſolet, *praeter me*, quemadmodum & LXX interpretes habent: πλὴν ἐμοῦ. Sed emphaſis ſubeſſe videtur, cum dicitur: *coram me;* cum hoc ipſo indicetur, Deum verum vbique eſſe, vt eo inſcio atque invito, nihil aliud pro vero Deo haberi aut coli queat. Quae ſequuntur verba: *non facies tibi ſculptile ſimulacrum &c.* ad idololatriam eo tempore apud gentiles, ſpeciatim Aegyptios, receptam, reſpiciunt: hinc & ex theologia, vel ſuperſtitione potius Aegyptiorum quam rectiſſime explicantur. Quod & exemplo ſuo comprobauit CLERICVS, ad *Exod. XX, 4.* Summatim itaque ſi cuncta complectamur, quae de primo hocce praecepto dici poſſunt, praecipi in eo manifeſtum eſt, agnitionem & cultum religioſum veri Numinis, eumque internum, qui in amore, timore filiali, fiducia, aliisque animi propenſionibus, conſiſtit; prohiberi contra omnia ea, quae hiſce aduerſantur. Fuſius haec omnia a me ediſſerentur, *inſtit. theol. mor. part. 2. cap. 3. ſect. 1. per integr.*

Alterum praeceptum decalogi eſt: *non accipies nomen Iehouae Dei tui* לשוא *in vanum*, hoc eſt, vt LXX interpretes vertunt, ἐπὶ ματαίῳ *de re inani.* CLERICVS exiſtimat, vocem לשוא hic idem ſignificare, ac *ad falſum*, cum שוא ſaepe confundatur cum שקר quod ſignificat *mendacium*, ſimulque ad iuramenta, & mendacia, quae in iis committi ſolent, reſpici contendit. Et ad periuria quidem haec verba

verba etiam reſtringit GROTIVS ad *h. l.* Perperam quidem, cum non tantum cum periuriis, ſed quouis iuramento, leuiter ac inconſiderate prolato, nominis diuini abuſus grauiſſimus coniunctus ſit; nec vlla ratio ſit, cur a generaliori illa vocis שוא ſignificatione diſcedere debeamus. Licet itaque Moſes ad abuſum iſtum iuramentorum forte, & ad prauas gentilium ſui temporis mores reſpiciat, cum tamen non tantum iuramentorum abuſu, ſed multis aliis modis, nomen Dei profanetur, vt haec omnia hic ſimul intelligamus, res ipſa poſtulat. Quemadmodum autem per *nomen Dei* id omne quoque recte intelligitur, quo Deus hominibus innoteſcit, cum & vnus homo nomine ab aliis diſcerni ſoleat; ita manifeſtum eſt, prohiberi hocce praecepto ea omnia, dicta factaque, quae cum veneratione illa, qua Deum ipſum, & omnia iſta, quibus ſe nobis manifeſtauit, proſequi debemus, pugnant, aut quibus homines iſtam venerationem parum ſibi curae cordique eſſe, teſtantur; praecipi contra omnia iſta, quibus hancce venerationem, ipſumque adeo cultum internum declarare poſſumus, & debemus, praeſertim, quoties occaſio ita tulerit, aut res ipſa poſtulauerit. Atque haec omnia copioſius itidem ediſſerui, *inſtit. theol. mor. part. 2. cap. 3. ſect. 2. §. 1. ſeq.*

Tertium praeceptum de *ſabbati ſanctificatione* agit. Vbi quidem, quid per ſabbatum intelligatur? ſatis notum eſt. Sanctificabatur autem ſabbatum, primo quidem, dum ab omni opere ſeruili abſtinebant; quod vel ex verbis iſtis, quae Moſes ipſe *Exod. XX, 9, 10.* ſtatim ſubiungit, liquet. Hinc & *ſanctificare ſabbatum*, & *nullum opus eo facere*, tamquam idem ſignificantia, coniunguntur, *Ier. XVII, 22, 24.* Neque tamen otio tantum hunc diem tranſigebant, aut tranſigere debebant, ſed cultui quoque Numinis vacare. Non ergo eſt dubium, quin ſacrificia olim eo die Deo obtulerint, quippe quae praecipuam ſacrorum eo tempore conſtituebant partem. Iſraelitis certe, praeter quotidianum ſacrificium, aliud, quod ſabbato offerendum erat, praeſcribitur, *Num. XXVIII, 9. 10.* Quod vero etiam ad prophetas quandoque conuenerint, eorumque de rebus ſacris ſermones audiuerint, ex *2. reg. IV, 23.* recte colligitur. Inſtitutum autem fuiſſe ſabbatum a Deo, ſtatim finita creatione, ex *Gen. II, 1, 2.* conſtat. Verbis enim diuini ſcriptoris apertiſſimis vim inferunt, qui ſabbatum ibi προληπτικῶς commemorari, ſibi aliisque perſuadere adnituntur. Vnde & ſponte ſua ſequitur, legem de ſanctificando ſabbato non tantum Iſraelitas, ſed omnes omnino homines obligare. In alterum vero extremum procurrunt, qui ex ipſius rationis dictamine ſabbati ſanctificationem deriuare volunt, eo quod apud varias gentes, Aegyptios ſcilicet, Indos, Graecos, Gallos, Germanos, veſtigia quaedam ſeptimi diei, cultui Numinis deſtinati, atque ſacri, deprehenſa olim fuerint. Cuius quidem rei cum variae a viris doctis adferantur cauſſae, proxime tamen ad verum mihi accedere videntur, qui & hoc cum aliis quibusdam a Noacho, humani generis reſtauratore, gentes illas accepiſſe, & prae reliquis retinuiſſe, contendunt. Legenda, quae hac de re diſſerit GROTIVS, *de verit. chriſt. relig. l. 1. c. 16.* & HVETIVS, *demonſtr. euang. prop. 4. pag. 227.* Licet autem ratio ignoret, quod ſeptimus, aut vnus ex ſeptem hebdomadis diebus, cultui diuino ſit conſecrandus, hoc tamen luculenter cognoſcit, par vtique eſſe, vt certum tempus cultui Numinis externo deſtinetur. Atque hinc, quousque ſabbati ſanctificatio iuris naturalis, aut abſoluti, aut hypothetici ſit, intelligitur. Nec illud praetermittendum, cum Deus hancce legem in repetita promulgatione Iſraelitis ferret, addidiſſe eum quaedam, quae ſpeciatim ad hancce gentem ſpectabant.

Digitized by Google

Quorſum illud cumprimis pertinet, quod ſabbatum iis ſeruitutem patrum illorum aegyptiacam in memoriam reuocare debuerit; itemque, quod ſummo cum rigore, atque ſub poena capitali ab illis fuerit obſeruandum. Haec enim vt ad alios homines non pertinent, ita tempore noui teſtamenti ceſſarunt merito; quemadmodum & ab apoſtolis, pro die vltimo hebdomadis, primus fuit ſubſtitutus. Sed ipſa quoque ſanctificatio ſabbati non poteſt non in nouo teſtamento aliter quodammodo inſtitui, quam in veteri, cum ſacrificiis locus amplius non ſit, modusque colendi Deum, ſtatui huic conueniens obtineat. Iam facile perſpicitur, iniungi nobis hocce praecepto, vt ea omnia agamus, quae ad diei iſtius ſanctificationem, pro diuerſo eccleſiae ſtatu inſtituendam, pertinent; omnia vero, quae cum ea pugnant, prohiberi. Hiſce itidem vberiorem lucem adfundent, quae dixi, *inſtit. theol. moral. part. 2. c. 3. ſect. 2. §. 32. ſeq.*

Quartum praeceptum de *parentibus honorandis* agit. Atque honor quidem iſte, non tantum verbis, aliisque ſignis externis, iis exhibendus eſt, ſed re ipſa quoque demonſtrandus; obſequio ſcilicet, praeſertim, quamdiu liberi adhuc ſub patria poteſtate conſtituti ſunt, tum vero etiam beneficiis; ſiquidem parentes eo in ſtatu verſentur, vt iis opus habeant, liberi autem, vt ea in parentes conferre poſſint; *Marc. VII, 10. ſeq.* Cum vero tutores, praeceptores, heri, magiſtratus, eccleſiaeque doctores, parentum vicibus quodammodo fungantur, & ea nobis praeſtent, quae parentes praeſtare ſolent; ratio, illi, quae parentes honore & obſequio proſequendos ſuadet, haud abſimilis, nos condocet, par eſſe, erga iſtos eadem ratione vt nos geramus. Hinc &, quae in hacce lege & praecipiantur, & prohibeantur, cognoſcere licet.

Quintum praeceptum: *non occides*, ita intelligendum eſt, vt illi caſus, in quibus Deus alterius caedem aut permiſit, aut omnino praecepit, excipiantur. Namque vt magiſtratus quaedam delicta, ſpeciatim homicidium, capitali ſupplicio puniret, Deus ipſe voluit, *Gen. IX, 6. Rom. XIII, 4.* Sic & quam quis ad ſui conſeruationem, etiam cum cæde adgreſſoris ſuſcipit, defenſionem, minime illicitam eſſe, aliunde conſtat. Taceo reliqua, quae eiusdem ſunt generis. Cum vero ex nono atque decimo praecepto notum ſit, cupiditates quasvis prauas a Deo prohiberi, recte inde colligitur, non tantum homicidium, quod manu peragitur, ſed quasuis laeſiones, quibus alteri malum aliquod infertur; omnes porro adfectus, cupiditatesue, ex quibus eiusmodi laeſiones proficiſcuntur, hocce praecepto prohiberi. Idque & ſeruator ipſe in eiusdem explicatione confirmat, *Matth. V, 21, 22.* Praecipiuntur itaque ſimul, iuxta regulam ſupra poſitam, quaevis amoris, miſericordiae, humanitatis opera, quae promte & ſtudioſe omnibus omnino hominibus, etiam inimicis, cum & illi homines ſint, praeſtanda ſunt. Id autem cum ſine ſincero aliorum amore fieri nequeat, huncce vel maxime hocce praecepto nobis commendari, manifeſtum eſt.

Sextum praeceptum *adulterium* prohibet. Inter grauiora enim impuritatum genera hoc eminet, & cum aliorum inſuper coniunctum eſt contumelia. Ideoque & Aegyptii grauiſſime illud puniebant, eo quod *vnius facinoris enormitate tria maxima flagitia, contumeliam, corruptelam, liberorum confuſionem, perpetrari, iudicabat*, vt DIODORVS SICVLVS auctor eſt, *biblioth. l. 1. p. 71.* Ex collatione autem noni decimique praecepti, itidem patet, impuras cupiditates quasuis, adeoque & omnia opera, quae inde procedunt, verba quoque & geſtus, qui ex eodem fonte profluunt; non minus & omnia ca, quibus

Digitized by Google

quibus cupiditates excitantur, aluntur, fouentur, vt intemperantiam, & ſenſuum externorum quamuis ad eundem finem tendentem oblectationem, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, hacce lege prohiberi. Quod iterum ſeruator confirmat, *Matth. V, 27. ſeq.* Simul vero patet, puritatis ſeu caſtitatis pariter ac temperantiae ſtudium, vna cum iis omnibus, quibus hoc promouetur, eadem lege praecipi.

Septimum praeceptum, quo *furta* interdicuntur, dominium rerum inter homines ſupponit. Quod, etſi ab hominibus introductum, a Deo tamen adprobatum eſſe, tum aliunde, tum ex hoc ipſo praecepto intelligitur. Cumque maxima rerum omnium confuſio oritura eſſet, niſi cuique, quae ipſius ſunt, ſecure poſſidere liceret, merito Deus furta prohibuit. Nec vero iſte tantum furtum committit, qui ſiue clam, ſiue palam, & per violentiam, quae alterius ſunt, illi aufert, ſed & qui per fraudes, & circumuentiones in variis contractuum generibus, quae alterius ſunt, modo illicito ad ſe transfert. Idque cum homines facere ſoleant, quando auaritiae, pluraque habendi cupiditati frena laxant, hanc ipſam itidem cum omnibus illis actibus, quibus res alienas nobis vindicare adnitimur, hic prohiberi manifeſtum eſt. Praecipitur contra abſtinentia, ſeu ea animi virtus, qua, quae aliorum ſunt, non adpetimus, ſimulque iuſtitia, quae in contractibus, modisque aliquid adquirendi, bonisque noſtris rite adminiſtrandis ſeſe exſerit.

Octauum praeceptum hoc eſt: *Non dices in proximum tuum teſtimonium falſum.* Inter ea namque peccata, quae ſermone erga alios homines committuntur, citra controuerſiam grauiſſimum eſt, quando in iudicio mendacia proferuntur, quibus homines innocentiſſimi opprimuntur, ſubinde & exiſtimationis, bonorum, immo & vitae quandoque iacturam faciunt. Hoc vero, vt ex ſermonis abuſu, vti hic ex leuitate, prauisque animi adfectibus oritur, ita quilibet facile perſpicit, omnem ſimul ſermonis abuſum, eum cumprimis, quo alii homines laeduntur, prohiberi; praecipi contra vſum ſermonis cautum & circumſpectum, ad commoda aliorum promouenda, auertenda contra, quae noxia illis eſſe poterant, comparatum; conf. *Iac. III, 2. ſeq.*

Nono denique atque decimo praecepto *concupiſcentia* praua prohibetur; hoc tamen cum diſcrimine, vt ipſa concupiſcentia praua, habitualis, ſeu connata, vetetur decimo; nono autem, prouti iam in varios motus erumpit, atque ita vim ſuam exſerit. Qui quidem motus interni, in ſe & indeterminate ſpectati, nono hocce; determinate autem, ratione certi obiecti conſiderati, in reliquis etiam praeceptis interdicuntur, vti quinti & ſexti praecepti exemplo ipſemet ſeruator hoc nos condocet; *Matth. V, 21. ſeq.* Sunt equidem, tum ex Iudaeis, tum ex illis, qui chriſtianorum nomine veniunt, qui concupiſcentiam connatam, primosque eius motus, peccata eſſe negant, aut, ſi peccata ſint, nono tamen, decimoque praecepto, (quae nonnulli etiam pro vno tantum habent) eos prohiberi abnuunt. Sed vt illorum ſententiam, qui ſola mente & cupiditate peccari negant, ipſe iam ſeruator refutauit, *loco* antea *citato*; ita, quod vox ebraea חמד tantum de tali concupiſcentia, quae effectum ſortitur, accipienda ſit, nulla ſolida ratione comprobari poteſt. Atque haec iam a me obſeruata, *inſtit. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 4.* ad *§. 39.* vbi & eos, contra quos haecce diſputatio directa eſt, indicaui. His vero addendus adhuc eſt CLERICVS. Cum enim ex Stoicorum diſciplina diſcrimen inter προπάθειαν & πάθος conſtituiſſet, πάθος malum quidem eſſe concedit, ſed dubitari tamen poſſe, ait, an hac lege, ſeu praecepto no-

no & decimo, prohibeatur? cum ea demum legibus Moſaicis prohibeantur, quae poenis in foro coerceri poterant; Chriſtus etiam, decalogi praecepta recitans, *Marc. X, 19.* verbis: μὴ ἀποστερήσῃς; *ne fraude ſpolies*, hoc exprimere videatur; & denique *Matth. V, 28.* concupiſcentiam alienae vxoris ita vetet, quaſi veteribus Ebraeis externae tantum actiones interdictae fuiſſent. Haec, aliaque, cum pro iſta ſententia diſputaſſet, ipſe ita tandem pronuntiat, *non tam crimen, quod eſt in rei cupitae illicita fruitione, voce* חמד *ſignificari, quam externam ſignificationem cupiditatis, quae ſita eſt, in adhibendis malis artibus ad conſequendum, quod concupiſcimus;* in *comment. ad Exod. XX, 17.* Verum, perperam vir doctus, πάθος quidem, non autem προπάθειαν, ſeu ſubitos animi motus, qui naſcuntur in nobis, cum quidpiam, quod voluptatem nobis creare potuiſſet, & quo caremus, contemplamur, pro peccato habet. Omnem enim ἀνομίαν peccatum eſſe, Ioannes nos condocet *1. ep. III, 4.* Deinde rationes, quas pro illorum ſententia adfert, qui ne ipſum quidem πάθος a Moſe prohiberi putant, non magni ſunt momenti. Quod in decalogo enim ea tantum vetentur, quae poenis in foro coerceri poterant, falſum eſt. Verba, μὴ ἀποστερήσῃς *Marc. X, 19.* nonnulli quidem pro explicatione quadam ſeptimi praecepti habent: aut, ſi ad nonum referenda ſunt, de concupiſcentia ſunt intelligenda, hunc in modum: *ne fraudato proximum, concupiſcendo, quae eius ſunt.* Chriſtus porro *Matth. V, 28.* hoc ſaltem agit, vt genuinum ſexti praecepti ſenſum explicet. Colligi itaque inde nullo modo poteſt, veteribus Ebraeis actiones tantum externas interdictas fuiſſe. Denique, cum propria verbi חמד ſignificatio ſit, *adpetere, concupiſcere,* de externa ſaltem cupiditatis ſignificatione accipi nequit. Nec vlla adeſt ratio, quae, vt hoc faciamus, nos cogat.

Atque ita ſenſum decalogi paucis declarauimus. Inde autem cum ſimul confirmetur, quod ſupra adſeruimus, eundem compendium aliquod eſſe legum diuinarum vniuerſalium, hoc ſaltem obſcurum adhuc videri poſſet, qua demum ratione hae leges aliis quoque gentibus, praeter Iudaeos, innotuerint? Id enim neceſſarium eſt, ſi promulgationem decalogi ad omnes homines ſpectare contendimus. Sed cum luculenter hoc iam a me expoſitum ſit, *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 2.* ad *§. 6.* vt id repetamus, neceſſe non eſt. Quae ad hiſtoriam autem ipſius promulgationis pertinent, enarraui in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. 1.* ad *per. 2. ſect. 1. §. 18. p. 604. ſeq.*

** Ex praeſcripto enim ſeruatoris adnuntiare omnibus debebant *poenitentiam & remiſſionem peccatorum; Luc. XXIV, 47.* Poenitentia autem ſine peccatorum agnitione eſſe nequit; quemadmodum peccatorum agnitio ex lege venit; *Rom. III, 20.* hinc & Paulus, coram Felice verba faciens, de *iuſtitia*, deque *caſtitate*, & de *futuro iudicio*, loquebatur, *act. XXIV, 15.*

*** Scripta apoſtolica, ſeu noui teſtamenti, ſimulque tempore noui teſtamenti prophetica, ſeu ſcripta veteris teſtamenti, in gentium plurimarum notitiam veniſſe, notum ſatis eſt. Sed & prophetica, ſeu veteris teſtamenti ſcripta ante Chriſtum natum gentilibus non ignota fuiſſe, viris doctis dudum probatum eſt. Qua de re non dubitabit, qui fata gentis iudaicae, eiusque per varias orbis partes diſperſionem poſt captiuitatem Babylonicam, ſecum expenderit. Accedebat, quod libri ſacri veteris teſtamenti in linguam graecam, cuius vſus latiſſime olim patebat, transferrentur. Etſi enim incertum ſit, an verſio graeca antiquior illa, quae LXX interpretibus tribuitur, exſtiterit? etſi etiam ea, quae ARISTEAS de LXX interpretibus litteris conſignata reliquit, ceu fabuloſa, & commentitia merito a viris do-

ctis

ctis explodantur; hoc tamen certum, & extra omnem dubitationem poſitum, iam ante Chriſtum natum libros veteris teſtamenti in ſermonem graecum fuiſſe translatos.

§. VI. Etſi autem leges iſtas vniuerſales ipſa etiam ratio cognoſcat, vt adeo nemo mortalium ſit, qui earum ignoratione ſe tueri queat; longe tamen clarior, perfectiorque ea eſt illarum notitia, quam ſcriptura ſacra ſuppeditat.* Vt autem eo rectius leges iſtas cognoſcamus, numquam non ad illud apoſtoli, quod ὁ νόμος πνευματικός ſit, *Rom. VII, 14.* attendendum eſt. Hinc enim intelligimus, quod non externum ſaltem obſequium, ſed pleniſſimam, perfectiſſimamque omnium motuum internorum, omniumque cogitationum cordis, multoque adeo magis dictorum factorumque cum voluntate Numinis ſanctiſſima conformitatem requirant; conf. *Matth. V, 29. ſeq.* Atque ea demum ratione, quid peccatum ſit? condocebimur.**

* Non tantum enim directe, idque luculentiſſima quadam ratione, ſubinde leges diuinas proponit, easque exponit, ſed de natura hominis integra, corrupta, reſtituta, nos erudit, ex cuius conſideratione plena demum, atque adcurata legum diuinarum notitia hauritur. Conferenda, quae dixi *inſtit. theol. mor. part. 2. prolegom. §. 10. ſeq.* item §§. 13.

** Non ſatis, quod hic ex Pauli effato, *Rom. VII, 14.* monuimus, inculcari poteſt. Non tantum Phariſaei olim, atque legis periti Iudaeorum ad huncce ſcopulum impegerunt, ſenſum quemdam carnalem legum diuinarum ſibi fingentes, *Matth. V, 20.* nec Pelagiani tantum ac Romanenſes impingunt, dum cupiditates prauas hominis, aut primos ſaltem concupiſcentiae prauae motus, pro peccatis non habent; ſed plurimi alii, ipſa praxi ſe hic impingere demonſtrant, dum de vera mentis emendatione ſolliciti non ſunt, non aliam equidem ob cauſſam, quam quod exiſtimant, grauiorem peccatorum euitatione ſuo ſe ſatisfeciſſe officio, nec lege diuina aliud quid ab hominibus exigi.

§. VII. Quae hactenus diximus, de legibus, quae naturales vocantur, intelligenda ſunt. Praeter has enim nonnulli & alias itidem vniuerſales ſtatuunt, quas *poſitiuas* vocare ſolent; eo quod neceſſarium cum hominis natura nexum non habeant, etſi omnes itidem homines, aeque ac naturales, obligent. Sed, cum iſtae leges ex inſtituto aliquo diuino fluant, ad cuius obſeruationem ipſa lex naturalis nos obligat, ad naturales itidem, ſed *hypotheticas*, referri poſſunt. Quocumque autem eas adpelles nomine, id certum, quod ex diuina reuelatione tantum innoteſcant, omnes tamen ſine diſcrimine homines obligent.*

* Fuſius haec omnia ediſſerui, atque comprobaui, *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 1. §. 10. ſeq.* quae hic repetere nolo. Id ſaltem moneo, inſtituta iſta, quibus legis hypotheticae innituntur, non eſſe vnius generis. Quaedam ſtatui integritatis fuere propria, & cum eo deſierunt, vt *arbor vitae* & *ſcientiae boni & mali.* Quaedam in ſtatu integritatis originem habuerunt, ſed poſt eum adhuc permanent, vt *ſabbatum*, & *matrimonium.* Atque haec vt immediate a Deo ſunt conſtituta, ita alia ab homini-

 bus

Digitized by Google

bus introducta ſunt, ſed a Deo comprobata, vt *dominia*, atque *pretia rerum*, itemque *ſtatus herilis*, atque *ciuilis*. Alia denique in certa quadam foederis gratiae oeconomia obtinent, vt in nouo quidem teſtamento, ſacramenta eius, *baptiſmus* & *ſacra coena*, itemque, *miniſterium eccleſiaſticum*. De hiſce omnibus itidem dictum *l. c. c. 2. §. 43. ſeq.*

§. VIII. Leges diuinae *poſitiuae particulares*, vt illos, quibus datae ſunt, obligant, ita reliqui, ſi eas non obſeruent, peccatum quoque non committunt. * Ad *humanas* autem quod attinet, ſi modo ab iis datae ſint, qui habent poteſtatem leges ferendi, nec quidquam, quod legibus diuinis repugnet, contineant, obligant eos omnes, qui legislatoris illius imperio parent, nec migrari a quoquam ſine peccato poſſunt. Violatur namque ſimul lex diuina, quae, vt magiſtratui obediamus, praecipit; *Rom. XIII, 1.* **

* Non aliae ſunt leges diuinae poſitiuae particulares, quam, quas Deus per Moſen Iſraelitis dedit, quarumue aliae *caerimoniales*, aliae forenſes vocari ſolent. Eas autem ſolis Iſraelitis datas, vel ex fine & ſcopo illarum liquet; idque ex inſtituto GROTIVS probat, *l. 1. de iure belli & pacis, c. 1. §. 16.* Cum vero caerimonialium legum finis hodie prorſus ceſſet, ne Iudaei quidem amplius obligantur; immo, nec per forenſes obligantur, prouti iſtae ſtatum reipublicae a Deo ipſo praeſcriptum, pro fundamento habent. Multo itaque minus alii homines per eas obſtringuntur. Etſi autem leges iſtae nullam amplius vim obligandi quemquam habeant, non omni tamen deſtituuntur vſu; quod oſtenſum *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 1.* ad *§. 15.*

** Per humanas leges, non tantum *ciuiles*, ſed & *eccleſiaſticas* intelligimus. Vt enim hae ab illis non niſi obiecto differunt, ſiquidem vt leges ſpectantur, ita & per ſe nullam vim obligandi habent, niſi a ſummo imperante eam accipiant. Vnde &, quid de canonibus conciliorum, atque decretis pontificum cenſendum ſit, patet. Ciuilium autem legum nomine non eae tantum veniunt, quas ipſi tulere ſummi imperantes; ſed, quas etiam, aliunde velut adſumtas, adprobarunt, & vim legum habere voluerunt, modo, quod voluerint, conſtet. Et de hiſce omnibus copioſius dictum, *inſtit. theol. mor. part. 2. c. 1. §. 16. ſeq.*

§. IX. Quaenam cauſſa peccati ſit, exemplo primorum parentum itidem quam rectiſſime condocemur, *Gen. III, 2, 3. ſeq.* Actum enim illorum, quibus legem diuinam migrarunt, tum internorum, tum externorum cauſſa, & quidem phyſica, ipſimet parentes primi fuerunt, vti omnes homines ſunt, qui peccant. Id quod & de habitibus, quibus peccatum adhaeret, cenſendum. Ipſam autem *ἀταξίαν* ſi ſpectes, eius, cum in priuatione conſiſtat, cauſſa quidem phyſica non datur; pro morali tamen recte habentur, qui aliquid efficiunt, vt inde *ἀταξία* iſta conſequatur. * Idque adeo de rebus creatis ratione praeditis, homine atque diabolo, recte adſeritur; quorum hicce & dum ipſe peccauit, & dum hominem ad peccandum induxit, peccati cauſſa exſtitit. **

* Eum, qui peccat, actuum iſtorum internorum pariter ac externorum, itemque habi-

habituum, quibus peccatum abſtracte ſpectatum, ſeu ἀταξία, adhaeret, cauſſam eſſe, poſitum eſt extra omnem controuerſiam, Cumque & illud manifeſtum ſit, ἀταξίαν ipſam, ſeu priuationem, cauſſam proprie ſic dictam non agnoſcere, ſequitur ſua ſponte, eum, qui peccat, cauſſam moralem iſtius ἀταξίας recte haberi. Etſi enim ἀταξίαν ipſam non efficiat, hoc ipſo tamen, dum cauſſa exſiſtit actionis aut habitus, cui ἀταξία inhaeret, morali aeſtimatione, pro ipſius ἀταξίας cauſſa merito habetur. Atque hoc eſt, quod Ioannes, *loco* ſaepius *laudato*, *1. ep. III, 4.* dicit: πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, *quicumque peccat*, ſeu aliquod agit, vel efficit, cui peccatum inhaeret, καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ, *& illegalitatem facit*, hoc eſt, cauſſa exſiſtit illegalitatis, ſeu ἀταξίας iſtius, actui inhærentis, ſcilicet non *phyſica*, quod eſſe nequit, ſed *moralis*. Eundem in ſenſum & *Matth. VII, 23.* impii dicuntur ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, *operantes illegalitatem*, ſeu, ea agentes, quibus illegalitas inhaeret, quae adeo illis recte imputatur. Iungenda, quae AVGVSTINVS hac de re diſſerit, *l. 12. de ciuit. Dei, l. 7, 8, 9;* vbi *deficientem* cauſſam dicit, quam nos *moralem* vocamus.

** Cum ſubſtantiae illae, quae ratione deſtituuntur, nihil agant, quod illis imputari poſſit, ſequitur, quod etiam peccare proprie loquendo nequeant. Atque hinc porro conſequitur, homines tantum, atque malos angelos, cauſſas pecatorum, eo, quo antea diximus, modo, eſſe poſſe. Et diabolus quidem primo hoc ſenſu cauſſa peccati adſeritur, dum ipſemet peccauit; vnde Ioannes *1. ep. III, 8.* diabolum *ab initio peccare* dicit; conf. & *Io. VIII, 44.* Deinde vero & hoc ſenſu, quod hominem primum ad peccandum induxit, cauſſaque adeo lapſus primorum parentum exſtitit, immo, ſemper adhuc id agit, vt homines ad peccata quaeuis impellat. Vtrumque in ſequentibus ex inſtituto comprobabitur.

§. X. Deus autem inter cauſſas peccati, nec phyſice, nec moraliter tales, vlla ratione referri poteſt. Praeterquam enim, quod probari nequeat, eum ea ratione ad peccata concurrere, inde vt cauſſa aut phyſica, aut moralis dici queat; ſummae eius ſanctitati atque iuſtitiae hoc e diametro repugnat. De Deo autem vel cogitare aliquid, quod cum ſanctitate eius, atque iuſtitia conſiſtere nequeat, crimine non vacat. *

* Cum ἀταξία, quae actionibus, aut habitibus malis adhaeret, cauſſam phyſicam non habeat, vti antea demonſtratum, nec Deum eius cauſſam phyſicam dici poſſe, manifeſtum eſt. Si autem Deus aliquid faceret aut ageret, cui ἀταξία inhaereret, adeoque cauſſa peccati moralis eſſet, aut per ignorantiam hoc faceret, aut per impotentiam, quod aliter agere non poſſet, aut denique, quod omnino peccatum, ſeu malum vellet. Per ignorantiam ſi hoc faceret, non eſſet omniſcius; ſi per impotentiam, non eſſet omnipotens; ſi denique ideo, quod malum ipſemet velit, aut adprobet, non eſſet ſanctus. At Deus, qui aut omniſcius non eſt, aut non omnipotens, aut non ſanctus, reuera Deus non eſt. Quare, qui Deum aut auctorem, aut cauſſam peccati dicunt, praeterquam, quod ſine impietate hoc facere nequeant, aliquid dicunt, quod apertam contradictionem inuoluit, adeoque nullum ſenſum habet. Nec intuitu aut angelorum malorum, aut hominum, cauſſa peccati dici poteſt. Non tantum enim eaedem rationes recurrunt, ſed accedit inſuper, quod angelorum, aut hominum peccata nec iubeat, nec adprobet, nec vlla alia ratione ad ea concurrat, vt illorum auctor vel cauſſa dici poſſet; immo ea prohibeat potius, improbet, deteſtetur, puniat. Hinc & ſcriptura ſacra diſerte teſtatur, Deum non velle

Digitized by Google

velle peccata, *pſalm. V, 5. Eſ. LXV, 12.* immo & odiſſe, *pſ. XLV, 8. Zach. VIII, 17;* peccatum non a Deo eſſe, ſed a diabolo, *Ioan. VIII, 44*; ideoque & peccata *opera diaboli* vocantur, *1. Ioan. III, 8.* Deum neminem tentare ad malum, *Iac. I, 13;* quidquid a Deo proficiſcitur, bonum eſſe, *ibi v. 17,* quemadmodum & omnia, quae fecerat, *valde bona erant, Gen. I, 31.*

Nec obſtat noſtrae ſententiae, quod regerere nonnulli ſolent, Deum tamen permittere peccatum, terminumque eidem praeſcribere, ad certum finem illud dirigere, & denique, nobis non diffitentibus, ad actiones hominum malas concurrere. Haec namque, ſi recte explicentur, ita comparata ſunt, vt minime inde ſequatur, Deum aut auctorem, aut cauſſam peccati dici poſſe. Ad *permiſſionem* nimirum quod attinet, ſi quis actionem quamdam impedire non tantum poſſit, ſed & debeat, idque non faciat, & hac ratione eam permittat, is quidem pro cauſſa iſtius actionis recte habetur. Deum vero, etſi actiones malas quaslibet, ſi ſecundum omnipotentiam ſuam agere velit, impedire poſſit, nemo tamen dixerit, hoc eum etiam facere debere. Immo, non debere, inde patet, quod ipſa natura libere agentium hoc poſtulet, vt poteſtas illis concedatur, ſecundum facultatem, naturae illorum convenientem, agendi. Sufficit itaque, quod Deus iis rationem dederit, qua cognoſcere poſſunt, quid bonum, quidue malum ſit; ſufficit, quod leges illis praeſcripſerit, praemiisque & poenis ad bonum adducat, a malo autem eos abſtrahat. Plura a Deo nullo iure poſtulantur; adeoque nec cauſſa actionum malarum, quas hac ratione permittit, hoc eſt, per omnipotentiam ſuam non impedit, cenſendus eſt. Ille enim qui permittit, quae impedire aut non poterat, aut non debebat, neutiquam pro cauſſa aut auctore eorum haberi poteſt. Pari ratione, ſi quis *permiſſionis* nomine, *priuationem auxilii diuini, quo poſito, peccatum impediretur*, intelligeret, modo minime vſitato loqueretur, nec tamen dicere poſſet, Deum peccata hoc ſenſu permittere. Deus enim ſuo auxilio neminem priuat, niſi ob peccatum; & ſi abſque praecedente peccato hoc faceret, idque ea ratione, vt tum peccatum non poſſet non conſequi, citra controuerſiam auctor, cauſſaque peccati eſſet. Adcurate itaque diſpiciendum, quo ſenſu *permiſſionis* voce vtantur, qui Deum permittere peccata adſerunt. Cum porro dicitur, Deum *terminum peccato praeſcribere*, id recte ſe habet, ſi ita intelligatur, quod Deus hoc faciat, *prohibendo peccatum* per legem, & vim legis nobis ſuggerendo, cum ad peccandum irritamur, atque ita a peccato reuocando, tum & *occaſionem auertendo*, ne in peccata grauiora praecipites ruamus; tandem & *terminum vitae conſtituendo*, vt ceſſet peccatum. Tantum namque abeſt, inde vt ſequatur, Deum cauſſam peccati eſſe, vt potius, quantopere illi diſpliceat, pateſcat. Si quis vero ita hoc capere velit, ac ſi Deus hominem ad peccandum velut determinet, aliter iterum ſentiet, quam quod verba prae ſe ferunt, & Deo talia tribuet, quae illi tribuere, nefas eſt. Deum peccata hominum ad finem certum, eumque bonum, idque praeter intentionem & voluntatem peccantium, pro ſumma ſua ſapientia, dirigere, poſitum eſt extra controuerſiam. Neque quisquam inde inferet, eum cauſſam ideo, auctoremque peccati eſſe. Si quis vero rurſus ita hoc capiat, quod peccata ex decreto quodam Dei abſoluto fieri debeant, vt Deus finem, quem ſibi propoſuit, obtineat, is aliquid adfirmabit, quod Deum omnino peccati auctorem faciet, ſimulque & omni fundamento deſtituitur, & cum ratione pariter ac ſcriptura ſacra, decreta eiusmodi, quae cum ſanctitate Numinis conſiſtere nequeunt, reiiciente, e diametro pugnat.

Digitized by Google

gnat. Sed nec ex concurſu Dei ad actiones hominum malas, eum cauſſam peccati eſſe, colligi poteſt; ſiquidem ad motum tantum phyſicum actionis malae, non autem ad ἀταξίαν, illi adhaerentem, concurrit: qua de re ſupra iam ad *l. 2. c. 2. §. 51.* ex inſtituto egimus.

Sunt equidem nonnulli, qui, cum hactenus dictis refragari aperte non audeant, Deum tamen ſaltem *cauſſam peccati per accidens* vocari poſſe exiſtimant, idque itidem ob permiſſionem peccati, itemque deſertionem, & gratiae ſubtractionem; porro, quod hominem peccantem ſuſtentet, poenamque differat, & quae alia ſunt eiusdem generis. Verum, ſi permiſſio eiusmodi intelligatur, qua quis permittit, quae impedire tenetur, Deus non per accidens & improprie, ſed per ſe, & proprie, cauſſa peccati erit. Quod tamen abnuunt, contra quos hic diſputamus. Si nuda permiſſio, absque omni influxu cauſſali intelligatur, haec cauſſae nomine venire nequit. Deſertio, atque gratiae ſubtractio, peccatum ſequitur; adeoque eius non poteſt eſſe cauſſa: niſi hominem a Deo ita conditum adſeras, vt in eius natura vitii aliquid eſſet, propter quod Deus gratiam ſuam illi ſubtraxerit; quod tamen prorſus abſonum foret. Hominem peccantem equidem Deus ſuſtentat, quemadmodum & ad actiones eius, qua motum phyſicum concurrit: ſed inde nihil conſequitur, cur cauſſa, & quidem per accidens, dici debeat, cum ad ipſum peccatum, ſeu ἀταξίαν, actui alicui inhaerentem, nihil conferat. Id quod & de poenae dilatione quilibet facile intelligit. Si regeras, etſi in hiſce omnibus Deus ad effectum, ſeu peccatum nihil conferat, poſſe nihiloſecius *cauſſam peccati per accidens* adpellari, ſiquidem haecce formula non vera cauſſa, ſed aliquid ſaltem, quod quacumque ratione occaſionem praebet, vt effectus aliquis exſiſtat, ſignificetur; atque tum etiam nihil obſtare, quo minus Deus, ſalua ſanctitate ſua, ita dici queat; rurſus reſpondemus, ſi vel maxime haec formula ita explicetur, rectius tamen faciunt, qui ab eius vſu abſtinent. Praeterquam enim, quod minus profecto adcurate loquantur, qui cauſſam vocant, quae vera cauſſa non eſt; nulla quoque nos cogit neceſſitas, vt haece formula vtamur, quae inſuper cum ſumma, quam ſanctiſſimo Numini debemus, reuerentia pugnat; ſiquidem haec, ita vt loquamur, iubet, ne aliis occaſionem vel leuiſſimam, ſiniſtri quid de eo cogitandi praebeamus.

§. XI. Qui peccauit, non poteſt non conſcientiae morſus perſentiſcere, vt vel Caini exemplo patet, *Gen. IV, 23.* Nimirum, obligationis, quam lex ſecum vehit, haec vis eſt & efficacia, vt, qui eam migrauerit, ſtatim quoque & *culpae*, quam hoc ipſo contraxit, & *poenae*, quam a iudice merito exſpectat, ſe reum eſſe, intelligat. * Hinc cogitationes iſtae, ſe inuicem aut accuſantes, aut defendentes, *Rom. II, 15.*

* Quae de cauſſa peccati hactenus diſputauimus, ad *efficientem* pertinent. De reliquis *materia, forma, fine*, itemque *ſubiecto*, & *quod*, vt loqui ſolent, & *quo*, nihil addimus; cum, quae vulgo de hiſce traduntur, aut ſuperuacanea ſint, parumque neceſſaria, aut facile a quolibet intelligantur; præſertim, ſi expendant, quae in ſequentibus dicentur. Conſequens itaque peccati, quod neceſſario ex eo fluit, paucis ſaltem conſiderabimus; *culpam* ſcilicet, atque *poenam*, ſeu, vt aliis loqui placet, *reatum culpae* atque *poenae*. Culpae autem vox, cum diuerſimode in iure conſultorum maxime ſcholis accipiatur, hic tamen ea ſignificatio in cenſum venit, qua tum *maculam* quamdam, ſeu *labem*,

labem, quae per peccatum alicui adſpergitur, tum *imputabilitatem peccati*, denotat. Et per *maculam* quidem, moralis quaedam foeditas, & turpitudo intelligitur, quam ille, qui peccat, ſeu legem transgreditur, ſtatim contrahit. Vt enim naturae & dignitati hominis eſt conueniens, vt in omnibus ad voluntatem creatoris ſui ſe componat; ita quamprimum ſecus ſe gerit, non poteſt non naturalis iſtius dignitatis atque praeſtantiae imminutio, ſeu deformitas, atque pollutio inde conſequi. Atque hoc intuitu fieri exiſtimo, quod ſubinde in ſcriptura ſacra peccatum ſub impuritatis notione, atque imagine, exhibeatur, quam etiam tot *luſtrationum* atque *purificationum* genera in veteri teſtamento a Deo praeſcripta, nobis in mentem reuocant; conf. *Ez. XXIV, 13. c. XXXVI, 17. 24. 29. pſ. LI, 4. 12.* Atque reſpondet etiam huic peccati effectui, adfectus *pudoris*, quo perfunduntur, qui ſe peccaſſe ſentiunt, quique in vera etiam poenitentia vel maxime ſeſe exſerere ſolet; conf. *Ez. XVI, 63. c. XXXVI, 32. c. XLIII, 10. 11. Ier. III, 3. 24. c. VI, 15.* it. *pſ. XXXVIII; 6.* Pudore namque ſuffundimur, cum aliquid, quod nos minime decet, & quo noſtra dignitas imminuitur, quodue adeo turpe ac foedum eſt, nos admiſiſſe credimus. Conferenda, quae dixi *inſt. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 6.* ad §. 23. Ad *imputabilitatem* autem peccati quod attinet, nihil vſitatius eſt, quam vt in culpa eſſe dicatur, qui aliquid fecit, quod illi imputari poteſt: quemadmodum vice verſa, qui nihil fecit, quod illi imputari queat, extra culpam, vel ſine culpa eſſe dicitur. Vt autem peccatum alicui imputari queat, requiritur, vt actionis iſtius, cui ἀταξία inhaeret, cauſſa ſit, ſiue phyſica, ſiue moralis. Namque & aliorum actiones, quas quis dirigere tenebatur, & quarum adeo, ſi officio ſuo defuit, cauſſa moralis exſtitit, alicui imputari poſſe, notum eſt. Recte autem nonnulli obſeruant, in foro diuino imputabilitatem inde quoque oriri, ſi habitus aliquis, aut propenſio praua, ita ſubiecto alicui inhaereat, vt ex certa ſubiecti iſtius conditione, non poſſit non prauus ille habitus, vel propenſio oriri. Cuius rei rationem deinceps, cum de peccatis habitualibus, ſpeciatim originali, ſermo erit, perſpiciemus. Imputabilitati huic in poenitentia reſpondet adfectus *triſtitiae*, quippe quae oritur, cum malum aliquod praeſens eſt, nec declinari vlla ratione poteſt. Cum ergo ita conuicti ſumus, vt fateri neceſſe habeamus, quae commiſimus, iure nobis imputari, non poteſt non triſtitia inde excitari; conf. *pſ. VI, 3. 4. pſ. XXXII, 3. 4.*

Ad *poenam* denique quod attinet, ceu alterum peccati conſequens neceſſarium, per eam malum aliquod paſſionis, quod alicui ob malum actionis infligitur, intelligi, conſtat, & alibi quoque docuimus. Vbi tamen *paſſionis* pariter ac *actionis* voces in generaliori ſignificatione vt accipiamus, par eſt, vt illa, quidquid habet rationem incommodi; hac autem omne malum, ſeu omnis ἀνομία atque illegalitas intelligatur. Reatus itaque poenae, eſt obligatio, ad ſuſtinendam poenam, a lege conſtitutam, ſeu, eſt conuictio mentis, qua intelligimus, nos poenam a lege conſtitutam promeruiſſe, nullamque nobis fieri iniuriam, ſi eamdem experiamur. Atque, poenam hanc ineuitabilem eſſe, & legis transgreſſionem neceſſario ſequi, ex ipſa iuſtitia diuina intelligimus. Cum enim Deus ſit ſanctiſſimus, vt a ſe remoueat omne, quod cum ſumma eius perfectione pugnat, non poteſt quoque non eſſe iuſtiſſimus, vt deteſtetur & puniat in rebus creatis, quae ſummae eius ſanctitati aduerſantur. Hinc & diſerte Moſes: *Deus non poteſt* (ſalua ſua iuſtitia vindicatiua) *peccatorem habere inſontem* (vt citra ſatisfactionem illi remittat poenam) ſed omnino vindicabit, & puniet eius peccatum, *Exod. XX, 7.* Quod enim ibi de abuſu nominis diuini dicitur, de omnibus peccatis, quorum, quoad reatum poenae generatim ſpectatae, eadem eſt ratio,

tio,

Digitized by Google

tio, merito intelligitur. Pari ratione & Iobus: *ſi pecco, parcis mihi quidem* (differendo poenam, ad horam) *ſed tandem non pateris, me eſſe immundum ab iniquitate*, ſcilicet, vt me ob eam, citra ſatiſtactionem non punias, *c. X, 14.* Immo, Deo abominationi eſſe iuſtificare impium, Salomo pronuntiat, *prou. XVII, 15.* Sed haec alibi iam ediſſeruimus. Poena autem iſta, quam Deus hominibus ob peccata eorum infligit, vel *temporalis* eſt; quo nomine varia calamitatum genera, quae impiis in hac vita obtingunt, ipſa etiam mors naturalis, veniunt, vel *aeterna*. Nimirum, cum homines per peccata a Deo ſeiungantur, *Eſ. LIX, 2.* non poteſt non inde ſequi *mors ſpiritualis*, quae, ſi per veram poenitentiam non tollatur, *mortem aeternam* ſecum vehit, quippe quae mortis ſpiritualis quaedam eſt continuatio, cum malis omnibus, & cruciatibus, qui eam comitantur. Idque apoſtolus docet, cum mortem *ſtipendium peccati* vocat, *mortis* nomine & *naturalem* & *ſpiritualem*, & *aeternam*, comprehendens. Quo ſenſu & comminationem illam diuinam, *Gen. II, 17.* intelligendam eſſe, ſupra iam obſeruauimus. Atque hoc quidem de quolibet peccato in ſe ſpectato, accipiendum eſt. Nullum enim peccatum, quantumuis leue nobis videatur, committitur, quo non ſanctitas & iuſtitia Dei infinitum in modum laedatur. Accedit, quod, qui contra vnum legis praeceptum peccat, totam legem transgreditur, docente Iacobo apoſtolo *c. II, 10. 11.* Quod autem non omnia peccata actu mortem iſtam ſecum trahant, & hoc nomine quaedam venialia dicantur, id alias ob cauſſas euenit, de quibus in ſequentibus dicemus. Facile autem ex dictis etiam intelligitur, vbi peccatorum quis a Deo conſecutus eſt remiſſionem, ibi quoque poenas locum non inuenire. Vbi enim non eſt peccatum, ibi quoq; non eſt poena. Quamobrem & piis hominibus, & in Chriſtum credentibus quae contingunt, aduerſa & calamitates, neutiquam pro poenis quibusdam, ſed pro caſtigatione ſaltem paterna, ſunt habendae; quae &, cum ad ſalutem illorum promouendam iis immittantur, non irae, ſed amoris diuini ſunt documenta; *prou. III, 11. 12. Ebr. XII, 6. apoc. VI, 19.* Reliqua, quae de poenis adhuc dici poterant, non ſunt huius loci, ſed alibi a me explicantur fuſius. Si adfectum, reatui poenae reſpondentem, ſpectes, quiue in poenitentia ſeſe exſerit, partim *triſtitia* inde oritur, ſi poena, ſcilicet temporalis, quod aliquando contingit, iam praeſens ſit; partim *metus*, ſi adhuc immineat, quod adeo de aeterna praecipue eſt intelligendum. Operae autem pretium fuerit, quae de adfectibus, qui in poenitentia, peccatorum effectibus, ſeu conſequentibus, reſpondent, obſeruauimus, paullo adcuratius expendere. Non enim iſta conſideratio ſine fructu erit.

§ XII. Cum ἀταξία iſta, quae peccatum proprie conſtituit, & propenſionibus hominum, & ſingulis quoque actibus inhaereat, hinc peccata in *habitualia* & *actualia*, diſpeſci ſolent. * Et habitualia rurſus in *connatum*, quod & *originale* dicitur, & in *adquiſita*, cum per actus ſaepius iteratos, propenſio quaedam ad mala inducitur, aut antea iam exiſtens, augetur, & corroboratur; quae quidem, pro obiectorum diuerſitate, iterum diuerſa ſunt. ** Propenſiones autem iſtae ad praua, quae *habitualium peccatorum* nomine veniunt, etiam abſentiam eorum, quae in homine adeſſe debebant, connotant. ***

* Propenſiones illae prauae, de quibus hic ſermo eſt, *peccatorum habitualium* nomine

veniunt, quod per modum habitus ſunt in homine. Licet autem voce *peccati* ceteroquin actus denotetur, vſu tamen inualuit, vt propenſiones etiam habituales, hocce nomine deſignentur. Nihil namque frequentius, quam, vt de *peccato originis* ſermo inſtituatur.

** Cum *connatum* illud, *originis*, ſeu *originale* dicitur, illud intelligitur, quod cuique homini a prima eius origine, ſeu natiuitate, immo, ipſa conceptione, *pſ. LI, 7.* adhaeret. Ceteroquin enim ipſe primorum parentum lapſus hoc nomine ſignificari poteſt. De quo tamen nunc ſermo non eſt. Propenſio autem iſta praua, quae *peccati connati*, ſeu *originalis* nomine venit, generatim quidem, intuitu voluntatis, in *philantia praua*, ſeu, *inordinato ſui ipſius amore*, conſpicitur; ſpeciatim autem, accedente certo quodam obiecto, in tribus iſtis vitiis cardinalibus, *ambitione, auaritia,* & *voluptatis cupiditate*, deprehenditur, *1. Ioh. II, 16.* Quae quidem determinatio aut eius quoddam principium, an ipſi menti hominis per naturam inſit, non temere dixeris. Non ſatis enim humanae mentis, in ſe conſideratae, natura cognita eſt, atque perſpecta. De propenſione enim, ſeu philautia praua, generatim ſpectata, nullum plane eſt dubium, vt ſequentia docebunt. Quod ſi determinationis iſtius fundamentum in ipſa mente non exſtat, a corporis conſtitutione ea deriuanda videtur, per quam adeo fiat, vt alius ad aliud bonorum adparentium genus ſit pronior, adeoque quaedam propenſionum diuerſitas per naturam in hominibus deprehendatur. Sin vero in ipſa mente fundamentum iſtius determinationis ſtatuatur, tum quidem, ſi mentis propenſioni ſpeciali reſpondeat conſtitutio corporis, illam eo fortiorem, vehementioremque reddi, neceſſe eſt; ſi vero diſcrepet, illius vis imminuetur, vt tamen ſimul eo magis propenſio, ad quam corporis conſtitutio ducit, ſeſe exſerat. Quae obſeruatio ad maximam propenſionum ſpecialium, in quibus vis peccati euidenter eluceſcit, diuerſitatem explicandam, valet plurimum. Atque hinc etiam, quaenam propenſionum, ſeu peccatorum habitualium adquiſitorum ſit ratio, intelligere licet. Fieri enim poteſt, vt per conſuetudinem, ſeu actus ſaepe iteratos, propenſio quaedam ſpecialis, eaque, naturali propenſioni minime reſpondens, ſeu ab ea diuerſa, adquiratur; rurſus tamen & illud contingere poteſt, vt quae conſuetudine adquiritur, naturali propenſioni prorſus reſpondeat. Prius ſi ſit, maior inde prauarum propenſionum in vno eodemque homine, oritur diuerſitas; ſin poſterius, propenſio naturalis eo magis augetur & corroboratur, hinc & difficilius imminuitur, & ſuperatur. Quae quidem haud perfunctorie obſeruaſſe iuuabit, cum in praxi conuerſionis eorum minime contemnendus vſus ſit.

*** Sunt nimirum haec inter ſe coniunctiſſima. Vbi enim philautia praua eſt, ibi adeſt defectus ſeu carentia amoris diuini, omniumque adeo, quae ex eo fluunt, virtutum. Quemadmodum & peccatorum actualium nomine, omiſſiones eorum, quae ex legis praeſcripto facere debebamus, veniunt.

§. XIII. Cum *connatum* illud, ſeu *originale peccatum*, fons & ſcaturigo ſit reliquorum peccatorum omnium, conſideratione quoque inprimis dignum eſt. Et corruptionem quidem quamdam naturae humanae, ab ipſa ſtatim natiuitate adeſſe, & experientia docet, hinc & ratio intelligit, & gentilium quoque philoſophi agnouerunt. Inde autem colligere nondum licet, quod ratio peccatum originale, ita vt decet, cognoſcat; quippe quae

quae & originem veram iſtius corruptionis, & eius quoque profunditatem, prorſus ignorat. * Scriptura vero ſacra tam luculenter hac de re teſtatur, vt nemo, niſi qui verbis euidentiſſimis vim inferre, religioni ſibi non ducit, de ea dubitare queat. **

* Summam hominum omnium ad mala quaeuis eſſe propenſionem, maximam contra, ad bona recte intelligenda, vel cognita proſequenda, peragendaque, imbecillitatem, ingentem denique totius naturae deprauationem, ipſa quemlibet, ſiue ad ſe ipſum, ſiue ad alios homines ſerio attendat, facile condocebit experientia. Quae autem ex experientia omnibus conſtant, aut conſtare poſſunt, rationi perſpecta eſſe, nemo inficiatus fuerit. Idque & gentilium philoſophorum hac de re teſtimonia comprobant, quae plena manu exhibet PFANNERVS, *ſyſt. theol. gentil. pur. c. 9. ʃ. 7. p. 259. ſq.* Quantumuis autem multa philoſophi iſti, de hominum miſeria, & ad mala quaeuis propenſione naturali loquerentur, profunditatem tamen iſtius mali non ſunt adſecuti, multo minus veram eius perfectam habuerunt originem. Hinc velut in tenebris palpitantes, vbi pedem figerent, non inuenerunt; ARISTOTELE quidem non aliud, quod diceret, habente, quam eſſe illud malum, quod in nobis deprehendimus, συγγενὲς *connatum*, aliis naturam ceu nouercam adcuſantibus, aliis ad inepta quaeuis, & impia, de mali origine commenta, prolabentibus, de quibus in ſequentibus ex inſtituto dicemus. Nonnulli etiam, cum tot mala, quibus homo circumſeptus eſt, perpenderent, veramque eorum originem ignorarent, ex humanae naturae conditione iudicarunt, inſontem non eſſe, qui tot aerumnis ſit addictus, atque hinc porro collegerunt, animas iam peccaſſe, priusquam corporibus hominum iungerentur. Vnde tam late propagata eſt opinio de animarum προϋπάρξει, ſtolidumque illud μετεμψυχώσεως ſeu potius μετενσωματώσεως commentum, paſſim inualuit; quod & HVETIO obſeruatum, *qu. Alnet. l. 2. c. 9. p. 165.* Quod autem diximus, philoſophos gentilium ipſam equidem corruptionem naturalem vtcumque agnouiſſe, etſi originem eius ignorarent, id etiam recte animaduertit AVGVSTINVS. Cum enim Tullium dicentem induxiſſet, non vt a matre, ſed vt a nouerca, natura editum eſſe hominem in vitam, corpore nudo, fragili, & infirmo, animo anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen ineſſet tamquam quidam diuinus ignis ingenii & mentis, ſubiungit: *Non hoc auctor iſte male viuentium moribus dixit effectum, ſed naturam potius adcuſauit. Rem vidit, cauſſam neſciuit. Latebat enim eum, cur eſſet graue iugum ſuper filios Adam, quia ſacris litteris non eruditus, ignorabat originale peccatum; l. 4. contra Iulian. c. 12. tom. 10. oper. p. 404.* Recte quidem: modo addatur, non tantum originem, ſed profunditatem quoque, genuinamque adeo rationem mali iſtius, ſeu peccati originalis, ignoraſſe gentilium philoſophos. Lectu autem etiam digna ſunt, quae idem Hipponenſium praeſul eodem *l. 4. contra Iul. c. 15. p. m. 411.* hac de re diſſerit. Nonnulla & ipſe iam monui, *inſt. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 4.* ad *ʃ. 78.* Atque haec cum ita ſeſe habeant, non ex rationis ſcitis, nec ex gentilium philoſophorum ſcriptis, ſed ex ſcriptura ſacra, veram & genuinam peccati originalis notitiam hauriendam eſſe, conſequitur. Praeclare itaque, grauiterque in *formula concordiae*, & quidem in *epitome*, hac de re pronuntiatur: *Hoc quantum ſit malum, verbis reuera eſt inexplicabile, neque humanae rationis acumine indagari, ſed dumtaxat per verbum Dei reuelatum agnoſci poteſt; p. 574.* Et iterum: *Praeterea, quid & quantum ſit hoc ingens haereditarium malum, id nulla huma-*

Digitized by Google

na ratio indagare, aut agnoſcere poteſt: ſed, vt Smalcaldici articuli loquuntur, ex ſcripturae ſacrae patefactione diſcendum, credendum eſt &c. ſolid. declarat. pag. 639.

** Inter ſcripturae ſacrae dicta, quibus peccatum originale probatur, primo ſeſe nobis offert notiſſimum illud, quod *Geneſ. VI, 5. &c. VIII, 21.* exſtat. In priori enim loco dicitur, quod *omne figmentum cogitationum cordis* (humani) *ſit tantum malum omni die*; in poſteriori autem, quod *figmentum cordis humani malum ſit* מנעריו *a pueritia eius*. Per *figmentum* nimirum *cordis*, ſeu *cogitationum cordis*, intelligitur omne illud, quidquid ex mente, ſpeciatim voluntate hominis, quae in ſcriptura ſacra cordis nomine venit, procedit; adeo quidem, vt non tantum cogitationes, ſed & ipſa cogitationum formatio, mala ſit. Neque, quod mala ſaltem ſit, dicitur, ſed *tantum mala*; vt adeo nihil, niſi quod malum ſit, ex mente humana proueniat. Ipſam itaque mentem hominis valde corruptam eſſe oportet, cum nihil niſi malum ex ea procedere queat. In poſteriori loco porro dicitur: מנעריו *a pueritia* ſeu ipſa *infantia*. Etſi enim vox נעורים eam etiam aetatem nonnumquam denotet, qua homo ratione vti incipit, immo ipſam iuuentutem; non tantum tamen etiam de infantia accipi poteſt, ſiquidem vox נער de infantibus ſubinde vſurpatur; *Exod. II, 6. Iud. XIII, 5. 1. Sam. I, 22.* ſed ita omnino hic accipiendum, ex priori loco conſtat, vbi dicitur, figmentum cogitationum cordis humani eſſe tantum malum *omni die*. Si *omni die*, ergo ab eo ſtatim temporis momento, quo homo viuere incipit. Fruſtra itaque nobis opponitur, quod Goliathus *1. Sam. XVII, 33.* vir belli fuiſſe dicitur, מנעוריו *a iuuentute*, vel *ab adoleſcentia ſua*. Idem enim, quod vir belli fuerit *omni die vitae ſuae*, nullibi dicitur, nec dici potuit. Nec obſtat, quod *Gen. VI, 5.* hoc tamquam cauſſa diluuii adferatur, quod *figmentum cogitationum cordis humani tantum malum ſit omni die*. Ea enim hoc fit ratione, vt ſimul ſignificetur, ex malo hocce fonte maxima illa ſcelera, atque flagitia profluxiſſe, quae Moſes innuit, cum dicit, *magnam fuiſſe hominum malitiam in terra*; conf. & *v. 1. 2. 4.* Vnde & ſimul patet, quo iure Noachum hinc *v. 8.* eximat; non ſcilicet ratione corruptionis naturalis, quam vniuerſalem eſſe, ſatis aperte docet, dum generatim de corde humano loquitur, ſed ratione effectus, dum vitiis ſuis frena laxabant, ſpiritus ſancti conuictionem reſpuebant, & magna proteruia in omne ſe dabant flagitiorum genus. In hiſce omnibus enim longe aliter ſe gerebat Noachus. Atque hac ratione reliquas etiam, quas ſecus ſentientes hic adferunt, facile diſſlare licet argutias. Sed ad alterum progredimur teſtimonium, quod Iobus ſuppeditat, dum, *quis*, inquit, *dabit mundum de immundo? ne vnus; c. XIV, 4.* Vbi quidem id rurſus manifeſtum eſt, non de corporis impuritate, ſeu ſordibus, ſed animae illum loqui, hoc eſt, de peccato. De ea enim immunditie verba facit, ob quam varias quis experitur calamitates, & iudicium diuinum ſubire cogitur. Cur autem peccatum immunditiei, ſeu impuritatis nomine veniat, ſupra ad *§. 11.* expoſuimus. Deinde & illud obſeruandum, hanc immunditiem, ſeu peccatorum ſordes, eum generatim omnibus hominibus tribuere, vt ne vnicus quidem ſit, qui earum ſit expers. Cauſſam denique innuit, quod homines ab immundis, ſeu impuris naſcantur: *quis dabit mundum de immundo?* hoc eſt, natum ex immundo. Quod vulgatus interpres luculenter exprimit: *quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine?* Quae quidem ita comparata ſunt, vt nihil temere euidentius de peccato originali dici potuerit. Moſi ac Iobo accedat rex ſanctiſſimus Dauid: *Ecce, in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea; pſ. LI. 7.* In eo namque eſt, vt delicta ſua atrociſſima, adulterium atque homicidium, coram Deo confiteatur, eorumdemque

que ab eo petat remiſſionem. Sed, hoc dum agit, ad fontem ſimul, vnde grauiora iſta peccata procedant, reſpicit, qui non alius eſt, quam naturalis illa omnium hominum corruptio. *Ecce!* inquit, *in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea:* hoc eſt, iam eo ipſo temporis momento, quo conceptus ſum in vtero matris meæ, peccato velut imbutus ſum, quod a parentibus in me transfuſum, atque propagatum eſt. Nihil proinde agunt, qui hic excipiunt, non de ſuo, ſed de parentum ſuorum peccato, hic loqui Dauidem. Ita namque de parentum ſuorum peccato loquitur, prout in prima conceptione hoc in ſe deriuatum atque propagatum erat, iuxta illud ſeruatoris: *Quidquid ex carne natum eſt, caro eſt, Io. III, 6.* Atque id ſcopus quoque rei poſtulat, qui eſt, vt fontem & originem grauiorum peccatorum, quibus miſeri homines ſubinde inuoluuntur, indicet. Nec eſt, quod dicas, ſi de congenita ſibi corruptione loqueretur Dauid, tum eum criminum; quorum reus erat, culpam a ſe in Deum transferre. Id quidem SIMON EPISCOPIVS nobis obiicit, *l. 4. inſt. theol. ſect. 5. cap. 5.* qui & hyperbolen in hiſce verbis admittendam putat, quod crimina a ſe commiſſa Dauid exaggerauerit. Ad prius enim quod attinet, non eo animo, vt culpam a ſe in Deum transferret, corruptionis ſuae naturalis mentionem fecit, ſed vt ſe ipſum potius coram tribunali diuino adcuſet, quod maximus peccator ſit, qui per naturam nihil omnino boni in ſe habeat, ſed corruptus plane ſit, atque deprauatus. Poſterius autem ſine ratione dicitur; cum cauſſa, cur a propria verborum ſignificatione diſcedendum, & hyperbole admittenda ſit, adferri nequeat. Non tantum autem Dauid hac ratione confitetur, corruptionem naturalem a primo conceptionis momento ſibi adhaerere, ſed eamdem diſerte *iniquitatem*, atque *peccatum* vocat, & ita, quo loco coram iudicio diuino habeatur, aperte nos condocet. Quo ipſo eos conticeſcere iubet, qui corruptionem equidem quamdam naturalem hominum agnoſcunt, eam tamen peccatum eſſe, iramque adeo diuinam, & poenas grauiſſimas ſecum trahere, vix ſibi perſuadere poſſunt. Denique, etſi hic de ſe ipſo loquatur Dauid, inde minime colligere licet, hoc de reliquis hominibus non eſſe intelligendum. Hoc enim qui adſerere vellet, illi ſtatuendum eſſet, aliam reliquorum hominum, cum concipiuntur & gignuntur, conditionem eſſe, quam Dauidis fuit; quod abſonum eſſe, nemo non perſpicit. Poſſemus hic & alia veteris teſtamenti loca addere, ſed progredimur ad nouum.

Luculentum prae reliquis eſt ipſius ſeruatoris effatum: *Quidquid ex carne natum eſt, caro eſt; Io. III, 6.* Nimirum dum *caro* ſpiritui opponitur, non natura humana in ſe ſpectata, ſed prouti corrupta eſt, intelligitur; conf. *Rom. VIII, 5. 6. 8.* Praeterea natiuitas carnalis ſpirituali ita opponitur, vt illa excludat a regno caeleſti, haec autem ad introitum in illud prorſus ſit neceſſaria, *v. 3. 5.* Hoc modo itaque *caro* eſt, hoc eſt, naturam prorſus corruptam habet, quicumque *ex carne*, hoc eſt, modo naturali, gignitur. Ea autem ratione cum omnes homines gignantur, omnes etiam natura corruptos, atque peccato originali infectos eſſe, neceſſe eſt. Vt adeo & ipſa corruptio, & eius profunditas, dum a regno caeleſti nos excludit, & propagatio eius per naturalem generationem, ſimulque eius vniuerſalitas, hiſce ſeruatoris verbis indicetur. Sed Paulum quoque hac de re audire iuuat: *Per vnum*, inquit, *hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, ἐφ' ᾧ in quo omnes peccarunt; Rom. V, 12.* Corruptionem quamdam vniuerſalem his verbis ſignificat, dum *peccatum*, & *per peccatum mortem*, in mundum, ſimulque adeo ad omnes homines, pertranſiiſſe adſerit. Et experientia ſane docet, quod omnes moriantur,

Digitized by Google

antur, nemine excepto ; vnde & ſequitur, peccati iſtius, de quo loquitur, neminem expertem eſſe. Vt autem *peccati* nomine, qualis illa corruptio ſit, & quae eam in iudicio diuino conſequantur, ſatis indicat, ita de tali peccato, quod per naturalem generationem ad omnes propagatur, illi ſermonem eſſe, vel inde intelligitur, quod ſimul per *peccatum* iſtud *mortem* in mundum intraſſe, & ad omnes homines pertranſiiſſe docet. Non tantum enim adulti homines, ſed & infantes, immo plurimi, antequam naſcuntur, moriuntur; ergo & infantes, antequam naſcuntur, peccato iam infecti ſunt, quod aliud, quam originale eſſe nequit. Atque hancce corruptionem, quae per naturalem generationem propagatur, ab Adamo, eiusque lapſu deriuandam eſſe, oſtendit, quando *per vnum*, inquit, *hominem peccatum in mundum intrauit*, hoc eſt, vnius hominis, ſeu Adami lapſu. Hoc enim ſibi velle apoſtolum, eo minus dubitari poteſt, quia ſe ipſum ita explicat, quando *v. 15.* dicit: τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι, *vnius delicto multos mortuos eſſe*; & iterum: τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι, *vnius delicto mortem regnaſſe*, & quidem δι' ἑνὸς *per vnum*; *v. 17.* item, διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, *per inobedientiam vnius hominis peccatores multos conſtitutos eſſe*, *v. 19.* Repetit idem, quando in noſtro oraculo ait: *Et ita in omnes homines mortem pertranſiiſſe*, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Vbi quidem, ſi verba, ἐφ' ᾧ vertas: *in quo*, res dubio caret, cum ſenſus tum ſit, in Adamo omnes peccaſſe, adeoque ab Adamo corruptionem naturalem in eos deriuatam fuiſſe. Nec tamen nobis etiam obſtat, ſi vel maxime voces iſtas vertas, *eo quod*, ſiue, *quia*. Namque, cum de omnium hominum, etiam infantum peccato loquatur, aliter hoc accipi nequit, quam quod omnes peccarint, dum omnes cum peccato originali naſcuntur. Atque hinc ſimul perſpicitur, per *peccatum, quod in mundum intrauit*, non poſſe, vt nonnulli ſecus ſentientium excipiunt, ipſius Adami peccatum intelligi, quod in mundum intrauerit, eo quod Adamus initium peccandi in mundo fecerit. De omnium enim hominum peccatis hoc accipiendum eſſe, ex hactenus dictis liquet. Accedit, quod *peccatum, quod in mundum intrauit*, diuerſum eſſe debeat ab eo, *per quod in mundum intrauit*, niſi ſenſum plane ineptum apoſtolo tribuere velis. Tandem hiſce illud Pauli, quod *Eph. II, 3.* exſtat, teſtimonium addimus, vbi de Iudaeorum, Epheſi degentium, qui tamen credentium numero acceſſerant, ante conuerſionem conditione verba faciens, *eramus*, inquit, *natura filii irae, ſicut & reliqui*, ſcilicet populi, ſiue gentiles. Miſerrimum iſtorum, adeoque & omnium hominum ante conuerſionem ſtatum, ἐμφατικῶς deſcripſerat, quod in peccatis mortui fuiſſent, in iis ſecundum receptum mundi huius morem ambulaſſent, & reliqua. Tum fontem, originemque iſtius miſeriae indicaturus, *eramus*, inquit, *natura filii irae, ſicut & reliqui.* Filius autem irae is dicitur, qui irae diuinae, hinc & maledictioni, poeniſque grauiſſimis, morti temporali & aeternae eſt obnoxius. Taleſque eos, ſicut & reliquos omnes fuiſſe dicit φύσει, *natura*; hoc eſt, per naturalem generationem, per quam iſta miſeria & corruptio ad omnes propagatur. *Naturae* enim vox non eam ſignificat, quam primus homo a Deo accepit, ſed, qualis per eius transgreſſionem facta eſt, & hodie ad omnes per naturalem generationem propagatur. Nec enim aliter vocem *naturae* hic accipi poſſe, vel inde liquet, quod φύσει opponatur τῇ χάριτι *gratiae.* Quemadmodum enim hic dicimur *natura filii irae*, ita poſtea *v. 8.* dicimur *gratia ſeruari.* Cum ergo verba iſta apoſtoli tam aperta ſint, vt exceptionem non admittant, in omnes ſe vertunt partes, qui ſecus ſentiunt, vt hinc ſe expediant. Namque GROTIVS mox vocem *naturae* explicat per *conſuetudinem*, ſeu *receptum morem*; *l. 2. de iure belli & pacis, c. 12. §. 26.*

Digitized by Google

§. 26. mox autem τὸ φύσει idem eſſe putat, ac *reuera*; in *annotat. ad Eph. II, 3.* quam quidem explicationem etiam ſequuntur EPISCOPIVS, atq; LIMBORCHIVS, ille quidem, *inſt. theol. l. 2. ſect. 5. c. 2.* hic autem, *theol. chriſt. l. 3. c. 4. §. 17.* Sed, non eſſe hanc propriam vocis ſignificationem, agnoſcit, adeoque eam interpretationem, in re ipſa licet conſentiens, reiicit CLERICVS, contendens, per φύσιν ſeu *naturam* hic *indolem gentis* intelligendam; *art. crit. part. 2. ſect. 1. c. 7.* At, nec huncce ſenſum hic locum inuenire, vel inde patet, quod non de certae cuiusdam gentis, ſed omnium hominum natura, Paulus verba faciat. Hoc iam a me oſtenſum *inſt. th. mor. part. 1. c. 1.* ad *§. 13.* Iam ergo, ſi ſummatim complectamur, quae hactenus ex variis ſcripturae locis obſeruauimus, patebit, dari naturalem quamdam corruptionem omnium hominum, *Geneſ. VI, 5. Iob. XIV, 4. Rom. V, 12. Io. III, 6.* eamque per naturalem generationem ad omnes propagari; *Iob. XIV, 4. pſ. LI, 7. Io. III, 6.* eam porro corruptionem reuera peccatum proprie ſic dictum eſſe, *pſ. LI, 7.* per quam adeo homines, ſi in ea permaneant, excludantur a regno caelorum; *Io. III, 6.* immo, ſint filii irae, hinc & maledictioni diuinae, & morti temporali ac aeternae obnoxii; *Rom. V, 12. Ephef. II, 3.* Quod quidem ad demonſtrandum peccatum originale ſufficit.

§. XIV. Denotat autem peccatum illud originale tum defectum, ſeu abſentiam imaginis diuinae, ſiue iuſtitiae originalis. *pſal. XIV, 3. pſ. LIII, 4. Rom. III, 10. ſq.* τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *v. 23.* vnde *alienati ſunt a vita, quae ex Deo eſt, Eph. IV, 18.* & *in peccatis mortui; Ephef. II, 1. Col. II, 13.* tum totius naturae humanae intimam corruptionem, & ad praua quaeuis inclinationem, *Gen. VI, 5. c. VIII, 21. Matth. XV, 19. Rom. VII, 17.* per motus concupiſcentiae prauae, & varia peccata actualia ſeſe exſerentem, *Galat. V, 16, 17. ſeq. Iac. I, 14, 15.*

* Vt eo rectius, & quae dicta ſunt, & quae de peccati originalis definitione diſputari ſolent, intelligantur, iuuabit rem omnem paucis a prima origine repetere, idque praeeunte nobis MART. CHEMNITIO, qui præclare admodum atque egregie hac de re diſſerit in *locis theologicis, de peccato originis, cap. 2. p. m. 209. ſeq.* Nimirum, etſi IRENÆVS, CYPRIANVS, aliiq; veterum, ſubinde de peccato originis loquuti erant, ante AVGVSTINVM tamen non exſtabat diſerte tradita aliqua eius definitio. Id arripuit Pelagius, qui initio negavit etiam effectus peccati originalis, cum diceret, mortem eſſe conditionem naturae humanae, etiamſi Adam non fuiſſet lapſus; item, peccatum Adami nemini, niſi ipſi ſoli, obfuiſſe. Poſtea vero, ne videretur toti antiquitati contradicere, illa de effectibus coepit concedere, dicebatque, ſe fateri, omnes filios Adami naſci extorres regno caelorum; ſed infantes ab ipſa natiuitate adferre ſecum prauitatem naturae, pugnantem cum lege Dei, id quidem erat, quod ſtrenue negabat. Speciem ſententiae eius conciliabat, quod hactenus de peccato originali, quid ſit, nihil definitum eſſet, cum veteres ſatis ſibi eſſe exiſtimarent, ſcire, quod ſit peccatum originale, & vnde ſit, & quinam eius ſint effectus. Atque hic ſubſiſtendum eſſe dicebat Pelagius, nec vanis quaeſtionibus turbandam eccleſiam. Auguſtinus vero, quorſum iſta tenderent, perſpiciens, de conſtituenda qualicumque peccati originalis definitione ſollicitus fuit; cumque animaduerteret, vim mali iſtius tum maxime deprehendi, quando in adultis caro concupiſcit contra ſpiritum, peccatum originale per *concupiſcentiam* definiuit; ſiquidem & Pau-

Paulus ita loquitur, *Rom. VI, 12. VII, 7. Gal. V, 16, 17, 24.* itemque Iacobus, *ep. I, 14, 15.* & Ioannes, *1. ep. II, 16, 17.* Atque haec quidem Auguſtini definitio recepta in eccleſiam fuit, donec monachis, naturae corruptionem extenuantibus, & Pelagiana commenta poſtliminio reuocantibus, ANSELMVS tractatum *de conceptu virginali,* ſeu *peccato originis* ſcriberet. In eo enim *cap. 25.* ſe per peccatum originale in ipſis infantibus nihil aliud intelligere profitetur, quam *ipſam factam inobedientiam Adae, iuſtitiae debitae nuditatem, per quam omnes ſunt filii irae.* Quae definitio cum iterum de effectibus peccati originalis tantum loqui videretur, HVGO circa annum 1120. Auguſtinianam definitionem cum ea coniunxit, peccatumque adeo originis *ignorantiam* eſſe dixit, *in mente, & concupiſcentiam in carne.* Atque hac quidem ratione cum vtcumque iſta doctrina reſtituta eſſet, ſententiarii, qui vocantur, poſtea inter ſe dimicarunt, de duabus illis definitionibus, vtra verior meliorque, & alteri adeo praeferenda eſſet. IO. SCOTVS enim cum ſuis Anſelmi definitionem amplexus eſt, atque ita vrgere carentiam coeperunt, vt negarent poſitiuam concupiſcentiam; alii pro Auguſtino ita pugnarunt, vt Anſelmi illam reiicerent; BONAVENTVRA contra recte iudicante, vtramque veram eſſe, & vnam illarum in altera includi. Deinceps rurſus magis magisque in deuia prolapſi ſunt ſcholaſtici doctores, aliis haud obſcure prodentibus, peccatum originale tantum eſſe reatum alieni peccati, ſine aliquo vitio haerente in nobis; aliis tantum in adpetitu ſenſitiuo illud collocantibus, ita vt ſuperiores vires rationis immunes, & liberas fingerent a corruptione originali; aliis aliud quid comminiſcentibus. Quas quidem corruptelas vt ab hacce doctrina depellerent maiores noſtri, de peccato originali ita ſe docere profeſſi ſunt, *quod poſt lapſum Adae omnes homines, ſecundum naturam propagati, naſcantur cum peccato, hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia, quodque hic morbus, ſeu vitium, originis, vere ſit peccatum, damnans, & adferens nunc quoque aeternam mortem, his qui non renaſcuntur per baptiſmum & ſpiritum ſanctum; Auguſtan. conf. art. II.* Qua quidem ratione & AVGVSTINI & ANSELMI definitionem iterum coniunxerunt, & recte explicarunt, vt erudite obſeruatur in *apol. Auguſtan. confeſſ. p. 54.* & *58.* vbi haec omnia fuſius ediſſeruntur.

Atque ſunt haec omnia ſcripturae ſacrae prorſus conſentanea. Priuationem enim, ſeu carentiam iuſtitiae originalis, vel imaginis diuinae, Paulus apoſtolus diſerte indicat, quando dicit: ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *deſtituuntur gloria Dei, Rom, III, 23.* Nec enim per τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ rectius aliud quid intelligi poteſt, quam imago Dei, ad quam homo conditus erat, & quae maximam illi gloriam, ſeu claritatem conciliabat. Idemque apoſtolus eodem *cap. III, v. 10. ſeq.* confirmat, haec *pſalmi XIV, 3. ſq.* verba adferens: *non eſt iuſtus, ne unus quidem; non eſt, qui intelligat; non eſt, qui exquirat Deum; non eſt, qui exerceat bonitatem, non eſt, vsque ad vnum.* Omnia nimirum ea, in quibus imago Dei conſiſtebat, homini poſt lapſum deeſſe, hisce verbis docet. Idque etiam porro innuit, quando *Epheſ. II, 1.* & *Coloſſ. II, 13.* homines ante conuerſionem *mortuos in peccatis* dicit. Mors namque iſta vitae, adeoque & omnium virium ſpiritualium, defectum denotat. Non itaque leue quid iſta priuatio, ſeu abſentia iuſtitiae originalis cenſeri debet; niſi quis mortem, caecitatem, ſanitatis defectum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, leue quid eſſe exiſtimauerit. Quin potius intima grauiſſimaque totius humanae naturae corruptio hac ratione ſignificatur. Quod maiores noſtri in *ſolida declarat. form. concord. p. 640.* ita efferunt, quod *non tantum eiusmodi talis carentia,*

Digitized by Google

rentia, ſeu defectus ſit omnium bonorum in rebus ſpiritualibus ad Deum pertinentibus, ſed quod ſit etiam, loco imaginis Dei amiſſae in homine, intima, peſſima, profundiſſima, (inſtar cuiusdam abyſſi) inſcrutabilis, & ineffabilis corruptio totius naturae, & omnium virium, inprimis vero ſuperiorum & principalium animae facultatum, in mente, intellectu, corde, & voluntate. Et ſane, cum ſupra *cap. praeced.* §. 7 oſtenſum ſit, imaginem Dei homini certo modo fuiſſe naturalem; fieri aliter non potuit, quam vt per eius amiſſionem ipſa quoque natura hominis corrumperetur; non quidem, ac ſi ipſa eius eſſentia fuerit immutata, hoc modo enim non amplius manſiſſet homo, ſed quod ea, quae ad naturalem eius perfectionem faciebant, fuerint amiſſa, hinc & natura hominis ad ſpiritualia quaeuis non tantum peragenda, ſed & cogitanda, plane inepta reddita fuerit, *1. Cor. II, 14.* & *2. Cor. III, 5.*

Non tantum autem in priuatione iſta, ſeu carentia iuſtitiae originalis, ſed &, vt recte porro in *Auguſtana confeſſione l. c.* dicitur, in *concupiſcentia*, hoc eſt, immenſa quadam, & velut infinita ad mala quaeuis propenſione, peccatum originale conſiſtit. Licet enim homo eodem inuolutus, deſtituatur vita ſpirituali, non tamen deſtituitur vita naturali, quae ob iſtum vitae ſpiritualis defectum vel maxime per varios motus inordinatos ſeſe exſerit. Atque iſta ad mala propenſio tum in intellectu, per determinationem ad mala quaeuis, tum in voluntate, cui proprie concupiſcentia tribuitur, per philautiam prauam, & vitia hinc propullulantia, ſeſe demonſtrat, vt in ſequentibus oſtendemus. Scriptura ſacra autem hoc confirmat, dum *omne figmentum cordis tantum malum eſſe*, dicit, *omni die, Gen. VI, 5.* Ex ſumma enim mentis, ſpeciatim voluntatis, ad mala quaeuis propenſione, hoc prouenit, quod omnes cogitationes, omnesque motus mentis mali ſint: conf. *Matth. XV, 19.* Atque, vt effectus de cauſſa, & fructus de arbore teſtatur, ita motus illi praui, qui ſubinde erumpunt, ipſam propenſionem nobis inhaerentem ſatis produnt. Hinc *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, Gal. V, 17.* concupiſcentia tentat hominem, & ad peccandum, opere nimirum externo, inducit; *Iac. I, 14, 15.* peccatum in nobis habitans efficit, vt faciamus, quae fieri nolumus, *Rom. VII, 17.* Quae quidem, vt rem extra controuerſiam ponunt, ita mirum, dubitare hac de re quemquam poſſe, cum quemlibet ipſa experientia, modo animum aduertat, & ad ſe ipſum ſerio attendat, haec ita ſe habere, condocere queat. Si dicas, id quidem experientiam docere, concupiſcentiam quamdam in nobis eſſe, quae ſubinde in motus inuoluntarios erumpat; at, non aeque expeditum eſſe, eam eſſe peccatum, quod & quosdam Romanae eccleſiae addictos, aliosque negare conſtat, fruſtra veritati manifeſtae reluctaris. Cum enim negari nequeat, concupiſcentiam iſtam cum lege Dei non conuenire, ſequitur, eam etiam peccatum eſſe, iuxta definitionem peccati, a Ioanne *1. ep. III, 4.* traditam, & ſupra a nobis explicatam. Idque & Paulus apoſtolus confirmat, quando, *ne regnet*, inquit, *peccatum in mortali veſtro corpore, vt obediatis illi per cupiditates illius; neque ſiſtite peccato membra veſtra arma iniuſtitiae &c. peccatum enim vobis non dominabitur, Rom. VI, 12, 13, 14.* De eiusmodi enim peccato loquitur, quod, niſi ei reſiſtamus, regnare in hominibus, atque iis dominare poteſt, quodue adeo homini inhaeret, cui etiam ἐπιθυμίας *cupiditates*, ſeu actus concupiſcentiae tribuit. Vnde nihil aliud, quam propenſionem iſtam naturalem ad praua quaeuis, ſeu concupiſcentiam connatam, intelligit, eamque dum diſerte *peccatum* vocat, rem extra omnem dubitationem ponit. Rurſus idem apoſtolus, *peccatum non cognoui*, inquit,

Digitized by Google

quit, *niſi per legem: concupiſcentiam namque non nouiſſem, ſi lex non diceret, non concupiſces, Rom. VII,7.* Dum enim concupiſcentiam peccatum eſſe, ex lege cognouit, hoc ipſo docet, eam legi repugnare, adeoque ἀνομίαν ſeu veri nominis peccatum eſſe. Vt vero de concupiſcentia, quae actu quodam voluntario ſeſe exſerit, hoc accipiamus, nulla nos cogit neceſſitas, nec genuina, propriaque vocis ſignificatio permittit. Immo, cum deinceps, eodem *cap. VII, 17.* malum illud, quod ipſe non velit, ab *habitante* in ſe *peccato*, ſeu concupiſcentia illa originali, prouenire doceat, aperte innuit, actus inuoluntarios etiam concupiſcentiae nomine ſe comprehendere, vel potius, eos concupiſcentiae connatae, ceu principio, tribuere. Sed plura vt addamus, neceſſe non eſt, praeſertim cum etiam ad *§. praeced.* demonſtratum ſit, corruptionem iſtam hominum, quae per generationem naturalem ad omnes propagatur, iuxta euidentiſſima ſcripturae effata, peccatum eſſe. Recteque adeo in *Auguſtana confeſſione, loco* antea *citato,* adſeritur, quod *hicce morbus, ſeu vitium originis, vere ſit peccatum, damnans, & adferens nunc quoque aeternam mortem, his, qui non renaſcuntur per baptiſmum, & ſpiritum ſanctum.*

Ex hactenus etiam dictis intelligitur, ineptum valde eſſe, ſi quis dicat, peccatum originale eſſe *ſubſtantiam,* vel *ipſam hominis eſſentiam.* Cum enim eſſentiae, ſiue naturae hominis inhaereat, adeoque per ſe non ſubſiſtat, ſubſtantia eſſe nequit; & cum homo per peccatum originis non deſierit eſſe homo, ipſa eius eſſentia dici nequit. Interim nihil obſtat, quo minus recte adſeratur, peccatum originis de *hominis corrupti ſubſtantia, ſeu eſſentia* eſſe, quemadmodum & imago diuina de ſubſtantia, hoc eſt, eſſentia *hominis integri* fuit. Integer enim, ſiue perfectus homo, abſque imagine diuina dici non poterat, quippe quae ad eius naturam, vt perfectam eam redderet, ſpectabat, vt ſupra docuimus.

§. XV. Loco *lucis*, ſeu cognitionis, & *ſapientiae*, quae ad imaginem diuinam pertinebant, in intellectu *tenebrae* ſunt, atque *ſtultitia*. * Et generatim quidem, maximum intellectus vitium eſt, quod ad res materiales corporeasque ſibi repraeſentandas, longe pronior eſt, quam ad ſpirituales, & materiae expertes. ** Speciatim, cum in intellectu imbecillitates variae, ignorantia, error, idearum confuſio & imperfectio, deprehendantur, hae in ſpiritualibus tantae ſunt, vt homines irregeniti non tantum ἐσκοτισμένοι, ſed omnino σκότος, *tenebrae,* dicantur, *Epheſ. IV, 18. V, 8.* *** Praeterea falſitas atque error, itemque fluctuatio in iudiciis, * ſummaque in ratiociniis peruerſitas, qua in rebus, ad ſalutem pertinentibus, miſere mortales ſe decipiunt, ** cum determinatione quadam ad praua, in omnibus intellectus operationibus conſpicua, *** hancce eorum miſeriam mirum in modum augent.

* Vt enim intellectus perfectiones, quibus imago diuina abſoluebatur, in *luce*, ſeu cognitione recta, & *ſapientia* conſiſtebant, vti ſupra oſtenſum ad *cap. praeced. §. 7.* ita imperfectiones, quibus per naturam intellectus inuolutus eſt, ad duo haecce ſumma capita, *tenebras* & *ſtultitiam*, reuocari poſſunt; conf. quae dixi *inſtitut. theol. moral. part. 1. c. 1. ſect. 2. §. 35.*

** Vnde contingit, vt plurimi notiones plane ineptas, & tantum non idololatricas, de rebus diuinis animo concipiant. Anthro-

Anthropomorphitarum deliria ex hocce promanaſſe fonte, nemo non intelligit; conf. *inſtitut. theol. mor. l. c. §. 8.*

*** Pertinent haec ad primam, quam vocant, mentis operationem. Atque in naturalibus rebus plurima eſſe, quae ignoramus, & ſcire tamen magnopere noſtra intererat, in multis etiam ideas rerum aut falſas & erroneas, aut obſcuras & imperfectas, nos habere, experientia docet. Ecquid enim frequentius, quam vt iis etiam, qui pro eruditiſſimis habentur, ignorantia, errores, & quae his ſunt ſimilia, exprobrentur? Vnde facile colligere licet, quanta in rebus ſpiritualibus hominum, luce praeſertim diuina nondum colluſtratorum, ſit caligo. Idque Paulus confirmat, quando homines nondum renatos ἐσκοτισμένους τῇ διανοίᾳ, itemque σκότος vocat, *Eph. IV, 18. V, 8.* immo quando *1. Cor. II, 14.* de homine ψυχικῷ ſolis naturae viribus inſtructo, quantumuis alias erudito, & ſapiente, dicit, non tantum, quod *non recipiat*, ſeu adſenſu adprobet, *quae ſunt ſpiritus Dei*, ſed &, *quod non poſſit ea cognoſcere*, (οὐ δύναται γνῶναι) ea ſcilicet ratione, qua τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ cognoſci debebant. Ad hoc quippe non ſufficit, vt ideas quasdam, cum notionibus ſcripturae ſacrae vtcumque conuenientes de rebus diuinis, & ad ſalutem hominum ſpectantibus, nobis formemus. Etſi enim hoc quandoque fieri queat, quamuis & ſaepius non fiat, & notiones hominum non renatorum ab iis, quas ſacra ſcriptura ſuppeditat, plurimum ſubinde diſcrepent, nondum tamen ita, ea, quae ſunt ſpiritus Dei, recte, & provt decet, cognoſcuntur; cum ea cognitio, quam ſcriptura requirit, quaeue adeo genuinae cognitionis nomine merito venit, *viua*, ſimul & *efficax* eſſe debeat. Talis autem quae non eſt, genuinae cognitionis nomen in rebus diuinis non promeretur. Ex naturali autem hominum corruptione, ſeu peccato originali, hoc procedere, vt cognitio rerum diuinarum non ita comparata ſit, prout eſſe debebat, nemo temere dubitauerit. Lucem his itidem dabunt, quae dicta ſunt *inſt. theol. mor. l. c. §. 10.* & *11.*

* Pertinent haec ad ſecundam mentis operationem, & de rebus ſpiritualibus ſunt intelligenda. In his enim vel maxime vanitas, peruerſitasque, itemque fluctuatio iudiciorum conſpicitur, vti dictum *l. c. §§. 12. 13. 14.*

** Tales ſunt σκολιοὶ illi λογισμοὶ, *peruerſi ſyllogismi*, ſeu vanae ratiocinationes, quae nos a Deo auertunt, *ſap. I, 3.* Naturae imbecillitas eſt, ſi homines non recte ratiocinentur; ſed accedunt variae cauſſae, quo minus in rebus ſpiritualibus id faciant. Prauarum autem eiusmodi ratiocinationum, ſeu ſophismatum, quibus improbi homines, in iis, quae ad illorum ſalutem pertinent, ſe ipſos decipiunt, exempla quamplurima experientia quotidiana ſuppeditat.

*** Determinatio iſta intellectus, atque pronitas ad mala, ex voluntatis prauitate originem ducens, vbique ſe exſerit, & in omnibus eius operationibus deprehenditur. Hinc enim plurimi, de rebus praeſertim diuinis, non ex veritate, ſed ſecundum adfectus, qui in illis dominantur, notiones plane alienas, aut falſas, immo longe ineptiſſimas, animo concipiunt; immo ad eas notiones, quae ex certo ſtudiorum genere animis illorum haerent, diuinarum rerum, aut aliarum etiam, ad quarum cognitionem deinde accedunt, conceptus attemperare adnituntur; vnde vberrima errorum, peruerſarumque opinionum ſeges. In iudiciis determinatio illa, ſeu pronitas ad mala, manifeſta eſt, & exemplis quotidianis comprobatur. Ea enim libenter vera eſſe credimus, atque talia eſſe iudicamus, quae vera eſſe, vt cupiditatibus noſtris blandiamur, cupimus, & vice verſa. Vnde facile intelligere licet, quam inepta hominum, qui cupiditatibus ſuis

ſeruiunt, de rebus ſpiritualibus ſint iudicia; cum τὰ πνευματικὰ etiam πνευματικῶς ſint diiudicanda, *1. Cor. II, 14.* Idemque & de ratiociniis falſis & peruerſis conſtat. Recte plurimi rationes ſubducerent, modo prauae illorum non obſtarent cupiditates, nec animi vitia vim intellectus cohiberent. Hinc, quod de ethnicis Paulus dicit, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, *Rom. I, 21.* id in plurimis, qui eamdem cum ethnicis vitae rationem ſequuntur, etſi chriſtianorum nomine veniant, deprehendere licet. Copioſius & haecce edifferui in *inſtit. theol. mor. part. 1. cap. 1. ſect. 1. §. 10, 15, 17.*

§. XVI. Atque hinc eſt, quod ipſa quoque *ratio* corrupta plane, atque deprauata paſſim dicatur. Quod tamen non de ratione *obiectiue* ſpectata, ſeu principiis rationis, ſi modo vera principia ſint, & limites a natura ſibi conſtitutos, non transgrediantur; ſed de ratione *ſubiectiue* conſiderata ſeu ipſo intellectu humano, eiusque facultatibus, intelligendum eſſe, res ipſa docet. *

* Diuerſimode equidem vox *ratio* accipitur; ſed ad duas hasce, quas innuimus, ſignificationes, reliquae facile reduci poſſunt. Et priori quidem modo, ſiue *obiectiue* ſi vox iſta capiatur, eam corruptam & deprauatam eſſe, nemo dixerit. Principia enim iſta rationis tum *formalia*, quae ad formam, modumque rite argumentandi pertinent, tum *materialia*, quae vel metaphyſica, vel phyſica, vel moralia ſunt, cum indubitatae, certiſſimaeque veritatis ſint, & ex notionibus rerum euidentiſſimis exſurgant, nemo ſanae mentis ea reiicere poteſt. Immo, haec ipſa principia *lumen rationis* recte vocantur, quod non minus ac *lumen reuelationis*, Deum ipſum auctorem agnoſcit. Certe, qui iſta conuellere, & in dubium vocare vellet, ſcepticorum ludibrio omnia diuina atque humana exponeret. Ne quis tamen hic decipiatur, quod ſaepiſſime contingit, ſedulo obſeruandum, ſermonem nobis non eſſe de eiusmodi principiis, quae quilibet pro lubitu ſibi fingit, ſed, quae vera principia ſunt, & criteriis ſuis, veritate, & euidentia, rite dignoſcuntur; porro, haec ipſa principia ſuis limitibus eſſe circumſcripta, vltra quos minime ſunt extendenda; hinc & in adplicatione eorumdem caute verſandum, ne res ſupra rationem poſitas ad ea exigamus, aut aliquid iis repugnare, temere adſeramus, quod tamen non repugnat. In hisce omnibus enim ſaepius ab iis peccari, qui reuelationem rationi contrariam eſſe ſibi perſuadent, experientia omnes condocet. Poſteriori autem modo, ſiue *ſubiectiue* ſi *rationis* vox accipiatur, tum quidem rurſus monendum, non ita intellectum hominis cum ſuis facultatibus hic ſpectari, prouti eſſe debebat, ſiue etiam, prouti in ſtatu integritatis fuit, ſed prouti hodie in hominibus nondum renatis eſt. Atque tum quidem rationem, hoc eſt, intellectum corruptum valde, cumprimis in ſpiritualibus, penitusque deprauatum eſſe, non tantum ex imperfectionibus illis, quae in ſingulis eius operationibus conſpiciuntur, ſed & vel maxime, illarum ad praua quaeuis determinatione, & pronitate, ex voluntatis peruerſitate, prauisque cupiditatibus orta, liquido conſtat. Idque & ſcriptura ſacra confirmat, quippe iuxta quam ratio hoc modo ſpectata caeca eſt, *2. Cor. IV, 4.* tenebris obſcurata, *Epheſ. IV: 18.* οὐ δύναται γνῶναι, *1. Cor. II, 14.* immo ἀνόητος eſt, *Tit. III, 3.* & ἀσύνετος, *Rom. I, 21.* Cumque ratio hominum impiorum cupiditatibus carnis ſubiecta, & veluti addicta ſit, nihil aliud, quam φρόνημα τῆς σαρκὸς eſt, de quo Paulus dicit, quod *mors* ſit,

Digitized by Google

ſit, *Rom. VIII, 6.* immo, *inimicitia aduerſus Deum, ib. v. 7.* Nimirum, licet ratio principia quaedam fidei vtcumque cognoſcat, & ceu vera admittat, ea tamen, quae ad vniuerſum ſalutis ordinem ſpectant, ſeu, quae ſunt τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, *1. Cor. II, 14.* quaeue inter ſe ſunt coniunctiſſima, nec vt decet, cognoſcit, nec reuera admittit, etſi κατὰ πρόφασιν hoc quandoque fiat, ſaltem firmiter de iis perſuaſa non eſt, quin potius reluctatur, adeoque ad minimum in adplicatione ſe inimicam prorſus & aduerſam conſilio Dei de hominum ſalute, demonſtrat. Atque hinc etiam intelligitur, quo ſenſu omnes λογισμοὶ deſtruendi ſint, & πᾶν νόημα captiuandum ſub obſequium Chriſti, iuxta effatum Pauli, *2. Cor. X, 5.* Sed haec omnia fuſius a me ſunt explicata *inſtitut. theol. moral. part. 1. c. 1. ſect. 2. ſſ. 20. ſeq.* Non luculentiori documento grauiſſima illa intellectus, ſeu rationis, de qua hactenus diximus, corruptio ac deprauatio ſeſe prodit, quam in vitiis illis notiſſimis, quae diuinae veritatis cognitioni oppoſita ſunt, quibusue quotidie innumeri homines in transuorſum acti, in praecipitia ruunt, qualia ſunt, *ſcepticismus, religionum indifferentismus, rationalismus, naturalismus, haereſis;* de quibus itidem ex inſtituto dictum, *inſtitut. theol. moral. part. 1. c. 1. ſect. 2. §. 27. ſeq.*

§. XVII. Ad iſtam intellectus corruptionem cum maxima accedat voluntatis peruerſitas, non poteſt non ſumma inde in rebus diuinis & ſpiritualibus reſultare *ſtultitia*; qua ad ea eligenda, & amplectenda, quae noxia ſunt, repudianda autem, quae vtilia eſſe poterant, mortales inducuntur. Atque hinc ea, quae ſummam ſapientiam arguunt illis μωρία ſunt, *1. Cor. II, 14.* Non minus tamen & in naturalibus ſubinde ſtultitiae iſtius documenta ſeſe produnt. *

* Quemadmodum ſapientia virtus eſt intellectus, quae tamen ſimul ex voluntate rite emendata oritur, ſaltem ſine ea eſſe nequit, ita & ſtultitia vitium quidem intellectus eſt, quod tamen ſimul ex voluntate, prauis cupiditatibus maximopere corrupta, originem trahit. Vbi ergo cum intellectus corruptione magna conſpirat voluntatis peruerſitas, non poteſt non progigni ſtultitia, quae ſubinde tanta eſt, vt in rebus etiam ad rationis imperium ſpectantibus ſe exſerat, cumprimis tamen in rebus ſpiritualibus deprehenditur, *1. Cor. III, 19.* Indeque & improbi homines ſubinde *ſtultorum* nomine in ſcriptura ſacra veniunt, quos & characteribus luculentis deſignat Salomo, *prouerb. X, 23. XII, 15, 16. XVII, 10, 16, 24.* alibique. Licet autem iſta ſtultitia ſpiritualis in quibusdam maior ſit, eminentiorique quadam ratione conſpiciatur, quam in aliis, nemo tamen mortalium eius, ſi naturalem illorum conditionem ſpectes, prorſus expers cenſeri debet; quemadmodum & Chriſtus omnibus hominibus a Deo factus eſt σοφία, *ſapientia, 1. Cor. I, 30.* Atque hoc vel inde intelligitur, quod per naturam homines ita comparati deprehendantur, vt in rebus, ad ſalutem eorum ſpectantibus, ad ea, quae noxia illis ſunt, eligenda, atque amplectenda, longe proniores ſint, quam ad ea, quae reuera illis prodeſſe poterant. Hoc vero ſtultitiae documentum longe eſt certisſimum; quemadmodum contra vera ſapientia in eo ſeſe exſerit, quando homines bona a malis rite diſcernere apti ſunt, ea quidem ratione, vt illa eligant, haec autem reſpuant; vti ſupra iam obſeruauimus, ad *cap. praeced. §. 4.* Conferenda iterum, quae dixi, *inſtitut. theol. moral. part. 1. c. 1. ſect. 2.*

Digitized by Google

ſect. 2. §. 35. ſeq. De ſtultitia autem hacce pariter ac reliquis intellectus vitiis, quae hactenus commemorauimus, illud adhuc obſeruandum, etſi ad ea augenda, atque corroboranda, aliae etiam cauſſae, vt educatio, imitatio, conſuetudo, ignauia, aliaque voluntatis vitia, in iis quidem operationibus, in quibus vis quaedam, ſeu imperium voluntatis eſt in intellectum, accedant; primam tamen iſtorum omnium originem ex ipſa naturae humanae deprauatione, ſeu peccato originali, repetendam eſſe: ſiquidem in iſtis etiam hominibus deprehenduntur, nec tolli prorſus poſſunt, apud quos iſtarum cauſſarum, cumprimis externarum, aut vllam, aut inſignem quamdam efficaciam fuiſſe, dici nequit. Certumque adeo, non expertem horum vitiorum, praeſertim in ſpiritualibus, hominem fore, ſi vel maxime nec ab educatione, nec ab imitatione, ſimilibusque cauſſis, vllum corruptionis periculum intellectui eius immineret; etſi neutiquam negem, multum imminui iſta vitia, ſaltem in rebus naturalibus, poſſe, ſi cauſſae externae, corruptionem iſtam augentes, remoueantur. Sunt tamen ſubinde & ipſae illae, quae intellectus corruptionem augent, cauſſae, ita comparatae, vt ipſae corruptam per peccatum originale hominis naturam arguant, & ex ea originem ducant. Exemplo *praeiudicia* eſſe poſſunt, quae, vt plurimorum errorum, & imbecillitatum, cumprimis & in ſpiritualibus, cauſſae exſiſtunt, ita corruptionis naturalis, qua hominis intellectus laborat, partem haud exiguam ipſamet conſtituunt. Quod itidem a me iam obſeruatum, *inſtit. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 2. §. 39.*

§. XVIII. Nec praetermittendi hic ſunt defectus in *imaginatione* & *memoria* conſpicui. Et imaginatio quidem, corporis motibus nimium excitata, & hinc mentis imperium reſpuens, extra limites ſaepius vagatur, ad abſona quaeuis hominem abripit, prauas cupiditates mouet, alit, fouetque, & non vnius calamitatis cauſſa exſiſtit. * Memoria denique, dum in dimittendis, quae retinere par erat, & conſeruandis, quae dimittenda erant, officio ſuo deeſt, itidem humanae imbecillitatis argumentum praebet. **

* Vt imaginationis, ſi recte ſe habeat, vſus eſt in variis vitae humanae partibus longe pulcherrimus, eaque ad res, quae ſenſibus externis percipiuntur, reuocandas, mentique iterum exhibendas, fuit neceſſaria; ita ob defectus contra, quibus laborat, praeſertim ſi vehementioribus agitata motibus, imperium mentis reſpuat, maximis, grauiſſimisque incommodis hominem exponit, & pro corruptionis naturalis documento luculentiſſimo recte habetur. Rationis namque vſum ita quandoque hominibus adimit, vt parum a furioſis diſtent. Saepius itaque contingit, vt eiusmodi homines id verum, vtile, bonum, pulchrum, egregium eſſe, firmiter credant, non, quod ratio, aut ſcriptura ſacra, eiusmodi eſſe docet, ſed quod ipſimet imaginationis impetu abrepti, hoc ita eſſe, ſibi perſuadent. Hinc & cum ab aliis hominibus iudicio & rerum aeſtimatione differant, ſe ſolos ſibi ſapere videntur, reliquos omnes caecos eſſe, atque errare exiſtimant. Augetur iſta mortalium miſeria, per vinculum arctiſſimum, quo adfectus coniuncti ſunt cum imaginatione. Inde enim contingit, vt indomita vis imaginationis numquam non adfectus excitet, quibus mirum in modum homines excruciantur, agitanturue, & ad peſſima quae-

quaenis abripiuntur; quemadmodum rurſus per adfectus mouetur & excitatur imaginatio, immo & determinatur, ad obiectum aliquod ita repraeſentandum, prout adfectui, qui dominatur, hoc eſt conueniens. Incommoda autem cum ex iſta imaginationis corruptione oriantur plurima, manifeſta tamen prae reliquis ſunt, quae in *enthuſiaſmo* & *fanaticiſmo* omnium oculis ſeſe offerunt. In hiſce enim humanae mentis morbis, quibus plurimos omni tempore infectos fuiſſe, hiſtoriarum annales teſtantur, & experientia quoque quotidiana nos condocet, quid corrupta vis imaginationis valeat, & quam facile mortales a recto veritatis tramite per eam auertantur, & in deuia abducantur, omnium euidentiſſime conſpicitur. De quibus, quae adhuc dici poterant, iam occupaui, in *inſtit. theol. mor. p. 1. c. 5. ſect. 5. §. 17. & ſq.* Repetendum autem hic de imaginatione eſt, quod antea de intellectus vitiis dixi, accedere & alias cauſſas, quibus corruptio eius augetur, & corroboratur, quas inter corporis conſtitutio, vitae, ſtudiorumque genus, & conſuetudo, eminent; primam tamen originem ab ipſa naturae humanae, per peccatum originale deprauatione, arceſſendam eſſe.

** Non tantum memoriae, ſed ingenii quoque, ſpeciatim ita dicti, atque iudicii defectus naturales, itemque determinatio ad mala, quae in hiſce conſpicitur, & quae hinc porro oriuntur in ſpiritualibus incommoda quam plurima, inter naturalis corruptionis, quae ad omnes propagatur, documenta, iure meritoque referuntur. Quod vt copioſius ediſſeramus, noſtri haud patitur inſtituti ratio. Idem iam indicaui *inſt. theol. mor. part. 1. cap. 1. ſect. 5. §. 27.*

§. XIX. In voluntate itidem abſentiam amoris diuini, atque virtutum, quae inde fluunt, ſeu, iuſtitiae, & ſanctitatis originalis, animaduertere licet; * non minus tamen & ſummam ad mala quaeuis propenſionem, quae per philautiam prauam, ſeu amorem ſui inordinatum, eiusque tres filias, ſeu vitia cardinalia, auaritiam, ambitionem, & voluptatis cupiditatem, ſeſe exſerit. **

* Ideo homines *in peccatis mortui* dicuntur, *Eph. II, 1.* Mors enim illa, vitae ſpiritualis, hinc & fidei, amoris diuini, omniumque adeo virtutum chriſtianarum priuationem denotat, & praecipue ad voluntatem ſpectat. Sequitur inde, quod homo ſibi relictus in ſpiritualibus nihil boni aut *velle*, aut *perficere* queat; & quod Deus ſit, qui vtrumque in regenitis operetur, *Philip. II, 13.* Sed pertinent huc etiam, quae ſupra ad §. 14. diſputauimus, vbi demonſtratum, peccatum originale in priuatione, ſeu abſentia iuſtitiae originalis, conſiſtere.

** Immenſam in voluntate hominis, ad mala quaeuis eſſe propenſionem, itidem iam demonſtratum eſt ad §. 14. Eam vero per philautiam prauam ſe exſerere, vel inde patet, quod in omni concupiſcentia philautia praua iſta conſpiciatur, immo inde vel maxime praua eſſe, intelligatur, quod homo omnia ad ſe ipſum, ad ſuam voluptatem, ſuum commodum atque honorem referat, cum omnia tamen ad Deum referre, & hunc ſupra ſe ipſum amare deberet. Accedit porro, quod, quidquid eſt vitiorum ac peccatorum, ex philautia iſta praua, ceu fonte & ſcaturigine omnis mali profluat. Quare & cum ſcriptura ἐπιθυμίαν ceu fontem omnis mali deſignat, *Rom. VII, 7. Gal. V, 16. Iac. I, 15.* philautiam iſtam prauam recte ibi intelligimus. Nolo repetere, quae copioſe hac de re dicta ſunt, *inſt. theol. mor. p. 1. c. 1. ſect. 4. §. 38. ſq.* vbi & de vitiis iſtis cardinalibus, auaritia, ambitione, & voluptatis cupidita-

 pidita-

piditate, ſeu, vt a Ioanne vocantur, *ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν* & *ἀλαζονεία τοῦ βίου, 1. ep. II, 16.* ex inſtituto dictum. Iuuat autem omnia haec paullo adcuratius conſiderare, & ad ſpecialiorem etiam omnium vitiorum, quae inde porro profluunt, cognitionem deſcendere, vt, quam late corruptio iſta naturalis pateat, quamue luculenter vis eius in omni vitae humanae genere, in omnibus cogitatis, dictis, factis ſeſe demonſtret, intelligatur. Quae quidem meditatio non ſterilis eſt, ſed in vitae chriſtianae praxi magna ſe commendat vtilitate: quin in vera ſui ipſius cognitione, quae genuina ad ſapientiam via eſt, vtramque fere facit paginam. Iterum vero & hic monendum eſt, ad augenda & corroboranda haecce voluntatis vitia alias quoq; cauſſas, vt educationem, imitationem, conſuetudinem, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, concurrere; cumprimis & conſtitutionem corporis, ad augenda aut determinanda haecce vitia plurimum valere; ſed omnes tamen iſtae cauſſae, quamuis non inſuper habendae ſint, tantam, tamque vniuerſalem, tamque profundam voluntatis corruptionem producere non poſſent, niſi prima eius origo per ipſam generationem naturalem menti hominis ineſſet. Agnoſcamus itaq; veriſſimum eſſe, quod ſeruator dixit: *Quidquid ex carne natum eſt, caro eſt; Io. III, 6.* Qui autem carnales ſunt, per ipſam naturae conditionem *τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσι*, ea ſaltem *ſapiunt*, adeoque & volunt, adpetunt, quaerunt, concupiſcunt, *quae carnis ſunt*, hoc eſt, concupiſcentiae illorum prauae conueniunt. Reliqua, quae & hac de re adhuc dici poterant, ediſſerui *inſtit. theol. mor. part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 78. ſeq.*

§. XX. Imbecillitas porro voluntatis in eo conſpicitur, quod corporis motus non tantum compeſcere nequit, ſed iis ſubinde abripitur; vnde *pugna* iſta *rationis atque adpetitus ſenſitiui*, in qua & haud raro ratio ſuccumbit, voluntatique, corporis motibus cedenti, victoriam relinquere cogitur. * Id quod cum vel maxime contingit, quando adfectus magno impetu ſaeuiunt; nouum hinc corruptionis naturalis argumentum exſurgit. **

* Nec de adpetitu ſenſitiuo, quid per eum intelligant, nec de pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, vna eademque omnium eſt ſententia. Mihi omnium adcuratiſſime hac de re philoſophari videntur, qui per adpetitum ſenſitiuum nihil aliud, quam ipſam voluntatem, prout rebus corporeis adficitur, intelligunt; vnde & pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, non in eo, quod partes inferiores cum ſuperioribus pugnent, vt ſcholaſtici doctores ſentiunt; nec in eo, quod voluntas cum motibus corporis colluctetur, quae CARTESII eſt ſententia; ſed in eo conſiſtit, quod ipſa voluntas velut ſecum ipſa luctatur, dum hinc a rebus corporeis, quae eam adficiunt, illinc a ratione, in diuerſas partes trahitur. Optimam hanc eſſe rationem, pugnam illam explicandi, oſtendi, in *inſt. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 6. ad §. 2. & 4.* Et eiusmodi quidem pugnam dari, & ipſa quemlibet experientia, & gentilium quoque ſcriptorum teſtimonia condocent: quorum quaedam GROTIVS adfert, ad *Matth. XIV, 9.* Magnam vero voluntatis infirmitatem, adeoque & corruptionem quamdam naturalem, in hacce pugna deprehendi, facile intelligitur. Namque & illud iam imbecillitatis argumentum eſt, quod rebus corporeis voluntas ita adficiatur, vt concupiſcat, quae noxia ſunt, aut concupiſcere nefas. Saepius porro ne reſiſtit quidem hiſce motibus, ſed ſtatim adprobat, quae ſenſibus placent; aut, ſi reſiſtit, rationis dictamine excitata, languide hoc facit, eaq; ratio-

ratione, vt tandem tamen ſuccumbat; quod ſi vero aliquando paullo acrius pugnat, victoriam non aliter obtinet, quam vt vni adfectui prauo alium aeque prauum opponendo, priorem vtcumque reprimat, ac in ordinem redigat. Atque vltimum hocce ſi contingat, rationi victoriam contra adpetitum ſenſitiuum tribuere ſolent, cum tamen reuera non ratio, ſed adfectus ille prauus, priori oppoſitus, eumdem vincat. Sic nihil frequentius, quam vt voluptatem per auaritiam, auaritiam per ambitionem homines reprimant; & hac ratione adfectum quemdam prauum ſe viciſſe ſibi perſuadeant. Ipſius ergo voluntatis infirmitas atque corruptio cum inde eluceſcat, patet, ineptam prorſus quorumdam, qui ex Pelagii diſciplina prodierunt, eſſe ſententiam, qui partes, quas vocant, ſuperiores, intellectum & voluntatem, integras eſſe contendunt, &, quidquid in homine eſt vitii naturalis, in eo conſiſtere putant, quod partes, quas vocant, inferiores, ſuperioribus non ita vt decet, pareant, ſed ſubinde reluctentur. Quae nec cum ſcriptura ſacra, nec cum ſaniori philoſophia conciliaueris. Adpetitus namque ſenſitiui cum ratione pugna, ipſam voluntatem corruptam arguit; & voluntatem quoque aeque ac intellectum in ſe ſpectatum, corruptionis iſtius minime expertem eſſe, abunde ſatis hactenus demonſtrauimus.

** Adfectus hominum, ſecundum naturae conditionem ſpectatorum, vel *mentales*, vel *ſenſitiuos*, ſeu *mixtos* eſſe conſtat; quorum illi ad voluntatem in ſe conſideratam, hi autem, prout rebus corporeis adficitur, pertinent. In vtrisque magna humanae naturae, ſpeciatim voluntatis, corruptio conſpicitur. Sed obſeruandum tamen, quosdam adfectus ſua natura malos eſſe, vt *odium erga alios homines*, *inuidiam*, & reliquos eiusdem generis. Qui &, vt non niſi in ſtatu peccati locum inueniunt, & poſt lapſum hominum ſe exſeruerunt, ita corruptam maxime etiam voluntatem hominis arguunt. Alii autem ſua natura ſunt indifferentes, vt *ſpes, laetitia, triſtitia, metus*; ſed, prout in hominibus nondum renatis exſiſtunt, numquam non mali ſunt; praeſertim vero, ſi aut circa obiectum illicitum verſentur, aut modum excedant, ſummam hominum miſeriam euidenter demonſtrant. Caliginem namque intellectui offundent, vt mala eſſe ſibi perſuadeat, quae bona ſunt, & bona, quae mala ſunt; voluntatem omni, in externis etiam, libertate priuant; vt ab iisdem iumenti inſtar, circumagatur, *prou. VII, 22.* ac in ſcelera ſaepe grauiſſima, perniciemque manifeſtam praeceps ruat. Immo &, ſi ſaepius recurrant, pronitatem quamdam, ſeu propenſionem menti inducunt, vt vel leuiſſima data occaſione, eosdem ſtatim motus ſentiat, eodemque modo abripiatur. Plurimum equidem, vt adfectibus vehementioribus quis obnoxius ſit, difficulterque illis modum ponat, corporis confert conſtitutio; plurimum etiam exorbitans vis imaginationis; ne quid de cauſſis externis, quibus aluntur, fouentur, corroborantur adfectus, dicam: quemadmodum vero & ipſa illa corporis conſtitutio, visque exorbitans imaginationis, naturae maximam corruptionem arguit; ita, quod nulla, aut exigua vis voluntatis ſit, hisce motibus reſiſtendi, eosque compeſcendi, vel, ne modum excedant, impediendi, eamdem corruptionem quam luculentiſſime comprobat. Quae ſpeciatim de corruptione naturae, in ſingulis adfectibus eluceſcente, dici poterant, huius loci non ſunt.

§. XXI. Originem atque cauſſas mali iſtius, quod omnes homines premit, non aliunde rectius, quam ex lapſu primorum parentum, repetere licet. De quo, quae Moſes, diuinus ſcriptor, refert, proprie, nec allegorice

Digitized by Google

intelligenda eſſe, & res ipſa docet, & in aliis locis ſcriptura luculenter oſtendit. Nec difficultates, quas nonnulli hic deprehendere ſibi videntur, tantae ſunt, vt non legitima verborum Moſis interpretatione tolli aut ſuperari queant. *

* Difficultates quasdam, quae negotium aliquod faceſſere alicui poſſe videntur, in hiſtoria creationis occurrere, negari nequit, etſi ita comparatae ſint, vt facile ſuperari queant ab iis, qui eo, quo decet, animo ad legendam & interpretandam ſcripturam ſacram accedunt. Nimirum, ſi de ſerpente naturali capias, quae Moſes narrat, mirum videri poteſt, ſerpenti ſermonem tribui, atq; rationem. Num vero bruta olim ratione fuere praedita? num loqui potuerunt, & cum hominibus miſcere ſermones? Id vero ſi non fuit, cur non mirata Eua eſt, bruti animantis dum audiuit vocem articulatam, dum ratiocinia percepit? & qui fieri potuit, vt, cum tanta ſapientia praedita eſſet, dolum non animaduerteret, & ab iſta fraude ſibi caueret? *De ſerpente*, inquit TH. BVRNETIVS, *qui adloqutus eſt Euam, & ad diffidendum Deo pellexit, mira hiſtoria. Beſtiam illam loqui poſſe, aut quacumque voce vti, praeter ſibila, nondum ſcimus. Sed quid de ea re ſciuiſſe Euam credemus? Si pro muto animali habuiſſet, ipſa loquela terruiſſet feminam, & ab omni ſermonis commercio pepuliſſet. Quod ſi loquax fuit, & ſermocinator ab initio ſerpens, perdiditque loquelam ob hoc facinus, quod pietatem, fidemque Euae ſuis blanditiis corruperat, hoc genus poenae neutiquam tacuiſſet Moſes; neq; leuius damnum, de lambendo puluere ipſius loco ſubſtituiſſet. Praeterea vis vnicum ſerpentum genus, vel omnes beſtias agri vocales fuiſſe, in paradiſo, vt olim arbores in nemore Dodonaeo? Si omnes, quid commiſere ceterae, vt vſum linguae perderent? Si vnicum ſerpentum genus hoc gaudebat priuilegio, foedum animal, & ab humana ſpecie alieniſſimum, qui potuit mereri prae aliis omnibus ſermonis gratiam & beneficium? Denique, cum omnis ſermocinatio includat rationis vſum, cuicumque animali ſermonem dederis, illud animal eo ipſo rationale conſtituis; archaelog. philoſ. l. 2. c. 7. p. 505. 506.* Non minus porro & illud ſuſpenſos, dubiosque quosdam tenebit, quod ſerpenti maledixiſſe dicitur Deus, cuius tamen maledictionis nullus adpareat effectus, cum & aliae beſtiae quam plurimae eodem loco hodie ſint, quam ſerpentes; quorum inſuper poena ſi fuerit, quod repant, neceſſe ſit, eos antea pedibus inſtructos fuiſſe, atque erectos inceſſiſſe; quemadmodum & experientiae repugnet, quod puluerem comedant, aut ſingularis inter ſerpentes & homines ſit inimicitia, ſiquidem aliae beſtiae ſint, quae longe foediores exſecrabilioresue hominibus videantur, quam ſerpentes. Quod ſi dicas, non ſerpentem mere naturalem fuiſſe, cui haec omnia tribuuntur, ſed diabolum, in ſerpente naturali latitantem, rurſus mirum videri poteſt, quod Moſes diaboli ne verbo quidem mentionem faciat, immo, ne leuiſſimum quidem eius rei veſtigium ſuppeditet, a calliditate contra ſerpentis totius ſcenae originem deriuet, & de eius etiam tantum, non autem diaboli poena, loquatur.

Atque ſunt haec eiusmodi, vt profanae mentis homines cauſſas praegnantes ſe habere exiſtiment, vt totam iſtam narrationem Moſaicam inter fabulas referant, atque ludicra commenta. Alii autem, vt ex hiſce difficultatibus ſe expedirent, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, cuncta, quae Moſes de lapſu primorum parentum commemorauit, ἀλληγορικῶς eſſe interpretanda; quod PHILONEM iudaeum, atque ORIGENEM feciſſe, eo minus mirum, quo maiori ſtudio & alias allegoricas interpretationes conſectabantur. Inter recentiores BVRNETIVS, quem

antea

antea iam laudauimus, cum Moſis narrationem de rerum omnium primordiis, ſimulque adeo de lapſu hominum, ſuis obſtare commentis videret, eamdem hic amplexus eſt Moſaicam narrationem interpretandi rationem. *Hos breues commentarios* inquit, *aut hiſtoriolas, de hominum, rerumque primordiis, ex ore Moſis ſine examine, ſine mora accipimus, & amplectimur. Apud alium vero ſi eamdem doctrinam legiſſemus, puta apud philoſophum Graecum, apud doctorem rabbinicum, aut Mahometanum, haeſiſſet animus in vnaquaque periodo, dubiis & obiectiunculis plenus. Hoc diſcrimen oritur non ex natura rei, aut materiae ſubiectae, ſed ab opinione noſtra, de fide & auctoritate ſcriptoris, vtpote diuinitus inſpirati. Hoc libenter agnoſcimus, nec dubitatur hoc loco de auctoritate ſcriptoris, ſed quo animo, quo conſilio, ſcripſerit, quo genere ſtili vſus fuerit, plebeio, an philoſophico; plebeio, inquam, non fabuloſo, quamquam eo nomine vti liceret, ſi de auctore exotico ageretur.* Hinc, cum de fabularum diuerſitate quaedam monuiſſet, & quaſdam narrationes eſſe dixiſſet, quibus veritas ſubeſt, non autem ſingulis apicibus, ſed, quoad ſummam rei, & propoſitum auctoris, ſubiicit: *Et ſi in hac claſſe narrationem, quae prae manibus, verſatur, collocaueris, ſaluo auctoris nomine & bonore, non indignabor; archaeolog. philoſ. l. 2. c. 7. p. 505.* Quibus quidem verbis ſe non ea, qua decet, reuerentia, diuinam litterarum ſacrarum auctoritatem proſequi, haud obſcure BVRNETIVS prodit; meritoque caſtigatus eſt ab auctore libri: *Moſes vindicatus*, qui & ſpeciatim *p. 148.* probat, hiſtoriam tentationis neutiquam parabolice ſeu allegorice interpretandam eſſe. BVRNETIO iungimus BALTH. BECKERVM, qui, ne ex iſta hiſtoria tentationis & lapſus hominum euinci queat, diabolum aliquid operari poſſe, omnem mouet lapidem, vt oſtendat, non proprie quae Moſes hac de re commemorat, ſed συμβολικῶς eſſe intelligenda, vt nihil aliud ſignificetur, quam, hominem ad exemplum diaboli peccaſſe, prauis ſuis obediendo cupiditatibus; eumque in finem omnes ingenii neruos intendit, vt difficultates, in litterali narrationis huius explicatione occurrentes, exaggeret; in *mundo faſcinato, lib. 2. c. 20. p. 123.* Accedunt his & alii, qui itidem aliis licet cauſſis inducti, a ſenſu litterali diſcedunt; vt illi, qui primum primorum hominum peccatum in congreſſu libidinoſo collocant, quem allegorice deſcripſerit Moſes. Nota ſunt IO. BAPT. HELMONTII & BEVERLANDI impia & obſcena commenta, a plurimis, vt par eſt, iam profligata, quos laudatos inuenies apud GRAPIVM, qui & ipſe ex inſtituto ea refellit, in *theologia recens controuerſa continuata, c. 6. qu. 2. p. 148. ſq.* Verum, iſti quidem omnes, quos hactenus commemorauimus, & ſi qui alii ſunt, qui eamdem viam ingrediuntur, nullam hactenus rationem praegnantem attulerunt, quae, vt litteralem hic deſeramus ſenſum, nos cogat. Ad incommoda enim, quae inde fluere videntur, quid reſpondendum ſit, deinceps oſtendemus. Nec eſt, quod de ſymbolica & hieroglyphica methodo dogmata proponendi, & quod Moſes in omni ſapientia Aegyptiorum eruditus fuerit, *act. VII, 22.* quidam multa nobis narrent. Voluiſſe enim Moſen hac methodo vti, aut reuera eam adhibuiſſe, probandum erat. Proprie autem, non ſymbolice, non allegorice, hic loquutum Moſen, vel inde conſtat, quod ceteroquin aliquid de re maximi momenti narraſſet, cuius ſenſum certum nemo adſequi poſſet. Proprie praeterea haec intellexerunt Salomoh, *Kohel. VII, 30.* auctor *libri ſapientiae, cap. II, 24.* Chriſtus, *Ioan. VIII, 44.* Paulus, *2. Corinth. XI, 3. 1. Tim. II, 14.* Ioannes, *1. ep. III, 8.*

Sunt equidem nonnulli, qui concedunt, reliqua omnia, quae Moſes narrat, litteraliter capienda eſſe; quidquid tamen de ſerpente dicitur, id omne de cacodaemone, qui & alias in ſcriptura ſacra ſerpentis nomine

Digitized by Google

mine veniat, intelligendum eſſe, contendunt. Sed nec hoc admitti poſſe, vel inde conſtat, quod quaedam de ſerpente hocce commemorantur, quae in diabolum non quadrant. Dicitur enim ſerpens fuiſſe *calliſſima omnium beſtiarum agri*. Quis vero diabolum inter beſtias agri retulerit? & quis diabolum intelligat, cum haecce a Deo in ſerpentem poena ſtatuitur: *ſuper ventre tuo gradieris, & puluerem comedes omnibus diebus vitae tuae*. Scio equidem, B. SEB. SCHMIDIVM in *collegio biblico priori, loco 4. dict. 1. p. 151.* verba haec ita exponere, vt cacodaemoni etiam conueniant. Sed coactam valde hanc eſſe expoſitionem, facile, qui eam expenderit, intelliget. Corruit vero hinc & illorum ſententia, qui exiſtimant, diabolum neutiquam ſerpente, ceu organo, vſum, ſed in ſpecie ſaltem ſerpentis adparuiſſe. Fatentur namque hoc ipſo, non fuiſſe verum ac naturalem ſerpentem. Nec tamen rurſus eousque extendenda eſt litteralis explicatio, vt diabolum prorſus excludamus, ſerpentemque mere naturalem fuiſſe ſtatuamus, FL. IOSEPHO hoc placet, *l. 1. antiquit. iudaic. cap. 1.* cui & alii ex ebraeae gentis doctoribus, immo nonnulli quoque ex chriſtianis, ſuffragantur. Verum, ſequetur inde, animantia, quae hodie bruta vocamus, ſpeciatim ſerpentes, ratiocinandi & loquendi facultate fuiſſe praedita, eaque deinceps priuata; quod & durum admodum, & ab omni veroſimilitudinis ſpecie alienum eſt, & iis quoque ſcripturae ſacrae locis repugnat, in quibus diſerte diabolo primorum hominum ſeductio tribuitur; *ſap. II, 24. Io. VIII, 44. apoc. XII, 9.* Paullo ſpecioſior illorum eſt ſententia, qui ſerpentem equidem verum & naturalem intelligunt, cum tamen neutiquam loquendi aut ratiocinandi facultate praeditum, ſed, qui exemplo ſuo, adſcendendo in arborem vetitam, & de fructibus eius comedendo, idque circa noxam, Euam, vt idem faceret, induxerit; id quod Moſes, more gentium orientalium, quae animantibus brutis ſermonem tribuere ſolent, deſcripſerit. Atque huc etiam quae R. ISAAC ABARBANEL hac de re diſſerit, redeunt. Quae tamen itidem admitti nequeunt, cum ita denuo ad allegoricam interpretationem ſit recurrendum, & ſerpenti huic diſerte talia tribuantur, quae in naturalem non cadunt, & a cacodaemone peracta, ex aliis ſcripturae locis conſtat, vti iam a me eſt obſeruatum, in *hiſt. eccl. V. T. tom. 1. per. 1. ſect. 1.* ad *§. 23. p. 120.*

Atque haec cum ita ſe habeant, nihil aliud ſupereſt, quam vt ſtatuamus, diabolum ſerpente naturali, ceu inſtrumento, vſum, ad ea peragenda, quae animo conceperat. Id enim vt admittamus, neceſſe eſt, cum quaedam in hacce narratione occurrant, quae tantum ſerpenti naturali; quaedam rurſus, quae tantum diabolo, conueniunt. Quod ſi cauſſam, cur cacodaemon ſerpente vſus ſit, cum & ipſe corpus ex aëre formare ſibi potuerit, ignoremus, & alia quaedam, quae hic occurrunt, ceu obſcuriora, non ſatis a nobis intelligi, fateri neceſſe habeamus, ideo tamen res ipſa tam luculenter a Moſe deſcripta neutiquam in dubium vocanda. Licet tamen ad difficultates ſupra propoſitas regerere, quae iis tollendis ſufficiant. Bruta animantia, ſpeciatim ſerpentes, loquendi ratiocinandique facultate praeditos fuiſſe, vt concedamus, neceſſe non eſt, cum ſtatuamus, cacodaemonem per ſerpentem loquutum. Quod licet mirum videri potuerit Euae, ſimul tamen cogitare potuit, nondum naturam omnium animantium ſibi perſpectam eſſe, adeoque nunc demum ſe cognoſcere, eſſe inter ſerpentes quosdam, qui aeque ac homines loqui poſſint. Magna enim quamtumuis fuerit primorum parentum ſcientia, eos tamen omnia ſciuiſſe, aut omniſcientiam ſibi arrogaſſe, nemo dixerit. Hinc & intelligitur, fieri potuiſſe, vt Eua crederet, nullum hac in re ſubeſſe dolum. Praeterea, cum in tota hacce ſcena diabolus, & ſerpens naturalis, coniunctim egerint, & vnam

vnam velut conſtituerint perſonam, mirum non eſt, in poenae denunciatione quaedam ad cacodaemonem ſpectare, quaedam autem ad ſerpentem naturalem. De inimicitia inter ſerpentem & hominem conſtituenda, quod dicitur, ad cacodaemonem pertinet; vnde corruit, quod obiicitur, inter homines & ſerpentes ſingularem quamdam inimicitiam non deprehendi. Maledictionis autem effectus omnino in ſerpentibus conſpicitur, cum nihil obſtet, quo minus ante hominum lapſum pedibus fuerint inſtructi. Etſi enim hoc alibi non legatur, ex ipſa tamen hacce maledictione diuina recte colligitur. Nec eſt, quod dicas, ſerpentem non peccaſſe, adeoque nec puniri potuiſſe. Nihil enim ſollemnius, quam vt ad ſceleris deteſtationem poena, aut eiusmodi quid, quod poenae ſpeciem habet, ad inſtrumenta quoque, quibus delictum aliquod perpetratum eſt, deriuetur. Quare & reliqui ſerpentes, etſi ad hominis ſeductionem nihil contulerint, eamdem tamen merito ſubierunt conditionem, vt vel inde, quam enorme cacodaemonis & hominum facinus fuerit, intelligeretur. Quod ſerpentes ſolo puluere veſcantur, nemo equidem dixerit; cum tamen humi repant, fieri aliter nequit, quam vt cum iis, quae lambunt, puluerem etiam abſorbeant. Atque ita verbis iſtis: *puluerem comedes omnibus diebus vitae tuae*, veritas ſua conſtat. Quod noſtrae denique ſententiae opponitur, Moſen diaboli in ſerpente latitantis nullam facere mentionem, immo, iſtius rei nullum in eius narratione exſtare veſtigium, id perperam dicitur. Etſi enim diſerte diabolum, ſeu cacodaemonem, non nominet, ex ipſo tamen ſermone, quem ſerpenti tribuit, aperte ſatis colligere licet, non de ſolo ſerpente naturali eum loqui, ſed ſubſtantiam ſimul quamdam, intellectu & voluntate, ſummaque ſimul malitia praeditam, innuere, quae alia, quam cacodaemon eſſe nequit. Poena autem, quod ad cacodaemonem non minus, quam ſerpentem naturalem ſpectet, iam antea monuimus. Atque haec de vero & genuino narrationis Moſaicae ſenſu dicenda fuerunt, ne incerto & lubrico fundamento ſuperſtructa cenſeri queant, quae de primo peccati humani in mundum introitu, ſeu lapſu primorum parentum, diſputari ſolent.

§. XXII. Cauſſa itaque remota peccati originalis eſt diabolus, qui ſerpente naturali, ceu organo, vel inſtrumento vſus, ſermones cum Eua miſcere coepit, callideque id egit, vt praeceptum diuinum dubium primo redderet, hinc cupiditatem, ad perfectiorem ſtatum enitendi, in animis primorum parentum excitaret, & hac demum ratione ad legem diuinam violandam, eos induceret. Atque hac ratione mulierem adgreſſus, per eam etiam Adamum vicit, dum illa non tantum de fructu vetitae arboris comedit, ſed marito eumdem, vt comederet, tradidit. *

* Diabolum in ſerpente naturali latitantem, primos parentes ſeduxiſſe, adeoque pro cauſſa lapſus eorum, hinc & peccati originalis, recte haberi, ex antea dictis patet. Ideo & ἀνθρωποκτόνος, *homicida* ab initio fuiſſe dicitur, *Io. VIII, 44.* Nec dubium, quin inuidia ac liuore ductus, ad hocce facinus patrandum acceſſerit; quod & auctor libri *ſapientiae* confirmat: φθόνῳ δὲ διαβόλου *inuidia diaboli, mors in mundum intrauit, c. 2, 24*, Licet autem diabolus princeps, praecipuusque lapſus humani auctor exſtiterit, non tamen excuſandi ſunt primi parentes. Potuiſſent enim inſultibus eius obuiam ire, ſi modo donis, viribusque a Deo conceſſis, recte vti voluiſſent. Conditus enim homo a Deo erat ישר *rectus*, rectasque adeo & veras de bonis malisque notiones habens; ſed

ipſe

ipſe *quaeſiuit cogitationes* prauas *quam plurimas*, occaſionem praebente colloquio cum cacodaemone; conf. *Kohel. VII, 30.* Singulari autem infernalis ille genius, eaque fraudis & fallaciae pleniſſima methodo, vel μεθοδεία in decipiendis primis parentibus vſus eſt. Primo namque dubium proponit; *etiamne Deus dixit, ex nulla arbore paradiſi comedetis?* Plane ac ſi hoc ſibi minime veroſimile videretur. Primus nimirum ad veritatem conuellendam, hinc & peccatum eo facilius perſuadendum, gradus eſt, ſi dubitatio quaedam animo iniiciatur. Non vnico enim impetu, ſed ſenſim a veritate agnita mens hominum abducitur. Iam recte ſibi conſuluiſſet Eua, ſi eiusmodi ſermoni aurem non praebuiſſet, aut cum ſerpente in colloquium non deſcendiſſet. Sed non prorſus eum ſibi diſplicuiſſe ſermonem, teſtata eſt, reſpondendo, fructibus arborum paradiſi veſci equidem fas eſſe, at eius arboris, quae in medio paradiſi ſit, fructum a Deo ſibi interdictum; addita ratione: *ne moriamini.* Quibus quidem verbis haud obſcure ſignificat, ſi modo mortis poena non obſtaret, ſatis ſe pronam eſſe, ad guſtandum vetitae arboris fructum. Statim itaque hoc arripuit ſerpens ſeductor, atque ſpe ſucceſſus impudentior factus, quod vnice adhuc Euam in obſequio retinere animaduertebat, remoturus, non tantum diſerte negabat, ipſam morituram, ſi ederet, ſed, nefandum dictu! Deum ipſum velut inuidiae inſimulauit, ac ſi fructus huius eſu ideo illis interdixiſſet, ne oculis apertis, boni maliue cognitione ei adſimilarentur. Arboris nimirum denominationem in rem ſuam vertebat, & ſic vera miſcendo falſis, fraudem ſuam callide tegebat. Atque ita genius ille mendax tandem obtinuit, quod concupiuerat, ſequutusque externa etiam legis transgreſſione primorum parentum lapſus eſt. Summa autem ſeductoris calliditas in eo etiam adparuit, quod vxorem prius adortus eſt, quam maritum. Hoc enim ideo factum, quod mulier viro ſimplicior eſſet, faciliusq; decipi potuerit, CHRYSOSTOMVS, EPIPHANIVS, AMBROSIVS, aliiq; veterum, & ex Iudaeis etiam quam plurimi, non ſine ratione credunt. Addunt nonnulli, mulierem verbi, quod ipſa immediate non ex Deo, ſed a marito audiuerat, minus fuiſſe tenacem. Quidquid eius ſit, euentus docuit, hoc ſeductoris conſilium ſucceſſu non caruiſſe. Nec tamen exiſtimandum, Adamum tum demum tentari coepiſſe, cum mulier fructum arboris vetitae illi porrigeret. Quin potius, cum haud dubio praeſens fuerit, & Euae cum ſerpente colloquium audiuerit, eadem perſuaſio, quae Euae, illius quoque animum fregit, vt prauae hincin illo excitatae cupiditates eo facilius deinceps erumperent, cum vxor & exemplo, & fructus traditione, ad eamdem legis transgreſſionem eum inuitaret. Interim initium transgreſſionis internae & externae factum eſt ab Eua, quae adeo recte primum ſeducta dicitur. Quo ſenſu etiam capienda ſunt verba Pauli apoſtoli, quibus negare videtur, *Adamum ſeductum*, & adfirmare contra, *Euam ſeductam in transgreſſione fuiſſe, 1. Tim. II. 14.* Nec aduerſatur ſibi vir diuinus, quando *peccatum per vnum hominem in mundum introiuiſſe* adſerit, *Rom. V, 12.* per *vnum hominem* Adamum intelligens. Recte enim & hoc dici poterat, cum Adamus caput eſſet, & naturale, & foederale, totius generis humani, & generis porro propagatio viris, non feminis tribui ſoleat. Atque haec in compendio dicere hac de re viſum fuit: quae fuſius, qua praecipua capita, ediſſerui in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. 1. per. 1. ſect. 1.* ad *§. 22. p. 112. ſeq.*

§. XXIII. Hinc parentes primi pro cauſſa propinqua peccati originalis recte habentur. Et ipſi quidem lapſi ſunt, dum voci ſerpentis aurem praebuerunt. Inde enim primum incredulitas quaedam orta; dum verbo

diuino

diuino non eam, quam debebant, fidem adhibebant, tum voluntatis a Deo ad ſe ipſam ſequebatur conuerſio, ſeu philautia praua, per ſuperbiam, ſeu cupiditatem, ſimilitudinem cum Deo adſequendi, ſeſe exſerens, tandemque in actum externum, per fructus vetiti conſiderationem, cum adpetitu illicito iam coniunctam, comeſtionemque, erumpens. *

* Cum primi parentes citra controuerſiam actuum illorum internorum & externorum, quibus lex diuina violabatur, cauſſa fuerint; cumque ex iſta violatione peccatum, ſimulque mors, ceu poena peccati, ad omnes illorum poſteros fuerit propagata; nemo dubitauerit, quin recte pro cauſſa, & quidem proxima, peccati originalis habeantur. Idque & Paulus diſerte docet, cum διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, *per inobedientiam vnius hominis multos peccatores conſtitutos eſſe*, adſerit, *Rom. V, 19.* Atque hoc quidem cum poſitum ſit extra controuerſiam, de ordine ſaltem actuum internorum, quos lapſus primorum parentum complectitur, & quis inter eos primus fuerit? diſceptari ſolet. Sunt enim, qui in dubitatione, vel incredulitate; ſunt contra, qui in ſuperbia, quod Deo adſimilari voluerint, primorum parentum primum conſtitiſſe peccatum, contendunt. Et pro ſuperbia quidem plurimi Romanae eccleſiae doctores pugnant. Sed optimum, tutiſſimumque haud dubio eſt, ſi ordini narrationis Moſaicae adcurate inſiſtamus. Primum, quod ſerpens ſeductor in primos parentes vibravit, telum, fuit dubitatio de interdicto divino: *etiamne dixit Deus, ex nulla arbore paradiſi comedetis!* Hunc ſermonem non diſplicuiſſe Euae, antea obſeruauimus: quia ſcilicet per eum dubium aliquod haud ingratum in eius animo excitabatur, quocum tamen ſtatim motum quemdam concupiſcentiae inordinatum coniunctum fuiſſe, non negauerim. Hoc etiam ipſa in reſponſione ſua indicabat, haud obſcure innuens, metum mortis ſaltem obſtare, quo minus fructu arboris vetitae veſceretur. Qnod obſtaculum cum ſerpens ſeductor ita remoueret, vt perſuaderet Euae, nullum inde mortis ei imminere periculum, ex dubitatione ſtatim enaſcebatur incredulitas, qua aperte fidem denegabat verbo diuino; ſimulque concupiſcentia, ſeu philautia praua, incrementum capiebat, dum per iſtam adſimilationem Dei ſtatum ſuum multo meliorem fore, primi parentes ſibi perſuadebant, adeoque & ſpeciatim per ſuperbiam, ſeu animi elationem, philautia iſta praua ſeſe exſerebat. Ita ergo, cum iam animus a Deo auerſus eſſet, actus externus facile accedere poterat. Primo itaque ſequebatur arboris, eiusque fructuum contemplatio, cum adpetitu inordinato coniuncta, qua concupiſcentia praua, in animo iam dominans, magis excitabatur, & ad voluptatem ſimul, vt videtur, determinabatur; ſtatimque adeo eam excipiebat manus extenſio ad fructum illum carpendum, & tandem fructus comeſtio. Atque inde patet, quo pacto intellectus & voluntas ad lapſum huncce concurrerint; quamuis vtriusque facultatis actus inter ſe fuerint coniunctiſſimi: patet ſimul, plurimos actus prauos ſibi invicem ſucceſſiſſe, quibus lapſus iſte abſolvebatur. Quos quidem actus iunctim ſumunt, qui peccatum primorum parentum in *obedientia*, aut *legis transgreſſione*, conſtituunt; aut etiam, quod eodem fere redit, in *violatione foederis operum*, a Deo cum illis initi. Hinc vero intelligitur, peccatum hocce primorum parentum longe fuiſſe grauiſſimum: 1) quidem, quia complexus fuit multorum peccatorum, immo, nullum peccatum nominari poteſt, quod non aut explicite, aut implicite in iſto lapſu fuerit

fuerit comprehenſum; II) quia cauſſa fuit omnium peccatorum; quae deinceps ab ipſo Adamo, & omnibus eius poſteris, fuere commiſſa; III) quia nullus poſterorum Adami iis viribus, quibus tentationi ad peccandum reſiſtere potuerint, inſtructus fuit, ac Adamus. Facile hinc diiudicare licet, quo iure nonnulli, ex Romanae praeſertim eccleſiae addictis, negent, peccatum Adami omnium fuiſſe grauiſſimum. Quod ſi enim vel maxime peccatum aliquod poſterorum Adami, intuitu obiecti, & actus expliciti, qui circa illud verſatur, grauius videri queat, hoc tamen hic in cenſum non venit. Sed, cum non videam, quaenam ex hacce quaeſtione ad nos redundet vtilitas, operae pretium eſſe quoque non puto, ſuper ea cum quoquam magnopere contendere.

§. XXIV. Corrupta eum in modum, atque deprauata primorum parentum natura, non poterant non, qui ex illis progignebantur liberi, eamdem ſtatim in ipſa natiuitate ſecum adferre labem. Eaque adeo ratione corruptio iſta, ſeu peccatum originale, ad poſteros Adami, hoc eſt, omnes homnes, propagatum eſt; ſimulque intelligitur, quo pacto omnes homines in Adamo peccarint, mortique adeo etiam omnes obnoxii ſint; *Rom. V, 12.* Nimirum, cum per ipſum naturae ordinem aliter fieri non poſſet, quam vt ex corruptis parentibus corrupti liberi naſcantur; omnia ea, quae corruptionem iſtam ſequuntur, non poterant non hominibus omnibus incumbere. Vnde & omnes natura filii irae ſunt, *Epheſ. II, 3.* Accedit vero, quod in foedere operum Adamus non tantum caput naturale humani generis, ſed & foederale fuerit; vnde & delictum ab eo commiſſum poſteris eius imputari potuit, praeſertim, cum & illis iam corruptio, quae peccati rationem habet, poenamque ſecum vehit, per naturalem generationem inhaereat. *

* Vt eo rectius, quae hac de re diſputari ſolent, intelligantur, ſimulque ordine incedamus, ad tria cuncta reuocare iuuat capita; primo, naturae corruptionem per naturalem generationem ad omnes Adami poſteros propagari; deinde, eam corruptionem, ceu veri nominis peccatum, iram Numinis, adeoque & poenam, mortem naturalem & aeternam, ſecum vehere: denique, cum Adamus, quando per legis transgreſſionem ſtatu integritatis excidebat, ſimul vt caput foederale humani generis ſpectari poſſit, recte dici, eius quoque peccatum poſteris illius fuiſſe imputatum.

Ad primum quod attinet, eo minus hoc negari poteſt, quo luculentiora ſunt ſcripturae effata, quibus hoc comprobari poteſt. Diſerte enim ſeruator dicit: ***Quidquid ex carne natum eſt, caro eſt, Io. III, 6.*** Cumque carnem ibi opponat ſpiritui, per eam nihil aliud, quam naturae humanae corruptionem, quae per naturalem generationem ad omnes propagatur, & per regenerationem emendanda eſt, intelligere poteſt. Pari ratione & Iobus: ***quis dabit mundum ex immundo? c. XIV, 4.*** hoc eſt, cum omnes ex immundis parentibus naſcantur, per ipſam generationem naturalem nemo eſt omnium mortalium, qui non ſit immundus. Quod & Dauid confirmat: ***ecce! in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea, pſ. LI, 7.*** Sed, cum ſupra iam ad §. 13. huius capitis, dum ibi euinceremus, dari peccatum originis, luculenter hoc

hoc demonſtratum ſit, vt aliquid hic addamus, neceſſe non eſt. Idem vero & inde conſtat, quod Adamus in ſtatu integritatis, adeoque & quando labebatur, vt caput naturale omnium hominum conſiderandus ſit. quod itidem ad *cap. praeced. §. 16.* euictum eſt. Supereſt ergo, vt illud ſaltem obſeruemus, propagationem iſtam corruptionis naturalis non ad corpus tantum, ſed cumprimis etiam ad animam ſpectare. Sunt namque, qui ad ſolum corpus eam reſtringunt, quod praeter alios etiam CHAVVINVS facit, ita hac de re pronuntians: *peccatum illud originale in nepotes diffundi per corpus, adſerimus, eique totum conceptionis initium in ſolidum adſcribimus, ne Deum in noſtram nequitiam conſociemus; de relig. nat. part. 3. c. 4. p. 345.* Verum, cum ex hactenus dictis abunde conſtet, peccatum originale ex parte intellectus, lucis, ſeu cognitionis, & ſapientiae ſpiritualis, ſanctitatis autem, & iuſtitiae ex parte voluntatis, priuationem, ſimulque inexplebilem ad mala quaeuis propenſionem denotare; hinc vero etiam ſequatur, quod & deinceps pluribus comprobabimus, praecipuam eius ſedem in mente quaerendam; manifeſtum eſt, propagationem eius ad ſolum corpus referri non poſſe. Exiſtimat equidem CHAVVINVS, niſi ad ſolum corpus referatur, culpam inde in Deum redundaturam, quod vtique vel cogitare nefas eſt. Haud dubio ad vexatam illam de origine animae quaeſtionem reſpicit, quae hic vel maxime in cenſum venit. Promte equidem hinc ſe expediunt, qui animam per traducem propagari contendunt. Ita enim facile intelligitur, quo pacto ſimul corruptio illa naturalis in homines, qua mentem pariter ac corpus transfundatur. Quod ſi autem animam a Deo creari adſeras, maximum illud ſemper remanet dubium, vnde itaque labes illa originalis, qua eam infectam credimus? Siue enim cum illa a Deo creari, ſiue innocentem produci, ac ex corporis commercio eam contrahere adſeras, vtrumque cum iuſtitia pariter ac bonitate Dei e diametro pugnat. Hinc & poſterior haec ſententia, quae creationem propugnat, iis, qui cum Pelagio peccatum originale negant, haud ingrata eſſe poteſt; vti contra prior, quae eius originem ex traduce deriuat, illis non placere nequit, qui Pelagianis maxime ſeſe opponunt; etſi ideo non omnes, aliis cauſſis inducti, haſce hypotheſes inter ſe iungant. Sed cum vtraque ſententia incommodis maximis prematur, rectius mea opinione ſibi conſulunt, qui neutram eligunt, & in eo adquieſcunt, quod vi benedictionis diuinae; & iuxta ordinem a Deo conſtitutum, poſito, nec impedito actu generationis, ſtatim exſiſtat anima, etſi modus, quo hoc fiat, a nobis ignoretur. Hinc & cum generatione naturali labem originalem propagari, praeeunte ſcriptura ſacra, adſerimus, etſi modus, quo illa anima inficiatur, nobis non conſtet. Repetenda hic, quae de animae origine fuſe ſupra diſputauimus, ad *l. 2. c. 2. §. 16.* Chauuini autem ſententiam ex inſtituto refutavi in *animaduerſionibus ad librum* eius *de religione naturali, c. 6. p. 557. ſeq.* Vt ergo ex dictis manifeſtum eſt, per generationem naturalem ad omnes homines peccatum originale propagari, ita ſimul patet, nihil hac in re inueniri, quod cum bonitate & iuſtitia Dei pugnet. Per ordinem enim a Deo ſemel conſtitutum, fieri aliter nequit, quam vt ex parentibus, quorum corrupta natura eſt, liberi eiusmodi procreentur, Nec a Deo, vt per miraculum ordinem iſtum naturae immutet, poſtulari poteſt. Hinc & pro poena reputari nequit, quod poſteri Adami ita naſcantur, etſi pro incommodo, ſeu calamitate, recte habeatur. Locumque adeo hic inuenit, quod & GROTIVS monet, quaedam occaſione delicti cuiusdam aliis imponi, quae tamen ex eodem, tamquam ex cauſſa, non fluunt;

Digitized by Google

l. 2. de iure belli & pacis, c. 21. §. 11. Idque Plurimis exemplis, ſi opus eſſet, demonſtrari poſſet. Si liberi innocentes propter delicta parentum punirentur, iniquum foret. At cum parentes per poenam opibus, honoribus, dignitatibus, ſpoliantur, incommoda quidem inde ſentiunt liberi, non tamen puniuntur, nec de iniuria quadam ſibi illata conqueri poſſunt. Atque ita in aliis quoque ſe res habet. Interim haud perfunctorie obſeruandum: etſi ipſa corruptio naturalis, ſeu peccatum originale, poena non ſit, poena tamen, ceu conſequens peccati neceſſarium, arctiſſimo vinculo cum eo eſt coniuncta.

Atque hinc ad alterum tractationis noſtrae caput deducimur, peccatum originale veri nominis peccatum eſſe, adeoque iram Numinis, poenamque grauiſſimam, naturalem & aeternam mortem, promereri. Eſt enim ἀνομία, adeoque & veri nominis peccatum. In defectu enim & cognitionis, & iuſtitiae ſanctitatisque, pariter ac propenſione ad mala quaeuis, discrepantia a lege diuina aperte conſpicitur. Nec obſtat, quod inuoluntarium ſit. Sufficit, quod cum lege diuina non conueniat; cum quaelibet ἀνομία, ſiue voluntaria ſit, ſiue inuoluntaria, ſit ἁμαρτία, *1. Ioan. III, 4.* Vbi autem peccatum, ibi etiam eſt reatus culpae & poenae. Haec enim a ſe inuicem ſeparari nequeunt. Vnde & omnes homines *natura filii irae* dicuntur, *Eph. II, 3.* At iniquum eſt, inquis, punire aliquem ob peccatum, quod ipſe non commiſit, vt ob vitae conditionem, in quam praeter culpam ſuam deuolutus eſt. Sed, licet peccatum originis eiusmodi quid ſit, quod a poſteris Adami non ſit perpetratum, hoc ipſo tamen, dum vnicuique homini inhaeret, ad eum, ceu cauſſam, recte refertur, adeoque & hactenus recte ei imputatur. Licet ergo calamitas ſit, quod praeter voluntatem ſuam, per naſcendi conditionem, in hunc ſtatum deuenerint, ideo tamen reatus culpae & poenae a peccato, quod ſiue ob perpetrationem, ſiue ob inhaeſionem alicui recte imputatur, auferri nequit. Obſtat enim iuſtitia diuina. Atque hinc etiam patet, ſi quis propter peccatum originis punitur, eum non tam ob alienum, quam proprium peccatum puniri. Simul tamen intelligitur, nullam illis fieri iniuriam, ſi peccatum Adami ipſis imputetur. Hoc enim nunc accedit, eſtque tertium illud caput, de quo nobis adhuc aliquid dicendum eſt.

Nimirum, cum ex hactenus dictis conſtet, per nexum naturalem cauſſarum & effectuum, aliter eſſe non poſſe, quam vt ex parentibus peccato corruptis, tales gignantur liberi, & peccatum quodlibet ſtatim ſequatur reatus culpae, & poenae; nihil vtique obſtat, quo minus etiam Adamus, dum lapſus eſt, vt caput foederale omnium hominum ſpectetur, & hac ratione dum omnes homines vna cum ipſo lapſi cenſentur, peccatum quoque eius omnibus imputari dicatur. Id namque eſt, quod & Paulus nos docet, quando *per vnum hominem peccatum, & per peccatum mortem in mundum introiiſſe, & ita ad omnes homines penetraſſe*, ait, ἐφ' ᾧ *in quo*, vel *eo quod omnes peccarunt; Rom. V, 12.* Siue enim voculas: ἐφ' ᾧ vertas *in quo*, ſiue, *eo quod*, perinde eſſe, nec noſtrae obſtare cauſſae, ſupra iam obſeruauimus. Et ſane, τὸ ἐφ' ᾧ ad peccatum Adami referendum eſſe, vel inde patet, quod ceteroquin apoſtolus dicere non potuiſſet, per *vnum hominem* peccatum, ſimulque mortem, in mundum introiuiſſe. Si ergo in vno homine omnes peccarunt, vnius iſtius hominis peccatum recte omnibus imputatur. Neque tantum de Adamo, prout eſt caput humani generis naturale, ſed & foederale, hoc intelligendum eſſe, ſupra iam ad *cap. praeced.* §. 16. demonſtrauimus: vbi & reliqua, quae huc pertinent, iam delibauimus; quae adeo hic repetere, ſuperuacaneum

Digitized by Google

neum foret. Plurimos autem eſſe, quibus haec doctrina diſplicet, eos cumprimis, qui peccatum originale aut negant, aut extenuant, notum eſt. Cumprimis autem in Anglia vir cetera doctus, DANIEL WHITBY, peculiari *tractatu, de imputatione diuina peccati Adami poſteris eius vniuerſis in reatum*, Londini anno 1711. edito, eamdem ſibi ex inſtituto impugnandam ſumſit. Sed ſi ea, quae hactenus diximus, probe obſeruentur, haud difficile fuerit, ad rationes, quibus contra ſententiam noſtram inſurgit, reſpondere. Statim in limine in eo aberrat, quod ex primo Adami peccato mortem ſaltem corporis conſequutam, exiſtimat; ex cuius conſideratione variae oriantur in homine paſſiones, ſeu adfectus, qui eum valde ad vitium procliuem reddant. Hinc & diſerte pronunciat: *ſenſu metonymico omnes Adami poſteros ſub peccato naſci, id eſt, ſub ea rerum oeconomia, quae nos paſſionum impetui, & adfectuum motibus ita ſubiicit, vt vix, ac ne vix poſſibile ſit, nos innocentes, legique diuinae morigeros, per integram vitam perſeuerare, cap. 1. p. 8.* Negat itaque, peccatum originale in intima mentis corruptione, quae omnibus connaſcatur, conſiſtere. Id vero perperam, & ſine vlla ratione ab eo fieri, ſatis, puto, ſuperque liquet ex iis, quae copioſe hactenus ea de re diſputauimus. Atque hoc merito in hacce, de imputatione peccati Adamitici, quaeſtione, fundamenti loco ponitur. Iam ad rem ipſam quod attinet, negat auctor, atque pernegat, peccati originalis ideo nos reos eſſe, quod labes iſta in nos ſit transfuſa, & per naturalem generationem propagetur; quam quidem ſententiam AMYRALDO atque PLACÆO tribuit. Et primo quidem ita rationes ſubducit: *ſi, quidquid vim generandi habet, ſibi ſimile generat, vt adeo immundus ab immundo, corruptus a corrupto, caro a carne generetur, ſequetur inde, quod vice verſa a mundo mundum, a ſancto ſanctum, a ſpirituali ſpirituale producatur ſemen; adeoque ſanctorum liberi, immo, ipſius Adami, poſtquam poenitentiam egit, nullo vitio naturali erunt obnoxii; c. 4. p. 52.* Quod quidem quam infirmum ſit, nemo non perſpicit. Enimvero, ſi ipſa natura humana prorſus integra, munda, minusque corrupta eſſet, vtique liberi tales manſiſſent, quales parentes erant. Iam vero, licet poſt lapſum quidam homines, qui ad Deum conuertuntur, atque regenerantur, corruptam naturam emendent, ne peccatum in iis regnet, neue ei obediant, *Rom. VI, 12.* vt adeo hac ratione ſancti dici queant, ipſa tamen corruptio non plane tollitur, adeoque fieri aliter nequit, quam vt ab iis etiam liberi naturali corruptione commaculati, procreentur. Hinc & Adamus ipſe, etſi poenitentiam egerat, quia tamen peccatum, quo eius natura corrupta erat, penitus exuere non poterat, Sethum genuit, non *ad imaginem Dei*, ſed *ad imaginem ſuam, Gen. V, 3.* Addit auctor porro, fieri poſſe, vt, qui a carnalibus genitus eſt parentibus, quando ad vſum rationis peruenerit, carnis adfectibus ſubiiciatur; inde tamen non ſequi, ipſam infantum naturam iam corruptam eſſe. Atque hinc, quod ſeruator dixit: *quod natum eſt ex carne, caro eſt*, ita intelligendum putat; *quod natum eſt ex carne, adpetitus & concupiſcentias carnales, cum adoleuerit, producet. Certum etenim eſt*, inquit, *infantes ab ipſo vtero materno adpetitus carnales non edere, aduerſus ſpiritum non concupiſcere &c.* Verum, etſi concupiſcentia praua non eo modo in infantibus ſeſe exſerat, quo in adultis, inde tamen non ſequitur, quod omnis concupiſcentiae praua ſint immunes. Vnde autem concupiſcentia illa praua in adultis? Certe, iuxta ipſum illud ſeruatoris effatum, non aliunde, ſi primam originem ſpectes, quam a naturali corruptione. Ideo enim homines *caro*, hoc eſt, *carnales* ſunt, quia *ex carne ſunt nati.* Refellere autem porro

Digitized by Google

noſtram ſententiam inde adnititur, quod abſurdum ſit, ſtatuere, *Deum animum humanam puram, ex manibus ſuis prodeuntem, ita corpori infundere, vt primo vnionis momento omnes eius facultates deprauentur, vt nec bonum facere, nec malum vitare queat, &c. c. 4. p. 58. ſeq.* Quod quidem dubium illis negotium aliquod faceſſere poteſt, qui animas hominum per creationem produci exiſtimant. Nos autem non ferit; quia antea iam, quae noſtra de animae origine ſit ſententia, explicauimus. Hinc ad illud progredimur, quod itidem vrget: *nullam eſſe legem, quae nos ita naſci prohibeat; vbi autem nulla lex eſt, nullam quoque eius eſſe transgreſſionem, adeoque & peccatum nullum.* Quod plane ſophiſticum videri poteſt. Etſi enim nulla lex ſit, quae nos ita naſci prohibeat; ipſa tamen lex naturalis ab omnibus creaturis ratione praeditis poſtulat, vt in eo ſtatu ſint, in quo ſecundum voluntatem creatoris eſſe debebant, vt eum, ceu creatorem, rite colere poſſint; quemadmodum & homines angeloſque ita creauit, vt omnes, & illorum etiam poſteri, eo in ſtatu eſſe poſſent. Si qui ergo citra culpam creatoris in eo ſtatu non ſunt, eos lex iure meritoque damnat, dum non aliter, quam transgreſſoris legis, ſeu peccatores, conſiderari poſſunt. Sed inſtat vlterius: *quod naſcendo in nos deriuatur, non poteſt eſſe noſtrum peccatum; cum penes nos non ſit, naſci, vel non naſci, ſed plane inuoluntarium; l. c. p. 64. & 65.* At vero, noſtrum eſt, quod naſcendo in nos deriuatur peccatum, quia nobis inhaeret. Et licet penes nos non ſit, naſci, vel non naſci, poſtquam tamen in corruptione nati ſumus, non poſſunt non in nos redundare, quae corruptio iſta neceſſario ſecum trahit. Eſt ſane peccatum illud inuoluntarium: attamen peccatum eſt, ſeu labes naturae noſtrae adſperſa, eamque intime peruadens. Peccatum autem non poteſt non ſtatim reatum culpae & poenae ſecum trahere. Sed mittimus reliqua, quae eiusdem ſunt generis, eoque tendunt, vt euincat, peccatum originale per generationem ad poſteros Adami non propagari. Praecipua ſaltem adhuc, quae auctor contra imputationem diſputat, expendemus. Non poſſe nobis peccatum Adami imputari, inde euincere adnititur, quia *nec idem numero, nec idem ſpecie peccatum cum Adamo commiſimus; c. 2. p. 36.* Sed, ſi generatim peccatum ſpectetur, prouti eſt transgreſſio legis vel omne illud, quod cum lege diuina non conuenit, quacum tamen non conuenire debebat, nemo non videt, peccatum Adami & poſterorum eius ſpecie idem vocari poſſe. Si quaeras, an numero idem fuerit? reſpondeo, actus ille transgreſſionis, quo Adamus lapſus eſt, non poteſt vtique phyſice vnus eſſe cum peccato poſterorum eius; at cum Adamus & poſteri eius tamquam vna perſona moralis, ſpectentur, hactenus etiam peccatum Adami & poſterorum eius, ceu numero vnum, morali aeſtimatione recte conſideratur. Vnde & argumentum pro noſtra ſententia oritur, iure peccatum Adami poſteris eius imputari, cum illius peccatum cum horum peccato non tantum ſpecie, ſed & morali aeſtimatione, numero vnum idemque fuerit. De peccato autem Adami, poſteris eius imputato, dum hic loquimur, eo modo hoc eſt intelligendum, quo imputationem iſtam antea explicauimus. Dum vero auctor porro ita rationes ſubducit: *peccatum Adami non poſſe eſſe noſtrum, ea tantummodo ratione, quod imputetur, niſi dicere velis, Deum imputando nos facere peccatores, quos tales non inuenerit; l. c. p. 36.* id illos quidem ferit, qui ex ſola imputatione diuina peccatum originale deriuant, & Adamum tantum pro capite foederali, neutiquam naturali, generis humani habent, de quibus *cap. praeced.* ad *§. 16.* dictum. Nobis hoc non obſtat, qui propagationem peccati originalis per generationem naturalem, fundamenti loco ponimus; & tum demum Adamum vt caput foederale totius generis humani

ſpectari

ſpectari poſſe, adſerimus. Noſtrum itaque omnino eſt hoc peccatum, quia per naturam nobis inhaeret. Atque hinc, quia inhaeret, & ideo noſtrum iam eſt, nulla nobis fit iniuria, quando etiam, prout in Adamo, ceu capite foederali, ſpectatis, imputatur. Idem etiam de hocce auctoris argumento cenſendum: *Adamum non magis fuiſſe radicem generis humani in primo peccato, quam in aliis omnibus, quae, antequam naſceretur ei filius, perpetrauit: omnia itaque redire ad voluntatem Numinis; hac autem ratione tandem conſequi, Deum eſſe auctorem peccati; quod abſonum ſit.* Hinc enim, fateor, qui ex ſola imputatione peccati Adamitici peccatum originale deriuant, vix ſe expedient. Sed in nos fruſtra hocce telum torquetur. Adamum enim radicem, ſeu caput naturale fuiſſe humani generis, negari nequit. In primo autem peccato, quod potius ita ſpectetur, quam in reliquis, quae commiſit, antequam naſceretur ei filius, ratio haec eſt, quod per primum peccatum ita penitus corrupta fuerit natura humana, vt ad poſterorum eius corruptionem inde deriuandam hoc ſufficiat. Immo, cum reliqua peccata Adami, conſequentia ſaltem & effectus primi peccati fuerint, in cenſum vt veniant, neceſſe non eſt, quando de corruptione eius poſterorum quaeſtio inſtituitur. Atque haec cum ita ſeſe habeant, & poſt primum peccatum commiſſum, ſingularis actio iudicialis accederet, qua Deus in Adamum, Euam, & ſerpentem, ſimulque omnes Adami poſteros ſententiam pronuntiabat; recte ſimul vt caput foederale ſpectatur, vt tamen fundamentum ſententiae a Deo latae, in ipſa natura Adami, omniumque eius poſterorum, quaerendum ſit, neutiquam autem a ſola Numinis voluntate repetendum. Qua quidem ratione Deus etiam pro auctore peccati haberi nequit. Tandem & hoc obiicit auctor, quod maxime abſonum ſit, infantes ob peccatum Adami aeternis cruciatibus addicere velle; *immo, infantes*, inquit, *poenis aeternis ſubiicere, ob peccatum Adami, eſt ſeuerius cum iis agere, quam cum ipſo diabolo, aut cum Adamo, qui peccatum ipſemet commiſit.* Sed iterum obſeruandum, infantes damnari, non ob ſolam imputationem peccati Adamitici, ſed ob peccatum illis inhaerens, quodue reatum culpae ac poenae neceſſario vinculo ſecum coniunctum habet. Addendum porro: ſi adoleuerint infantes, iuſtamque aetatem conſequuti fuerint, aeternam damnationem euitare poſſunt, ſi media, ad hoc a Deo hominibus oblata, amplectantur. Si vero vt infantes moriantur, damnantur quidem infidelium infantes, ſed ſtatus tamen illorum longe erit tolerabilor, quam adultorum hominum, qui eamdem ſortem ſubeunt, aut etiam diabolorum. Reliqua lubens praetereo, cum tanti non ſint, vt iis immorari fas ſit. Omnem equidem auctor mouet lapidem, vt euincat, ex loco *Rom. V, 12.* imputationem peccati Adamitici probari non poſſe, *c. 3. p. 42. ſeq.* Sed, qui verba apoſtoli recte conſiderauerit, &, quae hactenus diximus, expenderit, facile inueniet, quae ad ea, quae ille in medium attulit, reſpondeat.

§. XXV. Haec vero omnia qui probe conſiderauerit, ſtatim intelliget, Deum nullo modo lapſus primorum parentum, adeoque nec peccati originalis, cauſſam dicendum. Iis enim viribus dum homines inſtruxit, vt euitare peccatum potuiſſent, ſi modo voluiſſent, dici certe nequit, quod vllo modo eos labi voluerit. Retraxit vero etiam eos a lapſu, modo naturae humanae conueniente, oſtendendo illis ante lapſum, quid faciendum, quidue omittendum eſſet. Plura autem qui a Deo exigit, aut talia poſtu-

poſtulat, quae non niſi mutato naturae ordine fieri poſſunt, aut parum cogitat, quid homini conueniat quidue Deum deceat. *

* Quod primo loco diximus, Deum primos parentes iis inſtruxiſſe viribus, vt peccatum euitare potuiſſent, id ex iis, quae ſupra de imagine diuina, deque ſtatu integritatis, fuſe diſputauimus, abunde liquet. Idque & Salomo confirmat, quando dicit, *Deum feciſſe hominem* ישר *rectum, ſed ipſos* (primos parentes) *quaeſiuiſſe cogitationes multas*, quibus perniciem ſibi attraxerint, occaſionem hiſce cogitationibus praebente ſerpente ſeductore, *Kohel. VII, 30.* Quod vero etiam retraxerit eos a lapſu, vel grauiſſima illa, ſeueriſſimaque mortis comminatio, *Gen. III, 17. 19.* omnes abunde docet. Mortem itaque ac vitam Deus parentibus primis propoſuerat, oſtenderatque, non aliam eſſe viam, aut illam euitandi, aut hanc conſequendi, quam, ſi praecepta eius adcurate ſeruarent. Atque ſerio hic Deum cum parentibus primis egiſſe, euentus docuit. Poena enim grauiſſima, quae transgreſſionem legis inſequuta eſt, quamue & ipſi parentes primi experti ſunt, eorumque poſteri hodie adhuc experiuntur, hoc ſatis ſuperque comprobat. Quae omnia, qui recte ſecum expenderit, numquam dixerit, Deum primorum parentum lapſum aut voluiſſe, aut adprobaſſe. Cur ergo, inquis, non impediuit, aut, cur homines non ita creauit, vt labi non poſſent? Vetus haec cantilena eſt eorum hominum, qui omnis mali culpam libenter in Deum transferre vellent. Sed, cum illi, qui hocce nobis obiiciunt, a Deo aliquid exigant, quod nec ſapientiae diuinae, nec naturae hominis ſatis eſt conueniens, iniquum hocce illorum poſtulatam eſſe, nemo non intelligit. Sapientiae nimirum diuinae conueniens erat, ſecundum certum ordinem cum hominibus agere: a quo etſi per omnipotentiam ſuam diſcedere poterat, ſapientia tamen eius hoc non permittebat. Praeterea cum hominem ratione & libertate voluntatis inſtructum, prout naturae humanae indoles hoc requirebat, creaſſet, par vtique erat, vt cum eo ita ageret, vt homo ſe hominem eſſe, demonſtrare poſſet. Hoc autem fieri non potuiſſet, ſi peccatum per vim impediuiſſet, aut hominem aliter creaſſet. In futura equidem vita ea hominum erit conditio, vt peccare nequeant. Sed ea felicitate ſe non indignos eſſe, recto libertatis, in qua creati erant, vſu, demonſtrare debebant. Bene AVGVSTINVS: *Primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autem nouiſſimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum, hoc quoque Dei munere, non ſuae poſſibilitate naturae, &c. Seruandi autem gradus erant, diuini muneris, vt primum daretur liberum, quo non peccare poſſet homo, nouiſſimum, quo peccare non poſſet, atque illud, ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum praemium pertineret. Sed, quia peccauit iſta natura, cum peccare potuit, largiori gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit, &c. l. 22. de ciuit. Dei, c. 30.* Et alibi: *Sic enim oportebat prius hominem fieri, vt & bene velle poſſet, & male; poſtea vero ſic erit, vt male velle non poſſit, &c. Sed ordo praetermittendus non fuit, in quo Deus voluit oſtendere, quam bonum ſit, animal rationale, quod etiam peccare poſſit; quamuis ſit melius, quod peccare non poſſit; ſicut minor fuit immortalitas, ſed tamen fuit, in qua poſſet etiam mori, quamuis maior futura ſit, in qua non poſſit mori; enchirid. ad Laurent. cap. 105.* Quae quidem omnia qui rite penſitauerit, facile intelliget, Deum lapſus primorum parentum cauſſam minime dici poſſe. Idque

Digitized by Google

que agnoſcunt etiam reformatae eccleſiae doctores quidam, ſaltem recentiores; quos inter IO. MARCKIVS eſt, qui hocce equidem ſibi dubium mouet: *quod mutabilis ita creati hominis lapſum Deus decreuerit, & ſic ad lapſum eumdem plane determinauerit, aeterna & immutabili ſua voluntate, cui nulla creatura reſiſtere queat;* additque: *Et eſt iſta vere noſtra doctrina, quam ſcriptura & ratio ipſa inuicte probant. Siquidem hinc conſtat, a Dei independentis, & plane immutabilis conſilio aeterno fluere omnia, quae in tempore fiunt, & fiunt quocumque modo, etiam maxima, minima & peſſima. Vnde non poteſt ab hoc decreto eximi primus Adami lapſus, &c.* Deinceps tamen reſpondet, decretum hocce diuinum, de malis generatim ſpectatis, ſpeciatim de lapſu Adami, non eſſe *effectiuum*, ſed *permiſſum* tantum, & *directiuum*; in *hiſt. parad. l. 3. c. 4. p. 546. 553.* Quem in modum & GVRTLERVS ſuam hac de re mentem explicat, *inſtit. theolog. cap. 10. §. 59.* Et ſane, Deum mala poſſe permittere, vt ideo eorum cauſſa dicendus non ſit, lubentes concedimus: modo recte hoc intelligatur, prouti ſupra, ad *§. 10.* huius capitis monuimus. Quo pacto autem, quae ex nuda permiſſione fiunt, ſimul ex decreto quodam immutabili deriuari poſſint, & quo pacto hominum libertas cum eiusmodi immutabili decreto conciliari queat, id me non capere, lubens profiteor.

§. XXVI. Nec quiſquam dubitauerit, ad omnes omnino homines, nemine excepto, qui modo naturali gignuntur, malum hoc peruaſiſſe, quod & experientia docet, & ſcriptura teſtatur; *Rom. V, 12, 18.* * Sedes autem eius praecipue in mente eſt, cum intellectum pariter ac voluntatem eodem infectam habeamus; *Gen. VI, 5. Matth. XV, 19.* ſimul tamen etiam in corpore, varia ratione vim ſuam exſerit, atque demonſtrat; ** *Rom. VI, 12, 13. VII, 24.*

* Cum diximus, neminem hic excipi, eorum, qui modo naturali gignuntur, Chriſtum ſeruatorem nos excipere, palam eſt, quippe qui modo naturali genitus non eſt. Hinc & in omnibus nobis factus eſt ſimilis, ſed absque peccato, *Ebr. IV, 15.* Praeter Chriſtum autem cum de nemine dici queat, quod alio quam naturali modo genitus ſit, neminem quoque a peccato originali eximendum eſſe, conſequitur. In Romana equidem eccleſia ſunt, qui aut Ieremiam prophetam, aut Ioannem baptiſtam, aut Melchiſedecum hic excipiunt. Cumprimis autem quam plurimi pro beata virgine Maria acriter diſputant, eam absque peccato originali conceptam adſerentes. Orta tamen hinc lis acerrima eſt, vti neminem fugit, inter Franciſcanos atque Dominicanos, & per multa ſaecula continuata; illis, conceptam cum peccato originali beatiſſimam virginem negantibus, his illud adfirmantibus. Eſt autem obſeruandum, veterem eccleſiam conſtanter docuiſſe, omnes omnino homines labe originali inquinatos eſſe, ſolo Dei filio, redemtore humani generis, excepto. Saeculo demum decimo quarto, IOANNES DVNS SCOTVS, inter doctores ſcholaſticos ſubtilitatis laude clarus, idemque Franciſcanorum ordini addictus, docere coepit, Deum potuiſſe efficere, vt Maria numquam in peccato fuerit, aut momento tantum temporis, aut ad breue tempus, peccato fuerit obnoxia; ex quibus, quodnam veritati ſit conſentaneum, cum nemini mortalium, ſed ſoli Deo perſpectum ſit, primum tamen, ceu excellentius, Mariae probabili quadam ratione tribui poſſe putauit, niſi cum ſcripturae & eccleſiae auctoritate pugnet; *lib. 3. ſent. diſtinct. 3. qu. 1.*

Digitized by Google

Hoc itaque, quod SCOTVS, ſatis quidem modeſte, vt probabile tantum, &, quod fieri potuerit, propoſuit, adripuerunt deinceps Franciſcani, & tamquam certum & euictum propugnarunt; renitentibus quidem Dominicanis, ſed tandem ſuccumbentibus, cum ſocietati Ieſu addicti Franciſcanorum partes amplexi eſſent. Magnas enim cum ea controuerſia in eccleſia Romana turbas dediſſet, magniſque animorum motibus agitata eſſet, eo tamen tandem res deducta eſt, vt non tantum feſtum immaculatae corruptionis beatae virginis inſtitueretur, ſed in academiis etiam quibusdam conſtitueretur, neminem ad honores theologicos capeſſendos admittendum, niſi qui iure iurando huic ſe addictum ſententiae profiteretur. Originem, progreſſum, fata huius controuerſiae, pontificumque Romanorum tergiuerſationes in ea decidenda, ſcire, pigebit neminem: ſed haec exponere, huius loci non eſt. Dabunt plurima huc ſpectantia LVCAS WADDINGVS, in *hiſtoria legationis Philippi III & IV Hiſpaniae regum*; PETRVS DE ALVA ET ASTORGA, in libro Bruxellis anno 1663 edito, cui titulum fecit: *Funiculi nodi indiſſolubilis de conceptu mentis, & conceptu ventris &c.* ex quo excerpta dedit, B. VIELIVS, in *Romano-catholico dubitantio*, *in diſputatione de conceptione beatae virginis Mariae &c.* qui & ipſe in epicriſi *p. 135. ſeq.* varia ſuppeditabit. Nec poenitebit quemquam hac de re legiſſe FRID. VLR. CALIXTI *immaculatae conceptionis beatae virginis Mariae hiſtoriam*; itemque SCHERZERI diſſertationem, *an beata virgo ſit absque peccato originali concepta?* inſertam eius *anti-Bellarmino*, *p. 662. ſeq.* Falli autem eos, qui immaculatam, quam vocant, beatae virginis conceptionem adſerunt, inde patet, quod non tantum omni ſcripturae fundamento deſtituantur, ſed eamdem inſuper aperte ſibi repugnantem habeant. Cum enim generatim omnes omnino homines labe originali infectos doceat, *Ioan. III, 6. Rom. V, 12. 1. Cor. XV, 21, 22.* nec Mariam excipere fas eſt; praeſertim cum & ſcriptura ſolum Chriſtum excipiat, *2. Cor. V, 21. Ebr. VII, 26.* Sic & cum Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit, *2. Cor. V, 15.* & redemtor ſit omnium hominum, *1. Tim. IV, 10.* Mariam quoque ab eo redemtam fateamur neceſſe eſt. Si redemta eſt ab eo, etiam in peccato natam eſſe ſequitur. Qui hic inter redemtionem *liberatiuam* & *praeſeruatiuam* diſtinguunt, nihil aliud agunt, quam vt ingenii ſui commenta nobis narrent. Accedit, quod Maria naeuorum non fuerit expers, qualis erat incuria, in puero Ieſu amiſſo, *Luc. II, 43. ſeq.* & πολυπραγμοσύνη in nuptiis cananaeis, ob quam & a Chriſto reprehenſa eſt, *Ioan. II, 3, 4.* Hinc enim, ſine labe originali eam non fuiſſe, recte colligitur; ſimulque & illi refelluntur, qui in peccato equidem originali conceptam concedunt, poſtmodum autem ita purificatam addunt, vt omnium peccatorum actualium fuerit expers.

** Qui peccatum originale ea, qua poſſunt, ratione extenuant, eius ſedem non in mente, ſed corpore quaerendam exiſtimant. Et antiquus ſane iſte error fuit, cuius fontes ex intimis philoſophiae ethnicae penetralibus ſunt repetendi. Cum enim gentilium philoſophi veram mali originem ignorarent, plurimi in eam ingreſſi ſunt ſententiam, eam a materia, ſeu corpore, repetendam eſſe. Quacum ſententia hypotheſis de materia, altero rerum omnium principio, deque animarum ex diuina eſſentia emanatione, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, optime conſpirabant. Atque recepta haec erant plurimorum, Platonicorum maxime & Stoicorum placita, de quibus in ſequentibus recurret dicendi locus. Ea autem ad chriſtianae religionis dogmata incaute tranſlata, non poſſunt non mentem hominis a labe

labe originali eximere, & a ſolo corpore omnem corruptionem deriuare, quod illos cumprimis facere neceſſe eſt, qui animae originem in ipſa eſſentia diuina quaerunt. Enarrabimus haec omnia fuſius, quando deinceps hiſtoriam errorum in doctrina de peccato dabimus. Nunc illud ſaltem addendum, quantumuis in antiquis haereticis iſti errores damnati eſſent, Pelagium tamen naturae vires vltra modum euehentem, occaſionem dediſſe, vt iterum ipſa mens labis naturalis expers crederetur: cumque nihilo ſecius corruptio quaedam naturalis admittenda eſſet, ea in corpore quaereretur. Eo namque redeunt, quae ſcholaſtici doctores, Pelagii veſtigia legentes, hac de re diſputant, peccatum originis in *inferiore* tantum *animae parte* collocantes; ſuperiores autem vires, ſeu facultates, intellectum & voluntatem, eius immunes eſſe contendentes. Quo nomine & recte in *apologia Auguſtanae confeſſionis* hunc in modum notantur: *de fomite diſputant ſcholaſtici doctores, quod ſit qualitas corporis, & vt ſuo more ſint inepti, quaerunt, vtrum qualitas illa contagione pomi, an ex adflatu ſerpentis, contracta ſit? vtrum augeatur medicamentis? Huiusmodi quaeſtionibus oppreſſerunt principale negotium; p. 52.* Eamdem ſententiam auide deinceps arripuerunt & alii, qui recentiori aetate cum Pelagio peccatum originale aut negare, aut ſaltem extenuare, e re ſua eſſe duxerunt, vt qui in Socini, hinc & Arminii caſtris militant. Si quid enim tandem naturalis corruptionis admittunt, id omne in corpus transſcribunt. Hinc & de CHAVVINO antea iam ad §. 24. obſeruauimus, quod doceat, *peccatum originale ad nepotes diffundi per corpus.* Sed in noſtra quoque eccleſia auctor libri: *apoſtoliſcher Wegweiſer zur wahren Gerechtigkeit Gottes im neuen Weſen des Geiſtes*, qui & ſub titulo: *euangeliſche Vorſtellung der wahren Rechtfertigung &c.* prodiit, eamdem ſibi propugnandam ſententiam ſumſit, quod corruptio originalis tantum corpori inhaereat; cui ideo oppoſita eſt diſſertatio, meo ſub praeſidio habita: *de anima, ſede peccati originalis principali.*

Ad rem ipſam quod attinet, cum ex hactenus dictis abunde pateat, peccatum originale praecipue in abſentia, ſeu priuatione lucis vel cognitionis, itemque ſapientiae, neque non pronitate ad errores, perverſaque iudicia, & ratiocinationes, intuitu intellectus; ratione autem voluntatis, in abſentia iuſtitiae originalis, ſimulque inexplebili propenſione ad mala quaeuis, conſiſtere; ſatis etiam liquido conſtat, praecipuam eius ſedem non in corpore, ſed in anima, ſeu mente, quaerendam eſſe. Cognitionis enim abſentia, error, prauae ratiocinationes, ſtultitia, defectus, iuſtitiae, & reliqua, eiusmodi ſane ſunt, quae corpori tribui nequeunt. Atque hinc patet, quo pacto ex collatione peccati originalis cum imagine diuina, eadem haecce noſtra ſententia comprobari poſſit. Naturalem enim iſtam corruptionem, quae peccati originalis nomine venit, in locum imaginis diuinae ſucceſſiſſe, in confeſſo eſt. Imaginis autem diuinae ſedes praecipua cum in mente hominis fuerit, de peccato originali idem vt cenſeamus, par eſt. Et quis, quaeſo, aliter exiſtimaret, ſi verba iſta Moſis perpendat: *figmentum cogitationum cordis tantum malum eſt omni die, Gen. VI, 5.* Nec enim a corpore cogitationes formari, ſibi quisquam perſuaſerit, cum *cogitare* menti ita ſit proprium, vt non vlla re magis, quam cogitatione, a corpore diſtinguatur; adeo vt CARTESII quidam diſcipuli, ad ductum magiſtri, eſſentiam quoque mentis in cogitatione conſtituant. De peccato autem originali loqui ibi Moſen, poſitum eſt extra controuerſiam.

Nec negamus, corpus quoque hominis peccato originali obnoxium eſſe, ſed hoc

Digitized by Google

ſaltem contendimus, praecipuam eius ſedem in mente eſſe. Ceteroquin enim iam obſeruauimus, per corporis conſtitutionem, propenſionem, quae in mente eſt, ad praua, augeri ſubinde, aut etiam ad certam bonorum adparentium ſpeciem determinari. Eſtque corporis noſtri hodie conſtitutio ita comparata, vt vel leuiſſima ex cauſſa eiusmodi motus in eo excitentur, quibus mens ad illicita quaeuis abripiatur. Quae quidem pronitas ad eiusmodi motus, in omnibus corporis membris, praeſertim ſenſibus externis, eorumque organis, mirum in modum ſe exſerit, vnde ὀφθαλμοὶ μεστοὶ μοιχαλίδος, *2. Petr. II, 14.* Et licet corruptio iſta corporis atque membrorum per conſuetudinem augeatur, dum homines ante conuerſionem iis, ceu inſtrumentis nequitiae & impuritatis vtuntur; *Rom. VI, 19.* negari tamen nequit, ab ipſa natura eamdem iis ineſſe. Vnde Paulus de vniuerſali, adeoque & naturali omnium hominum corruptione verba faciens, *ſepulcrum*, inquit, *patens eorum guttur eſt, linguis ſuis ad dolum vtuntur, aſpidum virus habent in labiis; eorum os exſecratione, amarulentiaque plenum eſt, pedes ad fundendum ſanguinem veloces; exitium & calamitas eſt in eorum viis, & viam pacis neſciunt; Rom. III, 13, 14. ſeq.* Eamque ob cauſſam saepius admonemur, corporis vt habeamus rationem, ne viribus ita augeatur, vt mens iis reſiſtere nequeat, *Rom. XIII, 14.* Quod & Paulus ſuo exemplo nos condocere voluit: ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, *1. Cor. IX, 27.* qui & Romanos adhortatur, ne permitterent, regnare peccatum *in mortali* ſuo *corpore*, *Rom. VI, 12.* Haec & alia, quae eiusdem ſunt generis, vti corpus quoque peccati originalis ſedem eſſe euincunt, ita ſimul tamen in mente vel maxime illud habitare, demonſtrant. Cum enim mens ſubinde corporis motibus abripiatur, nec iis, ſi vehementiores fuerint, reſiſtere queat, quod aliter eſſe debere, vel ipſa ratio intelligit, merito, vnde ἀῤῥωστία iſta mentis orta ſit? quaeritur. Nec tamen cauſſa alia inueniri poteſt, quam ipſa mentis naturalis, eaque longe grauiſſima corruptio. Reſpondere hinc etiam haud difficulter licet ad illud, quod obiici ſolet, prauas hominum cupiditates ſubinde σαρκικάς, *carnales* in ſcriptura ſacra adpellari. Nimirum vocari ita poſſunt, quod in corpore ſeu carne, earum vis ſe exſerat, & luculentiſſima quadam ratione conſpiciatur. Atque hoc ſenſu etiam τὰς πράξεις τοῦ σώματος apoſtolus commemorat, *Rom. VIII, 13.* In corpore tantum peccatum originale ſuam ſedem habere, inde confici nequit. Accedit vero, quod in ſcriptura per *carnem* saepiſſime totius naturae humanae corruptio intelligatur, prout ad mentem pariter ac corpus pertinet. Hinc & carni φρόνημα tribuitur, *Rom. VIII, 6.* quod vtique de corpore accipi nequit. Et dum apoſtolus *Gal. V, 19. ſeq.* opera carnis recenſet, etiam idololatriam, zelum, contentionem, inuidiam, & alia commemorat, quae non niſi de mente intelligi poſſunt.

§. XXVII. Grauitas peccati originalis, prout in poſteris Adami conſideratur, ex effectibus eius intelligitur; quales intuitu mentis ſunt, defectus liberi arbitrii in ſpiritualibus, eiusdemque in naturalibus infirmitas; * errores & vitia quaeuis, intellectus pariter ac voluntatis, adeoque & peccata actualia omnia; ** intuitu corporis, morborum variorum integra cohors, aliaeque calamitates, quarum non temere inire numerum licet; *** intuitu denique totius hominis, mors temporalis, quam

quam tandem, niſi cum Deo reconcilietur, mors, ſiue damnatio aeterna excipit. *

* Sunt, qui liberi arbitrii in ſpiritualibus defectum, & in naturalibus infirmitatem, ad ipſam potius rationem formalem peccati originalis, quam ad effectus, referre malunt; nec ſine ratione. Nihil tamen obſtat, quo minus & hic defectus iſtius conſideratio inſtituatur. De re ipſa vt eo rectius conſtet, initio quidem id monendum, apud emendatae latinitatis ſcriptores vocem *arbitrii* ad voluntatem fere referri, a theologis autem in latiori ambitu vſurpari, vt potentiam quidem & facultatem eligendi ſignificet, ſimul tamen intellectus connotet iudicium. Liberum autem dum vocatur, eiusmodi intelligimus libertatem, cui non tantum externa coactio, ſed & interna neceſſitas, & ad vnum agendi modum determinatio, opponitur. Licet itaque aliter AVGVSTINVS, aliter ſcholaſtici, & alii iterum aliter liberum arbitrium definiant, nobis tamen eiusmodi animae rationalis, ſpeciatim voluntatis, denotat facultatem, quae, ſi omnia ad agendum requiſita adſint, poteſt agere, vel non agere, itemque hoc vel illud agere. Non itaque de ipſa voluntate, ſed de certa eius facultate, quam libertatem vocamus, hic ſermo eſt. Hoc ideo monendum fuit, quod quidam veteris eccleſiae doctores, dum etiam homini non renato liberum arbitrium tribuerunt, eo nomine nihil aliud, quam ipſam hominis intellexerunt voluntatem. Ceterum, cum ea, circa quae homo verſatur, vel ſpiritualia ſint, vel non ſpiritualia; homo ipſe etiam in ſtatu integritatis, vel in ſtatu corruptionis, vel denique in ſtatu gratiae conſiderari poſſit; diſtincte hic incedendum eſſe, res ipſa docet. In ſtatu integritatis hominem plena libertate in omnibus actibus gauiſum fuiſſe, poſitum eſt extra controuerſiam, dictumque hac de re ad *cap. praeced. §. 5.* In ſtatu autem corruptionis ſi illum conſideres, eum in actibus non ſpiritualibus, adeoque moralibus, & ciuilibus, libertate quadam gaudere, negari nequit; licet haec quoque ſatis nonnumquam, accedente praeſertim praua educatione, conſuetudine, aliisque cauſſis, infirma ſit, ob inſitam omnibus ad mala quaeuis propenſionem. Certe non omni hominem in naturalibus, adeoque moralibus atque ciuilibus, libertate deſtitutum eſſe, ipſa quemlibet facile experientia docebit. Praeterquam enim, quod multa in naturalibus recte cognoſcimus; ſaepius etiam, ita vt decet, iudicamus, ac ratiocinamur. Quod ſpeciatim ad voluntatem attinet, eam liberam eſſe, ipſa eorum, quae in nobis ipſis deprehendimus, conſideratio nos condocebit. Tam intime enim eius rei nobis conſcii ſumus, quam certo ſcimus, non exſiſtere, & non prorſus nihil eſſe. Qua de re vt conuincamur, cogitationes ſaltem vt ad nos ipſos conuertamus, neceſſe eſt, atque conſideremus, quae quotidie, immo, ſingulis horis, in nobis ipſis peraguntur. Recte & praeclare GVILKINGIVS, *adeſſe*, inquit, *nobis principium huiusmodi ſcilicet liberum, tam certo experimur, vt vix conſultis mentibus noſtris, de eo dubitare poſſimus; atque hinc eſſe, quod omnes omnium gentium, naturae ductum ſequuti, & mentis propriae ſenſibus attenti, libertatem ſibi ſaltem in quibusdam actionibus adſeruere; nec quis, niſi argutiis philoſophicis adactus, & quaſi circumuentus, aut ſe liberum, aut ſe ſibi poſſe placere, vnum aut alterum e multis eligendo, negauit; de origine mali, cap. 5. ſect. 1. ſubiect. 5. §. 2. p. 168.* Idem argumentum etiam vrget IAQVELOTVS, in *examine theologiae Baelii, part. 2. c. 6. p. 250. ſq.* Omne porro dubium eximit, quod ſubinde agamus, quae inclinationi atque propenſioni noſtrae repugnant.

Ffff 3 Nimi-

Nimirum, cum ratio dictitat, noxium nobis fore, ſi inclinationis noſtrae ductum ſequeremur, tum, niſi adfectus vehementia obſtet, voluntas corporis motus ad ea fugienda vel euitanda, ad quae ceteroquin adpetitus fertur, determinat. Et eiusmodi niſi voluntati libertas concedatur, incommoda plurima, immo abſurda admittenda erunt. Quorſum enim, ſi omni homines in moralibus & ciuilibus deſtituuntur libertate, conduntur leges? cur bonis praemia, malis vero poenae decernuntur? quem in finem exhortationes fiunt, aut conſultationes inſtituuntur? Idque tam manifeſtum eſt, vt, quemadmodum AVGVSTINVS alicubi loquitur, in montibus paſtores hoc decantent, in theatris poëtae, indocti in circulis, magiſtri in ſcholis, & in orbe terrarum totum ipſum genus humanum.

Et nihiloſecius fuerunt omni tempore, qui veritati tam manifeſtae repugnarunt. Stoici fati malignitas in eo vel maxime ſeſe prodidit, quod Deum hominesque omni prorſus libertate ſpoliauit. Manichaei, dum peccata & mala quaeuis, ex principio quodam mali independente deriuarunt, nihil itidem hominis reliquerunt libertati. Quid ex illorum ſententia ſequatur, qui cuncta ex ineuitabili, immutabilique Numinis decreto deriuant, facile perſpiciet, qui eam adcuratius penſitauerit. Solet & IO. BVRIDANO atque ANDREAE DE CASTRO haec ſententia tribui, argumentis, quae ratio ſuppeditat, probari non poſſe, hominem in naturalibus arbitrii libertate praeditum eſſe. Et videtur huc ſpectare notiſſiuum illud BVRIDANI ſophisma, de quo BAELIVS diſſerit, *diction. hiſtor. crit. voc. Buridanus, tom. 1. p. 742.* Cumprimis autem athei, eorumque patroni, hoc omni conatu agere ſolent, vt, abſolutam quamdam neceſſitatem introducendo, omni hominem ſpolient libertate. Idque cum & SPINOZA agat, vt tamen more ſuo incautis fucum faciat, verbis ambiguis eam concedere videtur. Duo enim ad libertatem requirit; alterum, vt actionum noſtrarum cognitionem habeamus, alterum, vt ipſi *velimus* eas facere. Sed *velle* homini fraudulenter nihil aliud ſignificat; quam conſentire, vt actio fiat, quam impedire nequeas. Hinc toties inculcat, libertatem in eo conſiſtere, quod homines ſentiant, & conuicti ſint, ſe motuum ſuorum ſibi conſcios eſſe, etſi cauſſas, per quas ad motus iſtos determinati ſunt, ignorent. Quae quidem mera eſt illuſio, cum ille etiam, qui catenis vinctus eſt, & ad locum quemdam trahitur, motuum ſuorum ſibi conſcius ſit, nec tamen ideo liber dici queat. Hinc & nullam ſe homini concedere libertatem, alibi diſerte profitetur: *In mente nulla eſt abſoluta, ſiue libera voluntas, ſed mens ad hoc vel illud volendum determinatur, a cauſſa, quae etiam ab alia determinata eſt, & haec iterum ab alia, & ſic in infinitum; ethic. part. 2. prop. 48. p. 85.* Atque haec a me iam obſeruata ſunt in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 5.* ad *§. 7. p. 429.* Conferenda &, quae ſupra diximus, *lib. 2. cap. 1.* ad *§. 27.* BAELIVS quoque ſubinde ita de libertate diſputat, vt non procul ab eorum ſententia, qui eam penitus deſtruunt, abeſſe videatur. Et vix aliter ſentire poteſt, cum Manichaeorum hypotheſes defendendas & exornandas ſibi ſumſerit. Exemplo, vt reliqua taceam, eſſe poſſunt, quae in *voc. Manichaci, tom. 3. p. 2025.* diſſerit, vbi Meliſſum atque Zoroaſtrum inter ſe diſceptantes introducit, atque hunc duplex ſuum principium ita defendentem, vt haud obſcure liberum ſimul arbitrium tollat. Legenda, quae hanc ob rem viri docti contra eum diſputant, ſpeciatim IAQVELOTVS, in *examine theologiae Baelii, part. 2. cap. 2. p. 203. ſeq.* itemque IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 3. §. 21. p. 405. ſeq.*

Dubium

Dubium autem inde ſuboriri poſſet, quod philoſophi quidam doceant, & experientia, immo, ipſe cuiusque ſenſus confirmare videatur, homines, quidquid amant, quamdiu illud amant, non poſſe non illud amare; vnde porro colligere licet, voluntatem non minus, quam intellectum, eſſe potentiam neceſſariam, libertatisque adeo nullum reliquum eſſe locum. Et ſane, negari nequit, voluntatem hominis interdum per obiecta quaedam, praeſertim externa, tam vehementer adfici, vt, quamdiu voluntas eorum vim ſentit, adfectibus, per iſta obiecta excitatis, reſiſtere, aut eos compeſcere nequeat; quin potius quandoque ad ea perpetranda, quae ipſa ratio damnat, vel noxia eſſe iudicat, abripiatur. Verum, inde quidem colligere licet, imminutam etiam in naturalibus atque moralibus, hominum poſt lapſum libertatem eſſe; omni autem eos deſtitui libertate, inde nondum ſequitur. Praeterquam enim, quod non ſemper iſtud contingit, vt ſpreto rationis imperio, homo id agat, ad quod violentia adfectuum eum ducit, in eius etiam poſitum eſt poteſtate, cum vehementer voluntas ab obiecto quodam adficitur, per aliorum obiectorum repraeſentationem adfectus prioris vim ita imminuere, atque compeſcere, ne modum excedat, aut ad alia perpetranda illum abripiat, quae perpetraſſe deinceps eum poenitere queat. Atque hunc in modum iam mentem meam explicui, in *elem. philoſ. pract. part. I. c. 2. ſect. I. §. 33.* Simulque inde patet, quo ſenſu dici queat, voluntatem aeque ac intellectum eſſe potentiam neceſſariam, ſeu, libertate deſtitui; non ſane abſolute, ſed hoc ſaltem reſpectu, quod, qui bonum aliquod amat, non poſſit non illud amare. Idque indicaui, quando *l. c. §. 3?.* ſcripſi, voluntatem ac intellectum omni libertate deſtitui, EO QVIDEM SENSV, *quo hactenus vox iſta intelligitur.* Cui adeo non repugnat, quod nihiloſecius *§. 33.* voluntati libertatem quamdam vindicaui; id enim alio ſenſu, ſiue alio modo intelligendum eſſe, ea ſcilicet ratione, qua antea illud ediſſerui, verba, quae ibi exſtant, apertiſſima, quemuis condocere poſſunt.

Atque ita quidem conſtat, non omni libertate in naturalibus, adeoque & moralibus, & ciuilibus, prout haec omnia ſpiritualibus opponuntur, hominem deſtitui. Quod tamen in hisce vis iſta liberi arbitrii infirma ſit, haud difficulter quilibet, qui & ad ſe ipſum, & ad ea, quae quotidie in vita humana occurrunt, attenderit, perſpiciet. Experientia namque quotidiana teſtatur, ſi praeſertim ad naturalem hominis corruptionem praua educatio, conſuetudo, aut aliae cauſſae acceſſerint, non tantum multa ignorare homines, quae ſcire debebant, ſed in iudiciis atque ratiocinationibus ſuis mirum in modum, etiam praeſtantiſſimos, falli, atque decipi; ſed & ad voluntatem quod attinet, nec pudore, nec ignominia, nec poenarum aut diuinarum, aut humanarum metu, eos quandoque retineri poſſe, quo minus in ſcelera quaeuis, & crimina atrociſſima, praecipiti impetu ruant. Vident haud raro miſeri haec praecipitia, & ratio euidenter illis monſtrat, quaenam eos exſpectent mala, ſi ſuis morem gerant cupiditatibus; vident ignominiam, contemtum, paupertatem, morbos, gladium, ignem, funem; ſed haec omnia, quamtumuis aliis maximum horrorem inicere apta, parum, aut nihil efficiunt; quin potius non aliter quam pecudes ad necem ducuntur, *prouerb. VII, 22.* Quis vero eiusmodi homines plane pleneque liberos dixerit? Multa hanc in rem congeſſit BAELIVS, in *diction. hiſtorico-crit. voc. Helena, tom. 2. p. 1497.* occaſione verborum EVRIPIDIS:

Ἑλένη δ' ἐμόχθησ' οὐχ' ἑκοῦσ' ἀλλ' ἐκ θεῶν,

Helena vero venit in aerumnas, non volens, ſed diuinitus,

in

in *Andromed. v. 680. p. 522.* Obſeruat namque, ethnicos, cum ſubinde animadverterent, ſe peccatis, ſeu prauis ſuis cupiditatibus, reſiſtere non poſſe, deorum hoc non minus, quam aduerſa quaeuis, quibuscum hominibus colluctandum eſt, voluntati tribuiſſe. Huc & praeter alia illud poetae cuiusdam apud PLVTARCHVM refert:

> *Αἰ αἴ τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακὸν,*
> *Ὅταν τις εἰδῇ τ' ἀγαθὸν, χρῆται δὲ μὴ,*
> *Eheu! malum mortalibus diuinitus*
> *Venit, vt bonum videant, non vtantur tamen,*

de audiendis poetis, *p. 33.* Itemque illud OVIDII:

> *Fruſtra Medea repugnas,*
> *Neſcio quis Deus obſtat &c.*

metamorphoſ. lib. 7. v. 11, 12. Quae quidem licet haud dubio eum in finem enarrentur tam ſplendide a BAELIO, vt hominem omni libertate deſtitutum demonſtret, cum, quae ad corrigendam hanc ſententiam deinceps ex ſcriptura ſacra ſubiicit, ad caliginem incautis offundendam, ſpectare videantur, eaque in re fallatur, vt antea docuimus; hoc tamen euidenter probant, tam infirmam in naturalibus etiam hominum eſſe libertatem, vt vehementioribus adfectibus quandoque reſiſtere nequeant.

Atque hinc facile colligere licet, quid homo nondum renatus in ſpiritualibus valeat. Nihil omnino; adeoque omni deſtitutus eſt arbitrii libertate. In intellectu enim, ſi ea, quae ſunt τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, ſpectes, mera eſt ignorantia, mera caecitas. *Animalis homo non percipit, quae ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim ei ſunt*, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, *non poteſt cognoſcere*, *1. Cor. II, 14.* Suntque eiusmodi homines ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, *obtenebrati mente*, luce ſpirituali deſtituti, *Epheſ. IV, 18.* immo, σκότος *tenebrae*, *Epheſ. V, 8.* Hinc nec idonei ſunt, *ex ſe ipſis vel cogitare quidquam*, quod rectum, bonumque ſit, Deoque placeat, ſed *quod idonei ſunt ex Deo eſt*, *2. Cor. III, 5.* Atque hinc, qualis illorum voluntas ſit, intelligitur. *Alienati ſunt a vita Dei*, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, *propter ignorantiam*, *quae eſt in illis*, *Epheſ. IV, 18.* Mortui ſunt τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις, *Epheſ. II, 1. Coloſſ. II, 13.* Mortui autem hominis quaenam eſſe poteſt libertas? Non magis itaque non renato homini integrum eſt, in ſpiritualibus quidquam agere vel non agere, quam mortuo, ambulare, & non ambulare. Hinc & ſine Numinis gratia nihil efficere poſſunt. *Sine me*, inquit ſeruator, *non poteſtis facere quidquam*, *Io. XV, 5.* Ideoque & Deo hominis conuerſio in ſcriptura ſacra tribuitur; quod quidem documento eſt luculentiſſimo, hominem omnibus hic deſtitutum eſſe viribus, omni libertate. Deus enim eſt, qui cor noſtrum aperit, *act. XVI, 14.* lapideum cor remouet, *Ezech. XI, 9. XXXVI, 26.* cor nouum in nobis creat, *pſalm. LI, 12.* dat reſipiſcentiam, & agnitionem veritatis, *2. Tim. II, 25.* Immo Deus eſt, qui in nobis operatur & *velle* & *perficere*. Recte itaque hoc ſenſu B. LVTHERVS arbitrium hominis non *liberum*, ſed *ſeruum* dixit, in libro *de arbitrio ſeruo*, quem Deſiderio Erasmo Roterodamenſi oppoſuit. Qua in re praeeuntem ſibi habuit AVGVSTINVM: *cum libero arbitrio peccaret homo, victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium*; in *enchir. ad Laurent. c. 30.* conf. & *c. 106.* Et alibi: *Voluntas captiua, non poteſt, niſi gratia Dei, reſpirare in ſalubrem libertatem*; *lib. 4. contra duas epiſt. Pelagianor. c. 3. tom. 10. oper. p. 309.* Immo & hoc ſcriptura ſacra diſerte docet, dum non renatos *ſeruos peccati* vocat, *Ioan. VIII, 34. Rom. VI, 16.* quod & Paulus confirmat, dum hominem per naturam *venumdatum ſub peccato* pronuntiat, *Rom. VII, 14.* Quae quidem, quod iterum monemus,

Digitized by Google

monemus, de hominibus nondum renatis ſunt intelligenda. Cum enim conuertuntur ad Deum, per fidem gratiae vires, hinc & libertatem recuperant, vt ea, quae Deo grata ſunt, peragere poſſint. Hinc ſeruator: *ſi filius vos liberauit, vere liberi eritis, Io. VIII, 36.* Et Paulus: *liberati a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiae, Rom. VI, 18.* itemque: *vbi ſpiritus domini, ibi libertas, 2. Cor. III, 17.* Quod ideo obſeruandum, vt pateat, quid ad dicta quaedam ſcripturae, quae ſecus ſentientes obiicere nobis ſolent, ſit reſpondendum. Haec enim, ſi libertatem hominibus tribuunt, & quidem in ſpiritualibus, neutiquam de non renatis, ſed renatis loquuntur. Hi enim, quidquid per gratiae vires a Deo conceſſas agunt, id libere, absque omni coactione, ſpiritu non ſeruili, ſed filiali, agunt. Quae enim ita fiunt, ſola Deo placent bona opera. Atque hoc, non autem aliud quid, ſcripturae effata, *Philem. v. 14. pſalm. CX, 3. Rom. VIII, 15.* aliaque, indicant. Veteris autem eccleſiae doctores, ſi liberum homini non renato arbitrium tribuunt, aut hoc nomine, vt ſupra iam docuimus, ipſam intelligunt voluntatem, aut non de ſpiritualibus, ſed naturalibus rebus, loquuntur, vt de CLEMENTE Alexandrino, atque IVSTINO, martyre, aliisue, viris doctis obſeruatum. Ad rationes, quibus CHAVVINVS libertatem arbitrii in ſpiritualibus adſtruere adniſus eſt, a me reſponſum, in *animadverſionibus* ad librum eius *de religione naturali, cap. 2. §. 16. ſeq.* Hiſtoriam Pelagianorum ac ſemi-Pelagianorum veterum ac recentiorum, in diuerſa hic abeuntium, ſuo loco exhibebimus.

** Ex mala enim arbore non poſſunt boni prouenire fructus, *Matth. VII, 17, 18.* Hinc & *omne figmentum cogitationum cordis*, quidquid cogitationum, adeoque & cupiditatum ac defectuum cor producit, tantum malum eſſe dicitur, *Gen. VI, 5.* Pertinet huc, quod Paulus eleganter peccatum originale per *corpus* deſignat, cuius veluti membra ſint peccata quaeuis, quae actu committuntur, *Rom. VI, 6.* Quam quidem explicationem ipſemet apoſtolus confirmat, quando *Coloſſ. III, 5.* peccata, quae actu perpetrantur, itidem membra vocat: *Quamobrem necate veſtra membra terreſtria, impudicitiam, obſcenitatem, libidinem, cupiditatem malam, & auaritiam, quae idolorum cultus &c.* Vt autem & ad agenda, quae agere nefas, & ad omittenda, quae agenda erant, peccatum originale homines inducit, ita & hocce Paulus nos condocet, quando *Ebr. XII, 1.* illud non tantum ὄγκον, *onus*, ſed & τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, eiusmodi *peccatum* vocat, *quo circumdati ſumus*, & quod vndiquaque nos impedit, quo minus tam expedite, quam vellemus, in curſu vitae chriſtianae progredi queamus. Omnia itaque peccata actualia, quocumque nomine veniant, tum externa, tum interna, commiſſionis & omiſſionis, etiam motus, qui a praua concupiſcentia praeter voluntatem noſtram excitantur, hic intelligimus. Ex vno eodemque peccati originalis fonte haec omnia proficiſcuntur, recteque ideo *opera carnis* vocantur, *Gal. V, 17. ſeq.*

*** Morbi corporis indicant corruptionem: cumque & documento ſint, hominem morti obnoxium eſſe, *mortis* nomine, in comminatione iſta poenali, *Gen. II, 17.* merito comprehenduntur. In ſtatu enim integritatis vt mortis, ita & morborum expers fuiſſet homo. Perſpectum id quodammodo & gentilibus fuit, ex hominum peccatis morbos originem trahere, memoria lapſus primorum parentum vtcumque inter varias fabulas apud illos conſervata. Hinc illud Q. HORATII FLACCI:

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit,
Poſt ignem aetheria domo
Subductum, macies, & noua febrium

Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum,

carm. l. 1. ode 3. Ad reliqua incommoda atque aerumnas, quae vitae humanae miſeriam augent, quod attinet, aut ab hominibus, aut rebus creatis aliis nobis adferuntur. Vtrumque, ſtatum hominis per peccatum deteriorem factum, arguit. In ſtatu enim integritatis nemini ab alio homine vllum creari periculum, aut adferri incommodum poterat, cum in tanto omnium erga alios omnes amore fieri non poſſet, vt quisquam alium laederet. Sed, a rebus quoque aliis nihil proficiſci poterat, quod moleſtiam homini crearet, cum tellus maledictionis adhuc expers, absque ſudore & taedio coli potuiſſet; ceterum & rerum naturalium peritia, cum ſumma ſapientia coniuncta, & dominium in res creatas, cumprimis in animantia bruta, nondum imminutum, obſtitiſſet, quo minus damnum aliquod inde ſentiret homo. Haec omnia autem, vti hodie ſecus ſe habent, ita peccatum illud, quo omnes per naturam infecti ſunt, aperte ſatis arguunt.

* Mortem temporalem peccati originalis effectum eſſe, & ex comminatione diuina, *Gen. II, 17.* conſtat, & ab apoſtolo diſerte confirmatur, *Rom. V, 12.* Eadem autem comminatio, cum de morte etiam ſpirituali, &, quae hanc excipit, aeterna damnatione, ſit intelligenda, hanc quoque inter effectus peccati originalis iure meritoque referri, inde diſcimus. Et ſane, cum τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ſit *inimicitia aduerſus Deum; Rom. VIII, 7.* facile patet, quo loco habendi ſint, qui per naturalem ſuam generationem σαρκικοὶ ſunt, ſiue carnales. Nimirum, ſunt φύσει, *natura filii irae, Eph. II, 3.* adeoque aeternae damnationi obnoxii. Vt tamen actu damnentur, accedat, neceſſe eſt, priuatio, vel reiectio medii, quo cum Deo reconciliari poſſunt; quod non aliud, quam fidem in Chriſtum eſſe, conſtat. Quo quidem ſenſu incredulitas pro cauſſa proxima damnationis haberi ſolet: qua de re iam ſupra dictum eſt. Interim tamen remanet, peccatum originale in ſe ſpectatum, prouti peccatum eſt, aeternam damnationem promereri; etſi alia accedant, ſi damnatio iſta actu ſequatur. Quod hic de infantibus recurrit dubium, dilui poteſt ex iis, quae de diuerſis damnationis gradibus itidem ſupra obſeruauimus. Ex eo vero, quod homo per peccatum a Deo prorſus auerſus eſt, hinc & filius irae, ſequitur, eum poteſtati infernalis genii obnoxium eſſe; id quod & ſcriptura paſſim confirmat; *actor. XXVI, 18. Ebr. II, 14.* Nec tamen ita hoc eſt intelligendum, ac ſi diabolo iure imperium aliquod, ſeu poteſtas in homines peccatores, nec dum Deo reconciliatos, competat. Id namque plane abſonum eſſet, cum genius ille infernalis nullam cauſſam iuſtam habeat, eiusmodi quid ſibi vindicandi; immo nec per pactum, aut ſimili ratione, adquirere queat; cum non habeat ius, tale pactum, vel promiſſum acceptandi. Senſus itaque iſtorum dictorum ſcripturae eſt, quod diabolus homines, extra gratiam Dei conſtitutos, omnique adeo deſtitutos auxilio, vt latro vel tyrannus, citra ius & fas, violenter tamen pariter ac fraudulenter adgrediatur, eosque inducere conetur, vt voluntati ſuae morem gerendo, profundius peccatorum ſordibus immergantur, difficiliusque inde eluctentur. Hinc & iure merito *homicida* audit; *Ioh. VIII, 44.* quod citra ius atque fas vita temporali, ſpirituali, & aeterna, homines ſpoliare conatur.

§. XXVIII. Ea denique peccati iſtius originalis eſt indoles, vt per omnem vitam hominibus, etiam piis atque ſanctis, inhaereat. Etſi enim hi omnem

omnem quotidie nauent operam, vt vim eius per vires gratiae ſupprimant, adeoque efficiant, ne in iis regnet; eradicare tamen illud penitus, aut euellere nequeunt; *Rom. VII, 17, 18. ſeq. Ebr. XII, 1.* * Idem vero &, quod per naturalem generationem a parentibus ad liberos propagetur, ex antea dictis conſtat; conf. *Iob. XIV, 4. pſ. LI, 7. Io. III, 6. Epheſ. II, 3.*

* Querelae itaque regenitorum, ſeu ſanctorum hominum, immo, ipſius Pauli apoſtoli, de peccato adhuc in ſe habitante, ſibique adhaerente, cuius vim ſubinde ſentiant, id quod diximus ſatis euincunt. Etenim Paulum, *Rom. VII, 17, 18.* de ſe ipſo, & quidem vt iam renato, non autem de alio quodam, quem ita loquentem inducat, verba facere, res ipſa docet: nec quidquam, iuxta hancce interpretationem, quod quemquam offendere poſſit, occurrit, modo cuncta recte intelligantur. Confirmari idem poteſt ex *Iob. IV, 18, 19. XV, 14, 15.* Et quaecumque ſane in ſcriptura ſacra de ſanctorum hominum imperfectione dicuntur, noſtram ſententiam comprobant. Niſi enim adhaerens hocce, atque inhabitans in iis peccatum originale eſſet, nihil obſtaret, quo minus ad ſanctitatem, omnibus numeris perfectam, adſpirare poſſent. De imperfectione autem iſta ſanctorum, adeoque & inhaerente peccato originali, teſtatur pugna illa contra inſultus carnis, per omnem vitam durans. Vbi enim adhuc durat pugna, nondum adeſt plena victoria. Vincimus quidem per fidem; *1. Ioan. V, 4, 5.* ſed hoſte ſubinde reſumente vires, impetumque in nos faciente, nobis quoque redeundum eſt ad pugnam, *Gal. V, 17. Rom. VIII, 13.* Quare fatendum eſt, per mortem demum peccatum hocce originale radicitus tolli, qua animam pariter ac corpus, dum illa purificata penitus ad ſedes beatorum transfertur, hoc autem in cineres redigitur, expers omnis labis, ſuo tempore reſuſcitandum. Licet autem in hac vita eradicari penitus peccatum originale nequeat, regeniti tamen illud ita per quotidianas exercitationes ſupprimunt, ne in illis dominetur, hoc eſt, ne eodem vmquam ſe abripi patiantur. Atque hoc intuitu peccatum originale in *regnans*, prouti in impiis & irregenitis ſe habet, & *non regnans*, prouti in regenitis adhuc ſupereſt, diſpeſci ſolet. Etſi enim generatim quoduis peccatum habituale vel regnans, vel non regnans eſſe queat; ſpeciatim tamen de originali hoc dici ſolet, idque eo rectius, quod per habitualia adquiſita vis eius magis augeatur, atque corroboretur. In regenitis autem, ſeu ſanctis hominibus, quod peccatum originale non regnet, ſcriptura diſerte teſtatur: vt cum Paulus, μὴ οὖν βασιλευέτω, *ne itaque regnet*, inquit, *peccatum in mortali corpore veſtro, vt ei obediatis, in cupiditatibus eius, Rom. VI, 12.* Eodemque pertinet, quando non renatos *ſeruos peccati* vocat, regenitos autem, *liberos a peccato*, ſed *ſeruos iuſtitiae; ib. v. 16. ſeq.* itemque, quando eos, *qui in Chriſto Ieſu ſunt, ambulare* dicit, μὴ κατὰ σάρκα, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, *non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, Rom. VIII, 1.* Sed & Ioannes hoc confirmat: *omnis, qui natus eſt ex Deo*, ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, *peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet*, καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, *& non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt; 1. ep. III, 9.* Aliud nimirum iuxta ſtilum Ioannis eſt, *peccatum habere*, aliud, *peccatum facere;* quorum illud regenitis etiam tribuit, hoc in eos cadere negat. Senſus itaque eſt, quod eiusmodi peccata, quae proaeretica ſunt, & ex voluntate, ſtudioque peccandi proficiſcuntur, in regenitos non cadant, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, peccatum in iis non regnare. Immo addit, οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, *non poteſt pec-*

care; eo ſcilicet, quo diximus, modo, vt tamen ſimul maneat regenitus. Hoc enim contradictionem innoluit, adeoque eſt ἀδύνατον. Conferenda, quae de hocce loco dixi, *inſtit. theol. mor. part. 1. cap. 1.* ad §. 3.

** Repetenda, quae ad §. 24. copioſe hac de re diſputata ſunt.

§. XXIX. Ex peccato originali, vt antea diximus, fluunt *peccata actualia;* quo nomine omnes actiones internae & externae, omnesque omiſſiones veniunt, quae cum lege diuina pugnant. * Vnde & hic ſemper ad legem diuinam, in genuino ſeu ſpirituali ſenſu acceptam, reſpiciendum, vt, quaenam actiones vel omiſſiones pro peccatis habendae ſint, intelligamus. **

* Non itaque tantum externae, ſed & internae actiones, hoc eſt, omnes cogitationes, motusque praui, tum voluntarii, tum inuoluntarii; nec tantum, cum committuntur, quae lex prohibet, ſed &, cum omittuntur, quae praecipit, *peccatorum actualium* nomine veniunt. Diſcrimen autem inter peccatum originale, & actualia, nemini obſcurum ex hactenus dictis eſſe poteſt. Ipſa concupiſcentia, ſeu propenſio ad mala quaeuis, peccati originalis; motus autem omnes, ac actiones, actualium peccatorum nomine deſignantur. Peccatum originale veluti arbor eſt, ſed actualia malae arboris non melioris fructus, *Matth. VII, 17, 18. Luc. VI, 43.* Peccatum originale *caro* eſt, ſed peccata actualia *opera carnis*, *Gal. V, 16, 17.* Peccatum originale fons venenatus eſt, actualia, eiusdem indolis riuuli, ex hocce fonte profluentes, *Matth. XV, 19.* Ceterum, cum *Iac. I, 15.* dicitur, *concupiſcentiam, quando concepit, parere peccatum;* vox ἁμαρτία in ſtrictiori ſignificatione accipitur, adeoque inde concludi nequit, concupiſcentiam, ſiue pro ipſa propenſione, ſiue pro actu accipiatur, peccatum non eſſe.

** Non ſatis inculcari poteſt, quod Paulus *Rom. VII, 14.* docet, τὸν νόμον eſſe πνευματικὸν, *ſpiritualem*, adeoque perfectum, non tantum qua externas, ſed &, qua internas actiones, omnesque adeo motus & cogitationes, obſequium ab hominibus exigere. Sunt enim proni admodum mortales, ad ſibi perſuadendum, externas tantum actiones, quae legi repugnant, peccata eſſe, minime internas. Hinc & nihil frequentius, quam vt illud: *cogitationum poenam nemo patitur;* quod in foro humano equidem procedit, ad diuinum etiam trahant. Quem quidem errorem, qui, ſi quis alius, valde noxius eſt, veramque hominis emendationem impedit, iam in Phariſaeis grauiter reprehendit ſeruator, *Matth. V, 20. ſeq.*

§. XXX. Cauſſa peccatorum actualium eſt ipſe homo, qui peccat, hoc eſt, qui aliquid concupiſcit, cogitat, loquitur, agit, quod legi diuinae repugnat, vnde ἀταξία iſta, ſiue ἀνομία oritur. * Nec tamen excludendus eſt diabolus; qui, cum diuerſa ratione in mentem hominis, eiusque facultates, intellectum, imaginationem, voluntatem agere poſſit, diuerſo quoque modo homines ad peccata incitat; quemadmodum & alii homines exemplo, doctrina, ſuaſione, aliaue ratione efficiunt, vt pro cauſſa morali peccatorum recte habeantur. *** Reliquae autem res, quae extra hominem ſunt, praeſertim, quae ſenſibus obuerſantur, & prauas cupiditates irritare poſſunt, non tam pro cauſſa, quam pro occaſione peccatorum habendae. *

* Eſt

Digitized by Google

* Eſt nimirum homo actuum iſtorum omnium, internorum & externorum, vti & omiſſionum, cauſſa phyſica, moralis autem ἀταξίας, quae inde oritur, quod actus illi cum lege diuina non conueniant. Sunt autem in ipſis hominibus varia, quae eos ad talia aut agenda, aut omittenda, quibus lex diuina violatur, inducunt. Primum inter ea, praecipuumque locum tenet ipſum peccatum originale, arbor illa mala, quae non alios, quam peſſimos poteſt progignere fructus. Hinc peccata quaevis ex corde prouenire, ſeruator docet; *Matth. XV, 19.* & peccata actualia, *carnis opera* vocantur, *Gal. V, 19.* vt antea quoque iam obſeruauimus. Accedit ex parte intellectus *ignorantia*, quae, vt in rebus diuinis, & ad ſalutem hominum ſpectantibus, in ſe quoque conſiderata, peccatum eſt; ita aliorum etiam peccatorum haud raro cauſſa exſiſtit: praeſertim, ſi homines ea perpetrent, quae perpetraturi non fuiſſent, ſi ſciuiſſent, ea perpetrare nefas eſſe. Intelligendum hoc, quod diximus, de ignorantia, quam *vincibilem* vocant. Inuincibilis enim, & quidem abſolute talis in iis, quae lex diuina ab omnibus hominibus requirit, non datur; cum & per lumen rationis, & multo magis per lumen reuelationis, quae agenda hominibus, aut omittenda ſunt, omnibus ita ſint manifeſtata, vt ignorari a nemine, ſi modo ipſe ſibi nôn obſtet, queant. Vnde & homines ſunt ἀναπολόγητοι; *Rom. I. 20.* conf. *Mich. VI, 8.* Datur tamen ignorantia quaedam, quae certo modo, & intuitu aut quorumdam hominum, aut περιστασιῶν inuincibilis eſt; eaque iterum vel *in ſe*, vel *in ſua cauſſa*, vel vtroque modo, *in ſe*, & *ſua cauſſa*, talis eſt. Ignorantia *in ſe* inuincibilis eſt, quando quis ignorat, quae pro ſuo ſtatu & conditione ſcire nec poterat, nec debebat; vt cum infimae ſortis homo ea ignorat, quae tantum ab eruditis ſciri poterant, & debebant. Et haec itidem hic in cenſum non venit. Ignorantia autem *in ſua cauſſa* inuincibilis eſt, quando aliquis ipſemet in culpa eſt, vt ignoret, quae tamen ſcire poterat, & debebat; vt cum medicus imperitus noxia medicamenta aegrotis propinat. Quae quidem ignorantia hactenus inuincibilis eſt, cum in ipſius viribus poſitum non ſit, rectius rem cognoſcere; interim & peccatum eſt haec ignorantia, & alterius peccati cauſſa, quia ipſe medicus in culpa eſt, quod in tali ignorantia verſetur. Quodſi vero homo ſtupidus, qui itidem occaſionem, rectiora condiſcendi, praetermiſit, per ignorantiam peccat, ea *in ſe* & *ſua cauſſa* ſimul inuincibilis dicitur; & in tantum illi imputari poteſt, in quantum ipſemet in culpa eſt, vt in iſta ignorantia verſetur. Inuincibilis ignorantia a quibusdam vocatur *antecedens*, & *inuoluntaria*; vincibilis autem, *conſequens*, & *voluntaria*. Intelligendum porro hoc, quod diximus, eſt de ignorantia *efficaci*, & a qua *concomitantem* diſtinguere ſolent. Efficax enim ea dicitur, quando per cognitionem actio fuiſſet impedita: quemadmodum Abimelechus haudquaquam in animum inducturus fuiſſet, ducere in matrimonium Saram, ſi ſciuiſſet, eam eſſe vxorem Abrahami, *Gen. XX, 4, 5.* Concomitans autem, quando cognitio actionem, etſi ex ignorantia profectam, non impediuiſſet: vt ſi quis ex ignorantia hoſtem ſuum interficiat, quem nihiloſecius interfecturus fuiſſet, ſi eum cognouiſſet. Eiusmodi quidem peccata non tam ex ignorantia, quam potius prauitate voluntatis, procedunt. Quo maior autem turpiorue hominum plurimorum, inter eos, qui chriſtianorum nomine veniunt, eſt, in iis etiam, quae ſcire poterant & debebant, ignorantia; eo frequentiora ſunt peccata, quae quotidie ex hocce fonte profluunt. Nec ſine ratione occaſionem hinc adripuerunt viri docti, *de peccatis, quae pro peccatis non habentur*, commentandi. Documento etiam eſſe poſſunt actiones plurimae, quae

Digitized by Google

pro indifferentibus vulgo habentur, quae tamen peccata eſſe, facile cognoſcere poſſent, ſi modo mens illorum ignorantia non eſſet occaecata. Singulare hic exemplum praebent peccata, quae *hypothetica* vocare ſoleo; de quibus dictum in *inſtit. theol. mor. part. 1. c. 1. ſect. 5.* ad *§. 29.* Ex parte voluntatis ad peccata actualia, praeter naturalem ad mala propenſionem, plurimum conferunt habitus praui, per actus ſaepius repetitos inducti, quibus naturalis illa propenſio non tantum determinatur, ſed & ſubinde mirum in modum augetur, ac corroboratur, vti iam ſupra dictum ad *§. 12.* Nec ſine ratione dici ſolet, *conſuetudinem alteram veluti eſſe naturam.* Hinc itaque contingit, vt eo vehementius homo ad peccata actualia ſubinde impellatur, atque iis eo difficilius reſiſtat. Pertinet huc illud Ieremiae: *Si mutare poteſt aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum; cap. XIII, 23.* Voluntas, cum rebus corporeis adficitur, *adpetitus ſenſitiui* nomine venit, ad quem & adfectus, ſcilicet ſenſitiui, pertinent. Hos vero itidem inter cauſſas peccatorum actualium, quemadmodum & plerumque, immo, in non renatis ſemper, ipſimet iam peccata ſunt, haud vltimum promereri locum, conſtat. Subinde enim hominem impediunt, quo minus id agat, perficiatque, quod ex legis praeſcripto agere debebat; ſaepius etiam, praeſertim ſi vehementiores fuerint, eum impellunt, immo abripiunt, ad ea agenda, quae ratio ipſa damnat, & noxia ei eſſe pronuntiat, & hactenus ipſa voluntas intermittere vellet. Accedit, quod & quandoque caligine mentem repleant, vt nec ipſa ſuo recte fungatur officio ratio; quandoque & imaginationem ita excitent, moveant, turbent, vt longe alia obiecta, quibus mens hominis adficitur, exhibeat, quam exhiberi debebant. Et ipſa quoque imaginatio mirifice hic partes ſuas agit: dumque rerum illicitarum repraeſentatione ſuam ipſamet prauitatem prodit, ſimul peccatis hominum inuoluit, adfectus, cupiditatesque varias excitando, quae iterum in ſe ſpectatae, peccata ſunt, & alia rurſus peccata producere aptae.

** Infernalem genium id agere, vt homines ad peccata quaeuis impellat, & primorum parentum exemplum docet, & ſcriptura abunde teſtatur. Impios Iudaeos ſecundum cupiditatem diaboli agere, hoc eſt, voluntati eius morem gerere voluiſſe, adeoque ab eo ad praua iſta, quae meditabantur, fuiſſe impulſos & concitatos, ſervator ipſe adſerit, *Ioan. VIII, 44.* Eumdem *excaecare ſenſus incredulorum, ne illis illuceſcat lumen euangelii*, Paulus apoſtolus pronuntiat, *2. Cor. IV, 4.* itemque *efficaciter agere in filiis incredulitatis; Epheſ. II, 2.* conf. & *actor. V, 3.* nec non *1. Petr. V, 8.* Non vno autem eodemque modo ſpiritus ille infernalis homines adgreditur. Interdum enim *immediate* hoc agit, interdum *mediate.* Immediate quidem, ſed in ſerpente naturali latitans, adgreſſus eſt Euam; *Gen. III, 4.* idemque & hodie facit, excitando in hominibus, etiam piis, quando diuinum hoc permittit Numen, cogitationes malas, impias, quandoque & blaſphemas, & hac ratione ad varia peccata eos impellendo. Sic diabolus in *cor Iudae Iſchariotae hoc ieciſſe* (τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα) dicitur, vt Chriſtum proderet, *Io. XIII, 2.* Referunt huc nonnulli *tela ignita Satanae*, *Epheſ. VI, 16.* item, quod *Satanam poſtulaſſe* legimus, *vt cribraret apoſtolos ſicut triticum, Luc. XXII, 31.* Porro, quod *cor Ananiae impleuiſſe* memoratur, *vt mentiretur ſpiritui ſancto; actor. V, 3.* & quae alia ſunt eiusdem generis. Saepius tamen, immo plerumque homines adgreditur *mediate*, callide in rem ſuam vertendo cogitationes, cupiditates, adfectus, quibus alias per naturae ſuae conditionem indulgere ſolent, aut obiecta

varia

varia illis ſuggerendo, quibus imaginatio, atque adfectus praui mouentur. Atque, quin iſta efficere poſſit, eo minus dubitandum, quo certius ex ſcriptura ſacra conſtat, ſpiritutm in eiusmodi operationibus edendis magnam vim eſſe, atque efficaciam. Ad ea ſpeciatim quod attinet, quae immediate ab infernali hocce genio proficiſcuntur, cum citra controuerſiam vnus ſpiritus in alium agere, ſuasque cum eo communicare cogitationes poſſit, non video, quid obſtet, quo minus & malignus ille ſpiritus in mentem hominis agere, & varias in ea itidem excitare cogitationes queat; quamquam lubens fatear, potentiam eius certis limitibus a Deo in hiſce omnibus eſſe circumſcriptam. Caute interim incedendum, ne a diabolo ſtatim profecta credamus, quorum cauſſas non perſpicimus, cum aliae reuera cauſſae ſubeſſe queant, quae nobis non ſatis notae ſunt; qua de re pluribus dixi in *inſtit. theol. mor. part. 1. cap. 2.* ad *§. 27.* vbi & de ſignis, ſeu characteribus, ex quibus diiudicari queat, num cogitatio quaedam immediate a diabolo originem trahat? verba feci. Ceterum, ſcripturae effatis, quae diſerte teſtantur, infernalem genium in peccatis hominum ſtrenue ſuas agere partes, ipſa quodammodo, ſi modo rite ad omnia, quae quotidie eueniunt, attendamus, ſuffragatur experientia. Exempla enim proſtant, homines ſtupidiſſimos in magnis perpetrandis ſceleribus ingenioſiores fuiſſe, quam de illis exſpectari poterat; & homines natura timidos animum fortem & intrepidum in ſimili caſu demonſtraſſe; quod quin vim quamdam humana maiorem, & aliunde in iis accedentem, arguat, vix eſt quod dubitemus. Quantumuis autem cacodaemon homines moueat, incitet, impellat, neminem tamen cogere poteſt, ad ſcelus aliquod perpetrandum. Quin in neminem aliquid poteſtatis haberet, ſi homines ipſi hoc illi non concederent, ſuis indulgendo cupiditatibus. Dum enim Numinis gratia excidunt, diabolus praeſidio optimo nudatos facile in ſuam redigit poteſtatem, tandemque, ſi reſipiſcere nolint, indeque contingat, vt prorſus a Deo deſerantur, ita eos ſibi obnoxios reddit, vt ad ſuam voluntatem velut captiuos in omne circumducat nefas, *2. Tim. II, 26.* Non ergo eſt, vt in grauioribus delictis, quod fieri ſubinde ſolet, homines diabolum potius, quam ſe ipſos accuſent; cum culpa praecipua penes illos ſit, dum diabolo tantum in ſe poteſtatis conceſſerunt. Qui enim Deo vera fide, ſinceroque amore adhaerent, ab infernalis genii inſultibus ſatis tuti ſunt, immo ei fortiter reſiſtunt, vt ab illis fugiat, *Iac. IV, 7. 1. Petr. V, 9.* pugnantque acriter, armatura iſta ſpirituali inſtructi, quam Paulus commendat, *Epheſ. VI, 11. ſeq.* Atque ita non tantum inſidias eius euitant, ſed & eum vincunt, vt nocere amplius illis hac ratione, quantumuis velit, nequeat.

*** Directe quidem alii homines ſuaſione, adhortatione, conſilio, mediorum ſuppeditatione, aliaque ratione, aliquem ad peccandum inducere poſſunt; & ideo pro cauſſa morali peccatorum ab eo commiſſorum recte habentur, quemadmodum & ipſi, qui iſto modo eum inducunt, eorumdem peccatorum rei ſunt. Immo & illi hic in cenſum veniunt, qui, cum prohibere aut impedire peccata debebant, & poterant, id tamen non faciunt. Eodem loco vero & illi habendi, qui falſa doctrina alios ſeducunt, &, vt in peccata ruant, efficiunt. Quare, & vt a pſeudoprophetis nobis caueamus, ipſe ſeruator nos admonet, *Matth. VII, 15.* Indirecte autem cauſſa peccatorum ab aliis commiſſorum exſiſtunt, qui exemplo ſuo eos commouent, vt ea agant, omittantue, quae agere aut omittere nefas eſt. Atque hi quidem *ſcandalum* praebere aliis dicuntur; quamquam & generatim de omnibus illis

hoc

hoc quandoque adferatur, qui quocumque modo aliquid dicunt aut faciunt, vnde alii occaſionem peccandi accipere queant. Exemplorum nimirum in commouendis hominum animis magna vis eſt, eo quod omnes ad ea, quae ab aliis fiunt, imitanda, natura ſua admodum proni ſunt. Idque tum maxime, cum alterius, qui aliquid dicit, aut agit, magna apud nos eſt exiſtimatio & auctoritas. Tum enim facile ſibi mortales perſuadent, non tantum pulcra, ſed licita quoque & laude digna eſſe, quaecumque ab eo fiunt, aut dicuntur; aut, ſi negare prorſus non audeant, ea mala eſſe, non magni tamen momenti eſſe, quod in illo conſpicitur, vitium. Quare cum ab omnibus hominibus ſcandalum praeberi queat, praecipue tamen ab iis hoc fieri poteſt ac ſolet, qui in eo conſtituti ſunt loco, vt ad illorum exemplum facile ſe componant reliqui, imperantes, magiſtratus, & qui docentium munere in eccleſiis pariter ac ſcholis funguntur; immo, omnes illi, qui auctoritate quadam pollent, aut virtutis, ſapientiae, & eruditionis laude florent. Cumque, vt antea dictum, homines ad imitanda illorum, quorum magna eſt auctoritas aut exiſtimatio, facinora, longe ſint proniſſimi, hinc & facile, quae ab hiſce dantur, ſcandala alios magno numero abripiant, magnamque adeo hominum generi inferant cladem; ratio inde patet, cur ſeruator optimus tam graui oratione ſcandala damnet, *Matth. XVIII, 6.* Eſt vero haud perfunctorie obſeruandum, non illos tantum ſcandalum praebere, qui dicunt aut faciunt, quae reuera mala ſunt, ſed illos quoque, qui dicunt aut faciunt, quæ quidem mala non ſunt, ſpeciem tamen mali habent, adeoq; & alios ad peccandum inducere poſſunt. Quamobrem & omnem *ſpeciem mali* ſumma diligentia apoſtolus euitare iubet, *1. Theſſ. V, 22.* eamdemque ob cauſſam & *1. Cor. VI, 12.* pronuntiat: πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. Immo *1. Cor. VIII.* & *Rom. XIV.* in eo totus eſt, vt demonſtret, in rerum etiam licitarum vſu ita verſandum, ne cui vlla ratione peccandi occaſionem praebeamus. Denique nec illud praetermittendum, ab illis etiam, qui ex imbecillitate peccant, poſſe ſcandalum praeberi, etſi inuiti hoc faciant, idque, ſi hoc a ſe factum intelligant, magnopere deteſtentur. Quod ſi vero aliquis ex quodam innocenter dicto aut facto, quod nec malum eſt, nec vllam ſpeciem mali habet, praeterea intermitti nec debuit, nec potuit, occaſionem, perperam aliquid aut cogitandi, aut dicendi vel agendi, adripiat, ſcandalum non *datum*, ſed *acceptum* eſt. Talia erant Phariſaeorum ſcandala, qui Chriſti ſeruatoris innocenter dictis factisque ſubinde offendebantur; vt, cum paralytico diceret, ſe ei remittere peccata, *Matth. IX, 3.* cumque videbant, diſcipulos Chriſti traditiones maiorum non obſeruare; *Matth. XV, 2, 3.* item, cum Chriſtus ſe cibum caeleſtem adpellabat, *Io. VI, 51. 52.* cumque ſe lumen mundi vocabat; *Io. VIII, 12, 13.* conf. & *Matth. XXVI, 65.* Atque hoc ſenſu *beatus eſt*, inquit ſeruator, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. *Matth. XI, 6.*

* Irritant vtique hominum, incaute circa eas verſantium, cupiditates. Illis enim, qui ſibi cauent, ſuisque cupiditatibus frenum imponere didicerunt, nocere nequeunt. Obiecta autem iſta, quae, irritando cupiditates prauas, hominibus peccandi occaſionem praebent, ſub ſpecie boni, ſed adparentis, iis adblandiuntur, ſuntque vel *decora*, vel *vtilia*, vel *iucunda*; adeoque tribus vitiis cardinalibus, *ambitioni*, *auaritiae*, & *voluptatis cupiditati*, reſpondent; conf. *1. Io. II, 15. 16.* Atque haec, vna cum hominibus, qui nos directe aut indirecte ad peccata ſeducunt, *mundi* nomine veniunt; vti cauſſae peccati, quae in ipſo homine ſunt, *carnis*. Vnde patet, iuxta hactenus dicta

tres

tres peccatorum actualium cauſſas, conſtitui poſſe, *carnem* noſtram, *diabolum*, atque *mundum*. Atque de his dici ſolet, quod nos *tentent*, hoc eſt, irritent, & excitent, & ad peccata varia corde, ore, & opere perpetranda, inducant; quod tamen non vna eademque ratione, ſed diuerſimode, ſi aut de regenitis, aut irregenitis ſermo ſit, intelligendum eſt. * Hi enim ita tentantur, vt hoſtibus ſuis victas plerumque dent manus, aut non niſi craſſioribus cupiditatibus, & incommodum aliquod, ſi illis indulgeant, in hac vita adlaturis, reſiſtant. Immo, cum tentatio, proprie loquendo, certamen aliquod, ſeu pugnam denotet, vel ſaltem animum pugnandi ac reſiſtendi, qualis hoſtium eſſe ſolet, hoc ſenſu de irregenitis vix dici poteſt, quod tententur, cum ſub poteſtate ſatanae ſint, & dominio peccati, *act. XXVI, 18.* *Col. I, 13.* Interim tamen magis adhuc excaecari, captiuari, & peccatorum vinculis conſtringi poſſunt, ne *irradientur lumine gloriae euangelii Chriſti*, *2. Cor. IV, 4.* ac *mentis ſanitatem recipiant ex diaboli laqueo, 2. Tim. II, 26.* Regenitorum autem tentationes proprie hoc nomine veniunt. Etſi enim ex ſtatu irae in ſtatum gratiae tranſlati ſint, numquam tamen non inſultus carnis, diaboli, & mundi experiuntur, *1. Petr. V, 8. Eph. VI, 12. 13. Gal. V, 17. Rom. VII, 14. ſeq.* Tantum vero abeſt, vt hiſce tentationibus cedant, vt acriter potius renitantur, & per fidem eas vincant, *1. Io. V, 4.* Reliqua, quae de tentationibus dici poſſunt, huius loci non ſunt. Ex inſtituto autem & copioſe de iis verba feci, in *inſt. theol. mor. part. 1. c. 2. §. 21. ſq.* Has adeat, qui plura deſiderat.

§. XXXI. Cum etiam per nexum cauſſarum aut naturalium, aut moralium, vnum peccatum ſaepius aliud, aut plura, eaque haud raro grauiora, poſt ſe trahat, peccata praecedentia inter cauſſas ſubſequentium referuntur. * Idque cum eo facilius contingat, quia homines gratia diuina, quam per primum peccatum excuſſerunt, in ſequentibus deſtituuntur, Deusque adeo ex iuſto iudicio talia permittit; quod Deus peccata peccatis puniat, dici ſolet. Nec tamen inde inferendum, Deum vlla ratione, directe aut indirecte, cauſſam eſſe peccatorum actualium. **

* De nexu cauſſarum naturalium quod dixi, id vel ex habitibus prauis, per actus ſaepius iteratos contractis, intelligitur. Quo propenſior enim homo hac ratione ad eadem peccata perpetranda redditur, eo ſaepius ea, occaſione cumprimis oblata, repetit, & ita peccata praecedentia cauſſae fiunt ſequentium. Cauſſarum autem moralium nexus in eo conſpicitur, quando aliquis ad vnum peccatum occultandum, vel poenam eius euitandam, vel etiam aliam ob cauſſam, aliud, & quidem haud raro grauius, committit. Sic Dauid ex adulterio incidebat in homicidium, *2. Sam. XI, 15.* Sic & ſaepius contingit, vt a furti, vel alterius peccati, cuius tamen rei ſunt, ſuſpicione periurio ſe liberare conentur, peccata ita peccatis cumulantes. Et ita in aliis ſe res habet.

** Nec enim gratiae, qua quis ſe indignum reddidit, denegatio, nudaque permiſſio, id efficiunt, vt aliquis pro cauſſa & auctore peccati haberi debeat. Hinc, ſi dicendum, quod res eſt, ipſi homines, non Deus, in culpa ſunt, quod peccata peccatis, iisque grauioribus, cumulentur, indeque illorum augeatur miſeria. Vnde & recte, ac cum grano ſalis accipiendum eſſe patet, cum dicitur: *quod Deus peccata peccatis puniat.* Atque ita etiam intelligendum eſt, cum Deus *cor Pharaonis indurаſſe* dicitur, *Exod. IV, 21. c. VII, 3.* alibique; item, quod gentiles

tiles in *ſenſum reprobum* dederit, *Rom. I, 28.* Vt autem hinc neutiquam colligi poteſt, Deum peccatorum actualium auctorem eſſe, ita eum nullatenus vllius peccati, aut mali moralis, cauſſam eſſe, ſupra ex inſtituto demonſtrauimus.

§. XXXII. Effectus peccatorum actualium aeſtimandi ſunt ex iis, quae de peccato generatim ſpectato diximus.* Accedit tamen ſpeciatim quod per peccata actualia, ſaepius repetita, velut habitus, ſeu propenſio habitualis, oriatur, per quam naturalis illa ad malum propenſio quandoque & augetur, & hinc quoque expugnatio eius, ſeu debellatio, difficilior redditur, quandoque propenſionum ad mala quaedam diuerſitas producitur. **

* ad §. 12.

** Per actus ſaepius repetitos habitum quemdam, ſeu habitualem propenſionem produci, neminem fugit. Idque ad omnes mentis facultates, intellectum, voluntatem, ceterasque pertinet. Et intellectus quidem, ſi falſis erroneiſque ideis, praeiudicatis opinionibus, falſis ratiociniis, adſuetus ſit, ita corrumpi poteſt, vt vis eius in naturalibus etiam quandoque ſupprimatur, nec aliter aut cognoſcat obiecta, aut iudicet, aut ratiocinetur, quam hoc facere conſueuit. Cumprimis & in imaginationem vis incredibilis eſt conſuetudinis. Hinc cogitationes prauae, & repraeſentationes obiectorum illicitorum, numquam non nobis etiam inuitis, & reluctantibus, recurrunt; vt omnis haud raro labor in iis compeſcendis & remouendis, vanus irritusque eſſe videatur. In propenſionibus habitualibus voluntatis, & adfectibus, quanta ſe exſerat vis conſuetudinis, notius eſt, quam vt multis hoc a nobis moneri debeat. Cum autem habitus, qui actibus ſaepius iteratis inducuntur, naturali propenſioni aliquando reſpondeant, aliquando non reſpondeant; diuerſus hinc illorum effectus, ſed vterque nouo argumento hominum miſeriam comprobans, exſiſtit; vti ſupra iam ad §. 12. huius capitis expoſuimus. Haec vero eum in finem monuimus, vt inde intelligatur, quam imprudenter agant, qui poenitentiam, ſiue vitae emendationem differunt. Quo diutius enim differtur, eo difficilior euadit, dum vitioſi iſti habitus quotidie noua incrementa capiunt adeoque & tenacius inhaerent. Hinc & in iuuentute longe facilius iſta emendatio procedit, quam in virili aetate, & in hac iterum, quam in ſenectute. Quod ſi etiam tandem, etſi non ſine multo labore, eiusmodi habitus praui expugnentur & ſuperentur, grauiſſima tamen poſt conuerſionem homini inde imminent certamina; natura, per conſuetudinem corroborata, ſemper recurrente, magnoque ſubinde impetu hominem ad priſtina peccata ſollicitante, & non ſine magno labore, continuo certamine, adſiduis precibus, reprimenda. Optandum magnopere, vt, qui in optimo aetatis flore adhuc conſtituti ſunt, diligenter haec ſecum expenderent.

§. XXXIII. Diuerſimode peccata actualia diuidi ſolent. Intuitu ſcilicet legis, quae vel adfirmatiua, vel negatiua eſt, alia ſunt peccata *commisſionis*, alia *omiſſionis*; * intuitu cauſſae, ex qua procedunt, quaedam ſunt *voluntaria*, quaedam *inuoluntaria*; ** ratione obiecti, & quidem perſonalis, alia ſunt, quae homo immediate *erga Deum*, alia, quae *erga ſe ipſum*, alia, quae *erga alios homines* committit; *** rurſus intuitu graduum, quaedam peccata *cordis*, quaedam *oris*, quaedam *operis* dicuntur; * intuitu denique eorum

corum, quae peccata conſequuntur, in *mortalia* & *venialia*,** *clamantia* & *non clamantia*,*** diſpeſci ſolent.

* Sunt itaque *peccata commiſſionis*, quando quis legem negatiuam migrando, agit, quae non agere debebat: *omiſſionis* autem, quando quis, legem adfirmatiuam violando, non agit, quae agere debebat. Suntque peccata omiſſionis non minus, immo & aeque grauia, peccata, quam commiſſionis, ſecus ac nonnulli perperam ſibi perſuadent, cum per vtraque lex diuina violetur. Quod & ſcriptura confirmat, *Iac. IV, 17. Luc. XII, 47.* Immo in deſcriptione proceſſus, in die extremi iudicii inſtituendi, ſeruator peccata omiſſionis vel maxime commemorat, ob quae impii aeternis cruciatibus ſint adiudicandi; *Matth. XXV, 42. 43. ſeq.*

** Peccata voluntaria etiam *proaeretica* vocari ſolent; intelliguntur que ea, quae homines ſcientes volentesque perpetrant. Neque tamen ea tantum peccata ſunt proaeretica, cum quis directe intentionem peccandi habet, ſed & cum aliud quid ſibi proponit, vel ſaltem proponere videtur, quocum tamen peccatum ita connexum eſt, vt ipſemet ſciat, hoc plane non, aut difficulter euitari poſſe. Et ita miſeri mortales ſe ipſos turpiter decipiunt, dum ſibi perſuadent, ſe non habere intentionem peccandi, quam tamen reuera habent, dum illud, quod peccatum ſecum trahit, non euitant, adeoque peccata ſua non eſſe proaeretica, quae tamen reuera talia ſunt. Inuoluntaria autem ſunt, quae aut ex *ignorantia*, ſed efficaci, aut ex *adfectu* vehementiori, proficiſcuntur. Sed ad affectum quod attinet, is interdum quidem in foro humano grauitatem imputationis imminuit, non autem eam prorſus tollit. Multo autem minus in foro diuino hoc in cenſum venit, aut ad excuſandum peccatum valet, cum homines, ſi mediis a Deo praeſcriptis rite vti vellent, adfectus, ne modum excedant, compeſcere poſſent. Nec in foro humano omnium adfectuum eadem eſt ratio*, cum illi ſaltem ad excuſandum aut emollendum delictum quidquam valeant, qui ad depellendum malum nos impellunt; non aeque, qui ad conſequendum bonum incitant; vt recte obſeruat GROTIVS, *lib. 2. de iure belli & pacis, c. 20. n. 1.* Rationem huius rei indicaui, in *inſtit. theol. mor. part. 2. cap. 1.* ad §. 27. Ignorantia autem, quando & quousque actionem inuoluntariam reddat, patet ex iis, quae ad §. 30. diſputauimus.

*** Solent officia hominum ita diuidi, vt alia ſint, quae quis erga Deum, alia, quae erga ſe ipſum, alia denique, quae erga alios homines praeſtare tenetur: quibus etiam tres virtutes cardinales, *pietas, temperantia*, & *iuſtitia* reſpondent; conf. *Tit. II, 12.* Pari ratione & peccata, prout officiis hiſce opponuntur, in tres claſſes diſpeſci poſſunt. Per peccata autem, quae erga Deum hic committi dicuntur, ea intelliguntur, quibus immediate laeditur: ceteroquin enim iis etiam peccatis laeditur, quibus aliquis contra officia erga ſe ipſum, & alios agit. Nullum enim peccatum ſine violatione legis committitur: hoc ipſo autem dum lex diuina violatur, Deus etiam laeditur. Reliqua, quae hac occaſione dici poſſent, non ſunt huius loci.

* Subordinatio iſta, vt peccata oris grauiora cenſeantur peccatis cordis; & illis rurſus grauiora peccata operis; in peccatis vnius generis equidem, quamquam non ſemper, procedit, & exemplo irae, in maledicta & conuicia, tandem & laeſiones externas erumpentis, comprobari poteſt; conf. *Matth. V, 21. 22.* In peccatis autem diuerſi generis contingere poteſt, vt quandoque peccatum cordis grauius ſit peccato oris; immo & in peccatis vnius generis, ſi adfectus conſtans ſit & malignus, peccatum autem oris ex praecipitantia quadam, aut in-

conſiderato animi impetu, originem trahat. Interim peccatorum dari gradus, vnumque altero turpius eſſe, maioremque adeo promereri poenam, & ratio euidenter dictitat, & ſeruator ipſe, *loco* antea *citato*, *Matth. V, 21. 22.* confirmat; conf. & *Luc. XII, 47. 48.* Duplici autem ratione fieri poteſt, vt vnum peccatum altero ſit grauius; primo quidem, intuitu ipſius ἀνομίας, ſiquidem vna actio longius a lege, ceu norma, diſcedere poteſt, quam altera: tum & intuitu obiecti, ipſius agentis, & ſtatus, in quo verſatur; itemque intentionis, & aliarum circumſtantiarum. Vnde merito, a veteribus pariter ac recentioribus, Stoicorum iſte error exploditur, quo peccata omnia aequalia eſſe ſtatuebant. *Placet Stoicis*, CICERO inquit, *omnia peccata eſſe paria*; *l. 4. qu. acad. c. 43. p. m. 1082.* Nimirum, vt alibi idem eorum mentem exprimit: *omne delictum ſcelus eſſe nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam qui patrem ſuffocauerit*; *orat. pro Muraena, c. 29. p. m. 481.* Recte vero HORATIVS:

Queis paria eſſe fere placuit peccata, laborant:
Cum ventum ad verum eſt, ſenſus moresque repugnant,
Atque ipſa vtilitas iuſti prope mater, & aequi;

l. 1. ſat. 3. Iungenda, quae fuſius hac de re dixi, *diſſ. 2. de errorib. Stoicor. in philoſophia mor. §. 2.* in *analectis hiſt. philoſ. p. 105. ſeq.* Quantumuis autem abſona prorſus & inepta ſit illa Stoicorum ſententia, meritoque reiiciatur ab omnibus; aliquid tamen veri eidem ſubeſſe videtur. Ad ipſam enim forte animi diſpoſitionem reſpexerunt: quae, ſi ita comparata ſit, vt aliquis contra legem agere, ſeu peccare non dubitet, hactenus aeque praua eſt, ſiue grauius, ſiue leuius ſit peccatum, quod inde fluit. Poſſem id pluribus confirmare, ſed haec diſputatio huius loci non eſt.

** Mortalia peccata intuitu eius, a quo committuntur, conſiderata, & ea vocari poſſunt, quae ab iis committuntur, qui in morte ſpirituali verſantur, & etiam, quae mortem ſpiritualem inferunt, quando quis, qui hactenus in fide ſtetit, eiusmodi quid committit, quo fides exſtinguitur, & ipſe gratia Numinis excidit; *Rom. VIII, 13. 1. Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19. ſq.* Quod ſi peccata in ſe ſpectentur, nullum equidem eſt, quin mortem temporalem atque aeternam promereatur, adeoq; hactenus omnia ſunt mortalia. Nullum enim peccatum eſt ſine transgreſſione legis; *Io. III, 4.* *legem* autem *qui in vno* capite ſeu praecepto *violat*, *totius legis reus eſt*; *Iac. II, 10.* totius autem legis qui reus eſt, non poteſt non poenam in legis transgreſſores ſtatutam, ceu longe iuſtiſſimam, promereri; conf. *Gal. III, 10. Matth. XII, 36.* Sed cum venialibus mortalia opponuntur, ea tantum hoc nomine veniunt, quae actu mortem ſpiritualem inferunt, dum, exſtincta fide, hominem ab vnione cum Deo ſeiungunt. Atque hinc, quaenam *venialia* dicantur, intelligitur. In ſe quidem ſpectatum, nullum veniale eſt, cum omnia natura ſua ſint mortalia, vti demonſtratum. Cum vero ea, quae ab hominibus regenitis ex ignorantia, aut imbecillitate committuntur, ſtatimque per veram poenitentiam retractantur, etſi per ſe morte digna, eos tamen fide & vita ſpirituali non priuent, a Deo etiam illis non imputentur, hinc venialia dici ſolent. Idque etiam Paulus diſerte docet, quando, οὐδὲν κατάκριμα, *nihil quod actu damnet, in iis eſſe*, dicit, *qui ſunt in Chriſto Ieſu*, *Rom. VIII, 1.* Atque haec cum ita ſe habeant, longe alio ſenſu a nobis hanc diſtinctionem adhiberi, patet, quam a Romanae eccleſiae doctoribus fieri adſolet. Solent quidem ex his nonnulli nobis obiicere, Stoicorum, de peccatorum paritate, a nobis poſtliminio reuocari errorem, dum omnia peccata in ſe ſpectata mortalia eſſe docemus. Sed magnam atque apertam nobis faciunt iniuriam. Etſi enim quodlibet pecca-

peccatum in ſe ſpectatum, mortem temporalem atque aeternam promereatur, inde tamen minime ſequitur, vnum non eſſe grauius altero; quemadmodum & damnationis aeternae diuerſos, pro diuerſitate peccatorum, gradus fore, adſerimus.

** Quae ita comparata ſunt, vt, cum ab hominibus non puniantur, Deum ad vindictam publicam permoueant, *clamantia* vocari ſolent; reliqua, quae Deus, poenam differendo, quodammodo tolerat, *non clamantia*. Ad priorem claſſem referuntur, homicidium, ſodomia, oppreſſio inſontium, & debitae mercedis denegatio. Denominationis ratio praecipue ex *Gen. IV, 10.* deſumta videtur; conf. & *Exod. III, 9. cap. XXII, 23. Iac. V, 4.*

§. XXXIV. Singulare prae reliquis & maxime obſeruatu dignum eſt *peccatum*, quod vocatur, *in ſpiritum ſanctum;* quo nomine voluntaria veritatis agnitae abnegatio, & mediorum gratiae reiectio conſtans & pertinax, cum blaſphema impugnatione coniuncta, venit. *

* Cum quaedam peccata ita ſint comparata, vt immediate iis Deus laedatur, vt ad *§. praec.* obſeruauimus, nunc porro addendum, ab ipſo ſeruatore diſcrimen aliquod inter *peccatum in filium hominis, & peccatum in ſpiritum ſanctum*, conſtitui; quorum illud remiſſibile ſit, hoc non item; *Matth. XII, 30. ſeq. Marc. III, 28. 29. Luc. XII, 10.* Vbi quidem cumprimis, quodnam peccatum in ſpiritum ſanctum ſit, quod remitti nequit, & in quo conſiſtat? diſquiri iampridem ſolet. Veteris eccleſiae doctorum HERMAE, IRENAEI, TERTVLLIANI, HILARII, ORIGENIS, THEOGNOSTI, aliorumque hac de re ſententias refert vir clariſſimus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *inſt. theol. dogm. part. 1. c. 7. p. 220. ſeq.* Hiſce examinandis aut diſcutiendis non immorabimur; quamuis oſtendi facile poſſet, vnumquemque illud fere peccati genus, quod ob cauſſas peculiares illi grauiſſimum viſum, pro peccato in ſpiritum ſanctum, adeoque irremiſſibili, habuiſſe. Id enim facile alicui in hocce argumento euenire poteſt. Recte vero hic incedemus, ſi verba Chriſti paullo adcuratius conſiderauerimus, quae ita ſe habent: *Omne peccatum ſeu blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ei, neq; in ſaeculo hoc, neque in futuro; Matth. XII, 31. 32.* Quae, vt eo rectius intelligantur, occaſionem ſermonis iſtius, a ſeruatore inſtituti, haud perfunctorie obſeruandam exiſtimo. Eiecerat ſeruator daemonium ex homine; & cum populus, viſo hoc miraculo, Dei laudes celebraret, dicendo: *numquid hic eſt filius Dauidis?* Phariſaei inuidia accenſi, miraculum illud calumniabantur, dicentes: *hic non eiicit daemonia, niſi in Beelzebul, principe daemoniorum.* Huius itaque calumniae abſurditate rationibus aliquot oſtenſa, porro ſeruator docet, quantum illud peccatum ſit, & quod directe ſpiritum ſanctum laedat; illiusque adeo remiſſionem, nec in hoc, nec in futuro ſaeculo obtineri poſſe, profitetur. Ad Phariſaeos itaque cum hoc ſpectet, quod ſeruator de peccato in ſpiritum ſanctum dicit, primo quidem probe conſiderandum, eos homines ex mera proteruia Chriſtum, eiusque doctrinam reieciſſe; cum per tot, tamque ſtupenda, quae edidit, miracula, non potuerint non de veritate eorum, quae docebat, eſſe conuicti, etſi, qua erant pertinacia, illud fateri nollent. Atque hinc primus peccati in ſpiritum ſanctum character eluceſcit; euidentiſſima veritatis caeleſtis perceptio, & animi conuictio, ſiue tandem hoc aperte quis profiteatur, ſiue diſſimulet, & iſtam conuictionem quouis modo ſupprimat. Hi ergo

Phariſaei non tantum externa ſpecie Chriſti, quae hominibus huius ſaeculi nihil praeclari aut magnifici promittebat, offendebantur, quod illis cum aliis eo tempore commune erat; ſed miracula ipſa a Chriſto edita, per quae rectiora edoceri poterant, adgrediebantur, eaque reiiciebant. Quae quidem miracula, cum a Chriſto per *ſpiritum Dei* facta eſſent, *Matth. XII, 28.* qui eſt miraculorum auctor, *1. Cor. XII, 9, 10.* & quo Chriſtus ſecundum humanam naturam vnctus erat; *Eſ. LXI, 1.* ratio inde patet, cur hoc peccatum *in ſpiritum ſanctum* committi dicatur? & cur contra illi, qui humili eius ſpecie equidem offendebantur, at miracula non reiiciebant, peccatum committere dicebantur *in filium hominis.* Cumque eccleſia plantata miraculis non indigeat, eorumque in locum euidentiſſima criteria, quibus verbi diuini auctoritas, ſimulque chriſtianae religionis veritas, omnibus innoteſcit, ſucceſſerint; haec autem doctrinae veritas, ſacris litteris comprehenſa, non minus ſpiritum ſanctum agnoſcat auctorem, quam miracula Chriſti; alterum hinc peccati in ſpiritum ſanctum characterem facile intelligere licet. Phariſaei autem non tantum miracula Chriſti reiiciebant, idque conſtanter, & magna proteruia, ſed per horrendam blaſphemiam ea diabolorum principi tribuebant; vnde ſeruator huncce illorum furorem diſerte βλασφημίαν πνεύματος, *blasphemiam ſpiritus* adpellitat. Tertius inde adparet peccati in ſpiritum ſanctum character, conſtans atque proterua mediorum ſalutis, qualia intuitu Phariſaeorum erant miracula Chriſti, reiectio, itemque blaſphemia, qua animum malignum, prorſusque inimicum erga ea demonſtrant. Atque eiusmodi quidem cum ſit peccatum in ſpiritum ſanctum, fieri aliter non poteſt, quam vt nulla ſpes, eius remiſſionem impetrandi, ſuperſit. Quod & diſerte ſeruator profitetur: *non remittetur ei, neque in hoc ſaeculo, neque in futuro.* Nimirum non ita hoc eſt capiendum, ac ſi peccatum hoc in ſe ſpectatum, vel ob grauitatem ſuam, vel ob decretum aliquod diuinum, remiſſibile non ſit, aut ſi Chriſtus pro eo non ſatisfecerit; ſed quod ipſimet illi, qui eiusmodi peccatum committunt, viam, ad eius remiſſionem obtinendam, ſibimet obſtruant, dum media gratiae, quibus conuerti poterant, pertinaciter reiiciunt.

Et de Phariſaeis quidem, quod eiusmodi peccatum commiſerint, nullum plane eſt dubium, cum diſerte hoc ſeruator teſtetur, nec vlla ea de re eſt controuerſia; an vero & alii, praeter Phariſaeos, eiusdem peccati fuerint rei, vel adhuc hodie eſſe queant? id vero eſt, de quo inter viros doctos diſceptari ſolet. Negant id nonnulli, non alios, quam Phariſaeos, peccatum in ſpiritum ſanctum commiſiſſe, aut committere potuiſſe, adſerentes; vt praeter alios, qui ex Arminii ſchola prodierunt, LIMBORCHIVS, aliique, & ex noſtratibus quoque viri quidam longe praeſtantiſſimi. Vrgent cumprimis, quod Phariſaei ipſimet tot tantorumque miraculorum, a Chriſto editorum, fuerint ſpectatores, vt veritatem doctrinae eius non niſi per ſummam animi malignitatem potuerint reiicere. Verum id quidem me nondum inducit, vt tam arctis limitibus peccatum in ſpiritum ſanctum circumſcribendum exiſtimem. Quae enim poſt canonem noui teſtamenti litteris conſignatum, adſunt argumenta, non minorem vim ad doctrinae a Chriſto & apoſtolis propoſitae, veritatem demonſtrandam habere arbitror, quam miracula a Chriſto ſeruatore edita, eo tempore habere potuerunt. Quare, ſi quis ſemel per iſta argumenta de veritate doctrinae chriſtianae fuerit conuictus, eum, hanc in dubium vocando, non minorem animi malignitatem prodere credo, quam Phariſaei prodiderunt, reiiciendo miracula Chriſti. Cetera, quae de peccato illo phariſaeorum dicuntur, ita comparata ſunt, vt nullam prorſus rationem videam, cur hodie

hodie locum quandoque inuenire nequeant. Namque media ſalutis, per quae Deus hominum conuerſionem hodie operatur, non minus quam miracula Chriſti, ſpiritui ſancto recte tribuuntur; hinc &, qui ea proterue reiicit, non minus ſpiritum ſanctum laedit, quam Phariſaei laeſerunt. Sed id quoque contingere poteſt, vt quis non tantum iſta ſalutis media, cumprimis doctrinam euangelii reiiciat, ſed vt idem conſtanter & proterue faciat, & per blaſphemiam animum malignum & inimicum aduerſus eam demonſtret; immo, quae ſpiritus per eam doctrinam operatur, pro mendaciis, figmentis, fallaciis habeat, adeoque haecce ſpiritus ſancti opera non minus diabolo tribuat, quam Phariſaei miracula Chriſti eidem tribuebant. Atque eum quidem, qui ita ſe gerit, ſibi ipſi obſtare, quo minus conuertatur, adeoque remiſſionem peccatorum impetret, res ipſa docet. Hinc vero etiam, in quo peccatum in ſpiritum ſanctum a reliquis peccatis, quantumuis grauibus atque foedis, differat, manifeſtum eſt. Quantumuis enim atrocia ſint, quae aliquis commiſit, quamdiu media ſalutis proterue atque conſtanter non reiicit, ſpes aliqua conuerſionis atque ſalutis ſupereſt; quae contra plane euaneſcit, cum quis tanto animi furore in ipſa ſalutis media, operaque ſpiritus ſancti ſaeuit. Et de tali etiam peccato Paulum loqui, *Ebr. VI, 4.* facile intelliget, qui cuncta paullo adcuratius penſitauerit. Certe characteres peccati in ſpiritum ſanctum, quos ex verbis ſeruatoris conſtituimus, hic quoque inueniuntur. Interim, vt in aliis quoque peccatis, ita & in eo, quod in ſpiritum ſanctum committi dicitur, certos obſeruare gradus licet; ita vt ab initio eius incrementum, & ab incremento ſupremum eius faſtigium diſcernatur. Initium eius in iis conſpicere licet, qui verbum diuinum contemnunt, irrident, ludibrio habent, deque ſpiritus ſancti operibus contumelioſe loquuntur. Haec qui pro peccatis non agnoſcunt, ſed ſtrenue potius in iis pergunt, facile vlterius progrediuntur, & ad veritatis caeleſtis abnegationem, conſtantemque reiectionem, tandemque blaſphemiam, prolabuntur. Vnde & eos, in quibus initium iſtius peccati, aut quaedam ad illud diſpoſitio eſt, haud difficulter deſignare licet. Ad effatum Ioannis quod attinet, *1. ep. V, 16.* ſolet quidem illud itidem de peccato in ſpiritum ſanctum intelligi; ſed nihil obſtat, quo minus & de aliis peccatis grauioribus accipiatur; immo, ita accipiendam, ſermonis nexus, & oppoſitio ad peccata infirmitatis credentium, haud obſcure ſuadet. Dum autem pro eiusmodi peccato ad mortem, Deum orandum negat, hoc ſibi velle videtur, eo modo pro eiusmodi peccato & peccatoribus, Deum orandum non eſſe, quo pro credentibus, & peccatis, quae ex imbecillitate committunt, eum orare ſolemus.

§. XXXV. Errorum hic occurrentium fontes in duobus iſtis, quae ſedulo euitanda ſunt, extremis ſeſe oſtendunt; quorum alterum illorum eſt, qui, naturae viribus, plus quam decet, tribuentes, peccatum extenuant; alterum illorum, qui eius grauitatem equidem agnoſcunt, ſed vt culpam a ſe amoliantur, in aliud principium extra ſe eam transferre adnituntur. Ad prius qui inclinant, & prauam peccati notionem facile animo concipiunt, & peccatum originale aut negant omnino, aut valde imminuunt, & inter peccata actualia multa pro peccatis non habent, quae tamen peccata ſunt.* Ad poſterius autem qui propendent, aut directe Deum ipſum cauſſam peccati

peccati faciunt, aut ad principium aliquod mali independens confugiunt, aut ex decretis Dei abſolutis peccandi neceſſitatem deriuant. **

* Cum errores in hocce ſacrae doctrinae capite occurrentes, & magni momenti ſint, & per omnem theologiae campum latiſſime ſe diffundant, operae pretium fuerit, in eorum fontes paullo adcuratius inquirere, eorumque progreſſum & ſucceſſionem, ad noſtram aetatem vsque paucis exhibere. Prima illorum ſcaturigo in ipſa humanae naturae conditione quaerenda eſt. Ea enim, vt cum alibi, tum ſupra quoque ad *lib. 2. c. 2. §. 56.* docuimus, eius poſt lapſum eſt ratio, vt, qui diuina gratia non ſunt emendati, aut in ſtatu ſecuritatis viuant, aut in ſtatu ſeruitutis atque legali. Qui ad priorem claſſem pertinent, vt animi leuitatem vbique produnt, ita peccata quoque extenuant, & in minimis ponunt, adeoque, ſi modo ita viuant, vt externa honeſtatis ſpecie gaudeant, ad euehendas, extollendasque naturae vires proni ſunt. In poſteriori autem claſſe qui ſunt conſtituti, vt rigidiorem plerumque vitae rationem adprobant, ita & vim peccati, qua actus internos, faciliùs ſentiunt; & cum ſolis naturae viribus hinc ſe expedire nequeant, facile inducuntur, vt aliud principium extra ſe quaerant, in quod omnem mali culpam conferant. Atque haec cum ita ſe habeant, mirum non eſt, fuiſſe omni tempore inter chriſtianos, ethnicos, Iudaeos, qui in doctrina de origine mali, deq; peccato originali, & voluntatis libertate, ad alterutrum extremum deflecterent, & aut naturae viribus plus quam debebat, tribuerent, aut principium aliquod mali extra ſe, ſed diuerſa ratione, quaererent.

Ab illis itaque vt ordiamur, qui naturae viribus plus quam decet tribuunt, hinc & libertati hominum fauent, inter ethnicos, Epicuraeos vel maxime huc referendos, aliquis exiſtimare poterat; ſiquidem a fato, ſeu neceſſitate Stoicorum eousque ſe remouerunt, vt omnino prouidentiam diuinam negarent. Summam itaque in omnibus homini conceſſiſſe libertatem, eique ſoli omnem mali originem tribuiſſe, videri poterant. Verum, cum iidem non alias, quam corporeas, admitterent ſubſtantias, in has autem, quo pacto libertas quaedam cadat, nemo temere adſequutus fuerit, aliter de iis cenſendum, manifeſtum eſt. Voluerunt equidem ſibi vtcumque conſulere, &, ne omnem libertatem voluntati denegare viderentur, per *motus declinationem*, quam atomis tribuebant, eam explicare adniſi ſunt, vt ex T. LVCRETIO CARO patet, *de rerum natura, l. 3. p. 44.* Quod vt plane ridiculum eſt, ita iam pridem exploſum a CICERONE, *de fato, c. 10. p. m. 1281.* Iungenda, quae dixi in *theſib. de atheismo & ſuperſtit. cap. 5.* ad §. 7. *p. m. 428.* Cum vero praeterea Epicuraei prouidentiam diuinam non admitterent, nec malum aliquod morale ſtatuerent, omnium actionum ἀδιαφορίαν, vt alibi obſeruatum, adſerentes; laborandum vtique illis non erat, vnde mala iſta prouenirent, aut, quo pacto cum bonitate & iuſtitia Dei conciliari poſſent; adeoque hic in cenſum non veniunt. Ab his ergo ſi ad Stoicos progrediamur, eiusmodi ſubinde in illorum ſcriptis deprehendimus effata, vt Pelagius non aliunde, quam ex porticu, ſua accepiſſe, cenſeri queat. Naturae enim ita extollunt vires, libertatemque arbitrii eousq; extendunt, vt negent, virtutem Dei donum eſſe, quippe quae exercitationi tantum, & humanae voluntati debeatur. Hinc CICERO ex illorum mente ad communem πρόληψιν ſiue *anticipationem* prouocans, *virtutem neminem vmquam acceptam Deo retuliſſe,* diſerte docet; &, paucis interiectis: *num quis, quod bonus vir eſſet, gratias diis egit vmquam? At, quod diues, quod incolumis, l. 3. de nat. deor. c. 36. p. m. 1245.* Et occurrunt ſane plurima Stoicorum effata, quibus

omnia

omnia ſibi ipſis in virtutis ſtudio tribuunt, vt nullo Dei indigeant aut auxilio, aut fauore. Πανταχοῦ, inquit M. AVRELIVS ANTONINVS imperator, *καὶ διηνεκῶς ἐπὶ σοί ἐστι, καὶ τῇ παρούσῃ συμβάσει θεοσεβῶς εὐαρεστεῖν, καὶ τοῖς παροῦσιν ἀνθρώποις κατὰ δικαιοσύνην προσφέρεσθαι, καὶ τῇ παρούσῃ φαντασίᾳ ἐμφιλοτεχνεῖν, ἵνα μή τι ἀκατάληπτον παρεισρυῇ. Omni loco, omnique tempore in te ſitum eſt, & caſu praeſenti pie adquieſcere, & cum hominibus praeſentibus ſecundum ius fasque verſari, & viſa praeſentia perite explorare, ne quid incompertum clam ſubrepat; de ſe ipſo ad ſe ipſum, lib. 7. §. 14. p. 226.* edit. GATAKERI. Similia paſſim apud eundem auctorem legas. Idem vero, cum dixiſſet, & eſſe deos, & res humanas curare, ſtatim addit: *καὶ τοῖς μὲν κατ᾽ ἀλήθειαν κακοῖς ἵνα μὴ περιπίπτῃ ὁ ἄνθρωπος, ἐπ᾽ αὐτῷ τὸ πᾶν ἔθεντο; & ne in ea, quae vere mala ſunt, incidat quisquam, in ipſius arbitrio prorſus poſuere; lib. 2. §. 11.* Immo SENECA diſerte, *ſtultum eſſe*, ait, *bonam mentem a Deo optare, cum vnusquisque eam a ſe impetrare poſſit; epiſt. 41.* Pari ratione & HORATIVS, ex Stoicorum diſciplina vitam quidem & diuitias a Numine petit, at virtutem ſectari, in ſua eſſe poteſtate, profitetur:

> *Sed ſatis eſt orare Iouem, qui donat & aufert,*
> *Det vitam, det opes; aequum mi animum ipſe parabo;*

lib. 1. epiſt. 18. Addenda, quae hanc in rem diſſerit GATAKERVS, ad *M. Aurelii Antonini lib. 11. §. 11. p. 48.* Pulcerrimam equidem, fateor, haec aliaue eiusdem generis maſculae cuiusdam philoſophiae ſpeciem prae ſe ferunt. Praeterquam vero quod, ſi praxin, vitaeque rationem ſpectes, in vanam inanemque abeant iactantiam; cum praecipuo illorum de fato, & ineluctabili, qua omnes premantur, neceſſitate, conciliari nulla ratione poſſunt. De fato enim iidem illi Stoici talia docent, quae omni prorſus libertate hominem ſpoliant, quam tamen tam magnifice euehunt, vt omnia in hominis poteſtate poſita eſſe, contendant. Sed non ſatis eos ſibi conſtare, taliaque ſubinde aut adſerere, aut agere, quae aliis illorum decretis e diametro repugnant, iam pridem viris doctis obſeruatum eſt, & ex inſtituto demonſtrauit PLVTARCHVS, *περὶ Στωικῶν ἐναντιωμάτων, de Stoicorum repugnantiis, tom. 2. oper. p. 1033. ſeq.* Quin immo, cum illud de fato praecipuum illorum dogma fuerit, ex quo reliqua ſint aeſtimanda, ad alteram potius, de qua deinceps dicemus, claſſem eos referre licebit. Meliori iure Ariſtotelem hic commemorabimus, cum tota peripateticorum ſchola. Cum enim non alias, quam ciuiles virtutes is admiſerit, vt alibi ex inſtituto docetur, quae externarum ſaltem actionum exercitio conſtant, facile quis in eam induci ſententiam poteſt, naturam omnino ſolam ſibi ſufficere, & per eam, accedente exercitatione quadam, virtutem parari, vt ad Numinis aut gratiam, aut auxilium neutiquam ſit confugiendum. Atque haec ſententia cum toto eius ſyſtemate, in quo prouidentiae diuinae locus non eſt, immo, quod ita comparatum eſt, vt atheus illud haud difficulter admittere queat, optime conuenit. Conferenda, quae dixi in *theſibus de atheismo & ſuperſtit. cap. 1.* ad *§. 15. p. 41.* Et ſane, ſi non aliae, quam ciuiles virtutes, actionesque ad externam honeſtatem compoſitae, ab hominibus requirantur, non eſt, vt de corruptione naturali adeo conqueramur; nec eſt, vt de arbitrii libertate dubitemus; nec denique eſt, vt de origine mali, aut eius cum iuſtitia & bonitate diuina conciliatione, ſimus ſolliciti. Haec omnia itaque ambabus manibus amplectetur ſectator Pelagii. Nec adeo ſine ratione Ariſtoteles ſcholaſticis doctoribus tantopere placuit, poſtquam & hi Pelagianiſmum in eccleſiam poſtliminio introducere, in animum induxerant. Sed hac de re deinceps.

Digitized by Google

Ad Iudaeos ſi tranſeamus, hi quidem, ſi ſcripturae ſacrae inſiſtere veſtigiis voluiſſent, non alia docere potuiſſent, quam quae veritati ſunt conſentanea. Cum tamen Phariſaei iam tempore Chriſti, omnem iuſtitiam, quae Deo placeret, in externa legis obſeruantia collocarent; *Matth. V, 20.* veramque ſimul ſacrificiorum, & legum caerimonialium cauſſam ignorarent, hoc ipſo ſatis demonſtrabant, nec intimam humanae naturae corruptionem ſatis ſibi perſpectam eſſe, adeoque nec a reliquis dogmatibus, quae Pelagianiſmi hodie deſignantur nomine, ſe eſſe alienos. Huncce enim cuitare nequeunt, qui in ſenſu carnali legem diuinam accipiunt, & tantum de actionibus externis interpretantur: quem adeo èrrorem in Phariſaeis recte reprehendit ſeruator, *Matth. l. c.* Atque ita, cum Phariſaei hic impegerint, multo magis de Sadducaeis id dicendum, qui & a fato in tantum ſe remouebant, vt ipſam prouidentiam in dubium vocare viſi ſint, (quamuis eousque non proceſſerint) & eam doctrinae vitaeque tenebant rationem, vt alias, quam ciuiles tantum virtutes eos ſectatos, credibile non ſit. Ad recentiores Iudaeos quod attinet, qui pro Phariſaeorum fere propagine habendi, illi quidem peccatum originale agnoſcunt, immo peccatum Adami, poſteris eius imputatum fatentur, vti VOISINIVS docet; *prooem. in pug. fid. p. 174.* conf. & MAIVS, in *ſynopſi theologiae iudaicae veteris & nouae, loc. 7. p. 205. ſq.* Rectius tamen, fateor, eorum ſibi ſyſtema conſtaret, ſi peccatum originale aut negarent, aut imminuerent. Cum enim expiationem peccatorum per ſacrificium Meſſiae non admittant; nihil aliud ſupereſt, quam vt per opera viam ſibi patere ad ſalutem credant. Opera autem vt hoc praeſtare queant, naturae vires cum Pelagio quouis modo euehendae ſunt, & naturalis hominum extenuanda corruptio. Certe, vt in reliquis fere, paucis exceptis, cum Socinianis conueniunt, ita etiam hac in re cum illis conſentirent.

Sed ad chriſtianos tandem nobis accedendum, apud quos de mali origine, deque peccato originali, & libero arbitrio, nulla lis foret, ſi luculentiſſima ſcripturae effata ſequerentur. Quam primum autem nonnulli, aut rationi nimium indulgendo, aut omnino ethnicae philoſophiae plus quam decet tribuendo, a veritatis tramite in veteri eccleſia diſcederent, fuerunt, qui aut ad hoc, aut ad alterum extremum prolaberentur. Primus, qui Pelagio exemplum praeiuiſſe creditur, ORIGENES fuit, quem & in aliis nimius ethnicae philoſophiae amor in transuorſum egit. Obſeruatum hoc iam eſt HIERONYMO, qui *libro tertio dialog. aduerſus Pelagianos tom. 4. oper. part. 2. p. 546.* edit. IO. MARTIANAEI, Origenem *Pelagianorum amaſium* vocat; & in *epiſtola ad Cteſiphontem*, eidem Pelagiani erroris *princeps* audit, doctrina autem Pelagii, *Origenis ramuſculus. Vis*, inquit, *adhuc & alium noſſe tui erroris participem? doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*; ibidem *tom. 4. oper. part. 2. p. 477.* Ex inſtituto porro, productis in medium ex ſcriptis Origenis locis, id oſtendit NORISIVS, in praecipuis ſcilicet capitibus, in quibus Pelagius ab eccleſia catholica diſſentit, eadem cum eo docuiſſe Origenem; ad eum tamen Pelagianorum errorem quod attinet, quo nullum eſſe peccatum originis ſtatuebant, hunc nusquam palam ab Origene adſertum fatetur, immo, ſi *commentaria, ſeu homiliae in Leuiticum*, quae eidem adſcribuntur, vere illum auctorem habeant, oppoſitum aperte docuiſſe; ex eius tamen principiis colligi poſſe, tollendum omnino peccatum originale; *hiſtoriae Pelagian. lib. 1. c. 1. p. 3. 4.* Sed & HVETIVS, qui omnium diligentiſſime in dogmata Origenis inquiſiuit, agnoſcit, talia eum docuiſſe, quae cum Pelagii erroribus conſentiunt; ſpeciatim liberi arbitrii limites vltra, quam par eſt, protuliſſe;

liſſe; immo haſce opiniones ſuas *lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1.* variis ſcripturae locis confirmare voluiſſe: praecipue hocce Pauli effato, quod *2. Tim. II, 20.* exſtat, cum abſum: *in magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile domino, ad omne opus bonum paratum;* id enim ita accepiſſe, quaſi ſolis voluntatis noſtrae viribus, omni deſtitutis auxilio, peccatorum ſordes poenitentia eluere poſſimus: *quod* inquit, *Pelagianum prorſus eſt; Origenianor. lib. 2. cap. 2. quaeſt. 7. §. 15. p. 116.* Poſt Origenem THEODORVS nobis commemorandus, patria Antiochenus, ſed Mopſueſtenus a ciuitate dictus, cuius eccleſiam per totos triginta ſex annos rexit. Hic tres habuiſſe errores praecipuos dicitur: Chriſtum ſcilicet purum, ſimplicemque fuiſſe hominem, nec a reliquis diuerſum, niſi quod in eo verbum Dei operaretur efficacius, quam in ceteris: hominem porro illum, meritis operum ſuorum, liberique arbitrii viribus, ad hanc tantam gratiam perveniſſe, vt filius Dei vnigenitus diceretur; filium Dei non veniſſe ad peccatum originis tollendum, quippe quod non agnouit; ſed vt omnibus exemplo & magiſterio prodeſſet. Haec eius dogmata fuiſſe, docet IO. GARNERIVS, in *diſſertationib. ad Pelagianiſmum pertinentibus;* quae & in *tom. 12.* operum Auguſtini exſtant, & quidem *diſſert. 1. cap. 2. p. 62.* Obſeruat idem GARNERIVS, fieri potuiſſe, vt Theodorus hoſce errores a Paullo Samoſateno acciperet, quod quidem de primo extra dubium poſitum putat, de duobus poſterioribus adſerere non audet. Sed iam antea etiam *cap. 1.* nonnulla attulerat, quibus videbatur probari poſſe, ipſum Paulum Samoſatenum primum Pelagianae haereſeos auctorem eſſe; ſubſcribere tamen prorſus ei ſententiae noluit, eo quod teſtimonia, quae adduxerat, nec valde aperta ſint, nec Paulum ita reſpiciant, quin ad diſcipulos eius detorqueri queant. Non tamen prorſus contemnendam eam ſententiam exiſtimo, cum errores illi, quibus diuinitas Chriſti impugnatur, & peccatum originale tollitur, ſimulque libero arbitrio plus, quam decet, tribuitur, longe ſint inter ſe coniunctiſſimi, vt vel Socinianorum exemplo patet. Theodorus autem non tantum inter praecurſores, ſed & magiſtros Pelagii referri meretur; ſiquidem hocce dogma ſuum, quo peccatum originale negauit, Rufino tradidit, a quo cum Pelagio, Caeleſtius, diſcipulus quidem Pelagii, ſed qui magiſtrum ſtudio haereſin propagandi fere ſuperauit, illud accepiſſe perhibetur. Num autem Rufinus ille Aquilegienſis presbyter, ex certaminibus cum Hieronymo, & defenſione Origenis, longe notiſſimus, an alius quispiam natione Syrus fuerit? inter viros doctos diſceptatur. Illum plerique hactenus intellexerunt, pro quo & NORISIVS militat, *hiſtor. Pelag. lib. 1. cap. 2. p. 5. ſeq.* hunc autem in ſcenam produxit atque tuetur GARNERIVS, *l. c. diſſert. 1. cap. 3. p. 63. ſeq.* Dubito autem, an omnes hancce GARNERII ſuo adprobaturi calculo ſint ſententiam, cum de Rufino iſto talia commemorentur, quae vix de alio, quam Aquilegienſi, intelligi poſſunt. Et certe, cum magnus hicce fuerit Origenis admirator; eo facilius in iſtam deſcendere ſententiam potuit, quam Pelagio atque Caeleſtio inſtillaſſe creditur. Quin immo, cum Origenis libros περὶ ἀρχῶν in linguam latinam tranſtulerit, primus hoc ipſo Pelagianiſmi in eccleſia occidentali ieciſſe fundamenta, non ſine ratione exiſtimatur.

Sed vt ad Pelagium ipſum accedamus, a quo haereſin hancce nomen accepiſſe conſtat, cum ſaeculo quinto vixiſſe, ſuosque diſſeminaſſe errores, notum eſt. Brito, ſeu Britannus cognominatus eſt, vt ab alio

quodam Pelagio Samoſatenſi, qui & Tarenti dicebatur, diſtingueretur. Scotum eum fuiſſe, ex HIERONYMO nonnulli colligunt, quos inter & GER. IO. VOSSIVS eſt, *hiſtor. Pelagian. lib. 1. cap. 3.* Sed Anglo-Britannum fuiſſe, oſtendit VSSERIVS, in *Britannicar. eccleſiar. antiquitatibus, cap. 8. p. 209.* Diſputatur etiam, an fuerit monachus? cum a quibusdam hoc adfirmetur, negetur ab aliis. Quam quidem litem optime diremiſſe mihi videtur GARNERIVS, obſeruans, monachos etiam dictos, qui in ſuis aedibus viuebant, ſtrictioremque vitae rationem ſequebantur, *l. c. cap. 4. p. 67.* Laudatur autem non tantum ob eruditionem inſignem, & quod graecae quoque, latinaeque linguae fuerit peritiſſimus; ſed & ob vitae, morumque integritatem. Hinc & initio magni eum fecit AVGVSTINVS, magnaque erga eum vſus eſt lenitate, priusquam in apertum certamen cum eo deſcenderet, vt in rectam eum reuocaret viam. Immo, in epiſtola, quam ad illum ſcripſit, quamque deinceps libro *de geſtis Pelagii cap. 27.* inſeruit, eum *deſideratiſſimum fratrem* adpellitat. Longae haec veroſimiliora ſunt, quam duriora iſta, quae in illum HIERONYMVS, iracundiae ſuae nimium indulgens, protulit, dum ei imperitiam & luxuriam obiectare nullus dubitauit. Confirmatur inde, quod ſupra diximus, eos, qui in ſtatu ſecuritatis viuunt, & externam vitae honeſtatem ſectantur, pronos quam maxime eſſe ad naturae vires in tantum extollendas, in quantum gratiae Numinis detrahunt. Quos praecurſores atque magiſtros in haereſi ſua habuerit, antea iam indicauimus. Praecipuum autem fontem in philoſophia Stoica quaerunt viri docti. Qua in re iterum praeeuntem ſibi habent HIERONYMVM, adferentem, *haereſin Pythagorae & Zenonis, ἀπαθείας & ἀναμαρτησίας, id eſt, impaſſibilitatis & impeccantiae, quae olim in Origene, & dudum in diſcipulis eius, Grunnio,* (Rufinum innuit) *Euagrioque Pontico, & Ioviniano, ingulata eſt, coepiſſe* (in Pelagio) *reuiuiſcere; prooem. in lib. 4. Ierem. tom. 3. oper. p. 614.* edit. IO. MARTIANAEI. Nonnulla etiam hanc in rem adfert NORISIVS, eamdem vt comprobet ſententiam, *hiſtor. Pelagian. lib. 1. cap. 1.* Et potuerunt ſane effata iſta Stoicorum, quae ſupra commemorauimus, facile erroribus iſtis, quos amplexus eſt Pelagius, occaſionem praebere; & hactenus non abnuo, a Stoicis originem iſtius haereſeos repetendam. Quod ſi tamen ipſum Stoicae philoſophiae ſyſtema conſideres, &, quod in eo praecipuum locum tenet, principium de fato, ſeu abſoluta rerum omnium neceſſitate, tantum abeſt, vt Pelagianis hoc faueat, vt illis potius adnumerandi ſint Stoici, qui ad alterum extremum declinant. Vt autem Pelagius nihil intermiſit, quo haereſin ſuam diffunderet, atque propagaret, ita diſcipulos quoque atque adiutores varios nactus eſt, quos inter eminent Caeleſtius, Iulianus Eclanenſis epiſcopus, & Annianus; de quibus ex inſtituto agit, quem aliquoties iam laudauimus, GARNERIVS, *l. c. diſſert. 1. cap. 5. ſeq.* itemque NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. tom. 5. cap. 3. art. 2. ſeq.* Sed & Theodorus Mopſneſtenus, quem antea inter praecurſores & magiſtros Pelagii retulimus, inter defenſores eius etiam haud vltimum locum tenet. Cauſſam enim Pelagii palam in ſe tuendam recepit, idque tum contra Auguſtinum, tum contra Hieronymum praeſtitit. Ex iis, quae contra Auguſtinum ſcripſit, fragmenta cum Marii Mercatoris operibus edidit GARNERIVS, quae eodem tempore, ex Codice Vaticano exſcripta, *hiſtoriae* ſuae *Pelagianae* inſeruit NORISIVS, *lib. 1. cap. 9. p. 34. ſeq.* Contra Hieronymum eum ſcripſiſſe ex iis, quae PHOTIVS commemorat, liquet, *cod. 177.* Per Aramum enim, cui opus illud Theodori, a PHOTIO laudatum, oppoſitum fuit, non alium, quam Hieronymum intelligendum, pridem viris doctis obſeruatum fuit.

Digitized by Google

fuit. Legenda, quae erudite hac de re commentatur ITTIGIVS, in *diſſert. de Aramo, ſcriptore eccleſiaſtico, anti-Pelagiano, obſcuriſſimo pariter ac celeberrimo, quem Theodorus Antiochenus, vnus e praecipuis Pelagianae haereſeos auctoribus & defenſoribus, confutare conatus eſt;* quae ſeptima eſt, in *heptade diſſertationum, diſſertationi de haereſiarchis ſaeculi apoſtolici & apoſtolico proximi*, ſubiuncta, *p. 466. ſeq.* Quibus vero artibus in errore ſuo diſſeminando vſus ſit Pelagius, quam callide ſententiam ſuam genuinam diſſimulauerit, quae hinc orta ſint certamina, quae concilia congregata? & quae reliqua ſunt eiusdem generis, vt exponamus, neceſſe non eſt, nec noſtri inſtituti aut poſtulat, aut permittit ratio. Legendi de hisce, qui ex inſtituto hiſtoriam Pelagianam ſcripſerunt, aut eam illuſtrarunt, LATIVS, in *commentariorum de Pelagianis & ſemi-Pelagianis libris duobus*, VOSSIVS, in *hiſtor. Pelagiana*, NORISIVS, itidem in *hiſtoria Pelagiana*, GARNERIVS, in *diſſertationibus ad Pelagianismum pertinentibus*, quas antea iam laudauimus; quibus & VSSERIVS iungendus, qui *Britannicarum eccleſiarum antiquitatibus, peſtiferae aduerſus Dei gratiam a Pelagio Britanno inductae haereſeos hiſtoriam* inſeruit; itemque FORBESIVS, *inſtruction. hiſtor. theologic. lib. 8. cap. 28.* IANSENIVS, *Auguſtini* ſui *tomo primo;* aliique. Ad dogmata Pelagii, eiusque ſectatorum, quod attinet, inter ea quidem, quibus ab eccleſia catholica diſſentiebant, primum praecipuumque merito obtinet locum, quod peccatum originale non admittebant. Nimirum, negabant, *Adami peccatum imputari poſteris, catholicisque adducentibus verba apoſtoli, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, Rom. V, 12. ea ad imitationis exemplum reſtringebant;* praeterea docebant, *peccato Adami praeter Adamum laeſum eſſe neminem, ac proinde nullum eſſe originalem naturae defectum, ſed in ea perfectione vnumquemque procreari, in qua Adam fuit ante lapſum, hoc vno excepto, quod ille perfecta creatus ſit aetate, nos ea gignamur, quae ratione necdum vti ſciat;* denique & *mortem temporalem ex naturae neceſſitate eſſe*, adſerebant, *nec propter peccatum primorum parentum redundaſſe in genus humanum; ſed Adamum ipſum moriturum fuiſſe, etſi non peccaſſet;* multo minus agnoſcebant, *nos peccato Adami promeritos eſſe mortem aeternam.* Haec praecipua illorum de peccato originali fuiſſe placita, ex quibus reliqua fluxerint, adductis veterum teſtimoniis, oſtendit VOSSIVS, *hiſtor. Pelagian. lib. 2. part. 2. theſ. 1. ſeq. p. m. 612. ſeq.* Integram interim minimeque corruptam dum hominis ſtatuebant naturam, non poterant non libero quoque arbitrio tantam vim in bonis quibusuis perficiendis, tribuere, vt nulla Numinis gratia indigeat. Atque hunc alterum errorem capitalem Pelagianorum fuiſſe, conſtat. Legenda, quae itidem hac de re collegit VOSSIVS, *l. c. lib. 3. part. 2. theſi 1. p. 650.* Palam itaque eſt, gratiae quoque diuinae neceſſitatem eos non agnouiſſe, etſi verbis ad fucum faciendum compoſitis, hoc prae ſe ferrent. Qua de re ſuo loco.

Licet autem Auguſtinus & Hieronymus, aliique, in opprimendis iſtis erroribus Pelagii, exſtirpandisque, omnem nauarent operam, iidemque in variis etiam conciliis damnati, totius eccleſiae conſenſu reiicerentur, vt adeo haecce haereſis exſtincta fere videri potuiſſet; attamen mox per ſemi-Pelagianos quodammodo repullulauit, & poſtliminio in eccleſiam reducta eſt. Nimirum cum Auguſtinus Pelagii dogmata ſtrenue impugnaret, erant nonnulli, qui in doctrina de peccato originis cum eo conſentiebant; at, vt in iis, quae de gratia docuerat, in eius plane concederent ſententiam, ab ſe impetrare non poterant. Hos inter principem tenebat locum IO. CASSIANVS, vir litteris & morum integritate illuſtris, qui, vt iniquiori in Au-

guſtinum erat animo, ita operoſas eius de gratia diſputationes tacite ſugillabat, & aliam hac de re ſibi ſedere ſententiam, haud obſcure prodebat. In *libris* namque *12. de inſtitutis coenobiorum*, ita nonnumquam de gratia verba facit, vt diſerte contendat, poſſe homines ſuis viribus, quod coram Deo bonum eſt, inchoare, at non ſine gratia diuina idem perficere. Sed & in opere *de collationibus patrum* ſubinde fidei initium liberi arbitrii viribus tribuit. Cumque magna eius, ob eruditionem pariter ac eloquentiam, non minus quam ob vitae integritatem, apud multos eſſet auctoritas, haud difficile illi fuit, & alios in eamdem pertrahere ſententiam. Hinc & praeter reliquos monachos Lerinenſes, quorum magna eo tempore fuit celebritas, eo quod inter eos eſſent viri eruditione praeſtantes, eum ſequuti ſunt Fauſtus, Hilarius, Vincentius Lerinenſis, Gennadius Maſſilienſis, quibus nonnulli Sulpitium Seuerum, atque Honoratum, Maſſilienſium epiſcopum, addunt. De hisce omnibus plura dixi, in *diſſert. de Pelagianiſmo in eccleſia Romana triumphante*, *§. 4.* Licet autem non deeſſent, qui hiſce acriter ſe opponerent, quod, praeter Auguſtinum ipſum, Proſperum gente Aquitanum, Hilarium Arelatenſem, aliosque feciſſe conſtat; immo licet etiam a quibusdam pontificibus Romanis ſemi-Pelagianismus reiiceretur, improbareturque; tantum tamen abeſt, vt exſtirpari potuerit, vt potius cum Caſſiani ſcriptis in monaſteria receptus, latiusque fuerit diſſeminatus, & eundo vires adquiſiuerit. Plurimum eo contulit Benedictus, celeberrimi monachorum ordinis, qui ab eo nomen retulit, conditor, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum ſexto vixit, floruitque. Hic enim cum, monachis ſuis regulam praeſcribens, praelegendam tenendamque illis Caſſiani doctrinam in *collationibus patrum*, commendaret, eo altius omnium animis Caſſiani placita inſigi oportebat, quo maiorem vitae ſanctae opinionem Benedictus ſibi comparauerat. Accedebat, quod hoc circiter tempore epiſtola *de virginitate ad Demetriadem*, quam AVGVSTINVS, ceu a Pelagio ſcriptam, refutauerat, ſub HIERONYMI nomine circumferri, & legi coeperit: qua quippe ratione incauti non poterant non turpiter decipi. De qua & ὡς ἐν παρόδῳ obſeruandum: licet Benedictini monachi, qui Auguſtini opera ediderunt, eam Pelagio abiudicent, & anno 413. ſcriptam contendant, eam tamen Pelagianis erroribus eſſe refertiſſimam, fatentur. Incrementa vero maxima Pelagianiſmum inter monachos ſumſiſſe, vel inde intelligitur, quod circa initium ſaeculi octaui, anno 700, BEDA, quem vulgo *venerabilem* vocant, errori huic ſeſe opponere, neceſſe duxerit, in *praefatione in cantica de gratia Chriſti, aduerſus Iulianum.* Eamdem nimirum, quam antea memorauimus, *epiſtolam ad Demetriadem*, refellendam ſibi ſumſit, quam a Iuliano, Pelagii ſectatore, ſcriptam exiſtimauit. Nec tamen repreſſus apud monachos Pelagianus error fuit, ſiquidem circa initium ſaeculi vndecimi ANSELMVS, Cantuarienſis archiepiſcopus, edito *de concordia gratiae & liberi arbitrii* libro, contra eumdem inſurrexit. Idem etiam *de peccato originis* librum ſcripſit, quem, ob definitionem peccati originalis, quam in eo tradit, ſupra iam ad *§. 14.* huius capitis, commemorauimus. HVGONEM DE S. VICTORE, qui circa initium ſaeculi XII. vixit, ibidem iam laudauimus, docuimusque, quod definitionem peccati originalis, quam Anſelmus tradidit, cum Auguſtiniana illa coniunxerit. Anſelmum namque in vindicanda, pro captu ſaeculi, contra Pelagianiſmum vera doctrina, ſequutus eſt, immo, ſuperauit. In ſcriptis enim Auguſtini fuit verſatiſſimus, quem & in lucubrationibus ſuis maximopere aemulatus eſt, adeo vt *alter Auguſtinus*, & *lingua Auguſtini*, cognominaretur, vt

vt CAVEO obſeruatum, *hiſtor. litterar. ſcriptor eccleſiaſticor. ſaec. XII. p. 456.* In eiusdem ſaeculi duodecimi priori dimidio vixit floruitque BERNARDVS, Claraeuallenſis ille abbas, doctrinae, ſanctitatisque laude clarus, qui cum graſſantes in monaſteriis errores Pelagianos deprehendiſſet, ex diligenti ſacrarum litterarum lectione rectiora edoctus, iis ſe opponere, ſuarum duxit eſſe partium; librumque adeo ſcripſit, *de gratia & libero arbitrio*, in quo eorum, qui Caſſianum ſequebantur, mentem explicat, ſubinde tamen quaedam parum adcurate dicta admiſcet. Idem de PETRO LOMBARDO cenſendum, qui eodem ſaeculo duodecimo vixit, & aliorum exemplo, ex patrum ſcriptis, *libros ſententiarum* compilauit, quorum tanta fuit olim auctoritas, vt per eos theologiae ſcholaſticae originem dediſſe a quibusdam credatur. In iis enim etſi ſemina illarum diſputationum, quae poſtea, doctrina puriori magis obſcurata, in eccleſia Romana ortae ſunt, continentur; de liberi tamen arbitrii viribus multa recte & ex rei veritate traduntur, quae adeo haud ſine ratione iis oppoſita videntur, qui Caſſiani placitis imbuti, Pelagianos in eccleſia Romana non deſinebant propagare errores. Exempla eorum, quae de Bernardo pariter ac Petro Lombardo diximus, qui deſiderat, is B. IO. GERHARDVM noſtrum adeat, qui in aureo *confeſſionis catholicae* opere, ea plena manu exhibet, *lib. 2. part. 3. art. 42. cap. 4. p. 1437. ſeq.* Haec tamen non obſtabant, quo minus Pelagiani errores indies latius ſerperent, & nouas ſubinde adquirerent vires. Factum id cumprimis, cum ſaeculo XIII FRANCISCVS atque DOMINICVS nouos monachorum ordines, qui magnam deinceps in eccleſia Romana celebritatem conſequuti ſunt, inſtituerent. Dominico enim Caſſianus maxime ſe probauit, hinc &, vt eius placita certatim in monaſteriis reſuſcitarentur, effecit. Cathedras deinceps monachi ex iisdem ordinibus occuparunt, Pelagianis erroribus ſcholas repleturi. Licet enim Petri Lombardi *libros ſententiarum* explicarent, commentariisque ſuis illuſtrarent, *ſententiariorum* nomine inde inſigniendi, in doctrina tamen de libero arbitrio ab eo diſceſſerunt, immo, ſubinde ipſius refutarunt ſententiam. Exemplis hoc comprobat B. MART. CHEMNITIVS noſter, *loc. theolog. de libero arbitrio, cap. 8. p. 190.* Interim, ex ipſo Dominicanorum ordine THOMAS DE AQVINO exſtitit, vir magno & excellenti ingenio praeditus, qui veriora rectioraque perſpexit, & Auguſtini veſtigiis inſiſtendo, Pelagianiſmo, torrentis inſtar orbem inundaturo, ſe oppoſuit. Virum hunc non in hoc modo, ſed aliis quoque doctrinae caeleſtis capitibus, veritatem cognitam perſpectamque habuiſſe, adeoque longe rectius ſentire, quam hodie Romana eccleſia ſentit, ex inſtituto DORSCHAEVS demonſtrauit, in libro, quo *Thomam de Aquino confeſſorem veritatis euangelicae* exhibet. Legenda cumprimis, quae *ſect. 8. cap. 3. p. 444. ſeq. de viribus humanae voluntatis, ad opera bona & ſpiritualia*, ex celeberrimo hocce Romanae eccleſiae doctore in medium adfert. Nec abs re fuerit, ὡς ἐν παρόδῳ hic obſeruare, Dominicanos, qui ſe genuinos Thomae de Aquino diſcipulos profitentur, ſubinde hoc exprobrare Ieſuitis, quorum opera Pelagianismus in eccleſia Romana recentiori aetate vel maxime triumphat, quod a doctrina *doctoris angelici* (ita enim vocari ſolet) diſceſſerint: negantibus quidem id Ieſuitis, & *praemotiones phyſicas*, quas recentiores Thomiſtae defendunt, Thomae ipſi prorſus ignotas fuiſſe, contendentibus. Legenda, quae pro Dominicanis hic diſputat IAC. HYACINTHVS SERRIVS, in *hiſtor. congregat. de auxiliis gratiae diuinae, lib. 1. cap. 1. p. 6.* pro Ieſuitis autem LIVINVS DE MEYER, ſub THEODORI ELEVTHERII nomine latitans, in *hiſtor. controuerſ. de diuinae gratiae*

tiae

Digitized by Google

tie auxiliis &c. lib. 1. cap. 2. p. 3. ſq. Quantumuis autem Thomas de Aquino de liberi arbitrii viribus, deque gratia Dei, non male & ſentiret, & doceret, non tamen, vt reliqui eius exemplum ſequerentur, efficere potuit. Immo, non deerant, qui ei ſe opponerent, quod cumprimis IO. DVNS SCOTVS fecit, vt in aliis, ita hac quoque in re, ab eo diſſentiens. Notaque ſunt Thomiſtarum ac Scotiſtarum nomina, quibus ſcholae ea aetate perſonabant. Docuiſſe autem Scotum talia, quae a Pelagianismo non procul aberant; oſtendit B. CHEMNITIVS noſter, *loc. theol. de liber. arbitrio c. 8. p. 190.* quamquam interdum & talia proferre videatur, quae cum illorum errore, qui abſolutam neceſſitatem defendunt, conueniunt, vti ſupra ad *lib. 2. cap. 2. §. 56.* obſeruauimus. Inualeſcenti autem ita Pelagianismo, eodem ſaeculo decimo quarto, circa cuius initium Scotum obiiſſe conſtat, obuiam iuerunt alii, quos inter BRADWARDINVS haud vltimum locum tenuit, in *libris tribus de cauſſa Dei, & de veritate cauſſarum contra Pelagium.* GREGORIVS praeterea, vel, vt alii vocant, GEORGIVS ARIMINENSIS, theologus Pariſienſis, qui eodem ſaeculo floruit, receptam ſententiariorum de libero arbitrio doctrinam publice refutauit, prorſusque Pelagianam eſſe, ex inſtituto demonſtrauit. Idem etiam OCCAMVM, HOLCOT, aliosque, qui de praedeſtinatione ſcripſerunt, feciſſe conſtat; quorum nomina VOSSIVS commemorat, *hiſtor. Pelagian. lib. 1. cap. 26. p. m. 578* Praeualuit nihiloſecius apud pleroſque ſententia Scoti, & vires atque incrementa cepit, vt adeo ſcholaſticorum hoc tempore theologia, tum aliis grauiſſimis, tum maxime Pelagianis eiusmodi erroribus foedata, acriorem emendationem poſtularet.

Et hanc quidem B. LVTHERVS noſter, divinitus ad hoc excitatus, attulit, dum & inter alia grauiſſimos ſcholaſticorum in doctrina de peccato originali, deque libero arbitrio, errores, detexit, & more ſuo libere & cordate reprehendit. Idque eo minus mirum, quod Auguſtini doctrinae ipſe velut innutritus eſſet, & haec ipſa cum doctrina de iuſtificatione & bonis operibus, in qua ab infinitis errorum ſordibus purganda, vel maxime deſudabat, arctiſſimo connexa ſit vinculo. Hoc ipſo autem cum ſcholaſticae theologiae iugulum peteret, huiusque qui defenſionem feliciter ſuſciperet, nemo inter Lutheri aduerſarios reperiretur, tandem ERASMVS Roterodamenſis ſe induci paſſus eſt, vt in certamen cum eo deſcenderet; cui Lutherus, in libro *de arbitrio ſeruo* ita obuiam iuit, vt aduerſarium, licet longe eruditiſſimum, totamque cohortem Pelagianam penitus proſtrauiſſe, gratiaeque diuinae non melius quisquam egiſſe cauſſam, merito cenſeatur. Ad alterum equidem extremum eum paulisper deflexiſſe, nonnulli exiſtimant; dum omne plane arbitrium liberum homini denegare, gratiamque ita extollere videtur, vt prope abſit ab illorum ſententia, qui ineuitabilem quamdam neceſſitatem, & abſolutum praedeſtinationis decretum inducunt. Verum ad prius quod attinet, cum non de actionibus externis, & ciuilibus, ſed ſpiritualibus, loquatur, facile deprehendemus, nihil eum dixiſſe, quod merito reprehenſionem incurrat. Nec alterum caput recte illi obiici intelliget, qui cuncta paullo adcuratius expenderit. Etſi enim, quod diffiteri nolumus, nonnulla paullo durius dicta, viro ſummo, & in certaminis aeſtu conſtituto, exciderint, ea tamen ita comparata eſſe, vt non tantum commodum ſenſum admittant, ſed ita quoque iuxta leges legitimae interpretationis accipienda eſſe, B. SEB. SCHMIDIVS, in *adnotationibus* ad huncce Lutheri librum, luculenter demonſtrauit; itemque ZENTGRAVIVS, theologus itidem Argentoratenſis clariſſimus,

in

in *praefatione apologetica*, editioni ſecundae libri *de ſeruo arbitrio*, cum *adnotationibus* SCHMIDII, praemiſſa, in qua adnotationes Schmidianas a criminationibus vindicat. Quemadmodum vero B. LVTHERVS Pelagianiſmo ſcholaſticorum in eccleſia Romana maſcule ſe oppoſuit, ita idem fecerunt pii noſtri confeſſores, tum in ipſa *Auguſtana confeſſione*, tum eius *apologia*, quam illorum nomine & conſenſu conſcripſit MELANCHTHON. Et in *Auguſtana* quidem *confeſſione*, non tantum *art. 2.* ſuam de peccato originali ſententiam perſpicue explicant, quod *poſt lapſum Adae, omnes homines ſecundum naturam propagati, naſcantur cum peccato, hoc eſt, ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, & cum concupiſcentia; quodque hic morbus, ſeu vitium originis, vere ſit peccatum &c.* ſed damnant etiam *Pelagianos, & alios, qui vitium originis negant eſſe peccatum, & vt extenuent gloriam meriti & beneficiorum Chriſti, diſputant, hominem propriis viribus rationis coram Deo iuſtificari poſſe.* Scholaſticis in Romana eccleſia doctoribus haec oppoſita eſſe, nemo non intelligit, quod & in *apologia Auguſtanae confeſſionis* diſerte maiores noſtri profitentur. *Extenuant*, inquiunt, *peccatum originis ſcholaſtici doctores, non ſatis intelligentes definitionem peccati originalis, quam acceperunt a patribus. De fomite diſputant, quod ſit qualitas corporis, &, vt ſuo more ſunt inepti, quaerunt, vtrum qualitas illa contagione pomi, an ex adflatu ſerpentis contracta ſit? &c. art. 1. p. 52.* Pari ratione & de libero arbitrio perſpicue mentem ſuam explicant in *Auguſtana confeſſione, art. 18.* damnantque *Pelagianos & alios, qui docent, quod ſine ſpiritu ſancto, ſolis naturae viribus, poſſimus Deum ſuper omnia diligere, item, praecepta Dei facere, quoad ſubſtantiam actuum &c.* Qua de re dum iidem maiores noſtri vlterius in *apologia Auguſtanae confeſſionis art. 8. p. 217. ſeq.* agunt, obſeruant, aduerſarios eandem hanc doctrinam de libero arbitrio recipere, addereque & declarationem, quod non ſit nimium tribuendum libero arbitrio cum Pelagianis, neque omnem ei libertatem adimendam eſſe, cum Manichaeis. Sed ſubiungunt porro: *Praeclare ſane; ſed quid intereſt inter Pelagianos & aduerſarios noſtros? cum vtrique ſentiant, homines ſine ſpiritu ſancto poſſe Deum diligere, & praecepta Dei facere, quoad ſubſtantiam actuum, mereri gratiam ac iuſtificationem operibus, quae ratio per ſe efficit, ſine ſpiritu ſancto. Quam multa abſurda ſequuntur ex his Pelagianis opinionibus, quae in ſcholis magna auctoritate docentur? &c.*

Atque hinc patet, quaenam Romanae eccleſiae doctorum, de capitibus hiſce, de quibus diſputamus, tempore reformationis fuerint ſententiae; & quod, qui eas defenderunt, iure referantur ad eorum claſſem, qui naturae viribus plus quam decet, tribuunt. Rectiora autem licet noſtrates illis monſtrarint, tantum tamen abeſt, vt errores ſuos aut corrigerent, aut dimitterent, vt acrius contra, pertinaciusque defenderent, ac propugnarent. Nec tamen ipſimetilli, qui Romanae eccleſiae addicti erant, vsquequaque conſenſerunt, erantque, qui magis ad Pelagianorum; rurſusque & erant, qui ad praedeſtinatianorum partes inclinarent; quod tum magis adhuc patuit, cum diſſenſus iſte in aperta certamina inter Ieſuitas & Dominicanos, itemque Ianſeniſtas, erumperet, de quibus in ſequentibus ſuo loco dicendi ſe offeret occaſio. Interim diſſenſus ille obſtitit, quo minus concilii Tridentini patres aperte & candide haſce controuerſias dirimerent; ſiquidem ſermone tam vago, tamque ambiguo vſi ſunt, vt vtrique parti ſuam vlterius tueri ſententiam, integrum eſſet. Quod priusquam demonſtremus, id ſaltem monendum, ad tria capita praecipua redire, ſuper quibus nobis cum eccleſiae Romanae doctoribus, qui Pelagianis erro-

erroribus fauent, quos inter Ieſuitae primum locum tenent, controuerſia intercedit. Primo enim peccatum originale ipſum extenuant, intime per illud mentem noſtram corruptam eſſe negantes, aut ſaltem in priuatione quadam, neutiquam in propenſione ad mala, ſeu concupiſcentia praua illud conſtituentes, aut ad partes animae, quas vocant, inferiores, quae ſuperioribus repugnent, vel omnino corpus tantum, referentes. Hinc porro alterum ſequitur, quod concupiſcentiam prauam, ſaltem motus eius inuoluntarios, peccata eſſe negent. Sed & tertium inde fluit, quod non in naturalibus ſaltem, ſed & in ſpiritualibus, homini liberum arbitrium tribuant, adeo quidem, vt ſolis naturae viribus opera bona, quibus aliquid promereatur, edere poſſit. Ad primum itaque quod attinet caput, de peccato originali eiusmodi in concilio Tridentino, *ſeſſione V*, conditum decretum eſt, in quo ſi verba ſpectes, ex purioris antiquitatis ſcriptis tranſſumta, & ſcripturae ſacrae conſentanea, quod in eo deſideres, non eſſe videatur. Paullo tamen adcuratius cuncta ſi conſideres, vera eſſe deprehendes, quae IAC. ANDRADIVS nos condocet, & ex eo M. CHEMNITIVS adducit, concilium Tridentinum, cum definiret peccatum originis, vere eſſe peccatum vnicuique proprium, *illius tamen notionem propriam conſulto ſilentio inuoluiſſe, & ita liberum cuique reliquiſſe, opinari; exam. concil. Trident. part. 1. loc. 3. pag. 126.* Atque haec cum ita ſe habeant, mirum non eſt inter eccleſiae Romanae doctores τοὺς πελαγιανίζοντας eiusmodi de peccato originali propugnare ſententias, quales antea commemorauimus. De concupiſcentia in eadem ſynodo, itidem *ſeſſione V.* decretum fuit. *Hanc concupiſcentiam,* (quae in renatis poſt baptiſmum eſt) *quam aliquando apoſtolus peccatum adpellat, ſancta ſynodus declarat, eccleſiam catholicam numquam intellexiſſe, peccatum adpellari, quod vere & proprie in renato peccatum ſit: ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Sed quid ad hocce ſynodi Tridentinae decretum reſpondendum ſit, iam antea docuerunt maiores noſtri, in *apologia confeſſionis Auguſtanae* ita hac de re verba facientes: *At diſputant, concupiſcentiam poenam eſſe, non peccatum. Lutherus defendit, peccatum eſſe. Supra dictum eſt, Auguſtinum definire peccatum originis, quod ſit concupiſcentia. Expoſtulent cum Auguſtino, ſi quid habet incommodi haec ſententia. Praeterea Paulus ait: concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, non concupiſces; art. 1. p. 57.* Ad Auguſtinum equidem quod attinet, ſcio, de eius ſententia inter viros doctos diſputari. Sunt enim inter ipſos Romanae eccleſiae addictos, qui eum hoc nomine reprehendunt, quod ſcripſerit: concupiſcentiam rationi contrariam, eſſe malam, & defectum naturae humanae, ex peccato originali ortum. Contra quos dum HENR. NORISIVS diſputat, docet, adſerere omnino Auguſtinum, *concupiſcentiam eſſe per ſe malam, & vitium humanae naturae, ex primo peccato deriuatum, nec illam eſſe paſſionem naturalem hominis; attamen eum non arbitrari, concupiſcentiam eſſe peccatum, ſed eſſe veluti habitum vitioſum, ad malum inclinantem;* in *vindiciis Auguſtinianis, c. 3. §. 2. p. 17.* Et exſtant ſane loca quaedam apud Auguſtinum, in quibus negat, concupiſcentiam in renatis peccatum eſſe; ſed tum eiusmodi peccatum, quod gratia diuina eos priuet, illum intelligere, egregie oſtendit MART. CHEMNITIVS, in *exam. concil. Trident. part. 1. loc. 4. ſect. 3. p. 138.* Ad liberum denique arbitrium quod attinet, cum plurimi Romanenſium de eo reuera Pelagianos errores foueant, concilii tamen Tridentini patres more ſuo id agunt, vt, dum meris aequiuocationibus ludunt, imperitorum hominum oculis caliginem

liginem obfundunt. Etenim *ſeſſ. 6. can. 5.* anathema equidem illis dicunt, qui ſentiunt, *liberum hominis arbitrium poſt Adae peccatum amiſſum, & exſtinctum eſſe;* non autem explicant, quid vocabulo *liberi arbitrii* intelligant. Nimirum ſi de libero arbitrio in rebus externis, naturalibus & ciuilibus, ſermo ſit, anathema hoc nos non ferit. Sin autem de libero arbitrio in ſpiritualibus quaeſtio intelligatur, error mere Pelagianus eſt, quod homo non renatus tum libero arbitrio gaudeat. Recte B. CHEMNITIVS noſter: *Cum tam variae ſint aequiuocationes*, (vocis huius) *poſtulant tamen reuerendi patres, vt ſine diſtinctione in genere, ſub anathematis interminatione, confiteamur, hominem poſt lapſum retinuiſſe liberum arbitrium; non autem vel de ſubſtantia mentis & voluntatis, non de libertate diſciplinae in rebus externis, nec de contingentia in actionibus vitioſis potiſſimum pugnant. Ita enim quod ad nos attinet, nullam haberent cauſſam fulminandi anathematis; ſed de potentia, vi, & efficacia naturali ad actiones ſpirituales, certamen eſt. Illam vero quaeſtionem verentur proponere, cum ſcripturae teſtimonia nimium ſint manifeſta*; in *exam. concil. Trident. part. 1. loc. 7. ſect. 5. p. 177.* Si autem reliqua, quae in concilio Tridentino hac de re decernuntur, adcurate confideres, facile perſpicies, mentem patrum iſtorum huc redire: liberi arbitrii vires naturales ad inchoandas & efficiendas actiones ſpirituales, licet in hominibus non renatis attenuatae ſint, & inclinatae, minime tamen exſtinctas eſſe. Atque ex hactenus quidem dictis patet, quaenam ſint praecipua capita, ſuper quibus inter nos & Romanenſes ſaltem illos, qui in Pelagii caſtris militant, hodie adhuc diſputatur; patet etiam, nullam illis fieri iniuriam, ad eam diſſentientium quod transferimus eos claſſem, qui naturae humanae viribus plus quam decet, tribuunt.

Ad eamdem hancce claſſem, eorum ſcilicet, qui naturae humanae vires nimis euehunt, citra omnem controuerſiam pertinent Sociniani. Certe, qui rationi tantum tribuunt, vt eam, ceu vnicam fidei atq; vitae normam ſequantur, non poſſunt non eam integram prorſus, in rebus ad ſalutem ſpectantibus, omnisque vitii ac labis expertem exiſtimare; hinc & de reliquis naturae viribus non minus praeclare eos cenſere palam eſt. Accedit porro, quod, dum Chriſti diuinitatem negant, eo quod eam cum rationis principiis conciliare nequeunt; hinc & ſatisfactionem eius non admittunt; non poſſint non naturae vires euehere, ne homo tam corruptus tamque deprauatus ſtatuatur, vt tali redemtore opus habeat. Hinc & non omni ſpecie veri deſtituuntur, qui Pelagianae haereſeos primam originem a Paulo Samoſateno deriuant; qua de re ſupra iam quaedam obſeruauimus. Non multis itaque verbis nobis opus eſt, vt id, quod de Socinianis diximus, comprobemus, cum & totum illorum ſyſtema ſine Pelagianiſmo ſibi non conſtet, & ipſimet etiam adeo hoc non inficientur, vt palam potius & aperte profiteantur. Et FAVSTVS quidem SOCINVS ipſe in *praelectionibus theologicis*, quae *tom. 1. oper.* eius *p. 535. ſeq.* exſtant, *c. 4.* ex inſtituto quaeſtionem hancce tractans, *an ſit, & quale ſit peccatum originis?* cum inter alia obſeruaſſet, nonnullos peccatum originis *iuſtitiae originalis carentiam* interpretari, hoc ſtatim reiicit, eo quod in homine ante lapſum nulla iuſtitia originalis fuerit; quod & *cap. praeced. 3.* demonſtrare voluit. Pergit itaque atque docet, *eſſe, qui velint, originale peccatum innatam quamdam cupiditatem, ſeu concupiſcentiam malam in homine eſſe, & ad peccandum pronitatem.* Sed hanc quoque opinionem triplici ratione potiſſimum veram eſſe non poſſe. *Primum*, inquit, *quia concupiſcentiam iſtam, ſiue ad peccandum proclinitatem,*

tatem, in omnibus prorſus hominibus naturaliter eſſe, non conſtat. Deinde, quia, etiamſi de eo conſtaret, non propterea illud eſſet, quia Adamus, a quo omnes prognati ſumus, diuinum illud praeceptum transgreſſus fuerit. Poſtremo, quia cupiditas iſta, & ad peccandum pronitas, cum coniunctam ſecum hominis ipſius, in quo eſt, culpam non habeat, eius peccatum proprie dici non poteſt. Qua in triplici reſponſione triplicem errorem, eumdemque longe grauiſſimum, prodit. Dum enim primo dubitat, an concupiſcentia iſta praua naturaliter in omnibus hominibus ſit, ipſa eum refellit experientia. Si vero in omnibus hominibus naturaliter exſiſtit, quod in altera reſponſione concedit, non aliunde, quam a lapſu Adami, deriuari poteſt. Adſerit equidem deinceps SOCINVS, cupiditatem malam non ex peccato primi parentis, ſed *ex eo manaſſe, quod humanum genus, frequentibus peccatorum actibus habitum peccandi contraxerit, & ſe ipſum corruperit, quae corruptio per propagationem in poſteros transfundatur*; idque inde probat, *quod vnum illud peccatum per ſe non modo vniuerſos poſteros, ſed ne ipſum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuerit.* Sed qui grauitatem iſtius peccati, ſupra expoſitam, recte expenderit, non dubitabit, naturam Adami penitus per illud corrumpi potuiſſe. Natura autem Adami corrupta, non potuit non corruptio iſta ad omnes eius poſteros propagari; quod eo minus negare poteſt Socinus, quia antea conceſſit, corruptionem per conſuetudinem peccandi contractam a parentibus in liberos transfundi. Tertius in triplici iſta reſponſione error eſt, quod concupiſcentiam prauam, more reliquorum Pelagianorum, pro peccato non habeat, cum nulla in ea ſit hominis culpa. Sed omne illud, quod legi repugnat, etſi conſenſus hominis non accedat, iuxta ſcripturae doctrinam, pro peccato habendum, ſupra iam luculenter demonſtrauimus. Atque ita cum Sociniani de peccato originis, deque natura hominis ſentiant, facile, quae illorum de libero arbitrio ſit ſententia, intelligitur. Connexa enim haec inter ſe eſſe, & res ipſa docet, & SOCINVS quoque fatetur: *ex iis, quae ſupra*, (de peccato originis) *diſputata ſunt, ſatis conſtare poteſt, in homine liberum arbitrium eſſe, ſi modo id verum eſt, quod omnes concedunt, & ratio ipſa manifeſte docet, in primo homine ante lapſum liberum arbitrium fuiſſe. Nulla enim cauſſa eſt, cur propter lapſum eo priuari debuerit; l. c. c. 5. p. 541.* Hiſce & alia, tum ipſius SOCINI, tum eorum, qui eius diſciplinam ſequuntur, teſtimonia addere poſſem, ſed in re minime dubia illud ſuperuacaneum eſſe exiſtimo.

De Arminianis etiam ſatis notum eſt, ad illam merito eos referri claſſem, qui naturae viribus plus quam decet, tribuunt. Ad peccatum enim originale quod attinet, fatentur equidem, hodie homines minus puros naſci, quam Adamus conditus eſt, & cum quadam inclinatione ad peccandum. Eam vero inclinationem vere ac proprie ſic dictum peccatum eſſe, negant; nec concedunt, eam ab Adamo, eiusque lapſu deriuandam eſſe, ſed aliunde, a temperamento ſcilicet corporis, quod a proximis parentibus in liberos propagatum, oriri. Pro diuerſa enim temperamenti ratione animum hominis diuerſimode a variis obiectis adfici, vt, quod vni gratum, alteri ingratum ſit; indeque diuerſas adeo in hominibus eſſe cupiditates, dum vnusquisque adpetit; quod pro temperamenti ſui ratione illi gratum eſt, ac auerſatur ingratum. Quia vero carni noſtrae grata plerumqne voluntati diuinae aduerſentur, quoniam Deus in hiſce abnegandis promtam animi noſtri obedientiam explorare velit, inde eſſe, quod illa inclinatio, in obiecta, carni noſtrae grata, ſit etiam inclina

tio

Digitized by Google

tio in peccatum. Ita mentem ſuam hac in re explicat LIMBORCHIVS *theol. chriſtian. l. 3. c. 4. §. 1.* Conſentanea etiam haec ſunt, ſi rem ipſam ſpectes, iis, quae remonſtrantes in *apologia pro confeſſione ſua, contra cenſuram quatuor profeſſorum Leidenſium*, profitentur, *c. 7. ſect. 4.* itemque EPISCOPIVS, *inſtit. theol. l. 4. ſect. 5. c. 2.* CLERICVS ſub LIBERII DE SANCTO AMORE nomine latitans, propagationem peccati noua methodo ſe explicaturum adſerit, in *epiſt. theol. epiſt. 6. p. 150. ſeq.* Sed primo id agit, vt receptam de peccato originali doctrinam acriter impugnet; quod dum facit, ea adfert, ad quae ſaepius iam reſponſum fuit. Tum, animi gratia, vt dicit, explicationem quamdam adducit, qua illorum ſententia, qui corruptionis originalis propagationem naturalem ſtatuunt, veroſimilis reddi queat. Ante omnia ſupponit, mentem a parentibus per propagationem non emanare, ſed creari a Deo, & quidem iuſtam ac ſanctam: porro, vnionem mentis & corporis in eo ſitam eſſe, vt ad certas mentis cogitationes certi oriantur in corpore motus, & vice verſa; & denique, mentem vniri cum foetu, ſtatim ac formandum eſt corpus. Atque haec cum ita ſe habeant; tum porro dici poſſe, hominum corpus variis vehementiſſimis adfectibus obnoxium eſſe; hinc & liberos in vtero matris exſiſtentes, iisdem commoueri adfectibus, quibus mater commouetur, eaque ratione mentem adſueſieri amori rerum ſenſibilium, atque a ſenſibus opprimi, vt poſtea voluptatem vnice ſectetur, & omnia odio habeat, quae ſunt cum aliquo dolore coniuncta, & voluptatem corpoream ac ſenſibilem non pariunt, quantumuis pulcra ſint atque honeſta. In hoc ergo ſitum eſſe peccatum originis, quod proinde nihil aliud ſit, praeter nimium rerum ſenſibilium amorem, quo mens ita occaecatur, & male cogitando adſueſcit, vt non niſi Dei omnipotentis ope ſeruari poſſit. Hanc ſententiam, etſi primo intuitu, iudice auctore, non inepta videri queat, ipſe tamen vanam atque inutilem eſſe, pronuntiat. Immo, poſtquam dubia quaedam contra eam propoſuit, concludit: *deſinant* (patroni ſententiae huius) *facilitatem explicationis ſuae iactare, & tandem agnoſcant, rem, quae neque ſcriptura probari poteſt, neque ratione explicari, eſſe ſaltem valde dubiam, ac proinde pro fidei capite haberi non debere. Si hoc ſolum eſſet, iam certe theologi noſtri in magno ſe errore fuiſſe, faterentur, oporteret: ſed dogma illud infantium corruptionis, & ſcripturae, & rationi, vt oſtendimus, eſt contrarium; habeat ergo nunc ſchola pudorem, quae rem manifeſto falſam pro fidei chriſtianae articulo praedicat.* Hinc vero, quae viri iſtius docti, de peccato originali, ſententia ſit, ſatis patet. Nos eam, quam propoſuit, & refutauit, noſtram neutiquam facimus, cum, vt alia taceam, originem peccati originalis ex ſolo corpore deriuet; quod minime admittendum, ſupra iam demonſtrauimus; interim, etſi modum, quo homines labe iſta originali imbuantur, ignoremus, inde tamen res ipſa in dubium vocanda non eſt; quam firmiſſimis luculentiſſimisque ſcripturae teſtimoniis niti, ſupra oſtendimus. Pergit equidem CLERICVS: *Quid ergo? an nulla erit peccati propagatio? abſit, vt id putemus; eſt certe, vt ſcriptura, & nimis triſti experientia conſtat.* Sed cuncta eo tandem redeunt, infantes, antequam vſus rationis ſeſe exſerat, tot ſenſationibus opprimi, & adeo confuſis cogitationibus occupari, vt omne id tempus pro ſomno perpetuo ſit habendum; hinc &, quamuis variis adfectibus abripiantur, non magis tamen peccare, quam cum adultus ſomniat, ſe malum aliquod, a quo vigilans abhorret, perpetrare. Interim, cum eo tempore infantes variis adfectibus ſeſe permittant, habitum eos contrahere, vſu indies confirmandum, quo contingat, vt tum etiam adfectibus, extra limites rationis & aequitatis abripiantur, cum iam ſciunt,

Digitized by Google

aut ſcire poſſunt, hoc illicitum eſſe; atque ita demum peccatum fieri, quod antea peccatum non erat. Quae omnia, quantopere doctrinae de peccato originali, quam ſupra ad ductum ſcripturae ſacrae propoſuimus, repugnent, nemo non intelligit. Facile etiam ex dictis colligere licet, quae Arminianorum, de concupiſcentia, deq; libero hominum arbitrio, quae cum doctrina de peccato originali arctiſſimo vinculo connexa ſunt, ſit ſententia, vt de hiſce quidquam addere, neceſſe non ſit. Conſentiunt in hiſce, neque non in aliis quibusdam, nonnulli ex anabaptiſtis, qui hodie Mennonitarum nomine veniunt, quod pluribus IEHRINGIVS docet, in *der gründlichen Hiſtorie von denen Begebenheiten der Mennoniſten &c.* & quidem *in dem Vorbericht, §. 12. p. 38.* vnde & hoſce in illorum numerum, qui naturae vires vltra, quam par eſt, euehunt, referre licet.

** Ad alterum itaque nunc extremum progredimur, quod illorum eſt, qui peccati equidem grauitatem agnoſcunt, ſed, vt culpam ab ſe amoliantur, in aliud principium extra ſe eam transferre adnituntur. Exemplum his quodammodo praeiuerunt primi parentes, dum Adam in vxorem, haec autem in ſerpentem, transgreſſionis culpam transtulit, *Gen. III, 12, 13. ſeq.* Sed non vnam tamen, eamdemque viam ingrediuntur, qui ad hancce claſſem pertinent. Nonnulli namque non dubitant, ipſum Deum directe cauſſam peccati facere, ac ſi mala omnia non minus quam bona, immediate ab eo proficiſcantur. Fuiſſe iam olim in genre iudaica homines, qui ita ſentirent, ex *Eccleſ. c. XV, 11, 12.* videtur colligi poſſe: *ne dicas:* ὅτι διὰ κύριον ἀπέστην, *per dominum defeci; quae enim odit, non facies; ne dicas:* ὅτι αὐτός με ἐπλάνησε, *ipſe me decepit; non enim opus ei eſt homine improbo.* Pro ἀπέστην nonnulli equidem legunt ἄπεστιν, atque ſubintelligunt, *ſapientia*; ſed ſenſus eodem tandem redit. Apoſtolorum tempore itidem fuiſſe, qui eamdem fouerent ſententiam, haud obſcure Iacobus apoſtolus prodit, dum Deum quemquam ad malum tentare negat, *c. I, 13.* Haud dubio, qui ita ſentiebant, a gentilibus iſtud acceperant. Quosdam enim ex illis non dubitaſſe, peccata ad Deum, ceu cauſſam atque auctorem referre, vel illud EVRIPIDIS nos condocet:

Ἀνθρώποισι δὲ
θεῶν διδόντων εἰκὸς ἐξαμαρτάνειν.
Homines autem
Diis auctoribus non mirum eſſe peccare.

Quod compluribus confirmat PFANNERVS, *ſyſtemat. theolog. gent. pur. cap. 9. §. 3. p. 251.* Quamuis rurſus non defuerint inter eosdem gentiles, qui eam ſententiam deteſtati ſunt; vt idem auctor, prolatis in medium teſtimoniis *l. c. §. 4.* oſtendit. Iungenda, quae hac de re diligenter collegit WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 1. p. 28.* Ingreſſi autem in hanc, de Deo peccati auctore, opinionem videntur, quod exiſtimarent, ſe peccato reſiſtere non poſſe, quin potius, neſcio qua neceſſitate, ad peccandum induci. Ita enim miſeri mortales, ſe non prorſus ἀναπολογήτους eſſe, ſibi perſuadent. Conuenit itaque haec ſententia, ſi caput cauſſae ſpectes, cum illorum errore, qui fatum aliquod ſtatuebant, aut ex hocce fonte fluxit. Certe, vt homines fatum aliquod admitterent, non aliam magis ob cauſſam inducti videntur, quam quod exiſtimarent, ſe non propria voluntate, ſed alia quadam cauſſa, quaecumq; demum illa ſit, ad peccandum impelli. Sed de fato, eiusque origine ac defenſoribus, ſupra iam ex inſtituto dictum, ad *l. 2. c. 2. §. 56.* Id ſaltem iterum monendum, diuerſimode admodum veteres de fato loqui. Interdum enim, quod itidem *l. c.* iam obſeruatum, per fatum nihil aliud, quam ipſum Deum, ſeu mentem huius vniuerſi, intelligunt. Notum illud SENECAE: *Vis illum* (Deum) *fatum vocare? non errabis; quaeſt. nat. l. 2. c. 45.* Interdum vero materiam, ſeu alterum huius vniuerſi principium, hoc nomine ſignabant; quae & ἀνάγκη *neceſſitas* ab illis vocabatur, eam haud

haud dubio ob rationem, quod praua materiae conditio non permiſerit, vt omnia a Deo, ſeu mente corrigerentur; vnde neceſſario mala prouenerint; quod & recte obſeruatum WOLFIO, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 2. §. 28. p. 164.* Interdum vero ita hanc vocem ſumebant, vt diſtinctum quid a Deo & materia ea innuerent. Atque haec quidem de veteribus obſeruanda fuerunt. De illis autem, qui deinceps per decreta abſoluta fatum illud Stoicum, ſed ſub alio ſchemate, reduxerunt, ſimulque adeo in Deum omnem mali culpam transtulerunt, deinceps erit dicendi locus.

Alii itaque cum Deum, ceu ſumme bonum, mali cauſſam, auctoremque eſſe, ſibi perſuadere non poſſent, principium aliquod ſummum, & independens mali Deo adiunxerunt, vt adeo duo rerum omnium principia, alterum boni, alterum mali, admitterent. Vt autem antiquiſſima haec fuit de duplici principio ſententia; ita a plurimis etiam inter ethnicos recepta, donec tandem in eccleſiam chriſtianam tranſiret, & a Manichaeis nomen ſortiretur, a quibus quippe quam latiſſime diſſeminata atque propagata fuit. Prima autem eius origo inde repetenda, quod de diabolo hominum ſeductore aliquid acceperint, verum tamen rerum omnium, prout a Moſe deſcriptum eſt, hinc & peccati, per lapſum angelorum quorumdam, hominumque ſeductionem, ignorauerint initium. Malorum enim, quibus circumſepti erant, multitudinem expendentibus, vimque peccati, quod eos premebat, ſentientibus, cauſſam autem eius extra ſe quaerentibus, nihil opportunius, quam eiusmodi principium, quod malorum omnium cauſſa ſit, occurrere poterat. Accedebat porro recepta apud omnes gentiles, & ex creationis ignoratione orta hypotheſis, de materiae aeternitate. Ex materiae enim conditione cum quaedam mala deriuari poſſint, ſine cunctatione nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, omnis mali fontem in ea quaerendum; hinc & eam, ceu cauſſam omnium malorum, Deo, ceu omnis boni auctori, velut alterum principium independens, adiunxerunt.

Ebraeos veteres, veritatis a maioribus acceptae veſtigiis inhaerentes, ab hocce errore quam maxime alienos fuiſſe, nemo temere dubitauerit; licet illi, qui idololatrarum moribus abrepti, daemones malos coluerunt, quod ex *Leuit. XVII, 7.* nonnulli colligunt, non procul hinc diſceſſiſſe videantur. Inter recentiores non defuiſſe, qui materiae mali originem tribuant, vel ex MAIMONIDE videtur comprobari poſſe, *part. 3. mor. neuoch. cap. 8.* Sed hunc, vt alia quaedam, ex ethnicorum fontibus in illorum campos deriuatum errorem, res ipſa docet; idque iam pridem viri docti demonſtrarunt. De Chaldaeis inſigne exſtat teſtimonium, in *philoſophumenis*, quae ſub ORIGENIS nomine circumferuntur, & a viro clariſſimo, IO. CHRIST. WOLFIO edita ſunt: Διόδωρος ὁ Ἐρετριεὺς καὶ Ἀριστόξενος ὁ Μουσικός φασι, πρὸς Ζαράταν τὸν χαλδαῖον ἐληλυθέναι Πυθαγόραν. Τὸν δὲ ἐκθέσθαι αὐτῷ δύο εἶναι ἀπ' ἀρχῆς τοῖς οὖσιν αἴτια, πατέρα καὶ μητέρα, καὶ πατέρα μὲν φῶς, μητέρα δὲ σκότος, τοῦ δὲ φωτὸς μέρη θερμὸν, ξηρὸν, κοῦφον, ταχύ, τοῦ δὲ σκότους, ψυχρὸν, ὑγρὸν, βαρὺ, βραδύ. ἐκ δὲ τούτων πάντων τὸν κόσμον συνεστάναι, ἐκ θηλείας καὶ ἄῤῥενος. *Diodorus Eretrienſis, & Ariſtoxenes Muſicus, ad Zaratam Chaldaeum acceſſiſſe Pythagoram, commemorant; hunc vero expoſuiſſe iſtud, duas rebus a primordio cauſſas eſſe, patrem videlicet & matrem: & patrem quidem lucem, matrem vero caliginem; lucis autem eſſe partes, calidum, ſiccum, lene, velox; caliginis vero, frigidum, humidum, graue, tardum. Sed ex his omnibus adeoque ex muliere & viro, conſtare mundum; p. 39.* Solent & alia adduci, quibus comprobari poteſt, Chaldaeorum hanc de duplici principio fuiſſe ſententiam, quam & Pythagorae recte tribui, ex eodem teſtimonio liquet; quamuis nec alia deſint, quae idem ſuadeant. Praecipue tamen

tamen Zoroaſtres ille Perſarum philoſophus hoc nomine celebratur, adeo, vt a nonnullis auctor huius ſententiae eſſe credatur, a quo eam Graecorum acceperint philoſophi. Certe in Perſia, ceu propria ſede, natales iſtius erroris quaeri ſolent. Veteres tamen Perſarum magos ab eo fuiſſe alienos, THOMAS HYDEVS contendit. Duplex enim etſi ſtatuerent principium, boni alterum, alterum mali; eos tamen prius ſaltem pro aeterno & increato, poſterius pro creatis habuiſſe, probare adnititur, *hiſtor. relig. veter. Perſar. c. 9. p. 161. ſq.* Idem & de Zoroaſtre, & iis, qui eum ſequuti ſunt, adſerit, tum de aliis religionis capitibus, tum de hoc quoque, ita eum exiſtimaſſe, vt, quae docuit, ſcripturae ſacrae minime repugnent; idque SHARISTANI, qui *de religionibus orientis* librum arabice ſcripſit, teſtimonio maxime confirmat, *c. 22. p. 294. ſeq.* Et ſane, diſerte SHARISTANVS ille docet, Zoroaſtrem vnicum ſaltem principium ſummum & independens ſtatuiſſe, a quo lux & tenebrae, bonum & malum prouenerint. BAELIVS autem nondum id ſibi perſuadere potuit, veram & genuinam fuiſſe hanc Zoroaſtris ſententiam, immo contrarium aliquod euincere rationibus adlaborat, *diction. hiſtorico-crit. voce Zoroaſtres, p. 3079.* Et graeci ſane ſcriptores Zoroaſtris ſententiam ita proponunt, ac ſi duo principia ſumma & independentia, alterum boni, alterum mali, admiſerit, quibus tamen, an plus hic tribuendum ſit, quam orientalibus, dubitari poſſet. BAELIO tamen ſuffragatur WOLFIVS, ſed ita, vt ad rationes eius varia moneat, in *Manicaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 2. §. 11. p. 65.* Quidquid de Zoroaſtre ſit, fuiſſe apud Perſas dualiſtas, ſeu, qui duplex principium independens ſtatuerent, poſitum eſt extra controuerſiam; nec diffitetur HYDEVS, *l. c. c. 9. p. 164.* Dixi & ipſe hac de re in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. 2.* ad *per. 2. ſect. 6. §. 13. p. 1053. ſeq.* Apud Aegyptios eamdem receptam fuiſſe ſententiam, non dubitabit, qui fidem illis adhibere non detrectat, quae ex inſtituto hac de re diſſerit PLVTARCHVS, *de Iſide & Oſiride tom. 2. oper. p. 176.* Sed iungenda, quae tum de his, tum de Zabiis, aliiſque gentibus barbaris, vt a Graecis vocari ſolebant, diligenter & copioſe diſſerit WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 2. §. 14. ſeq. p. 67. ſeq.*

Ad Graecos quod attinet, de iis PLVTARCHVS generatim adſerit, eidem de duplici principio ſententiae quod fuerint addicti: Τὰ δὲ Ἑλλήνων, πᾶσί που δῆλα, τὴν μὲν ἀγαθὴν Διὸς ὀλυμπίου μερίδα, τὴν δὲ ἀποτροπαίου, ᾅδου, ποιουμένων. ἐκ δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεως ἁρμονίαν γεγονέναι μυθολογοῦνται. ὧν ὁ μὲν ἀπηνὴς καὶ φιλόνεικος, ἡ δὲ, μειλίχιος καὶ γενέθλιος. *Graecorum opinio nemini fere ignota eſt: qui bonam partem Ioui Olympio, malam Diti auerrunco adſignant; & harmoniam (quaſi concinnitatem) ex Venere & Marte natam fabulantur; quorum hic ſaeuus eſt & contentioſus, illa comis & genitabilis; de Iſide & Oriſide p. 370.* Atque hoc de poëtis Graecorum intelligendum eſſe, vel inde conſtat, quod ſpeciatim deinceps philoſophorum mentionem faciat: σκόπει δὲ τοὺς φιλοσόφους τούτοις συμφερομένους. *Iam philoſophos vide cum his conſentientes.* Nominatim vero deinceps *p. 374.* Heſiodum commemorat, & in eam de duplici principio trahit ſententiam. Suntque viri docti, qui & de Homero, & reliquis Graecorum poëtis idem adſerunt; quibus tamen alii ſubſcribere nolunt, quod adeo pronum non ſit, de genuina illorum mente certi quid ſtatuere. Ad philoſophos quod attinet, qui primam ſcholae Ionicae claſſem conſtituunt, Thales Mileſius, Anaximander, & Anaximenes, cum in explicandis rerum naturalium cauſſis, Dei, ſeu cauſſae efficientis, nullam mentionem fecerint, in atheiſmi omnino venerunt ſuſpicionem. Qui ſi iure iis exprobratur, certum eſt, quod in illorum numerum, qui duplex admiſerunt principium independens, referri nequeant.

De

De Anaxagora autem, qui materiae mentem, tamquam motus principium, & ordinis omnisque ſtructurae elegantioris auctorem, praefeciſſe dicitur, & qui eum in ſchola Ionica ſequuti ſunt, aliter ſentiendum. Hos enim duplex principium independens, materiam & mentem admiſiſſe, non eſt, qui ignoret. Iungenda, quae de Ionicis diſputaui, in *theſ. de atheiſmo & ſuperſt. c. 1.* ad §. *10. p. 20. ſq.* PLVTARCHVS inter philoſophos duplicis principii adſertores primo loco Heraclitum commemorat, *de Iſide & Oſiride, p. 370.* Quod an recte fiat, merito dubitaveris, cum ARISTOTELES Heraclitum inter eos referat, qui ſolam materiam pro rerum omnium principio habuerunt, omiſſa, vel abnegata cauſſa efficiente, ſiue primo motore, & δημιουργῷ, vti a me itidem obſeruatum, in *theſ. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 1.* ad *§. 20. p. 82.* Tota porro ſchola Eleatica hic eximenda, eo quod vnicam tantum ſubſtantiam admitteret. Eximendi hinc etiam Leucippus, Democritus, Epicurus, quippe qui praeter materiam nullam aliam ſubſtantiam crediderunt. Ad Pythagoram autem, Italicae ſectae conditorem, quod attinet, eum duplex admiſiſſe principium independens, eamque a Chaldaeis accepiſſe ſententiam, ſupra iam docuimus. Confirmat illud PLVTARCHVS, qui &, Pythagoricos vtrumque principium diuerſis inſignire nominibus, auctor eſt, bonum quidem *vnitatis, finiti, quieſcentis, recti, imparis, quadrati, aequalis, dextri, ſplendidi*; malum, *binarii, infiniti, in motu verſantis, curui, paris, altera dimenſione longioris, inaequalis, ſiniſtri, tenebricoſi*; *l. c. p. 370.* Nec repugnat ea de Deo ſententia, quam Samio huic ſeni tribuit CICERO, *Deum animum eſſe, per naturam rerum intentum & commeantem; de natura deor. l. 1. p. 9.* De qua plura dixi in *theſib. de atheiſmo, &c. cap. 1.* ad §. *19. p. 58.* Sed & Empedoclem, Pythagorae diſcipulum, eodem, vt magiſtrum, modo ſenſiſſe, idem PLVTARCHVS nos condocet, & principium quidem bonum efficax, *amorem* & *amicitiam*, ſaepe etiam *harmoniam* adpellaſſe; deterius autem, *vitam pernicioſam*, & *litem ſanguinolentam*; *l. c. p. 370.* Quod & ARISTOTELES confirmat, *l. 1. metaphyſ. c. 4.* Iam ad Platonem accedimus, quem inter duplicis principii adſertores itidem PLVTARCHVS refert, eum multis in locis ſententiam ſuam occultare, & velut obumbrare, dicens, alterumque principiorum contrariorum, *idem*, alterum autem *diuerſum* adpellare, in libris autem *de legibus*, iam ſeniorem factum, diſerte hoc profiteri; *l. c. p. 370.* Et ſane Platonem, cum reliquis gentilium philoſophis materiae aeternitatem crediliſſe, certum eſt, & apud viros harum rerum peritos, poſitum extra controuerſiam; quemadmodum & illud dubio caret, eum materiae huic opificem addidiſſe, qui libere ad mundum ex materia praeexſiſtente creandum acceſſerit. Dixi hac de re in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 1.* ad *§. 13. p. 31.* Vnde non minus errant, qui Platonem exiſtimaſſe putant, mundum ex nulla praeexſiſtente materia a Deo creatum, quod ſacrae litterae teſtantur, quam, qui, eum docuiſſe, mundum prouti eſt, ſemper exſtitiſſe, contendunt; quorum prius Platoni tribuunt, qui eum cum chriſtianae religionis ſcitis conciliare cupiunt, praeeuntem ſibi habentes HIEROCLEM; poſterius autem, qui cum Ariſtotele eum in gratiam redigere volunt, quod Platonicis quibusdam, quos inter & PROCLVS, ſollemne eſt. Ad mali itaque originem quod attinet, eam in materia Platonem quaeſiuiſſe, dubio caret. Immoderatum nimirum materiae motum in ordinem redacturus δημιουργός, ſiue Deus, materiam tam pertinaciter ſibi reſiſtentem expertus eſt, vt mali ſemina atque veſtigia in materia relinquere, coactus ſit. Atque hanc veram & genuinam Platonis de mali origine fuiſſe mentem, tum verbis ex eius *Timaeo* prolatis, tum PLOTINI, aliorumque teſtimoniis, luculenter euincit

WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 2. §. 32. p. 128.* PLVTARCHVS equidem Platonis ſententiam ita refert, ac ſi in materia, priusquam Deus mundum ex ea crearet, anima quaedam fuerit, quae motuum iſtorum inordinatorum, adeoque & mali exſtiterit principium. Platonem enim in *libris de legibus*, non per ambages aut notas, ſed diſertis verbis pronuntiare, ait: οὐ μιᾷ ψυχῇ κινεῖσθαι τὸν κόσμον, ἀλλὰ πλείοσιν ἴσως, δυοῖν δὲ πάντως οὐκ ἐλάττοσιν. ὧν τὴν μὲν ἀγαθουργὸν εἶναι, τὴν δὲ ἐναντίαν ταύτῃ, καὶ τῶν ἐναντίων δημιουργόν; *mundum non vnica anima, ſed compluribus fortaſſe, ad minimum autem duobus cieri; quarum vna boni ſit efficax, altera eius contraria, & contrariorum opifex*; *l. c.* ſeu *de Iſide & Oſiride, pag. 370.* Idem & alibi, & quidem luculentius adhuc effert. Sed an haec mens Platonis fuerit, merito nonnulli dubitant: qua de re fuſe diligenterque diſſerit, quem modo laudauimus, vir doctus, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 2. §. 33. p. 133. ſeq.* Platonem excipiat Ariſtoteles: quem itidem inter duplicis principii adſertores refert PLVTARCHVS, *l. c.* Sed longius petitum, cum per εἶδος & στέρησιν *formam & priuationem*, duplex hocce principium indicari, adſerit. Longe rectius inde hoc probaſſet, quod Ariſtoteles mundum huncce ex Deo & materia veluti compoſitum ſtatuat. Nimirum, non tantum materiae, ſed ipſius quoque mundi aeternitatem Ariſtoteles adſeruit, cumque a Deo neceſſario productum, qui & cum eo non equidem per modum *formae informantis*, ſed tamen *adſiſtentis*, vinculo prorſus inſolubili ſit coniunctus. Hanc enim genuinam Stagiritae ſententiam eſſe, iam pridem viris doctis obſeruatum eſt; quorum praecipuos laudaui in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. 1.* ad *§. 15. p. 4*. Atque hinc ſane ſequitur, duplex eum principium independens admiſiſſe; adeoque, cum credibile non ſit, eum Deum pro malorum auctore habuiſſe, non potuit non eorum originem ex materia deriuare. Idque forte etiam ſignificare voluit auctor *philoſophumenorum*, quae ſub ORIGENIS nomine proſtant, cum dicit: τὰ δὲ κακά φησι, καὶ οὗτος κατ' ἐναντίωσιν τῶν ἀγαθῶν γενέσθαι, καὶ εἶναι ὑπὸ τὸν περὶ σελήνην τόπον, ὑπὲρ δὲ σελήνην μηκέτι. *Mala exſiſtere, etiam hic* (Ariſtoteles) *dicit, per contrarietatem bonorum, & eſſe infra locum lunae, ſupra vero lunam nullo modo; pag. 140.* Nimirum cum materia operationi Dei reſiſteret, vt magiſter Ariſtotelis, Plato docuit; hinc ἐναντίωσις quaedam, ſeu pugna inter Deum & materiam, ceu duo principia, orta eſt, malaque originem inde traxerunt, eo, vt antea diximus, modo. Certe auctor cum dicit: καὶ οὗτος *& hic*; ad Platonem reſpicit, de quo antea verba fecerat, adeoque Ariſtotelis ac Platonis vnam eamdemque de mali origine fuiſſe ſententiam, innuit. Cumque varias rerum mutationes, generationes, corruptionesque in noſtro orbe, ſeu tellure, Ariſtoteles tantum admitteret, facile intelligitur, quod malis infra lunam ſaltem locum conceſſerit. Si tamen dicendum quod res eſt, de malis moralibus non adeo ſollicitus fuiſſe videtur Ariſtoteles; cum & vitiorum & virtutum ambitum iis ſaltem actionibus, quarum in vita ciuili vſus eſt, circumſcripſerit. Vnde & ſupra ad illorum eum retulimus claſſem, qui naturae viribus plus quam decet, tribuunt. Quod ſi contendas, non ſatis apte haec inter ſe connecti; reſpondeo, plerorumque, immo, omnium philoſophorum veterum commune fere, praeſertim in hocce argumento, fuiſſe vitium, talia adſerere, quae inter ſe pugnant, cuius nec Ariſtoteles, quantumuis ceteros ingenii acumine vincat, prorſus immunis cenſeri debet. Superſunt in philoſophorum ordine Stoici, quos duo rerum omnium principia ſumma, Deum, quem & *rationem*, itemque *naturam* nonnumquam vocabant, atque materiam ſtatuiſſe, nemini, niſi harum rerum plane rudi, ignotum eſſe poteſt. *Dicunt, vt ſcis*, inquit SENECA, *Stoici noſtri,*

duo

Digitized by Google

duo eſſe in rerum natura, ex quibus omnia fiunt, cauſam & materiam. Materia iacet iners, res ad omnia parata, ceſſatura, ſi nemo moueat. Cauſſa autem, id eſt, ratio, materiam format, & quocumque vult, verſat; ep. 65. conf. & LIPSIVS, *phyſiolog. Stoic. lib. 1. diſſ. 3.* & *lib. 2. diſſ. 2.* Non minus autem manifeſtum eſt, eos malorum originem a materia deriuaſſe, idque eadem fere ratione, qua Platonem id feciſſe, antea diximus, quod ſcilicet Deus, ſeu principium agens, idque bonum, materiam non in omnibus ſibi obſequentem habuerit. Ita SENECA: *Quare Deus tam iniquus in diſtributione fati fuit, vt bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adſcriberet? Non poteſt artifex mutare materiam; haec paſſa eſt; quaedam ſeparari a quibusdam non poſſunt, cohaerent, indiuidua ſunt; de prouid. c. 5.* Aliquando equidem Stoici eum in modum hac de re loquuntur, vt materiam ita Deo ſubiectam contendant, vt pro arbitrio inde formare potuerit, quidquid voluerit; quod priori adſerto repugnare videtur. Sed non inſolens iis fuiſſe, vt interdum proferrent, quae inter ſe non ſatis cohaerent, antea iam obſeruauimus. Atque haec cum in aprico poſita ſint, mirum, BAELIVM infitiari potuiſſe, Stoicos mali originem in materia quaeſiuiſſe; quem adeo merito refellit WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos; ſect. 2. §. 37. p. 153. ſeq.*

Tam late itaque cum in ethnicorum philoſophorum ſcholis error ille de duplici principio independenti regnauerit, fieri aliter non potuit, quam vt ab haereticis tandem in eccleſiam chriſtianam introduceretur. Hos inter primum merito praecipuumque locum tenet Simon ille magus, qui huncce errorem cum aliis quisquiliis ex gentilium philoſophorum ſcholis accepit. Duplicem enim Deum, ſeu duplex principium independens cum admiſiſſe, vel ex EPIPHANIO conſtat, quando inter impia eius dogmata & hoc refert: εἶναί τε τὸν αἰῶνα τοῦτον ἀπὸ ἀρχῶν, καὶ ἐξουσιῶν τῆς κακίας ἐν ἐλαττώματι κατεσκευασμένον; *noſtrum hoc ſaeculum ab nequitiae principatibus ac poteſtatibus cum defectu conditum; haereſ. 21. p. 58.* Immo Paulus apoſtolus quoque hac reſpicere videtur, quando Timotheum ſuum euitare iubet τὰς βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως; *profanas vocum vanitates, & oppoſitiones falſo ſic dictae cognitionis, 1. Tim. VI, 20.* Vbi quidem nonnulli Gnoſticorum, in diuerſas ſententias abeuntium, certamina & diſſenſiones, alii autem generatim errores quoslibet, verae doctrinae oppoſitos, per τὰς ἀντιθέσεις deſignari exiſtimant. Quemadmodum vero vtrumque Simonianis cum reliquis haereticis commune fuit, ita res ipſa, ni fallor, docet, Paulum proprium & peculiare aliquod, quo velut charactere, quos deuitare Timotheus debebat, dignoſcerentur, ſignificare hiſce verbis voluiſſe. Cumque etiam βεβηλοκενοφωνία optime in Simonianos quadret, per ἀντιθέσεις autem oppoſitio illa inter bonum malumque principium adcurate exprimatur; vix eſt, quod dubitemus, ad huncce illorum reſpicere errorem apoſtolum. Nec video quid obſtet, quo minus verba eius ita capiamus, cum iam tum errores iſti Simonis noti eſſe potuerint. VINCENTIVS equidem LERINENSIS Simonem inter eos refert, qui Deum ipſum peccatorum cauſſam & auctorem faciunt; *commonit. c. 34.* vti ſupra iam ad *l. 2. c. 2. §. 56.* obſeruauimus. Sed non recte VINCENTIVM Simonis mentem propoſuiſſe, dudum viri docti perſpexerunt; conf. IAC. THOMASIVS, in *ſchediaſmate de definitione philoſ. &c.* in *not.* ad §. 34. Plura etiam ipſe hac de re dixi in *programmate* περὶ τῆς γνώσεως ψευδωνύμου, quod exſtat in *ſyntag. diſſ. theol. p. 653. ſq.* Sequuti ſunt Simonem Menander, Saturninus, Baſilides, Carpocrates, & alii, qui, dum itidem mundum huncce ab angelis conditum adſeruerunt, ex eius prodiiſſe ſchola haud ſine ratione cenſentur. Hanc vero illorum fuiſſe ſenten-

ſententiam, ex IRENAEO, *l.* 1. *c.* 21. *ſeq.* aliisque, notum eſt. In eam vero eos ingreſſos, quod mali originem ratione non adſequentes, mundi huius, tot malis, totque imperfectionibus obruti, creationem Deo non conuenire arbitrarentur, probabile admodum mihi videri, ſupra iam ſignificaui, ad *l.* 2. *c.* 2. *§.* 54. Ex quo vtique colligi poteſt, non procul ab ea ſententia, quae duplex principium admittit, illos abfuiſſe; quam etiam iis tribuere non dubitat WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect.* 2. *§.* 44. *ſq. p.* 185. *ſq.* In eodem luto & Valentinus, haereſiarcha, haeſit, ſi ORIGENI credimus, *lib.* 4. περὶ ἀρχῶν, *c.* 7. atque HIERONYMO, in *prooem. epiſt. ad Philippenſes, tom.* 6. *oper. p.* 211. & ad *c.* III, *epiſt. ad Eph. p.* 173. Immo ipſius Valentini teſtimonio hoc videtur comprobari poſſe, quod exſtat in diſſertatione, cuius fragmentum nobis conſeruauit ORIGENES, in *dialogo contra Marcionitas, ſect.* 4. quod & GRABIVS recudi fecit, *tom.* 2. *ſpicileg. p.* 55. *ſq.* Ex inſtituto enim ibi de quaeſtione: πόθεν τὰ κακά; *vnde mala prouenerint?* diſputans, ea non Deo, ſed materiae tribuenda contendit. *Quocirca*, inquit, *viſum eſt mihi, coexſiſtere ipſi* (Deo) *illud, cui nomen eſt materia: ex qua ea, quae ſunt, procreauit, affabre illa prudenterque diſcernens, & eleganter ornans, ex qua* (*materia*) *mala eſſe videntur. Cum enim nec facta, nec formata illa eſſet, inſuper etiam inordinate ad illa* (*mala*) *ferretur, Deique artificium deſideraret; iſte non inuidit, neque ſemper illam ſibi relictam ita ferri voluit; ſed manum creationi admouit, & a peſſimis* (partibus) *diſtinguere voluit optima; ac proinde ſic ea condidit. Quaecumque vero in illa dum crearet, faeculenta erant, haec, quod ad opificium inepta eſſent, prout ſe habebant, reliquit, vtpote nullatenus ipſi conuenientia. Ex quibus, vt mihi videtur, nunc mala in homines diffluunt. Sic mihi viſum eſt, rem ſe habere.* Atque hinc quidem luculenter conſtat, Valentinum mali originem in materia quaeſiuiſſe; an vero aeque euidenter hinc colligi queat, eum materiam Deo coaeternam ſtatuiſſe? nondum extra dubitationem poſitum eſt. Cum enim ſententia de duplici principio independente cum aliis Valentini dogmatibus non adeo conſentiat, dici poteſt, per Deum, cui materiam coexſiſtere adſerit, eum non Deum ſummum, ſed δημιουργὸν quem a Deo ſummo Valentiniani diſtinguebant, & tamen itidem *Dei*, itemque *Dei patris* nomine deſignabant, intelligere. Atque ita haec Valentini verba accipienda eſſe, docui in *diſſ. de haereſi Valentiniana* ad *§.* 9. *p.* 590. *ſeq.* Aliter tamen exiſtimat vir doctiſſimus, ſaepiusque nobis iam laudatus, WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect.* 2. *§.* 47. *p.* 193. *ſeq.* Sed nolo hac ſuper re cum quoquam contendere. Cerdonem vero hic locum inuenire, poſitum eſt extra controuerſiam. Diſerte enim hoc teſtatur EPIPHANIVS, *haer.* 41. & TERTVLLIANVS, *de praeſcript. cap.* 21. Cumque IRENAEVS auctor ſit, eum ſua a Simone mago accepiſſe, *l.* 1. *c.* 28. confirmatur inde, quod ſupra diximus, Simonem eumdem errorem fouiſſe. Sed & de Marcione nemo dubitat, quin duorum principiorum adſertoribus ſit adnumerandus. Quin immo haereſeos, qua multorum animos corrupit, hoc praecipuum caput fuit. Res ſatis nota eſt ex IVSTINO, *apolog.* 1. *pro chriſtian. p.* 53. IRENAEO, *l.* 3. *c.* 43. aliisque. Sunt equidem, qui Marcionem tria principia ſumma ſtatuiſſe, autumat, vt EPIPHANIVS, *haer.* 42. Sed hoc de diſcipulis potius eius, quam de ipſo Marcione intelligendum eſſe, viris doctis dudum obſeruatum eſt. Miſſis autem reliquis, quorum non magna eſt celebritas, Hermogenem adhuc commemoramus, qui prae ceteris hoc nomine notus eſt, quod materiam Deo coaeternam ſtatuerit, ex inſtituto ideo refutatus a TERTVLLIANO. Dictum hac de re ſupra, ad *l.* 2. *c.* 2. *§.* 3. Diſcipuli hinc eius atque ſectatores, TERTVLLIANO *Materiarii* adpellantur; *contra Hermog. c.* 25. Nec dubium, quin ex materia mali originem deriuauerint.

Omnes

Omnes autem celebritate vincunt Manichaei, adeo vt ab hiſce error non en quoque acceperit. Horum vero a Manete repetenda eſt origo, qui antea dictus eſt Cubricus; cumque Perſa fuerit natione, non errauerit, qui ex maiorum ſcholis huncce eum, de duplici principio, retuliſſe errorem, exiſtimauerit; ex quibus & Graecorum philoſophi eumdem hauſiſſe videntur. Quod ſi EPIPHANIO fides habenda, Scythianus quidam, e Saracenis oriundus, hic primo loco nominandus eſt; cuius libros, quibus doctrinam ſuam complexus eſt, Terebinthus ſibi vindicauit, qui deinceps Buddam ſe dici voluit, a quo Manes eos accepit, impia illa, quae ex iis didicerat, dogmata, maiori ſtrepitu propagaturus. Haec ſumma illorum eſt, quae fuſius EPIPHANIVS ediſſerit, *haer.66. p.618.* Non plane conſentiunt, quae THEODORETVS *haeret. fab. l. 1. c. 26.*& SVIDAS in *voce* Μάνης, hac de re referunt, quippe quibus Manes & Scythianus vnus idemque eſt. Sed rectius hic ſibi conſtare EPIPHANIVM, eumq; adeo ſequendum eſſe, viri docti obſeruarunt. SVIDAS porro auctor eſt, Terebinthum ſiue Buddam, ſuam de duobus principiis doctrinam, ab Empedocle hauſiſſe, quod tamen minus probabile, cum breuiori via a Perſis, apud quos vixit, eam accipere potuerit. Nec, ſi alios audias, SVIDAS aliud quid ſibi voluit, quam quod in dogmate de duobus principiis cum Graecorum philoſophis conſenſerit. Sed dubito an haec rite procedant, cum diſerte dicat, eum in Graecorum litteris inſtitutum eſſe: παιδευθεὶς τὰ Ἑλλήνων. EPIPHANIVS vero, Scythianum ex Pythagorae fontibus iſtum hauſiſſe errorem, auctor eſt, *l. c. p. 619.* Sed Pythagoram a Chaldaeis eum accepiſſe, ſupra docuimus; a quibus ſi ad Perſas, & hinc ad Terebinthum atque Manetem eum propagatum dicas, facile intelliges, ex vno eodemque fonte omnes ſua irrigaſſe arua. Ad dogmata vero Manichaeorum quod attinet, praeipuum erat, quod duo ſtatuebant principia, quae & initio carerent, nec vmquam deſinerent, ſibique inuicem contraria eſſent; quorum alterum *lucem* & *bonum*, alterum autem *tenebras* ac *malum* adpellabant: vtrumque etiam *Dei* nomine illis nonnumquam veniebat, alterum ſcilicet *boni*, alterum *mali*. Ab his duobus principiis exorta atque conſtituta eſſe omnia, ab altero quidem *bona*, ab altero vero *mala*, quae in hocce orbe conſpiciuntur. Porro, corpus ab altero illorum principiorum conditum eſſe, ab altero animam, quae quidem non tantum in hominibus ſit, ſed & in brutis animantibus. Ita mentem illorum exprimit EPIPHANIVS, *l. c. p. 625.* Confirmat idem THEODORETVS, *haeret. fab. l. 1. c. 26.* atque AVGVSTINVS, *de haereſib. c. 46.* qui & porro addit, quod naturarum ſeu ſubſtantiarum contrariarum, hoc eſt, bonarum & malarum, a duobus iſtis principiis ortarum, *pugnam inter ſe & commixtionem, & boni a malo purgationem, itemque boni, quod purgari non poterat, cum malo in aeternum damnationem*, adſerant. Refert porro idem Hipponenſium praeſul, eos ſecundum principia ſua cogi dicere, *animas bonas* (quae a malorum mixtione liberandae ſint) *eius, cuius eſt Deus, eſſe naturae; porro, mundum a natura boni, hoc eſt, a natura Dei factum quidem, ſed de commixtione boni & mali, quae facta eſt, quando inter ſe vtraque natura pugnauit;* & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

Longe lateque breui temporis ſpatio hancce Manichaeorum propagatam haereſin, plurimosque inueniſſe fautores, conſtat. Cuius rei cauſſa praecipua, ni fallor, non alia fuit, quam quod homines facillime ſibi perſuadeant, neceſſitate veluti quadam ad peccandum ſe induci; cumque eius rei cauſſam Deo tribuere nolint, nihil commodius illis ſe offert, quam illa de duplici principio ſententia. Quae ſi quis recte perpendat, rationem etiam facile perſpiciet, cur philoſophi pariter atque haeretici tanto nume-

numero, & integro velut agmine, eamdem ſint amplexi. Patet etiam, rectiſſime Pelagianiſmo opponi Manichaeiſmum; immo duo haecce veluti extrema eſſe, ad quorum alterum facile accedit, qui alterum euitare cupit. Recte hoc obſeruauit AVGVSTINVS, qui & extrema illa, quorum alterum Pelagianorum, alterum Manichaeorum eſt, adcurate deſignat. Cum enim monuiſſet, *vt quis ita declinet Manichaeum, ne ſe inclinet in Pelagium, rurſusque ita ſe ſeiungat a Pelagianis, ne coniungat Manichaeis*, ita pergit: *Videntur quippe inter ſe contrarii; quoniam quinque illa Manichaei vituperando ſe manifeſtant, Pelagiani laudando ſe occultant. Quapropter vtrosque damnat, atque deuitat, quisquis ſecundum regulam catholicae fidei ſic in hominibus naſcentibus de bona creatura carnis & animae glorificat creatorem, quod non vult Manichaeus, vt tamen propter vitium, quod in eos per peccatum primi hominis pertranſiit, fateatur, & paruulis neceſſarium ſaluatorem, quod non vult Pelagius; ſic diſcernit malum pudendae concupiſcentiae a bonitate nuptiarum, vt neque Manichaeis ſimilis, vnde naſcimur, culpet, neque Pelagianis ſimilis, vnde confundimur, laudet; ſic legem per Moſen ſanctam, & iuſtam, & bonam, a Deo ſancto, & iuſto, & bono, datam eſſe, defendit, quod contra apoſtolum negat Manichaeus, vt eam dicat & peccatum oſtendere, non tamen tollere, & iuſtitiam iubere, non tamen dare, quod rurſus contra apoſtolum negat Pelagius; ſic adſerit liberum arbitrium, vt non ex natura, neſcio qua, ſemper mala, quae nulla eſt, ſed ex ipſo arbitrio coepiſſe dicat & angeli & hominis malum, quod euertit haereſin Manichaeam, nec ideo tamen, poſſe captiuam voluntatem, niſi gratia Dei, reſpirare in ſalubrem libertatem, quod euertit haereſin Pelagianam; ſic laudat in Deo ſanctos homines Dei, non ſolum ex manifeſtato in carne Chriſto, & deinceps, verum etiam ſuperiorum temporum, quos audent blaſphemare Manichaei, vt tamen de ipſis, plus credat ipſis confitentibus, quam Pelagianis mentientibus. Sanctorum enim vox eſt, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; contra duas ep. Pelagianor. l. 4. c. 3. tom. 10. oper. p. 309.* Summa nimirum eo redit, Pelagianos naturae plus, quam decet, tribuere, Manichaeos, ceterosque duplicis principii adſertores, eam plus quam decet, deprimere, dum ipſam quoque ſubſtantiam, a malo quippe principio profectam, malam eſſe contendunt. Atque id quidem eſt, quorſum omnia ea, quae paullo copioſius hactenus diſſeruimus, tendunt. Dici nunc vlterius poſſet, quo pacto Manichaeismus in Seleucianis, Priſcillianiſtis, aliisque, cumprimis Paulicianis, ſeu Paulianiſtis, repullulauerit; cum vero plura de hiſce dicenda eſſent, quam noſtri inſtituti permittit ratio, eos ſcriptores conſulat, qui plura de hiſce ſcire cupit, qui iſtarum haereſium ex inſtituto dedere hiſtoriam. De Paulicianis, ſeu Paulianiſtis legenda, quae BAELIVS adfert, *diction. hiſtorico-critico voce Pauliciani, p. 2322.*

Cum autem longe plures in veteri quoq; eccleſia Manichaeiſmum damnarent, & deteſtarentur, quemadmodum & illis, qui rem omnem etiam ad rationis lumen recte expendunt, non poteſt non plane deteſtabilis videri, ſiquidem, dum honori boni Dei conſulere exiſtimatur, peccati malique omnis culpam ab eo remouendo, omnem honorem illi adimit, diabolum ei aequiparando, vt diuiſum vterque in orbe imperium habeat, rurſus tamen fundamentum erroris, peccandi neceſſitas, multorum animis infixum maneret; exorti mox alii ſunt, qui ſub alio ſchemate eumdem in ſcenam producerent errorem. Auguſtino nimirum Pelagianismum impugnanti, & a Manichaeismo ſatis alieno, contigit, vt, dum naturae vires contra Pelagianos deprimit, & gratiae omnia tribuit, ex Numinis decretis, ſeu praedeſtinatione, neceſſitatem quamdam rurſus inuehere videatur. Hoc

apertius

apertius vero deinceps egerunt alii, Auguſtini veſtigiis inſiſtentes, & eius auctoritate abutentes, certe multo longius, quam ipſe fecerat, procedentes. Hinc itaque in locum Manichaeiſmi quodammodo ſucceſſit Praedeſtinatianiſmus, non minus, quam ille, Pelagianiſmo oppoſitus, & in fundamento rei cum eo conſentiens. Quo pacto autem Praedeſtinatianiſmus poſt Auguſtini tempora in eccleſia chriſtiana exortus, & ſubinde reſuſcitatus ſit, in ſequentibus ſuo loco exponemus. Nunc illud obſeruaſſe, ſatis fuerit, eo tempore, quo ſub iugo Romanorum pontificum pax & tranquillitas externa in eccleſia occidentali vtcumque conſeruata fuit, ſemper Pelagianiſmum cum Praedeſtinatianiſmo quodammodo colluctatum fuiſſe. Praeualuit tamen fere Pelagianiſmus; cui dum ſubinde, vt antea expoſuimus, alii ſe oppoſuerunt, fieri aliter vix potuit, quin nonnulli ad alterum extremum, hoc eſt, Praedeſtinatianiſmum, inclinarent.

Imminuta tandem valde & debilitata per reformationem Lutheri Romanorum pontificum auctoritate, maiorique multis, etiam in ipſa eccleſia Romana, libertate reddita, maiori etiam impetu certamina, quae pridem conſopita videbantur, eruperunt. Atque, vt antea demonſtrauimus, exſtitiſſe tum, qui cum Pelagianis naturae vires, vltra quam par eſt, eueherent; ita non minori numero exſtiterunt, qui ad alterum prolapſi ſunt extremum; idque non aliam magis ob cauſſam, quam quod hominibus quamdam velut peccandi neceſſitatem impoſitam ſibi perſuaderent. Huc nimirum primo illi referendi ſunt, qui Deum ipſum peccati, adeoque omnis mali cauſſam atque auctorem, directe aut indirecte faciunt. Idque de illis poſitum eſt extra controuerſiam, qui, profligatis cauſſis ſecundis, omnes motus, omnesque adeo rerum creatarum actiones & operationes, immediate a Deo ipſo proficiſci contendunt; quod nonnullos ex recentioribus, qui tamen quosdam ex ſcholaſticorum doctorum grege ſibi praeeuntes habeant, facere, ſupra iam obſeruatum eſt, ad *l. 2. c. 2. §. 48.* Non minus tamen & illi hic commemorandi ſunt, qui cuncta ex decretis diuinis abſolutis deriuant, inter quae & ipſam praedeſtinationem referunt, qua Deus abſolute ſine omni conditione, quosdam ad aeternam ſalutem elegerit, reliquos autem aeternis cruciatibus adiudicauerit. Vt enim eiusmodi decreta abſoluta ineuitabilem neceſſitatem inferunt, ita hominem omni libertate prorſus priuant, Deumque & primorum parentum lapſus, & omnium etiam, quae hinc porro ſequuta ſunt, peccatorum malorumque cauſſam faciunt. Plurimorum reformatae eccleſiae doctorum eam eſſe ſententiam, conſtat, a quibus, ſi rem ipſam & caput cauſſae ſpectes, in Romana eccleſia Dominicanos atque Ianſeniſtas, non multum abire, itidem notum eſt. Recentiores equidem ex reformatae eccleſiae doctoribus, eam ſententiam, quod Deus auctor, cauſſaque peccati ſit, omni ſtudio a ſe amoliuntur; quod & Dordracenae ſynodi patres faciunt, quando ita decernunt: *Deum peccati auctorem, eccleſiae reformatae non ſolum non agnoſcunt, ſed etiam toto pectore deteſtantur. Quare, quotquot nomen ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti inuocant, eos ſynodus haec per nomen Domini obteſtatur, vt de eccleſiarum reformatarum fide non ex coaceruatis hinc inde calumniis, vel etiam priuatis nonnullorum, ſiue tum veterum, tum recentiorum doctorum dictis, ſaepe etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, & in alium ſenſum detortis, ſed ex publicis ipſarum eccleſiarum confeſſionibus, & ex hac orthodoxae doctrinae declaratione, vnanimi omnium & ſingulorum totius ſynodi membrorum conſenſu, confirmata, iudicent &c.* in *actis ſynodi nationalis Dordrechtanae, p. m. 275.* Atque idem praeſtantiſſimi eccleſiae iſtius doctores paſſim teſtantur. Sic BENEDICTVS PICTETVS, *abſit,*

Digitized by Google

abſit, inquit, *vt Dei ſanctitatem impugnemus, & cum peccati auctorem eſſe dicamus. Hanc blaſphemam impietatem deteſtamur. Quod ſi quaedam phraſes durae exciderunt noſtris theologis, haud mirandum, cum ipſa ſcriptura dicat, Deum induraſſe cor Pharaonis, praecepiſſe Simei, vt malediceret Dauidi &c. de conſenſu & diſſenſu inter reformatos & Auguſtanae confeſſionis fratres, c. 4. §. 17.* Pari ratione & PETRVS van MASTRICHT de cauſſa peccati ita diſſerit, vt Deum equidem qua *materiale*, ſeu *ſubſtratum*, quia phyſice bonum quid eſt, cauſſam peccati dici poſſe concedat, *ſed quantum ad eius formale*, inquit, *ſeu ἀνομίαν, non eſt, niſi transgreſſio & transgrediens, & hinc quia Deus legem transgredi non poteſt, cauſſa etiam peccati dici citra blaſphemiam nequit; pſ. V, 5. theol. theoretico-pract. l. 4. c. 2. p. 343.* Sic & SALOMON van TILL, cum adſeruiſſet, reprobationem facere partem praedeſtinationis, negat, inde ſequi, Deum eſſe auctorem peccati. *Defendimus*, inquit, *aduerſus calumniam aduerſariorum, vbi ſtatuimus, inde non ſequi, Deum eſſe auctorem peccati*; in *compendio vtriusque theologiae natur. & reuelatae, part. 2. c. 4. p. 57.* Sed & LEIDECKERVS hac in re reformatae eccleſiae doctorum cauſſam agit, in *ver. euang. triumph. t. 1. l. 2. p. 266.* & *t. 2. l. 2. c. 7. p. 225.* & IAQVELOTVS, in *examine theol. Baelii, part. 2. c. 24. p. 441.* immo BAELIVS ipſe, *reponſe aux queſtions d' un prouincial, t. 3. c. 171. p. 1135. ſq.* Mitto reliquos, qui magno numero adhuc adlegari poſſent. Neque is ego ſum, qui inuitis ſententiam quamdam obtrudendam exiſtimem. Interim tamen negari nequit, veterum eccleſiae reformatae doctorum, CALVINI, MARTYRIS, BVCERI, BEZÆ, PISCATORIS, aliorumque, eiusmodi hac de re exſtare effata, quae nulla ratione excuſari poſſunt. Praeterea, quamdiu, qui in mitiorem partem deſcendunt, ſtatuunt, omnia ex decretis diuinis abſolutis fluere; primumque hominem lapſum eſſe, quia Deus hoc decreuit; ex eodem decreto Numinis abſoluto, paucos quosdam electos & ad aeternam ſalutem praedeſtinatos, reliquos omnes aeternis cruciatibus adiudicatos; quamdiu, inquam, iſta ſtatuunt, lubens, me non capere, fateor, quo pacto negare queant, Deum cauſſam auctoremque peccati eſſe. Nec deſunt etiam ex recentioribus, qui cum imputationem iſtam, Deum peccati cauſſam eſſe, ſe non prorſus a ſe, aut a maioribus ſuis amoliri poſſe videant, emollire vtcumque, aut excuſare adnituntur. Quos inter IVRIÆVS, vir cetera doctus, eousque progreſſus eſt, vt contenderet, gloriam Numinis in eo vel maxime eluceſcere, & amplificari, ſi pro abſoluto cum hominibus credatur agere imperio dans *l'apologie pour les reformateurs, part. 1. c. 19.* quem hoc nomine acriter caſtigat BAELIVS, *lexico hiſtorico - critico* voc. *Pauliciani*, ſiue *tom. 2. p. 2331. ſeq.* Similiter & PHIL. NAVDÆVS, qui in libro: *la ſouveraine perfection de Dieu*, rigidiorum, quos vocant, inter reformatos, ſeu ſupra - lapſariorum, & particulariſtarum placita ex inſtituto defendenda ſibi ſumſit, diſerte adfirmat, *peccatum neceſſario euenire debuiſſe, quia Deus ſine illo gloriam ſuae miſericordiae non potuiſſet declarare.* Immo, Deum auctorem peccati in *ſancto ſenſu* vocari poſſe, concedit. Quo nomine cum anonymo cuidam vapulaſſet, hoc vlterius defendere adnititur, dans *le recueil des obiections &c.* vid. *acta erudit. Lipſ. an. 1709. menſ. Ianuar. p. 11. ſeq.* & *menſ. Iul. p. 308. ſeq.*

Supereſt, vt de illis etiam aliquid dicamus, qui Manichaeiſmum recentiori aetate reuocare, & iterum in ſcenam producere, viſi ſunt. Notus autem prae ceteris eſt hoc nomine Matthias Flacius, Illyricus, magnorum ceteroquin in eccleſiam noſtram meritorum theologus. Hic enim cum ſynergiſtis, eorumque promacho, Victorino Strigelio, magno feruore ſe opponeret, in diſputatione Vinarienſi, an 1560. inſtituta, huius fallaciis inductus eſt, vt, dum peccatum origi-

originale accidens dicere nollet, nec diſtinctione, vti par erat, ſe expedire poſſet, illud tandem ſubſtantiam eſſe contenderet, ſuamque ſententiam & auctoritate beati Lutheri, & dictis quibusdam ſcripturae, confirmare conaretur. Nota haec ſatis ſunt, tum aliunde, tum ex SIMONIS MVSAEI *repetitione & confirmatione ſententiae orthodoxae, de peccato originali, quod nequaquam ſit vlla ſubſtantia, ſed extrema ſubſtantiae a Deo conditae corruptio;* quam anno 1573. contra Flacium, cuius in diſputatione Vinarienſi paraſtata fuerat, edidit. Adcurate etiam rem omnem ediſſerit B. IO. MVSAEVS noſter, in *praefatione*, Flacii *claui ſcripturae* praemiſſa, itemque in *praelectionibus in epitomen formulae concordiae, art. 1. p. 38. ſeq.* Ad rem ipſam quod attinet, ſi quis dicat, *peccatum originis eſſe de hominis, quatenus peccator, vel originaliter corruptus eſt, ſubſtantia*, vt adeo vox *ſubſtantia* idem ſignificet, ac *eſſentia*, & homo non tantum vt homo, ſed vt peccator, ſeu per peccatum corruptus, conſideretur; nihil eum, quod reprehendi debeat, dicere, dudum viris doctis obſeruatum eſt: idque etiam nonnulli ex noſtratibus adſerere non dubitarunt. Sed hanc Flacii fuiſſe mentem, adfirmari nequit. Cum enim Victorinus Strigelius in diſputatione Vinarienſi numquam non inculcaret: *peccatum originale eſſe accidens*, Flacius non tantum negabat, eſſe accidens, ſed diſerte, illud ſubſtantiam eſſe, profitebatur. Dicebat inter alia: *originale peccatum non eſt accidens, ſed ſcriptura vocat veterem hominem, carnem, ſigmentum, maſſam cordis humani, malum cor, non accidens in corde, non lenimen ſeu vnguentum allii, vt eſt in tua* (Strigelium adloquebatur) *ſimilitudine.* Haec ſimiliaque cum initio timidius, nec tam ex ſua, quam ex ſcripturae & Lutheri mente adſeruiſſet, mox audacter & operoſe propugnare coepit. Et ſane, cum peccatum originale ipſam *cordis humani maſſam* dixit, vix aliter hoc intelligi poteſt, quam quod peccatum originale de hominis, non prouti peccator, aut per peccatum corruptus, ſed prouti homo eſt, ſit eſſentia. Sunt equidem nonnulli, qui ad excuſandum Flacium dicunt, eum, quae initio in feruore certaminis incaute protulerat, poſtea, ſi rem ipſam, non autem modum loquendi ſpectes, ita declaraſſe, vt tolerari queant; quibus tamen alii refragantur, Flaciumque in errore, ſemel per praecipitantiam admiſſo, deinceps per pertinaciam defendendo, conſtantiſſimum fuiſſe, contendunt. Id quidem certum, eum, quod errauerit, agnoſcere noluiſſe, licet interdum argumentorum, quae illi opponebantur, pondere preſſus, ita loqueretur, vt, ſententiam eius in meliorem accipi partem poſſe, videatur. Certe, varium & inconſtantem in explicandis animi ſenſis, & tuendo errore fuiſſe, B. MVSAEVS noſter in *praefatione* antea laudata, bene obſeruat. *Quamquam enim*, inquit, *conſtanter renuebat, peccatum originis totum in accidentibus numerare, ratus, receptam eccleſiae doctrinam, de corruptione hominis totius, in omnibus ſuis viribus, ex lapſu Adami proueniente, defendi non poſſe, ſi illud purum putum accidens eſſe, nec quidquam ſubſtantiale includere, diceretur: tamen quidnam ſubſtantiale in homine corrupto importet, & an eius ſubſtantia tota, an aliqua eius pars? & quaenam in cenſum peccati veniat? declaraturus, valde fluctuabat: modo diſputabat abſolute, peccatum non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam; modo aliquam eius partem eſſe ſubſtantiam, aliquam vero eſſe accidens; nonnumquam ſubſtantiam hominis totam, interdum, eius partem praecipuam animam rationalem ſcilicet; quandoque etiam formam ſubſtantialem animae rationalis, in ſummo gradu peccatum eſſe contendebat.* Eius porro inconſtantia inde eluceſcit, quod, cum, eodem obſeruante B. MVSAEO, in diſputatione Vinarienſi plus ſimplici vice

vice dixiſſet, *peccatum originis* in homine eſſe *ſubſtantiam;* in *colloquio* tamen *Langenrauwenſi*, breui ante eius ex hac vita diſceſſum, hanc propoſitionem pro ſua noluerit agnoſcere; praeterea, cum ſaepe adſeruiſſet: *totam hominis ſubſtantiam*, *hominem totum, quantus quantus eſt, peccatum eſſe*, poſtea tamen vel improprie, vel non de homine, *quatenus creatura eſt*, hoc voluerit intellectum, & contrarium per calumniam ſibi adfingi, conqueſtus ſit. Mitto reliqua, quae idem vir beatus hanc in rem adfert: qui & tandem ea, quae Flacius conſtanter adſeruit, & ad finem vitae defendit, haec fere eſſe, nos condocet. I) In homine, cum ante, tum poſt lapſum, duas fuiſſe, & eſſe formas ſubſtantiales, vnam *phyſicam*, alteram *theologicam*. Phyſicam eſſe animam rationalem, qua cum corpore vnita, homo animal rationale conſtituatur. Theologicam vero in homine ante lapſum fuiſſe *imaginem Dei*, in homine poſt lapſum autem, eſſe *imaginem Satanae*. II) *Formam ſubſtantialem theologicam* hominis ante lapſum fuiſſe Dei opus & bonum, ſed quae per lapſum Adami amiſſa fuerit: eamdem in homine poſt lapſum eſſe ſatanae opus & peccatum, quae in locum amiſſae imaginis diuinae ſucceſſerit; vtramque vocabat *formam ſubſtantialem animae rationalis in ſummo gradu*, quod eſſet ratio formalis, qua hominis anima in ſummo gradu ſimilis Deo ante lapſum, & ſatanae ſimilis poſt lapſum conſtitueretur. III) Regenerationem & renouationem eſſe *mutationes* hominis *ſubſtantiales*, quibus forma ſubſtantialis animae per lapſum amiſſa, a ſpiritu ſancto quadamtenus repararetur, & de nouo quaſi crearetur. Sed & haec ita comparata ſunt, vt ſatis oſtendant, quantopere Flacius laborauerit, rationibus aduerſariorum ita obuiam ire, vt ſemper tamen eam, quam ſemel admiſerat, retineret ſententiam. Hinc, quantumuis mox ita, mox aliter ſe explicaret, non tamen quid de eo, quod caput cauſſae erat, ſentiret, liquido conſtabat, etſi hac ratione ea aliquando controuerſiae huius exoriebatur facies, vt de vocibus potius, quam re ipſa inter ſe litigare viderentur. Quae omnia, quem iam laudauimus, B. MVSAEVS fuſius *loco citato*, ediſſerit. Nec tamen praetermittendum, diſcipulos ac ſectatores Flacii, Chriſtophorum Irenaeum, Cyriacum Spangenbergium, Martinum Wolfium, Matthaeum Schneiderum, aliosque, longe incautius, quam ipſum magiſtrum, hac de re loquutos, & quosdam ex iis talia adſeruiſſe, quae merito tamquam abſona atque ἀσύςατα ab omnibus recte ſentientibus damnabantur. Id vero cumprimis obſeruaſſe noſtra intereſt, errorem huncce ſub Manichaeiſmi nomine paſſim eo tempore fuiſſe confutatum, vt a SCHLVSSELBVRGIO, in *catalogo haeretic. lib. 2.* qui eſt *de ſecta Manichaeorum*, WIGANDO, in *Manichaeismo renouato*, aliisque. Non prorſus tamen Flacianus iſte error cum Manichaeismo conſentit, immo in eo, quod fere caput cauſſae eſt, ab illo diſcedit. Hactenus equidem conſentit, quod cum Manichaeis ipſam hominis ſubſtantiam malam eſſe adſeruit, eamque ceu cauſſam omnium peccatorum ſpectauit; ſed cum Manichaei ſubſtantiam malam a principio malo, quod Deo coaeternum ſtatuebant, deriuarent, Flacius contra, hominem primum, qua corpus pariter ac animam, bonum a Deo creatum docuit, deinceps autem per lapſum primorum parentum, qua ipſam ſubſtantiam, malum factum. Hinc auctores, qui *formulam concordiae* condiderunt, circumſpecte ſatis atque caute hac de re loquuntur, quando Flacium non ſimpliciter Manichaeiſmi reum faciunt, ſed *errorem* ſaltem *Manichaeum* in eo notant: *Reiicimus atque damnamus vt Manichaeum errorem, quando docetur, originale peccatum proprie, & quidem nullo poſito diſcrimine, eſſe ipſam hominis corrupti ſubſtantiam, naturam*

turam & eſſentiam, ita vt inter naturam corruptam poſt lapſum, & inter peccatum originis, nulla prorſus ſit differentia, neque vlla diſtinctio cogitari, aut ſaltem peccatum illud a natura cogitatione diſcerni poſſit; in *epitome formulae concordiae*, *art. 1. p. 576.* Atque id recte etiam obſeruat CARPZOVIVS, dum dicit, auctores *formulae concordiae non ſimpliciter Manichaeis accenſere voluiſſe Flacianos, ſed ſaltem Manichaeum errorem dogma illorum adpellare, propter magnam cognationem, quam haberet cum Manichaeorum dogmate &c.* in *iſagoge ad libros ſymbolicos*, *ſect. 2. art. 1. p. 1180.* Recte vero prorſus atque egregie iidem *formulae concordiae* auctores, hac occaſione docent, Pelagianismum & Manichaeiſmum in doctrina de peccato originali, maxime ſibi oppoſitum, & vtrumque extremum magna diligentia euitandum eſſe. *Haec vero doctrina*, inquiunt, *ſic adſerenda, conſeruanda, atque munienda eſt, vt in neutram partem, hoc eſt, neque ad Pelagianos, neque ad Manichaeorum errores, declinet, &c.* in *ſolida declar. art. 1. p. 641.* Sunt & alii, quibus Manichaeismus imputatus eſt, aut imputari ſolet, quamuis interdum hoc per meram calumniam fiat; quibus omnibus vt immoremur, inſtituti noſtri ratio non permittit. Legi ea poſſunt apud WOLFIVM, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos*, *ſect. 2. §. 64. p. 270. ſeq.*

Noſtra aetate Manichaeismum magno adparatu, nec minori ſtrepitu, in ſcenam prodire iuſſit, vir cetera ingenii & eruditionis laude celebris, BAELIVS. Id enim in *dictionario hiſtorico-critico*, ſub vocibus *Manichaei, Marcionitae, Pauliciani, Origenes*, alibique, ſummo conatu agit, vt oſtendat, armis, quae ſola ratio ſuppeditat, debellari Manichaeismum neutiquam poſſe. Infirmitatem Manichaeorum non in eo conſtitiſſe ait, quod duo principia independentia, alterum boni, alterum mali admiſerint; ſed quod non recte, quoad ſpecialia, hanc ſententiam explicauerint, & eiusmodi concluſiones inde deriuauerint, quae in praxi vitae eos omnibus inuiſos reddiderint. Defendi vtique, ita pergit, iſtud dogma non poſſe, quam primum ſcripturae auctoritas admittatur; ſed, ſi a philoſopho gentili, diſputandi artem edocto, propugnetur, non tam facile conuelli poſſe. Eccleſiam chriſtianam merito pro inſigni reputare felicitate, quod Auguſtinus, qui artem, controuerſias rite tractandi, calluerit, Manichaeorum deſeruerit partes, quippe qui vel maxime idoneus fuiſſet, euitatis erroribus craſſioribus, eiusmodi condere ſyſtema, quod orthodoxis multum negotii faceſſiuiſſet. Ita hac de re verba facit *l. c.* voce *Manichaei p. 2023. ſeq.* Pari ratione de Marcione pronunciat: eum neſciuiſſe, ſententia iſta de duplici principio recte vti, indeque factum, quod tam facile deuictus fuerit a veteris eccleſiae doctoribus; ſi quis ingenio praeditus, vt Renatus Carteſius, hanc ſententiam defendiſſet, non tam facile futurum fuiſſe patribus, eam euertere; *l. c.* voc. *Marcionitae p. 2039.* Similia & alibi non tantum inculcat, ſed argumenta etiam Manichaeorum quauis data occaſione, mirum in modum exornat, & inuictum illis, quantum in ſe eſt, conciliare robur, adnititur. Vti ergo hunc in modum Manichaeorum cauſſam BAELIVS egit, ita mox etiam exſtiterunt, qui eam impugnarent; quos inter primo nobis loco nominandus eſt CLERICVS, qui in *Parrhaſianis tom. I.* Manichaeismo ſyſtema Origenis oppoſuit. Sed huncce CLERICI inſultum repulit BAELIVS, in altera *dictionarii hiſtorico-critici* editione, voc. *Origenes tom. 3. p. 2559.* prodeunte iterum in aciem, ſuamque cauſſam defendente CLERICO, *biblioth. ſelect. tom. 7. p. 331. ſeq.* Nec ita certaminis finis, quin potius ſtrenue fuit continuatum a BAELIO, *reſponſionis ad quaeſtiones hominis ex pro-*

 uincia,

vincia, tom. 3. a CLERICO autem, *biblioth. ſel. tom. 9. p. 103. ſeq.* & rurſus a BAELIO, *reſponſ. ad quaeſt. hominis ex prouincia, tom. 4.* iterumque a CLERICO, *bibl. ſelect. tom. 10. p. 364.* Contigit autem, vt, dum haecce controuerſia feruebat, GVIL. KINGII, Dereuſis epiſcopi, liber de *origine mali*, prodiret; cuius ſummam cum BERNARDVS in *nouis reipublicae litterariae, 1703. tom. 1.* exhibuiſſet, BAELIVS in eo talia contineri intelligens, quae ſuam ferirent ſententiam, nonnulla eidem opponere, ſuarum duxit eſſe partium. Licet autem multa recte & egregie de hocce argumento dicta, in iſto KINGII commentario occurrant, quaedam tamen in eodem, itidem animaduerſione digna, viri docti obſeruarunt: cumprimis vero illud, quod contendit, mala quaeuis, tum naturalia, tum moralia, ex ſapientia, bonitate, ac potentia Dei neceſſario orta fuiſſe, ita, vt hae Numinis perfectiones infinitae non fuiſſent, ſi illa non eſſent, aut eſſe potuiſſent. Refellenda iſta ſibi ſumſit GRAPIVS, in *theologia recens controuerſa continuata, cap. 6. quaeſt. 5. p. 163. ſeq.* Mox vero & IAQVELOTIVS contra BAELIVM inſurrexit, edito anno 1705. Amſtaelodami libro: *de conformitate fidei & rationis, ſiue defenſio religionis contra praecipuas difficultates, in dictionario hiſtorico-critico Baelii diſſeminatas;* in quo cum libertatem hominis diligenter adſeruiſſet, de origine quoque atque cauſſa malorum, tum moralium, tum phyſicorum diſſerit, *part. 2. cap. 6. ſeq.* Quo pacto autem ad dubium de aeternitate poenarum infernalium reſpondeat, ſupra iam obſeruauimus. Huic BAELIVS iterum obuiam iuit, in *reſponſ. ad quaeſtiones hominis ex prouincia, tom. 3.* Sed non defuit ſibi IAQVELOTIVS, quin potius veritatis, quam defendendam ſuſcepit, cauſſam vlterius egit, edito Amſtaelodami 1706. *examine theologiae Baelii:* in quo reſponſiones eius ad librum *de conformitate fidei & rationis*, diluit. Sed BAELIVS rurſus vltimum tandem ingenii ſui foetum in lucem protulit: *dialogos inter Maximum & Themiſtium*, Rotterodami 1706. quorum partem priorem IAQVELOTII *examini theologiae Baelii*, poſteriorem autem, CLERICI *bibliothecae ſelectae tom. 10.* oppoſuit. Sed IAQVELOTIVS, ne antagoniſtae palmam concederet, *reſponſionem* edidit *ad dialogos compoſitos per Baelium*, Amſtaelodami 1707. Aduerſariis autem Baelii adhuc anonymus quidam acceſſit, edito Amſtaelodami anno 1706. ſcripto: *Philoſophus Roterodamenſis accuſatus & conuictus*, cuius auctorem IVRIAEVM, tum ob varia ſcripta, tum ob alia, quae illi cum Baelio interceſſerunt, certamina, longe notiſſimum, eſſe ferunt. Nec praetermittendus hic eſt BERNARDVS, ob varia ingenii monumenta, maxime, ob *noua reipublicae litterariae*, minime ignotus. Hic namque, cum, KINGII librum *de origine mali* recenſens, illorum partibus acceſſiſſet, qui dubiis, de origine malorum, ex ratione ſatisfieri poſſe putant, etiamſi ſyſtema Manichaeorum non adſumatur; deinceps vero in recenſione *tomi 2. continuat. cogitation. de cometa*, quae exſtat *in nouis reipublicae litterariae an. 1705. menſe Mart. p. 289. ſeq.* nonnulla, quae BAELIVS in fauorem atheorum diſputauerat, atro notaſſet lapillo, eumdem itidem aduerſarium expertus eſt, *tom. 4. reſponſionis ad quaeſtiones hominis ex prouincia, cap. 9. p. 202.* vsque ad finem. Immo & in *tomo 5.* eiuſdem operis, qui poſt auctoris obitum lucem demum adſpexit, reliqua, quae BERNARDVS ex eiuſdem *tomo ſecundo & tertio* cenſura ſua perſtrinxerat, diſcutiuntur. Ex noſtratibus vero controuerſiae huic lucem ampliſſimam adfudit, ſimulque ſyſtema illud de duplici principio, ſolide excuſſit, WOLFIVS, in opere ſaepius nobis iam laudato, cui *Manichaeiſmi ante Manichaeos* titulum fecit. Tandem & vir illuſtris,

magnis-

Digitized by Google

magniſque in rem litterariam meritis inclutus, G. G. LEIBNITIVS, dignum hocce argumentum cenſuit, in quo ingenii vires periclitaretur, edito anno 1710. gallico idiomate *tentamine Theodiceae, circa bonitatem Dei, libertatem hominis, & originem mali.* In eo, quod ad hancce, de qua nunc ſolliciti ſumus, controuerſiam attinet, principii loco ponit, cum Deus ſit ens intelligens, ſapientiſſimum, potentiſſimum, benigniſſimum, non potuiſſe non eligere *id, quod eſt optimum*, ſeu, *quod eſt melius.* Si quis ergo dicat, mundum eſſe poſſe ſine peccato, ſiue malis, tum moralibus, tum naturalibus, ſe quidem id concedere, reſpondet, ſed talem mundum noſtro meliorem eſſe negat. Deum enim totum mundum cum omnium cauſſarum & effectuum nexu concipiendo, vidiſſe omnia, quae euentura eſſent, omnia piorum hominum opera bona, preces, gratiarum actiones, reliqua: hinc conſilium cepiſſe, talem mundum condendi, in quo nihil, ne in minimis quidem, mutari poſſit, cum ceteroquin non ille mundus futurus eſſet, quem Deus animo conceperat. Etſi itaque Deus mundum ſine peccato & malo naturali condere potuerit, hanc tamen minus perfectum futurum fuiſſe, quam noſter eſt. Quod porro de multitudine & magnitudine malorum dicitur, auctor pro declamationibus inutilibus habet. Si enim bona comparentur cum malis, illa his longe plura, longeque eſſe maiora. Non temere quemquam eſſe, qui, cum moriendum illi eſt, non velit, ſi optio detur, denuo hancce vitam ingredi, etiamſi eadem ſuſtinenda mala ſint, quae ſuſtinuit. Libros de miſeria humana non admodum eſſe vtiles; augeri enim mala, dum ad ea attendimus. Quodſi etiam ponatur, numerum damnatorum longe maiorem eſſe, quam eorum, qui ſeruantur, malum nihiloſecius inſtar puncti eſſe, intuitu bonorum in toto hocce vniuerſo, ſeu rerum omnium complexu. Nihil enim obſtare, quo minus in ſtellis fixis, ſeu ſolibus, quorum infinitus ſit numerus, creaturae ſint ratione praeditae, etſi non ſint homines, quae quidem plane beatae eſſe poſſint; vnde creaturarum beatarum longe maior numerus eſſe queat, quam miſerarum. Forte & ſupra regionem ſtellarum ſpatia eſſe immenſa, gloria & beatitudine plena, in quibus infinitus numerus creaturarum felicium degat. Hinc vero de origine mali ſuam tandem ita explicat mentem, vt venire illud contendat ex natura ideali creaturae, prout haec natura incluſa fuerit in veritatibus aeternis, quae ſunt in intellectu diuino, independenter ab eius voluntate. Eſſe enim imperfectionem originalem in creatura, etiam ante quam peccauit, vt adeo potuerit quaedam neſcire, falli, errare &c. Quodſi regeras, Deum non tantum *permittere*, ſed interdum *velle* & *facere malum*, reſpondet auctor, Deum voluntate antecedente, ſemper velle bonum, voluntate autem conſequente eum velle id, quod melius eſt, tamquam finem; *malum phyſicum* eum velle quandoque, tamquam poenam culpae debitam, quandoque tamquam medium culpae, aut maius bonum obtinendi, aut euitandi maius malum; *malum* autem *morale* Deum non velle, ſed permittere, *neceſſitate hypothetica*, vt hicce huius vniuerſi ſtatus, qui melior eſt, inde reſultet. Haec ſumma fere illorum eſt, quae vir doctus velut fundamenti loco ponit, & quibus probe obſeruatis, Baelii aliorumque dubiis hac in re ſatisfieri poſſe, exiſtimat. Et hactenus quidem ea, quae hac de re diſputata ſunt, enarrauimus.

De re ipſa autem vt pauca adhuc adiiciamus, non abs re fuerit, ipſam BAELII ſententiam, eiusque fundamenta praecipua, velut in compendio exhibere. Cumque in Manichaeis, Marcionitis, aliiſque, vt antea obſeruauimus, ipſe deſideret, quod hypotheſi iſta de duplici principio recte vti neſci-

Digitized by Google

neſciuerint, nec concinnum aliquod apteque cohaerens inde formauerint ſyſtema; num felicius ipſe in hac re verſatus ſit, diſpiciendum. Syſtema autem, quod ipſe ex hac hypotheſi animo concepit, eiusmodi eſt: vt mali natales eo rectius intelligantur, atque ex prima vltimaque origine deriuentur, ad ipſum vsque chaos adſcendendum eſſe, quo tempore ſtatus duorum principiorum comparari queat cum ſtatu naturali Hobbeſii, qui inter homines fuerit, antequam ſocietates conſtituerentur. In eo ſtatu naturali homo homini erat lupus, omnia cedebant primum occupanti, nemo vllius rei erat dominus, niſi in quantum viribus pollebat defendendi, quae poſſidebat. Ex iſta omnis confuſionis abyſſo non alia ſupererat eluctandi via, quam vt quisque ſuo in omnia iuri renuntiaret, & quarumdam rerum dominium conſequeretur; hinc transactiones, hinc bellorum finis. Sic & duo iſta, inquit, principia confuſionis, quae in chao erat, pertaeſa, vbi alterum euertebat, quod volebat alterum, velut conuentione quadam inita, conſentiebant, vt alterum alteri aliquid concederet, & vtrumque ad productionem hominis, & ad leges vnionis inter corpus & mentem concurreret. A bono principio procedebant, quae varia ratione homini grata atque iucunda ſunt; ſimul tamen conſentiebat, vt ſubinde dolores acerbiſſimos perſentiſceret; dumque idem conſentiebat, vt boni moralis minus in genere humano eſſet, quam mali moralis; hoc tamen compenſabatur, dum in aliis creaturis plus virtutis eſſet, quam vitii. Si plurimi hominum in hac vita plus miſeriae habeant, quam felicitatis, hoc in alio eorumdem ſtatu compenſari poſſe; idque ſi non fiat *ſub forma humana*, fieri tamen poſſe *ſub alia forma*. Obſeruat enim hac occaſione BAELIVS, eos, qui duplex aliquod principium independens admittunt, etiam μετεμψύχωσιν ſtatuere. Atque per eiusmodi vtriusque principii conuentionem, chaos in ordinem velut redigi, atque rite diſponi; quod quidem chaos principium paſſiuum fuerit, in quo duplex principium actiuum, alterum boni, mali alterum, vim ſuam exſeruerit. Poëtas hanc diſpoſitionem itidem ſub ſchemate litis compoſitae exhibere, ſecundum illud OVIDII:

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Atque hunc in modum, dum Zoroaſtrem, hypotheſin ſuam exponentem, inducit, ſuam lectoribus propinat ſententiam; voce *Manichaei*, *p. 2026.* Quo pacto reliqua, ad hocce ſyſtema ſpectantia, inde fluant, cum quilibet facile perſpiciat, videamus ſaltem, quaenam a BAELIO ad eius defenſionem adferantur. Praecipuum eorum omnium, quae ſubinde magno labore congerit, in eo conſiſtit, quod malorum, quae in hocce mundo conſpiciuntur, originem aliter explicari non poſſe putat, quam ſi duplex eiusmodi principium independens admittatur. Idque vt euincat, in eo totus eſt, vt lectoribus perſuadeat, mala iſta tum *moralia*, tum *naturalia*, bonitati Dei prorſus repugnare, nec vlla ratione cum ea conciliari poſſe. Nos equidem de malis naturalibus nunc non erimus ſolliciti, cum quilibet facile videat, ea aut ex malo morali, ſeu peccato, oriri, aut, ſi inde non oriantur, neutiquam mala eſſe. Addenda tamen, quae hac de re diſſerit KINGIVS, *de origine mali*, *cap. 4. p. 64. ſeq.* Ad malum morale itaque, eiusque originem, quod attinet, exiſtimat BAELIVS, Deum ſalua bonitate & ſanctitate ſua lapſum hominis permittere non potuiſſe, cum ipſe praeſciuerit, quanta malorum omnium inde ſequutura eſſet cohors. Si dicas, Deum primum hominem arbitrii libertate inſtruxiſſe, vt euitare malum, atque in ſtatu integritatis perſiſtere potuiſſet, ſi modo ipſe donis illis, a Deo ſibi conceſſis, recte voluiſſet vti; & hoc cum bonitate Dei pugnare adſerit,

Digitized by Google

adſerit, quod eiusmodi dona illi largitus ſit, quibus cum ad ſuam, omniumque hominum perniciem certo abuſurum praeuiderit. Quod ſi vel maxime Deus hocce homini conferre munus voluerit, ſimul tamen bonitatis eius fuiſſe, eum quocumque modo impedire, ne libertate iſta arbitrii ad ſuam perniciem abuteretur. Si quis ergo liberi arbitrii conceſſionem pro munere diuino reputet, illi dici poſſe:

Hoſtibus eueniant talia dona meis.

Nec enim patris quemquam laudaturum bonitatem, ſi infanti permittat, vt ſcalam conſcendat, vnde iterum cum vitae periculo praeceps ruere poſſit. Si dicas, poſſe tamen homines, cum poenitentiam agunt, poenam peccati euitare, reſpondet, quod homines poenitentiam non agant, id ex abuſu liberi arbitrii prouenire, adeoque omnem iterum in Deum redundare culpam, quod homines ita creauerit. Eſſe quidem miſericordiae argumentum, ſi quis delictorum veniam iis promittat, quos admiſſorum ſerio poeniteat; ſed ſi quis certo ſciat, fore, vt aliquem peccati non poeniteat, tum quidem perinde hoc eſſe, ac ſi delicti veniam numquam promiſerit. Hisce porro perfectiſſimae bonitatis, quae vtique Deo tribuenda ſit, addit ideam. Hominum enim hanc quidem eſſe conditionem, vt, cum aliis benefacere velint, ſuamque erga eos demonſtrare benignitatem, non tamen ſemper hoc facere poſſint; quin potius occaſio ſubinde, atque locus illis exſpectandus ſit; immo, interdum aliquid, quod illis, quibus benefacere cupiunt, moleſtum ſit, praemittere cogantur, vt ſuorum eos participes faciant beneficiorum; quod exemplo parentum, caſtigationibus ſalutem liberorum, & medicorum, amara potione ſanitatem aegrotorum promoventium, pateat. Sed diuinae bonitatis longe aliam eſſe rationem. Hinc ſi quis adſerat, non poſſe Deum animas arbitrii libertate inſtructas, aliter, quam per varia miſeriarum & calamitatum geneta, ad vitam beatam perducere, eum aliquid adfirmare, quod cum potentia Numinis ſummae diametro pugnet; aut ſi quis putet, liberandum hominem hac ratione a materiae ſcoriis, eum vel inuitum ad Manichaeorum praecipitia accedere. Atque haec quidem, aliaque, hunc in modum BAELIVS diſputat, *tom. 3. dict. hiſtorico-crit.* voc. Origenes, *p. 2260. ſeq.* & alibi quoque repetit, aut ſimilia adfert.

De quibus, vt breuiter ſaltem, quid ſentiendum ſit, aperiam, primo quidem, quantumuis ſyſtema illud Manichaeorum exornet, perpoliatue, numquam tamen efficere poterit, vt non longe ineptiſſimum cenſeatur. Lites illae, quas fingit, certamina, conuentiones vtriusque principii, ſatis demonſtrant, neutrum potentia infinita gaudere, adeoque & neutrum nomen titulumque Dei promereri. Perinde itaque eſt, ac ſi quis dicat, nullum dari Deum, adeoque notionem illam, tam alte omnium animis infixam, inde euellere, adnitatur. Iam porro ad mali originem quod attinet, initio haud perfunctorie eſt obſeruandum, etſi bonitas Dei infinita ſit, non tamen inde ſequi, quod in rebus quoque creatis infinito modo adparere debeat; hoc enim ſi eſſet, nulla res creata Deo ipſo inferior foret; quod abſonum eſſe, quilibet intelligit. Hinc & porro nihil obſtat, quo minus in rebus creatis imperfectiones quaedam ſint, ſi modo imperfectio dicenda, quando res quaedam iis deſtituitur, quae ad eſſentiam eius, aut naturam conſtituendam, minime ſunt neceſſaria. Sed id quoque mouendum, quod ſuo loco copioſius probauimus, attributa, ſeu perfectiones diuinas ita ſemper conſiderandas, vt harmonia perfectiſſima, atque conſenſio in illis obſeruetur; adeoque, ſi quis bonitatem Dei ſummam praedicet, illi non minus de ſumma eius & iuſtitia, & ſapientia cogitandum eſſe. Quod ergo Deus

hominem

Digitized by Google

hominem creauit libero arbitrio praeditum, id bonitati eius prorſus fuit conueniens. Immo, cum homo animal eſſe deberet ratione praeditum, voluntatis quoque libertate eum inſtructum eſſe oportebat. Sunt enim haec inter ſe coniunctiſſima; cum & fruſtra rationis vſus alicui concedatur, niſi voluntatis idem polleat libertate. Quare, ſi Deus non ita condidiſſet hominem, prouti eum condidit, quiduis potius quam hominem condidiſſet. Praeterea ſapientiae pariter ac bonitati diuinae conueniens fuit, vt inter creaturas adſpectabiles quaedam etiam exſiſteret, quae cultu religioſo creatorem proſequi, eiusque adeo debito modo concelebrare laudes poſſet. Cultus autem diuini, & honoris, quo adfici Deus poteſt, praecipua pars eſt, obſequium legibus eius praeſtandum. Quodſi autem homo nulla arbitrii libertate inſtructus fuiſſet, nec obſequium illi potuiſſet imperari, nec creatorem quoque ſuum potuiſſet colere. Poſtquam autem homo libertate iſta, ad optimum finem conceſſa, non recte vſus eſt, iuſtitiae diuinae ratio vtique poſtulauit, vt eum puniret. Vt enim iuſtitia non minus quam bonitas diuina hic in cenſum veniat, harmonia iſta attributorum diuinorum, antea memorata, requirit. Hisce & aliae facili negotio addi potuiſſent rationes, cur Deus hominem, libero inſtructum arbitrio, condiderit; ſed plures addere, ſuperuacaneum puto. Iam ergo, cum bonitati diuinae conueniens fuerit, hominem arbitrii libertate inſtructum condere; eidem repugnare nequit, quod lapſum eius permiſerit. Impedire enim aliter non poterat, quam vt aut rationem, aut voluntatis vſum, aut vtrumque, homini violenta quadam ratione adimeret, hoc eſt, ex homine non hominem, ſed monſtrum aliquod faceret, quod Deo dignum eſſe, nemo dixerit. At ſciuit, inquis, Deus, hominem libertate ſua non recte vſurum; adeoque liberum iſtud arbitrium pro munere, ex bonitate diuina profecto, reputari nequit. Sed res eo redit, an cum bonitate alicuius conueniat, ſi alteri munus largiatur, quo ad perniciem ſuam eum abuſurum, nouit? Ad quam quidem quaeſtionem cum diſtinctione quadam reſpondendum exiſtimo. Si in noſtro poſitum ſit arbitrio, an munus illud alteri conferre velimus, nec ne; & nulla prorſus adſit ratio, quae nos aut cogat, aut obliget, ad munus hocce illi conferendum, tum quidem, ſi certo ſciamus, eum, cui illud munus confertur, eo ad ſuam abuſurum perniciem, rectius faciemus, ſi non conferamus, aut, ſi illud faciamus, benignitatis non recte inde capitur argumentum. Et hactenus omnia ea, quae tam copioſe hac de re diſſerit BAELIVS, omnia etiam exempla, quae ad iſtius rei illuſtrationem adfert, concedimus. Si vero non prorſus penes nos ſtat, quo minus munus aliquod alteri aut conferamus, aut hoc ei denegemus; tum, etiamſi vel maxime conſtet, alterum hocce munere non recte vſurum, illud tamen ei denegare non poſſumus, adeoque neutiquam eiusmodi muneris collatio cum bonitate aut benignitate conferentis pugnat. Et poſteriori quidem modo res ſeſe habet in liberi arbitrii, ceu muneris diuini longe praeſtantiſſimi, collatione. Natura enim hominis, vt antea demonſtrauimus, hoc requirebat: cum rationis ceteroquin vſus nihil profuiſſet homini, immo, homo quiduis potius, quam homo fuiſſet, ſi libertate arbitrii non fuiſſet inſtructus. Etiamſi itaque Deus praeſciuit, hominem non recte hocce munere vſurum; tantum tamen abeſt, vt eius collatio cum bonitate eius pugnet, vt argumentum potius pro ea hinc ſumatur longe luculentiſſimum. Atque hoc quidem cum pro adſerenda Numinis bonitate ſufficiat, accedit tamen, quod Deus homini, per arbitrii liberi abuſum lapſo,

eiusque

eiusque poſteris, viam ad ſalutem oſtenderit, peccatorumque promiſerit remiſſionem, ſi modo eos illorum ſerio poeniteret. Sic enim ne minimam quidem homines, de Deo conquerendi, cauſſam habent. Si dicas, quod BAELIVM dicere, antea iam obſeruauimus, ex eiusdem liberi arbitrii abuſu prouenire, quod plerique mortalium poenitentiam non agant; reſpondebimus, id bonitatem diuinam nullo modo imminuere, cum antea probatum ſit, liberi arbitrii conceſſionem, non obſtante hominum lapſu, pro maximo Numinis munere habendam. Si ergo bonitatis diuinae argumentum fuit, quod homini ante lapſum arbitrii libertatem conceſſit, multo maius adhuc beneficium eſt, quod, poſtquam homo ea libertate abuſus eſt, Deus nihilofecius nouam illi ad ſalutem viam oſtendat. Hanc ergo ſi homo ingredi nolit, aeternaque adeo ſalute excidat, habet, non quod Deo, ſed quod ſibi imputet. Quamquam, ſi adcurate loqui velimus, impoenitentia, qua homines pereunt, non tam ex liberi arbitrii, quod ante conuerſionem in ſpiritualibus non habent, abuſu, quam ex proterua gratiae diuinae, illis oblatae, reiectione, proueniat. Quae denique de ſumma, omniſque imperfectionis experte Numinis bonitate BAELIVS diſſerit, noſtrae parum nocent cauſſae. Bonitatem enim diuinam cum ſapientiae & iuſtitiae temperamento, intelligendam eſſe, ſupra iam monuimus. Hinc & ſequitur, conueniens eſſe, vt in hominibus ad ſalutem perducendis certus obſeruetur ordo. Hunc autem qui obſeruant, calamitates quasdam atque aduerſa euitare nequeunt; quae tamen ſumma iſta & ineffabili beatitudine, cuius poſt hanc vitam participes fiunt, abunde compenſantur; *Rom. VIII, 18.* Vt ergo pater caſtigans filium, & medicus potionem amaram aegroto propinans, nihil agunt, quod contra vtriusque bonitatem ſit, ita nec Deus, electos per aduerſa & calamitates ad aeterna gaudia ducens. At, cum perfecta ſit, inquis, Dei bonitas, alier cum hominibus deberet agere. Immo, cum naturae humanae ratio hunc agendi modum poſtulet, ſapientiaeque diuinae is prorſus ſit conueniens, bonitati quoque Numinis perfectae, ſed ſapientia & iuſtitia temperatae, non repugnat.

Atque ita quidem BAELII dubia, de origine mali, haud difficulter, ni fallor, dilui poſſunt. Quae G. G. LEIBNITIVS eidem oppoſuit, ſatis quidem ingenioſa ſunt. Neſcio tamen, an omnes probaturi ſint, quod adſerit, mundum, in quo malum nec morale nec naturale eſt, non aeque perfectum eſſe, quam in quo vtrumque deprehenditur. Nec ſane omnes de multitudine ac magnitudine malorum querelae, pro inanibus habendae ſunt declamationibus, etſi non negem, homines in iis nonnumquam modum excedere. Dubitari etiam poſſet, num bona plura, maioraque ſint, ſi vtraque inter ſe comparentur, quam mala. Immo dubito, an adeo multi, morti proximi, priorem vitae curſum ingredi malint, ea lege, vt omnia denuo illis ſuſtinenda ſint, quae ſuſtinuerunt; ſi vel maxime per mortem nihil aliud, quam finem malorum obtineant. Pios enim homines aeternae vitae gaudia huius mundi calamitatibus praeferre, non eſt, quod dubitemus, quemadmodum & illud certum, impios vel eam ob cauſſam vitae huius curſum denuo libenter ingreſſuros, vt aeternae mortis taedia euitent. Parum etiam, ni fallor, ad rem facit, quod vir ille doctus de ingenti numero creaturarum felicium in ſtellis fixis, & magnis illis ſupra ſtellarum regionem ſpatiis, ſupponit. Eſto enim, haec ita ſe habere, non poſſet tamen Deus ab iniuſtitiae culpa abſolui, ſi vel vnica creatura, ſola voluntate creatoris, miſera eſſet. Si enim princeps erga reliquos ciues ſuos omnes iuſtiſſimus eſſet, ſed vnicum tamen hominem ex mera crudelitate miſerum redderet, non, puto, ab iniuſtitiae labe prorſus poſſet abſolui. Accedit vero, quod

quod miſeria, quae principis voluntate alicui contigit, finem tandem habitura ſit, cum improborum contra hominum, eorumque tanto numero, vt maximam humani generis partem conſtituant, poenæ aeternae eſſe credantur. Et ſane, ſi dicendum, quod res eſt, aeternitas poenarum infernalium praecipuum eſt, quod in tota hacce controuerſia occurrit, dubium. In reliquis enim malis omnibus, quocumque nomine veniant, nihil deprehenditur, quod non cum bonitate Numinis, ſapientia eius atque iuſtitia temperata, facile conciliari queat: vt autem tot creaturae ſine fine miſerae ſint, quas adeo numquam exſtitiſſe, longe melius foret, id fateor, haud leuem homini, ex ſola praeſertim ratione rem aeſtimanti, ſcrupulum mouere poſſet. Sed, quo pacto hinc viri docti, ipſeque LEIBNITIVS, ſe expedire conentur, ſupra iam expoſitum, vbi hac de re ex inſtituto dictum Mitto etiam reliqua, quae adhuc moneri poſſent, cum ex hactenus dictis cuncta, ni fallor, diiudicare, cuiuis pronum futurum ſit.

§. XXXVI. Quo fortius autem omnibus hiſce erroribus veteris eccleſiae doctores ſe oppoſuerunt, mox huic, mox alteri extremo obuiam euntes, eo maiori perfuſa luce ſemper triumphauit veritas, & inter tot certamina, & diſceptationes conſeruata, & ad noſtram vsque aetatem propagata fuit. *

* Commemorandi itaque pauci ſunt, qui veram ſanamque de peccato originis, eiusq; cauſſa, ita tradiderunt & propagarunt doctrinam, vt vtrique extremo ſe opponerent. Quod dum faciemus, de reliquis etiam, quæ hic in cenſum veniunt, & arctiſſimo vinculo cum hocce ſacrae doctrinae capite coniuncta ſunt, facile iudicium ferri poterit. Et Pelagianis quidem ſollemne erat, peccatum originis pro Auguſtini commento venditare, ac ſi nemo ante eum eiusmodi quid docuiſſet. Conſtat hoc ex ipſo AVGVSTINO, dum ad obiectionem illorum: *Confitearis ergo neceſſe eſt, originale, quod finxeras, interiſſe peccatum*, ita reſpondet: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio es nouus haereticus; l. 2. de nuptiis & concupiſcentia, c. 12.* Credidit itaque AVGVSTINVS, iam veteris eccleſiae doctores, qui ante eum vixerant, peccatum originale adſeruiſſe; idque adeo extra omnem dubitationem poſitum putat VOSSIVS, *vt plane ſit mirandum, vel olim fuiſſe, vel hodie inueniri, qui, hanc doctrinam Auguſtini eſſe commentum, putent, atque id porro aliis perſuaſum velint.* Idque ne fruſtra dixiſſe videretur, patrum graecorum, Ignatii, Dionyſii areopagitae, Iuſtini martyris, auctoris *quaeſtionum & reſponſionum ad orthodoxos*, quae vulgo Iuſtino tribuuntur, Tatiani, Irenaei, Origenis, Methodii, Macarii vtriusque, epiſcopi ſcilicet Hieroſolymitani, & Aegyptii, Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Baſilii, aliorumque teſtimonia, magno numero producit, quibus exiſtimat, id, quod dixerat, confirmari poſſe; *hiſt. Pelagian. l. 2. part. 1. theſ. 6. p. 604.* At non omnes hac in re ſecum conſentientes habet vir longe doctiſſimus. PETAVIVS namque, *Graecos originalis fere criminis raram, nec diſertam mentionem, ſcriptis ſuis attigiſſe*, pronunciat, *dogm. theol. tom. 6. de incarnat. l. 14. c. 2. §. 1. p. 24.* Immo DANIEL WHITBY, Angliae theologus clariſſimus, id ex inſtituto agit, vt demonſtret, teſtimonia patrum a VOSSIO adducta, id minime euincere, quod inde euincere cupit: ipſe vero rurſus alia patrum teſtimonia adducit, quibus putat, probari poſſe, ex illorum ſententia peccati originalis reatum, neutiquam ad poſteros Adami deriuari; in *tractatu de imputatione diuina peccati Adami, poſteris eius vniuerſis in reatum, c. 6. p. 85. ſq.* & *c. 8. p. 152. ſq.* Et negari

ſane

ſane nequit, eos eccleſiae veteris doctores, qui ante certamina Pelagiana ſcripſerunt, non ea ſemper circumſpectione, vt decebat, hac de re loquutos. Cuius rei cauſſas recte indicat B. CHEMNITIVS noſter, quem hac de re audire iuuabit. *Cum patres*, inquit, *tantum Manichaeos refutandos ſibi proponerent, nec tum mota eſſent Pelagiana certamina, coeperunt minus diligenter tradere veram doctrinam de peccato originali.* Hoc cum Origenis, Baſilii, Chryſoſtomi, exemplo comprobaſſet, ita porro pergit: *Et ſuo quidem loco recte ſenſerunt, & loquuti ſunt de peccato originis. Ad populum vero hanc doctrinam, ceu myſterium celarunt. Videbatur enim ſecuritatem & ſocordiam in hominibus alere. Sed illis incommodis loquutionibus, & intempeſtiuis, nec veris encomiis bonitatis naturae, non parum obſcurata eſt haec doctrina, & ſparſa ſunt ſenſim ſemina Pelagianiſmi. Et fuiſſet lux verae ſententiae tandem omnino exſtincta, niſi exorto certamine Pelagiano, Deus excitaſſet ſanos & fideles doctores, qui diligentiori inquiſitione veritatem huius loci, in ipſis ſcripturae fontibus inueſtigaſſent, &, ſepoſitis dictis patrum incommodioribus, ad verum typum doctrinae, ſicut Paulus vocat, reuocaſſent*; in *locis theologicis, de peccato orig. pag. 222.* Non tantum cum Manichaeis, ſed antea cum Marcionitis, aliisque eiusdem generis haereticis, qui velut neceſſitatem quamdam peccandi introductam cupiebant, aut alios eodem collimantes errores fouebant, dimicandum patribus fuit: quos dum acriter impugnabant, diſputationis feruore abrepti, talia adferebant, quae peccatum originale euertere videntur. Nec tamen ſtatim inde inferendum, quod peccatum originale non crediderint, aut illud negauerint. Exemplum nobis praebet CLEMENS Alexandrinus; cuius, qui huc pertinet, locum, cum prolixior ſit, breuitatis ſtudio latino ſaltem idiomate adferemus: *Dicant ergo nobis, vbi fornicatus eſt infans natus? vel quomodo ſub Adae cecidit exſecrationem, qui nihil eſt operatus? Reſtat ergo eis, vt videtur, conſequenter, vt dicant: malam eſſe generationem non ſolum corporis, ſed etiam animae, per quam exſiſtit corpus. Et quando dixit Dauid: In peccato conceptus ſum, & in iniquitatibus concepit me mater mea, dicit prophetice quidem matrem Euam; ſed Eua quidem fuit mater viuentium, & ſi is in peccatis fuit conceptus, at non ipſe in peccato, neq; vero ipſe peccatum. Vtrum vero, quicumque etiam a peccato ad fidem conuertitur, a peccandi conſuetudine, tamquam a matre, conuerti dicatur ad vitam, feret mihi teſtimonium vnus ex duodecim prophetis, qui dixit: ſi dedero primogenita pro impietate, fructum ventris mei pro peccatis animae meae. Non accuſat eum, qui dixit; creſcite, & multiplicamini, ſed primos poſt generationem motus, quorum tempore Deum non cognoſcimus, dicit impietates. Si qui autem ea ratione dicit malam generationem, idem eam dicat bonam, quatenus in ipſo veritatem cognoſcimus; l.3. ſtrom. p.557.* edit. IO. POTTERI. Quando itaque CLEMENS dicit: ποῦ ἐπόρνευσεν τὸ γεννηθὲν παιδίον; ἢ πῶς ὑπὸ τὴν τοῦ Ἀδὰμ ὑπέπτωκεν ἀρὰν, τὸ μηδὲν ἐνεργῆσαν; *vbi fornicatus eſt infans natus? aut quomodo ſub Adae cecidit exſecrationem, qui nihil operatus eſt?* item, cum deinceps de Dauide dicit: ἀλλ' οὐκ αὐτὸς ἐν ἁμαρτίᾳ, *non tamen ipſe in peccato naſcebatur*, videtur inde colligi poſſe, ac ſi diſerte peccatum originale negauerit. Et colligit quoque id inde WHITBY, *l. c. c. 6. p. 86.* Verum, cum CLEMENS in eo ſit, vt contra haereticos illos diſputet, qui nuptias damnabant, dici paucis poſſet, cum diſputationis aeſtu, vltra, quam decebat, prouectum eſſe; inde autem nondum ſequi, veram & genuinam hanc eius eſſe ſententiam. Sed, ſi cuncta adcuratius expendamus, ne id quidem, vt hic ſtatuamus, neceſſe videtur. Etenim, cum haeretici iſti, quos refellit ex iſto Iobi: *nemo a ſordibus mundus*, & aliis quibusdam eiusdem generis ſcripturae dictis, probare vellent, quam-

 libet

Digitized by Google

libet generationem, ſeu quemlibet viri cum femina concubitum, malum eſſe, nefarium, atque ſceleſtum, CLEMENS ex iisdem ſcripturae dictis ita contra eos argumentatur: *Dicant ergo nobis, vbi fornicatus eſt infans natus? vel, quomodo ſub Adae exſecrationem cecidit, qui nihil operatus eſt? Reſtat ergo eis, vt videtur, conſequens, vt dicant, malam eſſe generationem, non ſolum eam, quae eſt corporis, ſed etiam, quae eſt animae.* Cum nimirum illi haeretici, quibuscum ei res eſt, non admitterent, animae quoque generationem malam eſſe, ex iisdem, quibus illi vtebantur, argumentis concludit, aut admittendum eſſe, animae quoque generationem malam eſſe, aut fatendum, illorum argumenta nullam habere vim probandi. Cui ratiocinationi vt vis ſua conſtaret, ſupponit tantiſper, ex mente eorumdem haereticorum, infantes ipſos non fornicatos, ſeu non peccaſſe, nec ſub exſecrationem Adami eos cadere, cum nihil ipſimet operati ſint. Vnde, quod ex ſua mente ſententiaque hoc adſerat, adeoque peccatum originale neget, inde minime colligi poteſt. Addenda, quae hac de re diſſerit NICOLAVS LE NOVRRI, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, lib. 3. diſſ. 2. c. 7. art. 4. p. 982.*

Inter eos vero, quorum luculenta de peccato originis exſtant teſtimonia, eminet IRENAEVS. Dicit enim diſerte, *Chriſtum nobis ſalutem praeſtare, vt, quod perdideramus in Adam, id eſt, ſecundum imaginem & ſimilitudinem eſſe Dei, hoc in Chriſto Ieſu reciperemus; l. 3. c. 20.* item: *non aliter ſaluari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundum ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, & omnia trahit ad ſe, & viuificat mortuos; l. 4. c. 5.* Rurſus de Chriſto verba faciens, *diſſoluens,* inquit, *eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, obediens factus eſt vsque ad mortem, mortem autem crucis, eam, quae in ligno facta erat, inobedientiam, per eam, quae in ligno fuerat, obedientiam, ſanans;* & paucis interiectis: *Quem* (Deum) *in primo quidem Adam offendimus, non facientes eius praeceptum; in ſecundo autem Adam reconciliati ſumus, obedientes vsque ad mortem facti; lib. 5. cap. 16.* Mitto reliqua, quae ex eodem auctore adhuc adduci poſſent, quaeue in vnum collecta exhibet RENATVS MASSVETVS, in *diſſert. praeuiis in Irenaeum, diſſ. 3. art. 10. p. 108.* Nec ipſe WHITBY negare poteſt, Irenaeum hiſce docuiſſe, *nos ob Adami peccatum imaginem Dei immortalis, ad quam initio creati fuimus, perdidiſſe, plagaque ſerpentis morti obnoxios factos, per Chriſti ad mortem obedientiam, ad incorruptelam, vitamque nulla morte finiendam, reſtitutos eſſe; l. c. c. 8. p. 164.* De ORIGENE multa inter viros doctos diſputantur. Eum exemplum praeiuiſſe Pelagio, quod hic ſequeretur, ſupra ad §. *praec.* obſeruauimus. Vnde facile colligi poterat, eum peccatum originale negaſſe. Sed ibidem tamen NORISIVM laudauimus, docentem, etſi in aliis errores Pelagianos Origenes fouerit, nuſpiam tamen eum diſerte peccatum originale negaſſe: immo videri alicubi, hoc aperte agnoſcere; *hiſt. Pelag. l. 1. c. 1. p. 3. 4.* Addendum vero, in ſcriptis genuinis Origenis varia occurrere loca, quae ſuadere prorſus videntur, eum originale peccatum agnouiſſe. Huiusmodi eſt, quod adſerit, ὅτι πάντες μὲν ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἁμαρτάνειν πεφύκαμεν, *quod omnes homines ad peccandum ex natura proni ſumus; l. 3. contra Celſum, p. 150.* item: πάντες οὖν ἄνθρωποι, διὰ τὴν τῆς ἁμαρτίας φύσιν κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι καλοῦνται; *omnes itaque homines ob innatam ad peccandum procliuitatem, laborantes, & onerati vocantur; l. c.* Et rurſus: ἀδύνατον, dicit, εἶναι οὕτως ἄνθρωπον ἀναμάρτητον, *impoſſibile, ita hominem a peccato immunem eſſe,* (vt numquam peccauerit) *l. c. p. 149.* Haec aliaque, quae alibi paſſim leguntur, fateor, ita comparata ſunt, vt facile aliquem in eam inducere ſententiam queant, Origenem noſtrae de peccato originali ſententiae, palam

lam adſtipulari. Et ipſe quoque WHITBY, *Origenem, fateor,* inquit, *multa dixiſſe, quae oſcitanter & incaute legenti, eiusque peculiaria placita in animum non reuocanti, peccati originalis doctrinam ſtabilire videntur; l. c. p. 167.* Sed recte idem monet, haec omnia intelligenda atque interpretanda eſſe ex notiſſima illa Origenis, de προυπάρξει animarum ſententia. Admiſit itaque equidem Origenes peccatum originale, ſed longe alio ſenſu, ac nos id admittimus. Non enim tam a lapſu Adami, quam potius ab omnium animarum peccato, quo ſe contaminarint, antequam corpori iungerentur, hoc deriuat, ſimulque a corpore, cui animam ceu carceri atque ergaſtulo coniunctam, cum Platonicis docebat. Cum autem ſimul animabus pleniſſimum libertatis vſum tribueret, prior illa hypotheſis non obſtat, quo minus, quod ſupra diximus, Pelagianos fovere potuerit errores. Nec ſine ratione HVETIVS obſeruauit, ex gemino hocce dogmate, mentium προυπάρξεως, & plenae ac perpetuae libertatis vſus, ſemper vigentis ac florentis, maximam Origenianorum errorum partem, prodiiſſe, *Origen. lib. 2. cap. 2. qu. 6. p. 92.*

Non defuerunt equidem, qui rectiora docerent; clariſſima tamen lux tum demum doctrinae de peccato originali adfuſa eſt, cum per certamina Pelagiana plures viri docti & ingenio praeſtantes, ad rem omnem ſecundum ſcripturae ſacrae ductum adcuratius inueſtigandam, excitarentur. Quam primum enim Pelagiani errores innoteſcerent, fuerunt, qui ſtrenue acriterque iis ſe opponerent; quos inter HIERONYMVS atque AVGVSTINVS primum praecipuumq; locum tenent: quorum hac in cauſſa ſcripta neminem temere fugiunt. Iisdem Pelagianorum erroribus ſtrenue quoque ſe oppoſuerunt Romani epiſcopi, quorum decreta vel hoc nomine pondus aliquod habere credebantur, quod nomine cleri Romani facta eſſent. Primus inter eos Innocentius fuit, cuius tempore haereſis Pelagiana exorta eſt. Hunc Zoſimus excepit, qui Caeleſtii artibus circumuentus, in eum, vti & Pelagium ipſum, fuit pronior, donec rectiora edoctus, in repudiandis haereſeos auctoribus, vt & haereſi ipſa, Africanis patribus ſe iungeret. De Bonifacio, qui Zoſimi ſucceſſor fuit, Caeleſtino, Xyſto III, Leone magno, ceterisque, qui & factis & ſcriptis Pelagianam profligare haereſin adniſi ſunt, vt multa commemoremus, neceſſe non eſt; cum ea aliunde nota ſatis ſint. Taceo concilia hac in cauſſa congregata, Carthaginienſia, Hieroſolymitanum, Dioſpolitanum, Mileuitanum, & reliqua. Copioſe enim & ex inſtituto de hiſce omnibus exponunt Pelagianae hiſtoriae ſcriptores, ſpeciatim VOSSIVS, *hiſt. Pelag. l. 1. c. 12. ſq. p. 570. ſq.* & GARNERIVS, in *diſſ. ad hiſtoriam Pelagianam pertinentibus, diſſ. 2.* quae *de ſynodis* agit, *in cauſſa Pelagianorum habitis*, item, *diſſ. 6. de ſcriptis, a defenſoribus fidei aduerſus haereſin Pelagianam editis.*

Et hac quidem ratione Pelagiana haereſis vtcumque repreſſa, non tamen exſtincta penitus, aut exſtirpata fuit; quin potius per ſemi-Pelagianos repullulauit, mox in monaſteria recepta, plurimorum inter ſcholaſticos doctores infecit animos, & tantum non triumphauit; quamquam & eodem tempore non deeſſent, qui eidem ſtrenue ſe opponerent, veramque adeo de peccato originis, hominisque corruptione, & in rebus ſpiritualibus ἀδυναμίᾳ, doctrinam defenderent, & propagarent; vti iam ad §. *praec.* demonſtrauimus. Cum vero nihilominus Pelagiani errores caput in eccleſia tollerent, diuina tandem B. LVTHERVM noſtrum excitauit prouidentia; qui, vt in aliis, ita vel maxime in hocce, de peccato originali, hominisque natura intime per illud corrupta, capite, veritatem caeleſtem ex litteris ſacris reſtaurauit, & a ſordibus ei adſperſis feliciter repurgauit, vti itidem iam ad *§. praeced.* dictum eſt. Et eamdem veritatem per Dei gratiam eccleſia noſtra contra

Digitized by Google

omnes, qui, Pelagianorum veſtigiis inſiſtentes, naturae vires vltra quam par eſt, extulerunt, aut omnino peccatum originale negarunt, vt eccleſiae Romanae addictos, Socinianos item atque Arminii diſcipulos ac ſectatores, propugnauit hactenus ſtrenue, atque integram ad nos transmiſit. De certaminibus ſynergiſticis, quae noſtram turbarunt eccleſiam, commodior in ſequentibus erit dicendi locus.

Non minus autem omni quoque tempore exſtiterunt, qui illis, qui ad alterum extremum procurrendo, & abſolutam quamdam neceſſitatem introducendo, omni hominem libertate ſpoliant, aut omnino Deum peccatorum auctorem faciunt, acriter ſe oppoſuerunt, atque ita ex hocce quoque capite veram doctrinam conſeruarunt. Atque illos quidem, qui Deum pro peccati malorumque auctore venditare non erubeſcebant, ipſum Iacobum refellere *c. I, 13.* ſupra iam obſeruauimus. Contra fatum autem, ſeu fatalem neceſſitatem, paſſim veteris eccleſiae doctores diſputant, ſimulque humanae voluntatis libertatem, (in naturalibus) vindicant. Et IVSTINVS quidem martyr, cum de vaticiniis prophetarum verba feciſſet, ne quis inde colligeret, omnia neceſſario fieri, ex inſtituto fatum ſibi refellendum ſumſit. Hinc illud cumprimis vrget, ſupplicia & tormenta, nec non egregias remunerationes pro vniuscuiusque operum dignitate retribui. Et porro: ἐπεί, inquit, εἰ μὴ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ κατ' εἱμαρμένην πάντα γίνεται, οὔτε τὸ ἐφ' ἡμῖν ἐστὶν ὅλως. εἰ γὰρ εἵμαρται τὸν δέ τινα ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τὸν δε φαῦλον, οὔθ' οὗτος ἀποδεκτός, οὐδὲ ἐκεῖνος μεμπτέος. καὶ αὖ, εἰ μὴ προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρά, καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλά, δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπινον γένος, ἀναίτιόν ἐστι τῶν ὁπωσδήποτε πραττομένων. *Nam, ſi hoc non ſit, ſed fato omnia fiant, nullum omnino erit liberum in nobis arbitrium. Si enim fatale ſit, hunc quidem eſſe bonum, illum vero malum: neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus. Ac porro, niſi arbitrio libero ad turpia fugienda, & ad honeſta diligenda, facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in culpa qualiumcumque demum factorum.* Multa hunc in modum pro libero arbitrio contra fatalem neceſſitatem diſputat, *apol. 1. pro chriſtianis, p. 83.* edit. GRABII. Rurſus in *apologia ſecunda:* οὐδὲ καθ' εἱμαρμένην πράττειν τοὺς ἀνθρώπους, ἢ πάσχειν τὰ γινόμενα, ἀλλὰ κατὰ μὲν προαίρεσιν ἕκαστον κατορθοῦν ἢ ἁμαρτάνειν. *Sed neque iuxta fatum mortales ea, quae fiunt, perhibemus vel facere, vel pati, verum conſulto animi deſtinatione, quemque aut recte aut perperam agere; p. 17.* edit. HVTCHINI. Iuſtini, ceu magiſtri veſtigia hac in re premit TATIANVS, qui fatum a daemonibus introductum adſerit; τὴν εἱμαρμένην, inquit, εἰσηγήσαντο λίαν ἄδικον; *fatum, rem prorſus iniquam introduxerunt; nam & qui adcuſat, & qui adcuſatur, vterque fato iuxta illos inducitur, & qui occidunt, & qui occiduntur, & diuites, & pauperes, eiusdem fati effectus ſunt; orat. ad Graecos, p. 29. 30.* edit. GVILWORTH. Fuerunt vero etiam, qui doctrinam de fato, atque fatali neceſſitate, ex inſtituto impugnarent. TERTVLLIANVM id feciſſe, ex libro eius *de anima, c. 20. p. m. 323.* videtur colligi poſſe. Sub MINVCII FELICIS nomine, ſuo aeuo librum *de fato, vel contra mathematicos*, exſtitiſſe, HIERONYMVS prodit; quem licet diſerti hominis opus fuiſſe agnoſcat, a Minucii tamen ſtilo diſcrepaſſe, cenſet; *de ſcriptoribus eccleſiaſticis, cap. 58.* Sed hiſce, aliisque, quae non amplius exſtant, miſſis, EVSEBIVM adhuc commemoramus, qui copioſe, multisque rationibus & teſtimoniis contra fatum diſputat, *praepar. euang. lib. 6. cap. 6. p. 242. ſq.* Idem vero & DIODORVS Tarſenſis, GREGORIVS Nyſſenus, IO. CHRYSOSTOMVS, aliique fecerunt, quos PETRVS FRID. ARPE recenſet, in *theatro fati, p. 35. ſeq.*

Non minus vero & illi veram ſanamque hic tuentur doctrinam, qui haereticis, duplicis principii adſertoribus, acriter ſe oppoſuerunt.

Digitized by Google

fuerunt. Et IVSTINVS quidem martyr Marcionitas perſtringit, in *apologia prima pro chriſtianis, p. m. 53.* edit. GRABII, ſimulque σύνταγμα contra omnes enatas haereſes a ſe compoſitum, profitetur. IRENAEVM tum contra reliquos eiusdem generis haereticos, tum ſpeciatim contra Marcionitas pugnare, ſatis notum eſt. Idem & DIONYSIVS Corinthiorum epiſcopus fecit, in *epiſtola ad Nicomedienſes,* ἐν ᾗ τὴν Μαρκίωνος αἵρεσιν πολεμῶν τῷ τῆς ἀληθείας παρίσταται κανόνι, *in qua Marcionis haereſin impugnans, veritatis regulae firmiter inhaereſcit,* vt EVSEBIVS loquitur, *hiſt. eccl. l. 4. c. 23. p. m. 144.* THEOPHILVM Antiochenum, *libro haudquaquam ſpernendo,* contra eosdem haereticos pugnaſſe, idem nos condocet EVSEBIVS, *l. c. c. 24. p. 146.* qui & ex RHODONIS, qui Tatiani fuit diſcipulus, *libro contra Marcionem* nonnulla refert, *l. 5. c. 13. p. 177.* CLEMENS porro Alexandrinus ſubinde eosdem haereticos refellit, quos & TERTVLLIANVS ex inſtituto refutauit, *libris quinque aduerſus Marcionem.* An vero *dialogus contra Marcionitas, ſiue, de recta in Deum fide,* qui ſub ORIGENIS nomine proſtat, recte auctori huic tribuitur? diſputant viri docti; adfirmante quidem, qui dialogum iſtum edidit, WETSTENIO, negantibus autem aliis. Non minori ſtudio Manichaeorum errores a veteris eccleſiae profligati ſunt doctoribus. Eminet inter eos TITVS, Boſtrenſis epiſcopus, qui *libros quatuor contra Manichaeos* ſcripſit; ex quibus primi duo integri, cum tertii initio, & SERAPIONIS *libro contra Manichaeos,* manuſcripti exſtant: latine autem ex verſione TVRRIANI, in CANISII *lection. antiqu. tom. 5.* prodierunt, inſerti hinc *bibliothecae maximae patrum tom. 4.* Argumenta quatuor iſtorum librorum e codice manuſcripto Holſteiniano, graece atque latine exhibet FABRICIVS, *bibl. graecae lib. 5. c. 1. p. 293. ſeq.* Praeter Titum huncce Boſtrenſem inter oppugnatores Manichaeiſmi ab EPIPHANIO, atque THEODORETO, illo quidem *haer. 66. p. 638.* hoc autem, *lib. 1. haeret. fabul. c. 26.* referuntur Archelaus, Georgius Laodicenus, Euſebius Emiſſenus, Euſebius Caeſarienſis, Serapion Thmuitanus epiſcopus, antea nobis iam laudatus, Athanaſius, & Apollinaris Laodicenus; quibus adhuc & alii addi poſſent, quos indicat vir doctiſſimus, FABRICIVS, *bibl. graec. l. 5. c. 1. p. 289. ſeq.* Omnibus autem dubiam in hoc certamine palmam reddidit AVGVSTINVS, qui initio haereſi Manichaeorum innutritus, poſtea ad meliorem mentem perductus, arma ſua tam felici ſucceſſu contra eos conuertit, vt penitus eos debellaſſe, merito cenſeatur. Scripta eius huc ſpectantia, recenſet ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. ſaec. 3. c. 3. art. 9. §. 4. p. 596.* Cumque in Priſcillianiſtis eadem haereſis repullularet, non tantum ab Auguſtino aliisque refutata, ſed & in ſynodis quibusdam, ſpeciatim Caeſar-Auguſtana, reiecta fuit atque damnata. Argumenta patrum, quibus contra Marcionitas atque Manichaeos pugnarunt, in compendio exhibet ALEXANDER, *duabus diſſertationibus,* quarum prior vnitatem Dei contra duplex Marcionitarum & Manichaeorum principium vindicat, *hiſtor. eccl. ſaec. 2. diſſ. 14. p. 482. ſq.* poſterior autem liberum hominis arbitrium contra eosdem Manichaeos propugnat; *l. c. ſaec. 3. diſſ. 26. p. 785. ſ.* Dum vero Manichaeis in vltima diſſertatione non tantum Caluinianos, quos vocat, & Cornelium Ianſenium, ſed & Lutheranos iungit, maximopere, ſaltem ad nos quod attinet, fallitur. Nos enim homini in rebus naturalibus neutiquam liberum arbitrium denegare, ex hactenus dictis abunde conſtare poteſt.

In locum Manichaeorum quodammodo ſucceſſiſſe praedeſtinatianos, iam ad *§. praec.* monuimus; quippe qui itidem ad alterum, quod Pelagianis oppoſitum eſt, extremum, aeque ac Manichaei, declinabant. Sed horum errori ſemper potior pars eccleſiae ſe oppoſuit, vt in ſequentibus ſuo loco oſtendemus, & ex iis etiam intelligi poteſt, quae

ad

Digitized by Google

ad *ſ. praecedentem* diſputauimus. Atque ita mirifice conſeruata atque propagata eſt veritas, cum numquam deeſſent, qui aut huic, aut alteri extremo, maſcule ſe opponerent, & contra eos, qui naturae viribus plus, quam decet, tribuebant, ita dimicarent, vt fatalem tamen ſimul peccandi neceſſitatem ab hominibus remouerent. Idq; & cumprimis a noſtrae eccleſiae doctoribus factum, cum recentiori aetate magno agmine prodirent, qui ad alterutrum extremum prolaberentur, & ad illud, velut ad ſcopulum quemdam, adhaereſcerent. Non minus enim illis, qui per decreta abſoluta fatalem quamdam poſtliminio introducebant neceſſitatem, erroresque praedeſtinatianorum reuocabant, acriter ſe oppoſuerunt, quam illis, qui, Pelagianorum commenta reuocantes, naturae vires, vltra, quam decebat, euehebant. Scripta numero fere infinita hac in cauſſa edita, quae vero recenſere, huius loci non eſt, id ſatis ſuperque teſtantur. Manichaeiſmus Flacii, quo pauciores habuit defenſores, eo plures nactus eſt oppugnatores; donec publice in *formula concordiae*, cum reliquis eiusdem generis erroribus, reiiceretur, ſimulque hoc ipſo monumentum perenne, conſeruatae, inter vtrumque extremum, verae puraeque doctrinae, erigeretur.

§. XXXVII. Vſus doctrinae huius de peccato, per omnes vitae chriſtianae actus, latiſſime ſe diffundit. Cum enim agnitio peccatorum poenitentiae ac conuerſionis ſit initium, opera omnino danda, vt, quid peccatum ſit, & quaenam eius ſit grauitas, ſecundum verum & genuinum legis ſenſum, recte intelligamus; *Matth. V, 20. ſq. Rom. III, 20. c. VII, 7. 12. Ebr. III, 13. Eph. IV, 22.* Neceſſe vero etiam eſt, vt intimam naturae noſtrae corruptionem, ſi poenitentia recte procedere debet, exploratam, perſpectamque habeamus, *pſ. LI, 7.* Inde enim ſimul de noſtra in ſpiritualibus *ἀδυναμίᾳ*, gratiaeque diuinae, ſpeciatim & ratione intellectus, illuminationis, ratione voluntatis, viuificationis, neceſſitate conuincemur; *1. Cor. II, 14. Eph. II, 1.* Cumque peccatum iſtud originale etiam renatis per omnem vitam adhaereat, quotidianae renouationis neceſſitas inde manifeſta eſt; *Epheſ. IV, 22. 23.* Vnde & lucta illa carnis & ſpiritus, *Gal. V, 17.* Actualium denique peccatorum vel ideo inſtituenda eſt diligenter conſideratio, ne noſmet ipſos decipiamus, pro peccatis non habentes, quae tamen peccata ſunt; aut infirmitatis ſaltem eſſe peccata, nobis perſuadentes, quae pro peccatis malitiae rectius habentur; aut, quaedam peccata natura venialia eſſe, fingentes, & quae alia ſunt eiusdem generis, quibus miſeri mortales ſibi ipſis caliginem obfundunt, ne videant, quae ad ſalutem conſequendam iis ſunt neceſſaria.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

HHG 200 3696

Digitized by Google

Digitized by Google

16. J. 6.

Digitized by Google